DISPVTATIO LOGICA Secunda.

LIBER ARISTOTELIS DE CATEGORIIS Commentariis illustratur.

TERTIA PARS LIBRI.

DISPVTATIO TERTIA LOGICA AD Categorias Aristotelis.

Arti-

DISPVTATIO QVARTA LOGICA, quæ est de Prædicamentis in Genere.

DISPVTATIO LOGICA QVINTA, quæ est de substantia.

DISPVTATIO LOGICA SEXTA, QVÆ est de quantitate.

DISPVTATIO SEPTIMA LOGICA, quæ est de qualitate.

DISPVTATIO LOGICA OCTAVA, quæ est de Relatione.

DISPVTATIO LOGICA NONA, DE reliquis sex prędicamentis.

COMMENTARIVS IN LIBRVM ARIstotelis ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ.

DISPVTATIO DECIMA LOGICA, respondens libris de Interpretatione Aristotelis.

VI. Quæ-

LIBRI PRIORVM ANALYTICORVM Aristotelis commentariis illustrantur.

LIB R.

LIBER SECVNDVS PRIORVM Analyticorum.

LIBER PRIMVS POSTERIORVM Analyticorum Aristotelis.

LIBER SECVNDVS POSTERIORVM Analyticorum Aristotelis.

DISPVTATIO VNDECIMA LOGICA, quæ est ad libros posteriorum Analyticorum Aristotelis,

DE DEMONSTRATIONE.

IV. Ar-

DISPVTATIO XII. ET VLTIMA Logica ad posteriores libros, quæ est de Scientia.

LIBER PRIMVS TOPICORVM Aristotelis commentariis illustrandus assumitur.

IN LIBRVM SECVNDVM ET RELIQUOS LIBROS TOPICORUM ARISTOTELIS.

IN LIBRVM DE ELENCHIS SOPHISticis Aristotelis Commentarius.

TRACTATVS DE AFFECTIONIBVS vocum.

SEQVVNTVR COMMENTARII & Disputationes Physicæ.

In Libros VIII. Physicorum Aristotelis.

In Secundum Librum Physicorum Aristotelis.

In Librum Tertium Physicorum Aristotelis commentarii.

In Quartum Librum Physicorum Aristotelis.

In Quintum Librum Physicorum Aristotelis.

In Sextum Librum Physicorum Aristotelis.

IN LIBRVM SEPTIMVM PHYsicorum Aristotelis.

IN LIBRVM OCTAVVM PHYsicorum Aristotelis.

SEQVVNTVR DISPVTATIONES Physicæ.
Et primo, Prolegomena ad eas.

FINIS PROLEGOMENORVM.

DISPVTATIO PHYSICA secunda.

DISPVTATIO TERTIA PHYSICA, de Causis.

DISPVTATIO PHYSICA QVARTA, quæ est de Infinito.

Respondet hæc disputatio potiori parti libri tertij Physicorum.

Quæstio vnica.

DISPVTATIO PHYSICA QVINTA, quæ est de Loco, & Vacuo.

Respon-

DISPVTATIO PHYSICA SEXTA, quæ est de Durationibus rerum.

DISPVTATIO PHYSICA SEPTIMA, quæ est de Motu.

DISPVTATIO PHYSICA OCTAVA, quæ est de continuo.

SEQVVNTVR COMMENTARII IN LIBROS Aristotelis de Generatione.

IN LIBRVM SECVNDVM ARISTOTELIS de Generatione. Commentarii & Disputationes.

SEQVVNTVR DISPVTATIONES IN libros Aristotelis de Generatione & Corruptione.

DISPVTATIO SECVNDA IN LIBROS de Generatione.

DISPVTATIO TERTIA IN LIBROS de Generatione, nempe de Augmentatione.

VII. Du-

DISPVTATIO TERTIA, DE COELI accidentibus.

DISPVTATIO QVARTA IN LIbros de cœlo.
De influentiis cœlorum in hæc inferiora, eorumque vi actiua.

DISPVTATIO QVINTA, DE Elementis.

IN LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA commentarii.

SEQVVNTVR DISPVTATIOnes Physicæ ad libros Aristotelis de ANIMA.

DISPVTATIO SECVNDA DE POTENTIIS Animæ particulari.

DISPVTATIO TERTIA DE POTENTIIS rationalibus.

SEQVVNTVR COMMENTARII IN libros Ethicorum Aristotelis.

DISPVTATIO PRIMA DE MORALI Philosophia in genere. 634

III. Du-

DISPVTATIO SECVNDA.
De actibus quibusdam humanis in specie.

DISPVTATIO TERTIA.
De bonitate & malitia actuum Humanorum.

DISPVTATIO QVARTA.
De passionibus appetitus sensitiui.

DISPVTATIO QVINTA.
De Virtutibus moralibus in genere.

II. Du-

DISPVTATIO SEXTA.

De Virtutibus in particulari.

FINIS INDICIS.

BERNARDI MORISANI, PHILOSOPHI ACVTISSIMI COMMENTARII IN ISAGOGEN PORPHYRII.

AVTHOR *huius Isagoges, siue introductionis est Porphyrius, Philosophus, natione Phœnix, patria Tyrius, secta non tam Aristotelicus, quam Platonicus, præceptorem enim habuit Clotinum Platonicum, vixit temporibus Aureliani & Diocletiani, Imperatorum, anno videlicet Domini 280. Discipulum inter veteres habuit Chrisaorium Patritium Romanum; cuius rogatu hanc Isagogen conscripsit, ad faciliorem intellectionem Categoriarum Aristotelis. Porphyrius hic Christianus cum esset, impie fidem deseruit, quia tamen opusculum hoc utile est, & nihil continet de religione, ab Ecclesia permissum est. Habet vero hæc Introductio tres partes, scilicet procemium, explicationem quinque uniuersalium, & variam vniuersalium inter se collationem. Eius obiectum est vniuersale, quatenus illius cognitio vtilis est ad cognitionem prædicamentorum, totiusque Logicæ, ac reliquorum operum Aristotelis.*

CAPVT I.

CAPVT hoc primum, procemium est huius libelli, in quo Porphyrius ostendit vtilitatem quinque vniuersalium, quod scilicet necessaria, id est, vtilis eorum sit cognitio: primo, ad intellectionem Categoriarum, quæ constant generibus & speciebus: secundo, ad definiendum, quia definitio si sit essentialis, constat genere & differentia, vt animal rationale est definitio hominis, Animal est genus, rationale est differentia. Descriptio constat genere & proprio, vel saltem collectione plurium accidentium: tertio ad diuidendum, quia diuisio vel est generis in species, vel in differentias diuisiuas, vel est subiecti in sua accidentia: quarto ad demonstrandum, demonstrationes enim communiter pro medio habent definitionem, & ostendunt proprium inesse speciei. Accidens autem licet non ingrediatur demonstrationem, ad eam tamen conducit, quatenus nos in essentiæ cognitionem aliquo modo traducit. Propria porro facilius cognoscuntur, quando comparantur cum accidentibus.

Subiungit Porphyrius modum suum procedendi in vniuersalium explicatione fore dilucidum, ac familiarem, omissis quæstionibus difficilioribus, quarum tres recenset. Prima est, vtrum vniuersalia sint in rebus, an vero in solis tenuibusque notionibus posita sint: secunda, vtrum corpora sint, an corporis expertia. Tertia, vtrum separata sint, an in sensibilibus & circa ea consistentia, id est, an existant separata à singularibus, an vero in ipsis inveniantur. Harum quæstionum decisio alibi tradetur.

CAPVT II.

EXplicationem vniuersalium orditur à Genere, in quo seruat ordinem naturæ & doctrinæ. Nam genus saltem materialiter sumptum est, natura prius reliquis vniuersalibus, & magis commune, quo fit, vt aliorum cognitio ab ipsius cognitione dependeat.

Initio capitis varias adfert generis acceptiones. *Genus primo modo dicitur aliquorum, qui ad vnum quiddam, & ad se inuicem referuntur, multitudo:* vt generis Romanorum, siue Romani, respectu Romuli, Heraclidæ, respectu Herculis, multitudo in hac definitione opponitur vnitati, non paucitati, nam duo homines hic sunt multi, aut multitudo. [*est aliquorum*] scilicet hominum, non brutorum, aut insensibilium. [*qui ad vnũ quiddam*] scilicet principium effectiuum & distinctiuum suæ multitudinis ab aliis, cuiusmodi est parens, propinquus, vel remotus, item locus, seu patria, effectiuum excludit familiã respectu domus, quam inhabitat. Domus enim non efficit quiddam. Locus autem, seu patria reducitur ad principium effectiuum ob virtutem, siue influentiam, quam recipit à corporibus cœlestibus, quaque ad hominum generationem & conseruationem cõcurrit. Per distinctiuum excluditur Deus, Sol, primus parens, hi enim licet sint principia, quæ adiuuent hominis productionem, non tamen distinguunt hos ab illis, cum ad omnium omnino originem æqualiter cooperentur. Genus itaq; hoc primo modo significat progeniem, vel rationem.

Nota ea, quæ sunt genus, primo modo duplicem habere relationem, sive respectum. Prima relatio est ad causam, sed principium effectiuum, quæ est relatio effectus ad causam, & vocatur relatio disquiparantiæ, id est, relatio ad terminum diuersi ordinis. Secunda relatio est, qua referuntur ad se inuicẽ, vt duo fratres, consanguinei, vel cõterranei, inter se, & hæc est relatio æquiparantiæ, siue ad terminum eiusdem rationis. Prior illa relatio est generi primo modo sumpto, essentialis. Posterior ex priori oritur, & ponitur in definitione maioris claritatis causa.

Genus secundo modo dicitur principium, à quo quisq; est ortus, siue ab eo, qui genuit, sed à loco, in quo genitus est, vt Nicomachus, respectu Aristotelis, quia eius pater, Tantalus dicitur genus Orestis, quia eius atauus fuit. Duacum respectu Duacensium &c. reliqua explicanda, vt supra. Hæc acceptio generis est prior natura, quam præcedens, nam principium prius est principato, est etiam magis in vsu apud Authores, vtraque tamen magis est Grammatica, quam Logica.

Genus tertio modo est, cui subiicitur species. [*subiicitur*] scilicet proxime & immediate, idque in recta linea prædicamentali, vt excludantur primo indiuidua, qua quidem subiiciuntur generi, sed remote, & mediante specie: secundo, differentiæ, vt excludantur differentiæ, quæ non concludunt directe, seu in linea recta, sed in laterali, quæ non ex Categoriis clariora fient. Genus hoc modo tertio sumptum ad Philosophos spectat, & sic describitur: *Genus est, quod de multis, & specie differentibus, in eo, quod quid est, dicitur:* vt animal respectu hominis, & equi: arbor respectu pomi & pyri: color respectu albedinis & nigredinis. Genus, sicut superius definiui, est vniuersale, vel prædicabile, loco differentiæ ponitur reliquum, scil. de multis specie differentibus in eo quod quid est. Specie differentia sunt distinctæ species, vt homo & equus, item earum indiuidua, vt Petrus & Bucephalus, hac parte excluditur species vltima, siue specialissima, quæ de solis numero differentibus, id est, indiuiduis prædicatur.

Vbi nota ex Aristotele 1. *Topic. c. 6.* aliqua tripliciter posse eadẽ dici, & tripliciter diuersa, primo aliqua sunt eadem numero, quando sunt res eadem diuerso nomine specificata, vt Petrus & Cephas, ensis & gladius: secũdo aliqua sunt eadẽ specie, quæ conueniunt in eadem specie vltima, discrepant tantũ differentia indiuiduali, vt Petrus, & Paulus, qui conueniunt in specie humana. Tertio, quædam sunt eadẽ genere, quia conveniunt in eodem genere, discrepant vero in natura specifica, vt homo & equus: conueniunt in natura generica, animalis. Ex his facile est colligere, numero diuersa esse individua eiusdem speciei, vt Petrus & Paulus, quæ sunt eadem specie: secundo, diuersa specie esse ea, quæ conveniunt genere, ut homo & equus, & eorum indiuidua: Tertio diuersa genere esse ea, quæ licet conueniant in genere, aliquo superiori, discrepant tamen differentia generica, vt animal & planta, quæ conueniunt in natura ge-

nerica viuentis, differunt vero in ratione sensibilis, & vegetabilis.

Dici in eo quod quid est, est esse prædicatum, quod responderi potest ad quæstionem factam Quid est res.

Vbi nota, licet genus sit natura quædam incompleta, & pars formalis speciei, prædicari tamen posse in recto de specie, quia ita est speciei, vt etiam sit totum scilicet potentiale, seu confusum, quod confuse, & in potentia continet differentias oppositas, idem dicendum de differentiis & specie, respectu eorum, de quibus prædicantur. Et in hoc differunt partes Metaphysicę à partibus Physicis, quod hæ non possunt prædicari de toto, non enim dicitur homo, & anima, vel homo est corpus, quia hæ partes ne confuse quidem continent alteram compartem.

CAPVT III.

De specie.

SI naturæ ordinem spectemus, hic subiungenda erat tractatio de differentia, quia hæc natura prior est, ipsa specie, tanquam altera pars formalis speciei. Quia tamen præcedenti cap genus per speciem definiuerat, & quia species nobis est notior, deniq; quia prędicatur in quid, sicuti genus, facilioris doctrinæ ordinẽ secutus, prius agit de specie, cuius duas tradit acceptiones, prior est Grammatica, aut ciuilis, & definitur: *species est, quæ de uniusque forma dicitur*: vt species Priami imperio digna, & species hoc modo sumpta est pulchritudo hominis, seu qualitas ex debita proportione membrorum & colorum resultans. Posterior acceptio est Logica, & definitur primo: *species est quæ definito generi subiicitur.* [*Definitio*] id est, determinato, & certo: [*subiicitur*] scil. subiectioni essentiali directa & immediata, vt excludantur differentiæ & indiuidua. Est autẽ similitudo inter speciem Logicam & ciuilem, quod sicut fas est forma & pulchritudo corporis, ita & illa speciosum & pulchrũ sui accessione efficiat genus, ex se aliqui confusum, & deforme. Definitur hic species Logica subiicibilis, vel qua subiicibilis est. Pro quo nota triplicẽ esse speciem, vna est subiicibilis tantum, cuiusmodi est genus subalternum, ꝙ respectu suorum superiorum est species, respectu autẽ inferiorũ, est genus, non species: verbi gratia, animal est species respectu viuẽtis, est genus respectu hominis, & bruti. Secundo alia est species prædicabilis tantum, quæ habet quidem inferiora, scil. indiuidua, non habet tamen genus superius, cui subiiciatur, vt punctum instans, vnitas & omnes differentiæ vltimæ. Tertio quædam est subiicibilis & prædicabilis simul, vt homo, equus, &c. quæ tam respectu superiorum, quā inferiorum vocantur species, respectu superiorum est species subiicibilis, respectu inferiorum est species prædicabilis.

Tuetur Porphyrius hanc suam definitionem, qua speciem per genus definit, cum precedenti capite, genus per speciem definiuisset, quia licet mutua illa definiendi ratio vitiosa sit, in rebus absolutis, non tamen in relatiuis cuiusmodi sunt hominis & species. Horum enim tota essentia consistit in relatione vnius ad alterum.

Dicet aliquis, non est diuersa ratio in relatiuis, nam & in illis sequitur unum & idẽ relatiuum simul omne notius, & ignotius, notius quatenus alterum definit, ignotius quatenus per alterum definitur: atqui ob hoc incommodum reiicitur mutua definitio in absolutis: ergo & hic. Resp idem relatiuum esse notius, & ignotius sub diuersa ratione. Est notius sub ratione absoluta, vt est terminus relationis, ac materialiter accipitur & assumitur, tanquam pars definitionis; est vero ignotius sub ratione relatiua, secundum quam formaliter refertur, & definitur. Hæc applicanda sunt generi & speciei.

Secunda definitio speciei subiicibilis est hæc: *Species est, quæ ue genere ponitur, & de qua genus in eo, quod quid est, dicitur.* Est explicatio præcedentis.

Definitio speciei prædicabilis est hæc. *Species est hæc, quæ de multis & numero differentibus in eo, quod quid est, dicitur.* Vt homo dicitur, de Ioanne, Petro, &c. Hæc est definitio speciei infimæ, siue specialissimæ, vt loquuntur. Aliæ definitiones competunt speciei subalternæ, quæ potest esse genus, & species. Genus definiti est vniuersale, reliquæ definitionis partes explicandæ sunt, sicut in vltima generis acceptione. Illud [*de multis numero*] intelligi debet de multis solo numero differentibus, vt excludatur genus, quod dicitur etiam de differentibus specie.

Dubitare quis posset, quo modo prædicari de multis specie, & prædicari de multis solo numero differentibus, constituant duo distincta prędicabilia, genus scilicet & speciem, cum unicum tantum sit genus, siue prædicetur de multis genere, vel specie differentibus, vel numero. Resp. genus & speciem esse diuersa prædicabilia, non ob id præcise, quod genus de multis specie differentibus prædicetur, species vero de multis solo numero differentibus. Sed quia genus, cum sit pars essentiæ, prædicatur incomplete, & vt pars saltem explicite, similiter & differentia. Species vero cum dicat totam essentiam suorum inferiorum, prædicatur per modum totius, prædicari autem per modum partis, & per modum totius, merito diuersa constituunt prædicabilia Dicitur autem species explicare totam essentiam inferiorum, quia principium indiuiduationis est, extra rationem essentiæ, tantum igitur significatur indiuidua nihil habere participabile ab aliis, quod non sit in specie.

CAPVT IV.

De genere generalissimo.

DOcet hoc caput in singulis Categoriis esse genus generalissimum, speciem specialissimam, genera ac species subalternas, siue intermedias.

Genus generalissimum est supra quod non est aliud genus superius, vt substantia, qualitas, quantitas, &c. Genus definiti in has & sequentibus definitionibus est vniuersale prædicamentale, quo excluduntur ea, quæ non ponuntur in prædicamentis, vt entia rationis, differentiæ, partes, &c. Illud [*supra quod non est*] excludit genera subalterna, quæ habent aliud genus supra se, excludit etiam ea, quæ accidentaliter prædicantur de generalissimo, verbi gratia, color de substantia, color enim non est superius, sed accidens tantum substantiæ, alia definitio est.

Generalissimum est, quod cum sit genus, non potest esse species. Specialissimum est infra quod non est alia species subiecta, vel specialissimum est, quod cum sit species, non potest esse genus, vel cum sit species, non diuiditur in species. Sensus est, quod ita est species, vt nullius respectu possit esse genus, vt est homo. Subalterna genera & species sunt, quorum vnumquodque potest esse genus, & species, ad aliud tamen atque aliud comparatum. Exempla hæc omnia declarantur in Categoria substantiæ. Substantia est generalissimum, huic immediate subiicitur corpus, deinde viuens, deinde animal, quæ tria sunt genera subalterna, & species, intermediæ. Sub animali ponitur homo, qui est species specialissima, & tantum habet sub se indiuidua Petrum, Paulum, &c.

Vbi nota, Porphyrium in exemplo allato sub animali ponere animal rationale, tanquam genus subalternum, & immediatum, respectu hominis, quia errore deceptus cum Stoicis existimauit, cœlum & angelos esse corpora animata rationalia, quod non tantum fides Catholica reiicit sed & ipse Aristoteles in Met. Quod notandum, quia creberrime in hac Isagoge illud exemplum Porphyrius adfert.

Ex dictis concludit Porphyrius genera & species subalternas, duas habere relationes, quæ mutant denominationem, vnam scilicet ad superiora, ratione cuius dicuntur species, alterum ad inferiora, ratione cuius dicuntur genera. Generalissimum vero vnam tantum habet relationem, scilicet ad inferiora, quæ est relatio siue respectus generis. Addit specialissimum etiam vnam habere relationem, siue referatur ad superiora, siue ad inferiora, quia licet vere duas habent relationes distinctas, vnam terminatam ad genus, alteram ad indiuidua, per vtramque tamen constituitur, & denominatur species, vnde relatio in re est duplex denominatione est vnica, quia species specialissima tam respectu superiorum, quam inferiorum est quid completū, & perfectum, quo fit, vt eandem retineat denominationem, à proportione, quam habet cum specie, primo modo sumpta, quod sit species, siue pulchra respectu vtriusque. Aliud est in specie subalterna, verbi gratia, animali. Hæc enim licet respectu superiorum sit quid completum, ac proinde possit dici species, respectu tamen inferiorum est tantum pars incompleta, animal enim tantum est altera pars essentiæ hominis

In fine capitis docet decem esse summa genera, quasi decem prima principia, nec ens esse genus omnium. Species docet esse certo ac determinato numero, quod de speciebus substan-

ſubſtantiæ omnino verum eſt. Nam ſpecies figurarum & numerorum ſine termino poſſunt multiplicari, Indiuidua dicit eſſe infinita, quod intellige, quod ſint actu quaſi infinita, ſed potentia, id eſt, nunquam dantur tam multa, quin alibi & alia illis ſemper addi poſſint.

CAPVT V.

De regulis attributionum, & indiuiduo.

TRES proponit regulas attributionum; quæ vocari ſolent ante prædicamentales. Prima eſt, *Genus ſemper dicitur de ſpecie, & omnia ſuperiora de inferioribus, ſpecies neq; de genere proximo, neq; de inferioribus.* Verbi gratia, animal recte prædicatur de homine, viuens de animali, homo vero non prædicatur de animali, aut de viuente, prædicatione ſcil. ordinata, & neceſſaria, de qua intelligitur regula. Rationem regulæ addit Porphyrius, eo quod non reciprocetur, cui addendum, neque latius etiam pateat. Secunda, *De quibus dicitur ſpecies, de his etiam neceſſario ſpecies genus, & generis genus, vſq; ad generaliſſimum,* nam ſi vere dicitur, Socrates eſt homo, vere etiam dicetur, Socrates eſt animal viuens ſubſtantia, &c. Regula hæc procedit de qualibet prædicatione, tam eſſentiali, (vt patet de exemplo allato) quam accidentali, vt Petrus eſt albus, coloratus; Tantum nota genus & ſpeciem debere ſumi eodem modo, ſcil. vtrumq; in concreto, vel vtrumque in abſtracto. Licet enim vere dicatur Petrus eſt homo animal, &c. Item Petrus eſt albus coloratus, &c. Falſo tamen dicitur Petrus eſt humanitas, animalitas, albedo, color, quia nimirum ſubiectum ſumitur in cõcreto, prædicatum in abſtracto. Tertia, *generaliſſimum dicitur de omnibus, quæ ſub ipſo ſunt, ſeu generibus, ſeu ſpeciebus, ſeu indiuiduis: genus autem quod ſpecialiſſimum antecedit, de omnibus tam ſpecialiſſimis, quam indiuiduis, quæ vero ſolum eſt ſpecies de omnibus indiuiduis, at indiuidua ſolum de vno ſingulorum:* quæ omnia clara ſunt, & intelliguntur de prædicatione ordinata, & neceſſaria. Vltimis illis verbis continetur prima definitio indiuidui Indiuiduum eſt quod de vno ſingulorum dicitur, vt Ioannes, quæ tamen non tam eſt definitio, quam deſcriptio per idem, quatenus aliquo modo eſt notius. Indiuiduum enim & vnum ſingulorum idem ſunt, licet poſterius aliquo modo ſit notius & connotato diſtinctum, nam indiuiduum explicite dicit negationem diuiſionis, vnum autem ſingulorum dicit incommunicabilitatem.

Secunda definitio Indiuidui: *Indiuiduum eſt, quod conſtat proprietatibus, quarum tota multitudo nunquam in alio, eadem ſit futura.* Proprietates hic vocum dicuntur accidentia, ſiue conditiones, quarum quædam ſunt intrinſecæ, vt forma, & figura, reliquæ extrinſecæ, vt tempus, ſtirps, nomen, locus, patria, omnes hoc verſu continentur:

Forma, figura, locus, ſtirps, nomen, patria, tempus.

Forma igitur ſignificat ſtaturam, vel colorem, figura proportionem lineamentorum, conſtare hic ſignificat non componi ſed affici, quia indiuiduum non componitur ex huiuſmodi proportionibus, tanquam ex partibus ſiue eſſentialibus, ſiue integralibus, ſed tantum illas in ſe habent [*quarum tota multitudo*] licet enim quædam accidentia extrinſeca, vt tempus, patria, ſtirps, &c. eadem numero in alio indiuiduo reperiri poſſent, non tamen intrinſeca eadem ſit futura, ſcilicet numero. Nam eadem ſpecie, & genere reperiuntur in pluribus indiuiduis.

Nota hanc eſſe deſcriptionem indiuidui, vnde Porphyrius non repugnat Ariſtoteli, qui 7. met. c. 15. docet; indiuidui non eſſe definitionem, ſcilicet, propriam, quia indiuiduum tale non conſtat genere, & differentia ſpecifica, quæ requiruntur ad proprie dictam proportionem explicantem eſſentiam rei, ſed conſtat ſpecie & differentia indiuiduali. Nota ſecundo: quatuor indiuiduorum genera aſſignari à Logicis, quædam enim aſſignantur nomine proprio, & vocãtur indiuidua determinata, huiuſmodi ſunt nomina propria, hominum, brutorum, &c alia ſignificantur nomine communi addito pronomine demonſtrante vnum ſingulare determinatum, vt hic homo, & vocatur indiuiduum ex demonſtratione: alia ſignificantur tertio nomine communi, cum pronomine demonſtrante, vnum ſingulare, ſed indeterminatum, vt aliquis homo, & vocatur indiuiduum vagum.

Denique alia ſignificatur nomine, quod ex natura ſua poteſt conuenire pluribus, ſed ex

ſuppoſitione eſt proprium, & peculiare vni tantum, vt Sophroniti filius ſignificat Socratem, ex ſuppoſitione quod Sophronitus habuerit vnum tantum filium, & hæc dicuntur indiuidua ex ſuppoſitione, vel hypotheſi. Sub finem cap. docet Porphyrius, indiuiduum ſub ſpecie, ſpeciem ſub genere contineri, genus eſſe totum, indiuiduum partem, ſpeciem & totum & partem, partem tamen alterius vniuerſalis, ſed non eſſe alterius totius ſcilicet vniuerſalis, quæ vt plenius intelligantur, notandum triplex eſſe totum, quod ad rem noſtram facit. Primo totum vniuerſale, quod etiam dicitur potentiale. ſecundo totum definibile, quod etiam dicitur eſſentiale, ſiue actuale. tertio totum integrale; Totum potentiale eſt illud, quod potentia complectitur plura inferiora, ſic genus reſpectu ſpeciei eſt totum, quia complectitur poteſtate omnes differentias inferiores, & ſic ſpecies eſt illius pars, quia continet tantum vnam differentiam generis. Totum actuale eſt illud, quod actu & re ipſa continet in ſe partes eſſentiales, nimirum genus & differentiam, hoc modo ſpecies eſt totum reſpectu generis, quia in ſe continet actu genus & differentiam & ſpecies, & eſt totum reſpectu indiuidui, quia dicit totam illius eſſentiam, cum differentia indiuidualis ſit extra eſſentiam ipſius indiuidui. Totum integrale eſt, cum componitur ex pluribus partibus integralibus, vnum totum, vt homo conſtans manibus, pedibus, collo, &c.

CAPVT VI.

De variis modis differentiæ.

Varie hic diuidit differentias, prima diuiſio eſt, *Differentiarum quædam communis eſt, quædam propria, quædam maxime propria.* In hac diuiſione differentia, ſumitur latiſſime, pro qualibet forma reali, partiali, qua aliquid differt vel à ſe, vel ab alio. Excluduntur igitur negationes, & priuationes, quæ non ſunt formæ reales. Secundo, omnes formæ totales, ſiue totius, vt ſunt humanitas & equinitas. Vtitur hic Porphyrius nominibus concretis, quia concreta nobis ſunt notiora, idem interim eſt de abſtractis.

Prima definitio communis differentiæ. *Communiter aliud ab alio differre dicitur, quod qualicunque diuerſitate differt à ſe, vel ab alio.* Ex primo colligitur differentiam communem eſſe accidens ſeparabile, quo aliquid à ſeipſo, vel ab alio diſtinguitur, vt albedo reſpectu parietis, actio, paſſio, motus, quies, ætas reſpectu Petri. Petrus enim agens, patiens, &c. Differt ab aliis, & à ſe ipſum dum ceſſat ab actione, dum deſinit pati &c. Secunda definitio. *Proprie aliud ab alio differre dicitur, cum inſeparabili accidenti aliud ab alio differt.* Vnde inſeparabile accidens eſt propria, vt ſimitas naſi, cæſitas, ſiue cæſius color oculorum, cicatrix, calloſa, albedo cygni, &c. quidam huc referunt propria quarto modo, vt riſibilis reſpectu hominis, ſed hoc non eſt ex mente Porphyrii.

Tertia, *Maxime proprie aliud ab alio differt, cum ſpecifica differentia diſtinguitur*, vt ratiocinare reſpectu hominis. Differentia ſpecifica vocatur, quæ non eſt diuiſiua generis vt ſic, ſed quæ eſt conſtitutiua ſpeciei, ſicut quæ addita generi contrahis illud ad certam ſpeciem: vt rationale accedens animali conſtituit ſpeciem hominis Hæc differentia ſola vtilis eſt, ad definitiones, & ſola facit rem eſſentialiter diuerſam ab alia. Differentiæ communes & propriæ inſeruiunt inſcriptionibus, & faciunt rem tantum diſſimilem, ſiue aliter ſe habere.

Secunda diuiſio, ſeu ſubdiuiſio prioris. *Differentiarum aliæ ſunt ſeparabiles, aliæ inſeparabiles.* Separabiles quæ à ſubiecto, cui inſunt, facile poſſunt ſeparari. Huiuſmodi ſunt differentiæ communes, ſupra allatæ.

Inſeparabiles ſunt, quæ vel nullo modo, vel non niſi cum læſione ſubiecti ab eo poſſunt auelli, vt ſunt differentiæ propriæ, & maxime proximæ.

Secunda ſubdiuiſio. *Differentia inſeparabilis alia eſt inſeparabilis per accidens,* ſiue, quæ eſt tantum accidens ſubiecti, vt eſt differentia propria: *alia inſeparabilis per ſe*, eo quod ſit de eſſentia rei, vt ei conueniat ratione naturæ, vt ſunt differentiæ maxime propriæ.

Tertia ſubdiuiſio. *Differentia inſeparabilis alia eſt diuiſiua*, quæ ſcilicet diuidit genus in ſuas ſpecies, *alia eſt conſtitutiua,* quæ aduenieus generi conſtituit ſpeciem, tam inter-

mediam

mediam, quam infimam: verbi gratia, si animali addatur rationale, constituitur homo, & tunc rationale est differentia constitutiua, quia constituit speciem hominis, quando vero animal diuiditur in rationale & irrationale, tunc rationale est differentia diuisiua. Ex hoc patet, eandem differentiam respectu diuersorum esse constitutiuam, & diuisiuam, & quia præstantius est constituere speciem, quam diuidere genus, ideo differentia constitutiua absolute, & simpliciter vocari solet differentia. Et licet respectu diuersorum vna & eadem differentia sit diuisiua, & constitutiua, respectu tamen eiusdem alia est constitutiua, & alia diuisiua: verbi gratia, respectu animalis sensibile, est differentia constitutiua, rationale & irrationale sunt differentiæ diuisiuæ.

CAPVT VII.

De definitionibus differentiæ maxime propriæ.

QVINQUE hoc capite adfert definitiones maxime propriæ differentiæ. Prima est, *Qua species excedit genus.* Genus definiti est forma vniuersalis Logica, per formam excludo genera, quæ non sunt differentiæ, seu formæ contrahentes per modum partis. Dico, Logica, seu Metaphysica, vt excludatur forma Physica, verbi gratia, anima respectu corporis excedere genus, est essentialiter plus continere, & sic excluduntur formæ accidentales & differentiæ indiuiduales, quibus indiuidua excedunt genus & speciem substantiale tantum modo, non autem essentiali.

Nota, primo speciem habere duas differentias, à genere, vt ait Porphyrius, hoc sensu verum esse, non si quasi species, suam differentiam constitutiuam à genere habere illam actu contendat, sed potestate tantum, quemadmodum materia Physica dicitur continere formas Physicas, quod ab iis possit informari, vt genus, & contra, & perfici à differentiis.

Quod autem genus non contineat differentias specierum, ex eo patet, quod alioquin eidem simul actu inessent opposita, quod fieri nequit: Vnum tamen & idem ab vtrolibet opposito non potest perfici, & hoc est, differentias expositas continere potestate: & sic dicimus aquam in potentia continere calorem, & frigus, quia vtramque qualitatem admittit.

Nota secundo, licet differentia non sit negatio, sed forma quædam positiua, frequenter tamen exprimi per terminos negatiuos, vt incorporeum, inanimatum, rationale, irrationale, idque ob penuriam verborum

Secunda: Differentia est, *quæ de multis, & specie differentibus, in eo, quod quale quid est, dicitur.* Genus definiti est vniuersale prædicabile. Reliqua verba sunt loco differentiæ. Sensus est, differentia est vniuersale prædicabile, quod potest prædicari seu attribui multis speciebus diuersis eiusdem generis, cum respondemus quærenti, quale quid est res.

Definitio hæc in rigore solum conuenit differentiæ genericæ, & vt comprehendat etiam differentias specificas, addendum est vel numero differentibus, quod Porphyrius omisit, quia existimauit, vt fit, vniuersaliter ex hoc capite & aliis, nullas dari vltimas, seu specificas differentias, sed omnes genericas & communes, quarum duæ, aut tres simul coniunctæ constituerunt speciem vltimam.

Hinc rationale & mortale assignat per differentiam hominis.

Nota, prædicari in quale quid dupliciter posse sumi, primo late de quali in genere, siue sit essentiale, siue accidentale, vt quale quid est homo, respondetur, esse rationalem; quale quid est paries respondetur esse album, & hoc quali intelligendus est Porphyrius, qui in capite de genere, quando dicit, accidentia prædicari in quale quid.

Secundo, quale quid accipitur, proprie & stricte tantum, scilicet de essentiali tantum, & de hoc quali hic agitur, sola enim differentia maxime propria, & de essentia speciei, quæ se habet per modum qualis quidditatiue determinantis, & perficientis genus in compositione Metaphysica, sicuti forma determinat & perficit materiam in compositione Physica.

Nota

Nota ſecundo, Porphyrium paſſim comparare genus cum materia, & differentiam cum forma, quæ comparatio in eo ſita eſt, quod ſicuti materia eſt apta perfici à forma, ita & genus à differentia, & ſicuti forma venit. In aliis vero differunt hæ partes metaphyſicæ, genus ſcil & differentia, à partibus phyſicis, materia ſcil. & forma, vt *ſupra cap. 2.* innuimus. Nam partes metaphyſicæ quando prædicantur in cōcreto, ſiue ſint ſubſtantiua, ſiue adiectiua, implicite & inconfuſe deſignant totam rei eſſentiam, vnde etiam vocantur tota vniuerſalia, licet inexplicite tantum dicant partem eſſentiæ, vt homo & animal, homo eſt rationalis. Partes vero Phyſicæ tantum prædicari poſſunt de toto. quando ſumuntur adiectiue, & in concreto, vt homo eſt corporeus, & animatus. Si vero ſint ſubſtantiua, non poſſunt prædicari: neque enim recte dicitur, homo eſt anima, homo eſt corpus, quatenus corpus ſignificat alteram partem phyſicam hominis. Ratio eſt, quia ſic habent modum ſignificandi abſtractum, & tantum dicunt partem, & non totum.

Tertia Differentia eſt, *quæ ſuapte natura ſeparat ea, quæ ſub eodem genere ſunt*, vt rationale, & irrationale ſeparant hominem, & brutum, quæ ſunt ſub animali.

Quarta differentia eſt, *qua ſingula differunt*, per ſingula intellige non indiuiduum, ſed ſpecies eiuſdem generis, vt per rationale differt homo ab equo.

Quinta differentia eſt, *quod ad eſſe, eiuſque definitionem conducit, & quod rei pars eſt*, quod pertinet ad rei eſſentiam, & ponitur in definitione eſſentiali, ſeu quidditatiua illius, tanquam pars, & ſic excluditur proprium.

CAPVT VIII.

De Proprio.

HActenus egit Porphyrius de prædicabilibus, ſeu vniuerſalibus, quæ ad eſſentiam rei pertinent, vt ſunt genus & differentia, vel ſunt ipſa eſſentia rei, vt ſpecies, nunc progreditur ad ea, quæ ſunt extra eſſentiam, & quia proprium magis eſt intrinſecum eſſentiæ, quam accidens, ideo ordine naturæ prius de illo agit.

Initio quatuor adfert acceptiones proprii, quarum ſola prima eſt proprium.

Proprium primo modo eſt, *quod, vni ſoli ſpeciei accidit, etſi non toti*, vt eſſe Logicum, medicum, &c Genus definiti eſt vniuerſale, vel forma communis accidentalis. Accidere hic eſt accidentaliter inhærere, accidere ſoli ſpeciei, eſt ita competere ſpeciei, & eius indiuiduis, vt non conueniat alteri, non ſubordinato.

Subordinata vocantur, quorum vnum ſub alio ponitur, vel quorum vnum aliquid ab alio participat, vt genus, & ſpecies dicuntur ſubordinata, ſimiliter homo, anima rationalis & intellectus. Vnde ſcientia conueniens & inhærens intellectui, & intellectu mediante animæ, non cenſetur competere alteri, ac ſpeciei.

Nota ſpeciem in his definitionibus à Porphyrio videri reſtringi, ad ſpeciem ſpecialiſſimam, poteſt etiamnum extendi ad ſubalterna, ſeu intermedia.

Proprium ſecundo modo eſt, *quod toti ſpeciei accidit, & ſi non ſoli*, vt eſſe bipedem, ſiue aptum eſſe ad habendum duos pedes, reſpectu hominis, licet caſu, aut naturæ vitio aliquando deſint. Accidere toti ſpeciei, eſt conuenire ipſi ſpeciei, & omnibus inferioribus, ſeu indiuiduis, vel ſaltem omnibus inferioribus immediate. Hæc acceptio Porphyrii eſt valde impropria, tale enim accidens eſt potius commune, quam proprium. Dicitur tamen proprium vni reſpectu alterius, cui non cōuenit: vt, eſſe bipedem, eſt proprium homini comparato cum boue, equo, &c. Et hinc Ariſtoteles vocat hæc propria *ad aliquid.*

Proprium tertio modo eſt *quod toti & ſoli & interdum accidit*; vt caneſcere reſpectu hominis. Interdum accidere eſt ita tempore à natura determinato accidere, vt non ſemper conueniat, & hoc modo vera canities (quæ prouenit ex defectu caloris naturalis non valentis reſoluere humiditatem cerebri) eſt proprium homini, & accidit illi in ſenectute, neque conuenit brutis, vt equis, canibus, & lupis, quæ ex diuerſo temperamento pilos aut diuerſi coloris canitiem referentes, vnde potius dicuntur albeſcere, quam caneſcere, teſte Ariſtot. *lib. 5. de ort. anim. c. 5.* Nec conuenit iuuenibus, quibus eſt violenta ex morbo, graui, timore nimis acri, ſtudio, &c. qua de re Plinius *lib. 15. lect. antiq* Definitio intelligenda eſt non quaſi actu ſemper hoc proprium, debeat accidere, ſed intelligitur de aptitudine proxima, quæ

ma, quæ semper exit in actum, nisi ponatur impedimentum vt fit, si vnguentis & dotionibus carities arcetur.

Proprium quarto modo est, *in quod concurrunt & soli & toti, & semper*, id est, quod soli, & toti speciei, eiusque indiuiduis, semper inest, vt hoc est proprium primum prædicabile, quod alij sic definiunt. Proprium est vniuersale, quod de sola & tota specie, eiusque indiuiduis accidentaliter & necessario prædicatur. Dico necessario, quia licet sit extra essentiam rei, ex ea tamen naturaliter, & intrinsece dimanat, tanquam propria passio, siue proprietas, ita vt nec essentia possit esse sine illa proprietate, nec proprietas sine illa essentia, vnde cum essentia conuertitur: huiusmodi propria sunt, risibile respectu hominis, hinnibile respectu equi: quæ exempla significant aptitudinem, non vero actum, quia videre actu non est proprium quarto modo, sed potius primo modo, aliqui enim nunquam riserunt, teste Cicerone, & omnino verisimile est, de Christo Domino. Et de hoc proprio agunt potissimum Logici.

Quærat aliquis, quomodo proprium sit vniuersale, & quartum prædicabile, cum prædicatur tantum de vno, scilicet de specie, cui primo competit, & ratione ipsius indiuiduis. Resp. primo species, de qua immediate prædicatur virtute multa continet indiuidua Resp. 2. saltem mediate de multis prædicari, & hoc sufficit.

CAPVT IX.

De Accidente.

NOtat Toletus hic accidens tripliciter sumi, primo pro omni eo, quod est extra essentiam alterius, qua ratione substantia potest esse accidens, vt vestis accidit homini, interiora accidunt superioribus, vt homo animali, quia homo non est de essentia animalis, licet animal sit de essentia hominis Secundo sumitur accidens pro omni eo, quod non est substantia, & sic diuiditur in 9. prædicamenta, de quibus suo loco, & in hac acceptione etiam proprium est accidens. Tertio, & magis proprie sumitur pro forma, quæ nec est substantia, nec ex essentia rei profluit, sed tantum contingenter illi inest, & hoc est atquium prædicabile.

Prima definitio. *Accidens est, quod adest, & abest sine rei subiectæ interitu*, vt albedo respectu parietis, genus definiti est vniuersale, qua parte excluduntur singularia accidentium, quæ alioqui hac definitione comprehendi possent. Explicatur definitio [*adest & abest,*] id est, abesse potest, & adesse, siue conuenire, siue non conuenire, non quidem simul, & eodem tempore, sed successiue, siue diuersis temporibus, [*sine rei subiectæ interitu*] id est, sine læsione, aut imminutione essentiæ rei existentis Quamuis enim multa sint accidentia, quibus destructis, etiam subiectum, quoad existentiam destruatur, (quia forma substantialis aliquas semper requirit dispositiones, sine quibus materiam naturaliter nequit informare) ipsa tamen rei essentia non perit, sed eadem prædicata essentialia ei conueniunt, sicut licet cygnus non haberet albedinem, non desineret esse substantia, corpus viuens, animal &c. & licet si actualiter tentetur separatio albedinis, à cygno, cygnus potius destruetur, nihil tamen de cedet de essentia, siue prædicatis essentialibus ipsius. Neque enim detrahetur illi gradus substantiæ, ante gradus corporis, &c.

Diuiditur accidens *in separabile, & inseparabile*, quæ diuisio est subiecti in accidentia, nam separari, & inseparari, siue separabilitas, & inseparabilitas accidunt accidenti. Accidens separabile est albedo, respectu parietis, inseparabile est albedo, respectu cygni.

Nota hanc diuisionem non repugnare definitioni accidentis, supra allatæ, qua dicitur accidens posse abesse vel separari, sine subiecti interitu, adeo vt non videatur posse dari accidens inseparabile, quia per rem subiectam in definitione intelligi potest rei essentia, quæ non interit, quando separatur accidens sine quo indiuiduum naturaliter existere non potest. Secundo, separabilitas accidentis intelligi potest de separatione per intellectum, quia licet albedo realiter à cygno separari nequeat, potest tamen intelligi natura cygni sine albedine, imo potest prædicari oppositum albedinis, scilicet nigredo, sine diminutione essentiæ cygni, & hoc est separari per intellectum.

In quo accidens inseparabile differt à proprio, quamuis enim essentia, verbi gratia, hominis, concipi possit & intelligi

sine risibilitate, vel nôn concepta risibilitate, non tamen negari potest risibilitas de homine, vel concipi homo cum opposito risibilitatis, siue cum irrisibilitate. Sic enim ex consequenti saltem negaretur essentia humana de seipsa, quod non fit, quando negatur accidens inseparabile de subiecto, cum non fluat ex essentia subiecti, sicut proprium.

Secunda definitio: *Accidens est, quod eidem inesse potest, & non inesse*, explicatur vt præcedens.

Tertia definitio: *Accidens est, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium, ac in re subiecta semper inhæret.* Hæc definitio datur per negationes aliorum prædicabilium, quæ notiora sunt, quatenus iam explicata, [*semper inhæret*] scilicet actu, saltem naturaliter, nam supernaturalis & diuina vi potest accidens auferri à subiecto, & seorsum conseruari, ita vt nulli subiecto inhæreat, vt videre est in venerabili Sacramento, vbi color, sapor & cætera accidentia sunt sine subiecto, cum non sit ibi substantia panis, nec inhæreant corpori Christi Domini, sed sint tantum in eodem cum illo loco, vnde colligitur, actualem inhærentiam non esse essentialem accidenti, sed tantum aptitudinalem, seu aptum esse ad inhærendum.

Nota vnum & idem posse esse genus, speciem, & accidens, respectu diuersorum, & color est genus respectu albedinis, est species respectu qualitatis, est accidens in pariete. Secundo, idem potest esse proprium, & accidēs, vt esse disgregatiuum visus, est proprium albedinis, est accidens parieti.

CAPVT X.

De communitatibus & differentiis quinque Vocum.

PRIORI huius operis parte explicuit naturam & proprietatem quinque Prædicabilium: nunc prolixe ostendit, quid vnicuique cum aliis sit commune, & in quo ab aliis differat.

Quod inquit, omnibus esse prædicari de multis, sed diuersimode, vt per se patet: tantum nota differentiam inter proprium & accidens, quod accidens prius dicatur de indiuiduis, & mediantibus illis de specie: Proprium econtra, primario de specie, & mediate de indiuiduis, cuius ratio est, quia proprium fluit immediate ex principiis essentialibus naturæ: accidens vero immediate consequitur, ex entitate materiali, & conditionibus indiuiduantibus, quare debet immediate de illis prædicari.

CAPVT XI.

De conuenientia generis & differentiæ.

COnueniunt primo in eo, quod plures complectantur species, cuius assignat exemplum, scilicet rationale continens hominem & Angelum, quod supra refutatum est.

Secundo prædicantur de specie & indiuiduis.

Tertio illis sublatis tolluntur species.

Differunt primo, quia genus latius patet, secundo genus continet potestate differentiam, non è conuerso: tertio, genus est prius natura, quarto, genus dicitur, definiturque in quid; differentia in quale quid, quinto, in vnica specie includitur vnum genus, multæ vero differentiæ: sexto, genus est simile materiæ, differentia formæ. Prima & tertia discrepantia intelligitur de differentia diuisiua. Quinta, si de differentia constitutiua speciei infimæ intelligatur, vt exemplum à Porphyrio allatum indicat, est falsa, vt & ipsum exemplum.

Comparatio generis cum specie specialissima.

COmmune est vtrique, quod de multis prædicentur, secundo, quod sint ordine naturæ priora suis inferioribus, tertio quod sint quoddam totum. Differunt primo, genus continet potestate speciem, non vero econtra: Secundo genus est prius specie natura. Tertio, sublata specie tolluntur genera, Quarto, genus dicitur de specie vniuoce, non contra: Quinto, genus excedit speciem potentia, nam continet potestate differentias oppositas: Species excedit genus actu, quia continet differentias actu, sexto, species non potest esse summum genus, nec genus species infima,

Compa-

Comparatio generis cum proprio.

CONueniunt primo, quod ex specie inferantur, vt, est homo, ergo est animal, ergo est risibilis. secundo dicuntur æqualiter de suis inferioribus. tertio, vt genus dicitur de multis formis, seu speciebus, ita proprium de multis indiuiduis: Quarto, vtrunque semper inest speciei.

Differunt primo, quod genus sit natura prius, quam proprium. Secundo, genus dicitur de multis speciebus, proprium tantum de vna. Tertio, genus non reciprocatur cum specie, sicut proprium. Proprium inest vni soli speciei, genus multis. Quinto, sublatis propriis tollitur genus, sublato genere concidit proprium.

Comparatio generis cum accidente.

IN eo solum conueniunt, quod de multis prædicantur, discrepant in pluribus, Primo, genus est prius specie, accidens est posterius. Secundo accidens potest intendi & remitti, non econtra. Tertio, prius inest indiuiduis accidens, genus prius inest speciei. quarto genus dicitur in quid, accidens in quale accidentale.

CAPVT XII.

CApite duodecimo repetuntur aliqua alibi dicta.

CAPVT XIII.

Comparatio differentiæ cum specie.

COnueniunt primo, quod æqualiter cum indiuiduis participentur, secundo, quod ab indiuiduis separari non possint.

Differunt primo, quod species prædicetur in quid, differentia in quale quid. Secundo, quod differentia in sit pluribus speciebus, specie tantum pluribus indiuiduis, quæ vt vera sint, accipi debent de differentia generica, & specie infima. Tertio, differentia est prior specie. Quarto in vna specie plures sunt differentiæ, secundum Porphyrium, in vno indiuiduo, plures species esse non possunt.

Comparatio differentiæ cum proprio.

COnueniunt primo, quod æqualiter communicentur speciei & indiuiduo, secundo, quod omnibus & semper competant.

Differunt primo, quod differentia de pluribus speciebus, modo supra dicto, proprium tantum de vna prædicetur Secundo, quod proprium conuertatur cum specie, non autem differentia, quæ distinctiones falsæ, & assignantur à Porphyrio) vt falso principio, vt supra diximus.

Comparatio differentiæ cum accidente.

COnueniunt primo, quod de multis dicantur, secundo quod sicut differentia semper conuenit iis, quorum est differentia, ita accidens in separabile semper conuenit suo subiecto inhæsionis.

Differunt primo, quod differentia prædicatur vniuersaliter de speciebus, & de omnibus indiuiduis, non autem accidens. Secundo, differentia non admittit intentionem, aut remissionem, sicuti accidens, Tertio, differentiæ contrariæ, vt rationale, & irrationale omnia non miscentur, sed accidentia contraria misceri possunt, vt ex albo & nigro fit color medius.

CAPVT XIV.

Comparatio speciei cum proprio.

COnueniunt primo, quod conuersim de se invicem dicantur, secundo quod æqualiter ab indiuiduis participentur.

Discrepant primo, quod species intermediæ possint vocari genera, proprium semper habet idem nomen, respectu suæ speciei Secundo, species est prior natura proprio. Tertio, species semper dicit actum, proprium vero potentiam, vt risibilitas.

Comparatio speciei & accidentis.

COnueniunt in dici de multis. Discrepant primo species dicuntur in quid, accidens

 in quale,

in quale. Secundo vni indiuiduo vnica tantum potest inesse species, sed multa accidentia. Tertio species est natura prior accidente. Quarto species non intenditur, aut remittitur sicut accidens.

CAPVT XV.

Comparatio Proprii & Accidentis.

Conueniunt primo, quod proprium & accidens inseparabile ab indiuiduo realiter non possunt separari.

Discrepant primo, proprium vni conuenit speciei, accidens pluribus. secundo, proprium reciprocatur cum specie, non vero accidens. tertio proprium non admittit intentionem, aut remissionem, sicut accidens, quæ omnia prolixiore explicatione non indigent.

Porphyrianæ Isagoges finis.

BERNARDI MORISANI COMMENTARII ET DISPVTATIONES IN OMNES LIBROS LOGICOS ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.

IN ipso limine Philosophiæ, quam Deo propitio explicandam suscepimus, pauca præfabimur, tum de vniuersa Philosophia, tum separatim de Logica, singula deinde breui ac facili, quoad fieri potest, methodo prosequemur.

PROLEGOMENA IN VNIVERSAM PHILOSOPHIAM.

PROLEGOMENON PRIMVM.

De Nomine Philosophiæ.

QVam nos dicimus Philosophiam, olim Sapientia vocari consueuit, verum cum nomen hoc arrogantiæ præferret speciem & multis displiceret, à Pythagora primum Philosophia est appellata. Is enim non sapiens, sed Philosophus, seu sapientiæ amans dici voluit. Senec. *epist.* 89. illam indigitat studium virtutis, studium corrigendæ mentis, & *epist.* 94 vitæ legem. Cicero artem vitæ. vide plura apud clarissimum Lipsium *libro secundo manud. ad Stoic. Philos. disser. t.* 1.

Definitur

Definitur ab aliis philosophia *diuinarum, humanarumque rerum cognitio*, sed rectius ex Aristotele *lib.1. Met.c 3.* definiri potest, *cognitio rerum vt sunt* siue, *per suas causas*. Nam sicuti res, quarum causas inuestigamus, esse suum habent per causas, ita intelligi dicuntur vti sunt, cum per easdem cognoscuntur. Ex admiratione siquidem, id est, ex notitia affectuum & ignorantia causarum hominibus iniectus est philosophandi, id est, causas inquirendi amor, vt Plato *in Theod.* & Aristot. 1.*Met.t.2.* vnde consequens est, eum philosophum esse, qui causarum cognitionem est assecutus.

PROLEGOMENON SECVNDVM.

De diuisione Philosophiæ.

Diuus Augustinus *lib.8. de ciuit. Dei c.4.* diuidit Philosophiam in naturalē, quæ comprehendit Physicam & Metaphysicam, & in Moralem & Rationalem, quæ Logica, vel Dialectica dicitur. Diuisio hæc inter alias magis probatur, eiusque sufficientia ostenditur hoc modo, Philosophia ad hominis naturalem felicitatem dirigitur, quæ sita est partim in contemplatione veritatis, partim in actione virtuti consentanea. Quare assignanda est scientia aliqua, quæ mundum hunc asspectabilem, & naturæ recondita scrutetur, solique veritati contemplandæ incumbat. Tales autem sunt Physica & Metaphysica, quas vno nomine Naturalis Philosophiæ designat D Augustinus. Deinde assignanda est altera Philosophiæ pars, quæ mores regat, atque ad virtutem erudiat, hæc autem est Philosophia Moralis. Quia vero huiusmodi differendo & discurrendo acquiruntur, & mens nostra errore decepta, facile labitur, dandum est tertium Philosophiæ membrum, quo operationes intellectus diriguntur, scilicet Logica, vide aliam rationem apud D Augustin. *loc. cit.* & apud D. Thom. *in init. Ethic. Arist.*

PROLEGOMENON TERTIVM.

De sectis Philosophorum.

Fuse de his differit Lipsius *lib 2. sup.cit.* Prima & celeberrima Philosophorum secta fuit Ionica, cui initium dedit Thales è Phœnice oriundus, qui Miletum migrauit cum patre, ibique ciuis adscitus, unde Milesius dictus est, quem Iustinus Martyr & Diogenes testantur, primum, scilicet inter Græcos, astrologiæ secreta rimatum esse, ac naturalem Philosophiam inchoasse. Ab illo tres præcipuæ Philosophorum familię ortæ sunt, scilicet Academicorum, Stoicorum, Peripateticorum Academicis author fuit Plato, qui docuit in Academia, scilicet nemoroso quodam Athenarum suburbano, quod ab Heroe Academo nomen accepit, peculiaris illi erat philosophandi ratio, vt nimirum doceret nihil afferendo, sed omnia in vtramque partem ventilando, & sic totus esset in inquisitione veritatis. Stoici ita dicti à Stoa Græce, quod porticum significat, eo, quod princeps illorum Zeno philosophus doceret Athenis, in quadam porticu, non absimilem habebant procedendi modum, nisi quod constantior paulo & rigidior ipsis esset philosophandi ratio, quam libera illa & vaga Platonicorum. Peripatetici ducem habent Aristotelem, qui Peripateticus dictus est, quod ambulando doceret. Hi mediam viam amplexi sunt, nam multa velut certa, & indubitata admiserunt, alia in vtramque partem exagitarunt, vide plura apud Francisc. Patrit. *in discuss. Peripat.* & apud Fonsecam, 1. *Metaphys.* Nostris temporibus tres etiam sunt præcipuæ philosophorum familiæ, prima est D. Thomæ & sectatorum eius, qui dicuntur multiplicare entitates. Secunda est Scotistarum, à Scoto dicti, qui introducunt formalitates, tertia est Nominalium, siue Occamistarum, qui plurima identificant.

PROLEGOMENON QVARTVM.

De Aristotele, & eius operibus.

Aristoteles Author noster patrem habuit Nicomachum, matrem Phœstiadem, genere fuit Macedo, patria Stagirides, natus anno primo, vel tertio Olympiad 99. id est, anno 379 ante Christi Domini Natalem. Discipulus aliquandiu fuit Socratis, post anno ætatis suæ circiter 20. ad Platonem transiuit, à quo oblectionis diligentiam lector est appellatus, & ob indagandæ veritais stu-

dium Philosophus veritatis: Deinde quinquennii spatio Alexandrum Magnum rexit: Postmodum Athenas concessit, vbi 13. annis docens in Lycæo scholæ Peripateticæ dedit initium. Cum vero impietatis ibidem esset accusatus, metu iudicii Alcidem, quæ in Euboea insula est, confugit, ubi & obiit, expleto 73. ætatis anno, desiccatus, vt ferunt, viribus, quod naturam Eurypi septies die ac nocte reciprocantis, explicare non posset. Vide Patrit. *loco sup. cit.*

Libri eius diuiduntur in populares, & auscultatorios. Populares dicti sunt, quod populari sensui essent accommodari, huiusmodi sunt, quos de Rhetorica, Poesi, conscripsit; Qui vero de rebus Logicis, Physicis, Metaphysicis, Ethicis conscripti sunt, auscultatorii vocantur, eo, quod præceptoris operam, & attentos ac ingeniosos requirant auditores.

PROLEGOMENON SECVNDVM.

De ratione ac methodo studendi.

CVm in omni negotio, tum in studiis maxime, plurimum iuuat industria ac methodica procedendi ratio, quam aliquot monitis hic subiiciemus.

Primum, Qui vtiliter Philosophiæ operam nauare voluerit, non occupet sese multa lectione, nec amet confusam & vagam multarum rerum scientiam, sed pauca legat, eaque bene perpendat, neque progrediatur priusquam lecta intelligat, nisi forte eorum intelligentia à sequentibus penderet.

Secundum: Ea, quæ dictantur, cum attentione scribat, vt dictantem sicuti calamo, ita & intellectu assequatur, tum explicationem pari attentione accipiat.

Tertium: Lectionem scriptam statim à schola, quoad fieri potest, repetat, & examinet, vt dum recens est, memoria per scriptionem, & auditam explicationem facile eam intelligat, & firmius retineat.

Quartum; In difficilioribus quæstionibus hunc modum seruet, postquam quæstionem legit, tacitus secum dispiciat, an mentem docentis assequantur, tum an vera sit doctrina. deinde, an nihil occurrat in contrarium, si quid sese offerat, conetur conciliare, si id non possit, annotet ad interrogandum, vel disputandum, si quæ vero rationes pulchræ occurrant, illas vna cum solutionibus referre poterit in libellum, qui veluti sit promptuarium disputationum.

Quintum: Quod si contingat quæstionem, quam præ manibus habet, ob temporis angustiam pro merito suo examinare non posse, signo aliquo eam notet, vt ad eam, cum vacabit, recurrat.

Sextum: Quia sensim diligentiæ beneficio lumen ingenii crescit, sub finem septimanæ cuiusque, aliquantum impendat temporis repetitioni omnium, quæ præteritis eiusdem septimanæ diebus, audiuit, & singulis mensibus vnum diem tribuat relectioni lectionum totius mensis, ita fiet, vt quæ initio difficiliora videbantur, clarius intelligat.

Septimum: Persuadeat sibi maximum esse disputationis fructum, quæ enim in ordine ad disputationem examinantur propter superandi contentionem, altius animo infiguntur, ac proinde ad eum sese diligenter & frequenter præparabit.

Octavum, Fructum, quem è studiis sperat, non æstimet ex multarum rerum recenti memoria, sed ex facilitate intelligendi difficiliores quæstiones, quando occurrunt.

PROLEGOMENA IN LOGICAM.

PROLEGOMENON PRIMVM.

De nomine Logicæ.

NOmen Logicæ reperitur apud Aristotelem adiectiue, & aduerbialiter, vt problema Logicum, demonstratio Logica fieri Logice, &c at nusquam reperitur substantialiter vsurpatum ab eodem, pro hac scientia, vel facultate. Posteriores tamen Philosophi scientiam philosophandi vocarunt Logicam, a voce Græca λόγος, quæ duo significat,

ficat, sermonem scilicet & rationem. Hinc Logica interdum dicitur scientia sermocinalis a sermone, interdum rationalis à ratione, quæ secunda deriuatio magis est propria. Logica enim non agit de sermone, nisi per accidens, quia scil. is necessarius est, vt mentis nostræ rationes & discursus iis quibus cum versamur, significemus: Sermo enim est vox articulata exterior, signum est operationum mentis, in quarum directione Logica, per se, & ex primaria intentione occupatur.

Hæc scientia à Platone, Plutarcho, & aliis dicta est Dialectica, à Græco διαλέγεσθαι, quod est, disserere, disputare, quia scilicet præscribit modum, de quauis re proposita sine errore, & feliciter disputandi. Posteriores tamen aliqui distinguunt Dialecticam à Logica, vt nomen Dialecticæ tribuant illi parti Logicæ, quæ agit de syllogismo, non demonstratiuo, vide Franc. Patrit. *Discurs. Peripat. tom. 2. lib. 1.* Carpentarium, & alios, qui fuse hæc persequuntur, sed parum momenti habent ad id, quod nos spectamus.

Aristoteles opus suum Logicum inscripsit Organum, seu instrumentum: vti vulgaris habet inscriptio, teste Diogene Laertio, *in eius vit.* nimirum vt indicaret Logicam esse veluti instrumentum ad alias scientias acquirendas.

PROLEGOMENON SECVNDVM.

De diuisione Logices, & eius partibus.

Logica communiter à Philosophis diuidi solet, in docentem & vtentem, siue vsitatam. Logica docens vocatur, quæ docet modum sciendi, siue quæ docet certis quibusdam propositis regulis, quo modo in qualibet scientia definiendum, diuidendum, & discurrendum sit, & hanc Græci vocant Logicam auulsam à rebus. Logica vtens est vsus Logicæ docentis in materia alicuius determinatæ scientiæ, verbi gratia, Physicæ moralis, vel alterius: sic definitio, diuisio, vel syllogismus in materia Physica dicitur Logica vtens, eo quod tunc vtamur regulis & præceptis Logicæ docentis. Hanc Græci vocant Logicam coniunctam, siue applicatam rebus. Vbi nota, Logicam vtentem non esse proprie Logicam, sed scientiam ipsam determinatam Physicam scilicet moralem, Metaphysicam, vel aliam, cuius est materia, discursus, vnde sequitur, non esse aliam Logicam, quam docentem.

Secundo, à quibusdam diuiditur Logica in naturalem & artificialem. Naturalis est vis quædam intellectus, & instinctus naturalis, nullo studio comparatus, sed homini ingenitus, quo si animum reflectat super modum definiendi & argumentandi, aduertere subinde potest, se bene, vel male definire, & argumentari, & hac naturali Logica vsi sunt prisci Philosophi. Logica artificialis est, collectio & ordinatio præceptorum bene definiendi, diuidendi, & argumentandi, longa obseruantia & experientia ad certã formam redactorum.

Tres sunt Logicæ partes, in prima agitur de rebus & vocibus simplicibus, siue incomplexis, quatenus ad alias operationes intellectus conferunt, & hæc pars continet Isagogen Porphyrii, & Categoriæ Aristotelis. In secunda parte agitur de iudicio, & compositione, quæ versatur in formandis variis enuntiationibus, & hæc comprehenditur libris Aristotelis de Interpretatione. In tertia agitur de discursu, & argumentatione quæ est, vel demonstratiua, & docetur libris Posteriorum, vel est Topica, & traditur libris Topicorum, vel denique est Sophistica, & continetur libris Elenchorum. In libris Priorum traditur ratio conficiendi syllogismos in genere.

PROLEGOMENON TERTIVM.

Logicam esse scientiam.

Consentiunt Philosophi Logicam docentem esse habitum, intellectus inclinantem ad facile & prompte assentiendum conclusionibus Logicis, acriter tamen disputandum: An iste habitus proprie sit scientia, an tantum habitus instrumentarius. Resp. Logica est proprie scientia, ita D. Thom. 4 *Metaph. lect. 4.* Scot. *quæst. 1. sup. prædicab.* Tolet. *quæst. 2 de Dialect. in comm. conclus. 2.* Probatur primo authoritate Aristotelis *1. Prior. cap. 1.* vbi dicit, se acturum de scientia demonstratiua. Vbi enim nostra versio habet disciplinæ demonstratiuæ, alia versio habet scientiæ demonstratiuæ. Et *2. Poster. cap. ult.* dicit, omnem habitum quo verum dicimus esse in-

esse intellectum principiorum, vel scientiam, sed Logica est habitus, quo verum dicimus, & non est intellectus principiorum, quo est scientia. Probatur secundo, Scientia proprie dicta est habitus certus, & euidens, rei necessariæ per suam propriam causam. Sed Logica est talis, ergo est scientia, Maior ab omnibus admittitur, minor probatur, quia conclusiones, quæ in Logica traduntur, tam sunt necessariæ & demonstratæ, quam quæ in Physica, vel alia scientia Nam sicut bona est demonstratio Physica, corpus naturale mouetur, ita & hæc Logica definitio explicat naturam rei, syllogismus topicus generat opinionem, demonstratiuus scientiam, & sicut Physicus demonstrat illam conclusionem per suam causam hoc modo: omne id, quod natura constat, mouetur. Sed corpus naturale constat natura, ergo mouetur, Ita Logicus suas demonstrat conclusiones. Omnis syllogismus procedens ex necessariis, generat scientiam. Sed demonstratiuus est talis, ergo generat scientiam. Item, omnis syllogismus procedens ex probabilibus, generat opinionem, sed syllogismus topicus est talis, ergo generat opinionem. Confirmatur, quia Logica est pars Philosophiæ, secundum nos, ergo scientia. Confirmatur secundo, nulla ibi deest conditio requisita ad scientiam, vt constabit solutione obiectionum, ergo.

Obiectio primo, Aristoteles *6. Metaph. c. 3.* dicit, absurdum esse quærere, scientiam simul & modum sciendi, vbi clare distinguit, scientiam à modo sciendi, atque per modum sciendi intelligit Logicam, ergo Logica non est scientia. Resp. 1. negando minorem, quia per modum sciendi intelligit methodum, & modum tradendi doctrinam. Postquam enim *initio capit.* dixisset, esse varios auditorum gustus, & affectus, & alii alia procedendi ratione afficiantur, subiungit & monet prudenter, quælibet esse acceptanda, quomodocunque tradantur. Absurdum enim esse, quærere scientiam à doctore simul & modum sciendi, seu petendi in doctrina peculiari alicui gustui accommodatum. Resp. secundo, concedendo cum plerisque minorem, & explicando maiorem, scilicet Aristotelem appellare Logicam modum sciendi, quia scilicet demonstratiue tradit modum sciendi, alias scientias reales: Vnde non tam est modus sciendi, quam cognitio modi sciendi. Cognitio autem modi sciendi est scientia, sicuti ars fabrilis, non est tantum modus fabricandi, verbi gratia, scamnum, qui modus tantum interuenit in ipsa fabricatione, sed est cognitio modi fabricandi; & insinuat necessitatem Logicæ ad alias scientias, scilicet neminem posse simul vacare Logicæ, quam vocat modum scientiam, sed prius incumbendum esse Logicæ, quam ad scientias alias transitus fiat.

Obiicitur tertio: Aristoteles 1. *Rhetor. c. 4.* dicit, eos tollere naturam Logicæ, qui eam non vt facultatem, sed vt scientiam tradunt, Resp. ex verbis Aristotelis satis colligi, illum non tam negare, esse scientiam, quam debere præmitti aliis scientiis. Reprehendit enim eos, qui in Dialectica de materia omnium scientiarum promiscue disputabant.

Obiicitur quarto, Scientia omnis versatur circa res necessarias, & æternas, vt loquuntur, quæ non possunt se aliter habere. Sed Logica non versatur circa tales, ergo non est scientia. Minor constabit ex dicendis *infra* de obiecto, quia versatur circa operationes intellectus, quæ non sunt res æternæ, sed qualitates quædam fluidæ, & volubiles, ergo. Resp. negando minorem ad probationem, cum distinctione, operationes intellectus non sunt necessariæ, secundum existentiam, quia non necessario semper existunt in rerum natura, sed libere eliciuntur, & suspenduntur: sunt tamen necessariæ, secundum essentiam & passiones proprias, & talis necessitas & æternitas obiecti sufficit ad scientiam, vt patet in brutis, plantis, &c. quæ sunt obiecta Physicæ.

Obiicitur quinto: Omnis scientia est appetibilis propter se, cum sit virtus intellectualis, intrinsece hominem perficiens, sed Logica est tantum apperibilis propter alias scientias, ergo non est scientia. Minor probatur, quia Logica est instrumentum sciendi, sed instrumentum non est apperibile, nisi propter id, ad cuius acquisitionem, vel confectionem conducit. Resp. negando minorem, potest enim appeti Logica propter se, quia per illam intellectus perficitur, neque refert, quod acquisitionem scientiarum aliarum promoueat, quia Physica & Metaphysica,

sica, quæ citra controuersiam sunt & iuuant ad alias scientias, Medicinam, Theologiam, &c. Ad probationem minoris nego, Logicam esse nudum instrumentum sciendi, sed & simul est scientia, hæc enim duo in eodem reperiri possunt, sicuti ars faciendi cultros, secures, malleos, & alia instrumenta fabrilia, tam est ars, quam ipsa ars fabrilis, quæ vtitur istis instrumentis.

Obiect. 6. Logica dicitur ars artium, sed ars non est scientia. Ergo. Resp. ad maiorem, artem ibi improprie accipi, ars enim proprie dicta versatur circa res, quæ extra nos sunt, vt sunt artes mechanicæ. Patet id ex Aristotele *6. Ethic. cap. 4.* vbi ars definitur habitus cum ratione coniunctus ad efficiendum idonee. Effectionem autem dicit Aristoteles, versari circa res externas, & distingui ab actione, quæ versatur circa res immanentes, vt sunt operationes animæ, dici tamen potest Logica ars artium, quia dirigit & perficit operationes intellectus, quæ sunt regulæ omnium artium, & propter similitudinem, quia sicuti ars introducit formam, in materiam externam, ita Logica in operationes animæ.

Obiicitur vltimo, Elenchus non gignit scientiam, sed errorem, quo pars illa Logicæ, quæ agit de Elencho, non est scientia, simile argumentum potest fieri de syllogismo topico, qui tantum gignit opinionem. Resp. dupliciter spectari posse sophismata, & probabilia, primo in genere, quatenus naturæ quædam sunt, & proprietates habent, vt quod sophismata gignant errorem, &c. & sic de illis agit Logica, qui modus agendi est scientificus, secundo spectari possunt, quatenus hic & nunc in particulari à Sophista fiunt, & sic de illis non est scientia.

PROLEGOMENON QVARTVM.

De obiecto Logicæ.

NOta duplex esse obiectum alicuius scientiæ, scilicet obiectum materiale & formale. Materiale est id, quod scientia considerat. Formale obiectum est modus, seu ratio, sub qua obiectum materiale consideratur, nam vna & eadem res multa in se complectitur, ratione quorum à diuersis scientiis & facultatibus tractari potest: exempli gratia, homo quatenus continet gradus illas vniuersales, substantiam corpus animal, &c. spectatur à Metaphysica prout est corpus naturale, mobile, à Physica, vt est sanabilis à medicina, vt est defectibilis, in moribus ab Ethica, vt est capax iuris, & dominii à Iurisprudentia, vt est capax beatitudinis à Theologia.

Nota secundo, materiam, quam considerat scientia, dici obiectum similitudine accepta, à potentia visiua, quæ colorem & lumen percipiens dicitur illa habere ex suo obiecto, quia obiiciuntur siue proponuntur. Simili modo obiecta scientiæ dicuntur quæ obiiciuntur potentiæ cognitiuæ. Vocari etiam solet subiectum substratum, materia, &c. ob alias rationes.

Resp. obiectum materiale Logicæ sunt operationes intellectus: est contra D. Thom. 4. *Metaph. text.* 1. Toletum hic, & alios, qui volunt eas rationes esse obiectum, sed probatur conclusio primo, Logica docet definire, diuidere, ratiocinari. Hæc autem sunt operationes intellectus, vt obiectum, secundo, illud est obiectum alicuius scientiæ, cuius proprietates & passiones per se declarantur in illa scientia, sed in Logica declarantur proprietates operationum intellectus, ergo. Maior admittitur ab omnibus, minor probatur, quia Logica docet, quod definitio applicet naturam rei, enuntiatio sit vera, vel falsa, demonstratio generat scientiam. Tertio, datur scientia, quæ versatur circa actiones voluntatis, nimirum Ethica, dantur etiam variæ artes, quæ versantur circa potentiam motiuam, & membra externa, ergo etiam datur aliqua scientia, quæ versatur circa operationes intellectus, atqui non est alia, quam Logica, ergo. Sequela maioris probatur, quia sicuti actiones voluntatis, & operationes externæ possunt bene, vel male fieri, & ideo vt bene fiant, dirigi debent à scientia, vel ab arte, ita etiam operationes intellectus. Potest enim intellectus errare in apprehensione, iudicio, illatione &c. Respon. secundo, Obiectum formale, seu ratio, sub qua Logica considerat operationes intellectus, est dirigibilitas, siue quatenus sunt dirigi-

biles per aliquem habitum, vel per actus præscribentes, & dictantes regulas, quibus recte fiat. Patet ex præcedenti conclusione. Et hæc est sententia Occami, *initio Logicæ Auicenn. ibid.* Alexandri *præfatione. in libr. prior.* & multorum recentiorum.

Obiicitur primo, operationes intellectus sunt partiale obiectum Physicæ, ergo si Logica coincidat cum Physica, non habet easdem pro obiecto. Resp negando consequentiam, quia Logica sub diuersa ratione considerat operationes intellectus, nimirum quatenus sunt dirigibiles: Physica vero considerat illas secundum se, & essentiam suam, quatenus vitales sunt: scilicet in actibus voluntatis, quæ vt actus reales sunt, ad Physicam pertinent, vti vero sunt dirigibiles por rectam rationem, ad Ethicam pertinent.

Obiicitur secundo, Logica est rationalis, ergo ens rationis est eius obiectum. Resp. negando consequentiam, denominatur enim rationalis à rationibus siue operationibus intellectus, quas dirigit, non ab ente rationis: operationes intellectus diriguntur per entia rationis, ergo ens rationis, quatenus directiuum operationum intellectus commodè statuetur obiectum Logicæ, cum D. Thom. Respon. negando consequentiam, quia in scientiis practicis, & facultatibus, quæ vel artes sunt, vel cum artibus habent similitudinem, illud non est obiectum, quod inducitur forma, cum sit tantum instrumentum, sed id, in quod inducitur forma, verbi gratia, Medicinæ finis est sanare hominem, sicuti Logicæ dirigere operationes. Hunc vero finem inducit in hominem per pharmaca, quæ sunt instrumenta, sicuti Logica dirigit operationes intellectus per entia rationes, ex quorundam sententia. Vnde sicuti pharmaca non sunt obiectum medicinæ, ita entia rationis non sunt obiectum Logicæ.

Obiicitur tertio. Quæcunque in Logica traduntur, videntur esse entia rationis, ergo erunt obiectum Respon. negando antecedens, quia definitio, enuntiatio, syllogismus mentalis sunt operationis intellectus reales.

Obiicitur vltimo, In Logica non traduntur principia, species, siue partes operationum intellectus, ergo, non sunt obiectum. Respon. negando antecedens, quia nomen, verbum, subiectum, prædicatum, propositiones, oppositiones propositionum, æquipollentiæ, syllogismi, diuersitas modorum & illationum sunt vel principia, vel partes, vel passiones.

PROLEGOMENON QVINTVM.

De ente rationis.

QVia subinde mentio incidit entis rationis, pauca hic inseremus, quæ ad illius intelligentiam pertinent: fusior tractatio ad Metaphysicam pertinet.

Nota, primo, ens rationis varie vsurpari, primo pro ente, seu opere, cuius effectionem dirigit ratio, & huiusmodi sunt omnes res artificiales. Secundo, pro ente, quod rationi, id est, intellectui inhæret, vt sunt habitus & actus intellectus: Hæ duæ acceptiones entis rationis sunt minus vsitatæ. Tertio, ens rationis proprie significat id, quod tantum habet esse obiectiue, in intellectu, siue quod non habet aliud esse à parte rei, quam cognoscimus ab intellectu, & quod cogitatur à ratione, vt ens, cum tamen in se entitatem non habeat; Quod vt clarius fiat: Nota secundo, ea, quæ intellectui obiiciuntur, plerumque habere vnum esse reale, vt sunt res omnes creatæ, & ipse Deus: aliquando tamen quædam ab intellectu cognoscuntur, quæ non habent aliud esse, præter illud, quod intellectus, seu ratio effingit. Intellectus enim est potentia valde vniuersalis, & potest affingere rebus ea, quæ reuera in rebus ipsis non sunt, & huiusmodi figmenta intellectus dicuntur entia rationis.

Nota tertio, dupliciter posse intellectum tribuere, quæ non conueniunt illi, prout est in rerum natura, primo sine vllo omnino fundamento, vt Chimæra, Hippocentaurus, &c. affingit enim intellectus in huiusmodi conceptibus homini caput equinum pedes bouis, alas aquilæ, &c. deinde conceptus tenebrarum & cæcitatis, sub ratione alicuius qualitatis realis in aere & oculo, & huiusmodi dicuntur entia fictitia Secundo, cum aliquo fundamento, quia scilicet res, quas intellectus cognoscit, comparantur inter se, vel cum

vel cum ipso intellectu cognoscente, sic intellectus indicans hominem esse animal, potest reflectere supra hoc iudicium, & concipere in homine esse subiectum animali esse prædicatum, per modum alicuius forma, à iudicio priori illis communicatæ, & hæc sunt entia rationis Logica, quæ definiuntur esse relationes rationis, consurgentes in re cognita ab intellectu, prout & cognita est.

Nota quarto, ex dictis colligi ens rationis Logicum fabricari ab intellectu, non per cognitionem directam & simplicem, sed per comparatiuam & reflexam, id est, quæ aliam cognitionem supponit, verb. grat. ex illa cognitione, qua primo cognosco hominem, esse animal non exurgit ens rationis, sed ex ea, qua reflectens super illam cognitionem, & referens rem cognitam, scilicet homo & animal, ad intellectum cognosco hominem in tali propositione esse subiectum, animal vero prædicatum. Nam per notitiam illam directam tantum cognoscitur id, quod est à parte rei, entia vero rationis non sunt à parte rei, sed tantum sunt, quando obiectiue intellectui repræsentantur, quod fit per cognitionem reflexam, quæ etiam à Philosophis vocari solet secunda intentio formalis. Prima vero intentio formalis est, quia primo res cognoscitur, & intellectus tendit in rem, vt est in se, siue prima intentio est cognitio rei, vt est in rerum natura, secunda vero intentio obiectiua est ipsummet ens rationis, siue relatio rationis, concepte ab intellectu, cognitione reflexa.

Prima intentio obiectiua est res ipsa, prout ab intellectu primo cognita est, & ab hac distinctione primæ & secundæ intentionis, vt alia synonyma primæ intentionis, alia secundæ intentionis. Prioris generis sunt cœlum, homo, &c. omnia, quæ ab intellectu cognita sunt, posterioris generis sunt esse genus, esse speciem, & reliqua omnia quæ significant entia rationis Logica, imo vnum, idemque nomen sumi potest primo intentionaliter, & secundo intentionaliter, sed diuersa significatione, verbi gratia, affirmatio, conclusio, syllogismus, &c. si sumantur primo intentionaliter, significant reales operationes, intellectus nimirum, iudicium affirmatiuum discursum, Si vero sumantur secundo intentionaliter, significant relationes rationis, siue entia rationis, ad illas operationes consequentia, quæ entia iisdem nominibus appellantur, quibus ipsæ operationes, in quibus fundantur: sicuti vmbram styli vocare solemus stylum, statuum Cæsaris Cæsarem, sunt enim hæc entia rationis vmbræ quædam, & simulachra intellectus operationum.

Nota quinto, entia rationis, siue secundas intentiones, accipi posse dupliciter, scilicet materialiter, siue in concreto, & formaliter, siue in abstracto, verbi gratia, genereitas, speciеitas &c. in abstracto significant ipsam secundam intentionem, formaliter secundam seipsam, sicuti albedo significat ipsam formam accidentalem, secundum se: At vero genus, species, &c. significant ens rationis in concreto, id est, significant ipsam naturam, quæ est fundamentum, & substratum ipsi enti rationis, siue secundæ intentioni, sicuti paries est subiectum albedinis. Et simul significat ipsum ens rationis, sicuti album, quod est concretum accidentis, significat ipsum subiectum, & simul albedinem, & sicuti in accidentibus concrete sumptis, verbi gratia in albo formaliter significantur ipsa accidentia, subiecta vero tantum commutatiue, siue vt album formaliter significat albedinem, commutatiue parietem, in secundæ intentiones concrete sumptæ verbi gratia, species significant formaliter ipsam secundam intentionem, genereitatem, speciеitatem, indirecto vero significant ipsas naturas, quibus tribuuntur secundæ intentiones.

Nota sexto, licet ens rationis non sit vere ens, sed tantum non ens conceptum, per modum entis, posse tamen prædicari de ente, seu natura reali, non quidem prout illa habet suum esse reale extra intellectum, sed prout obiectiue est in intellectu, idque ratione fundamenti, quod intellectus reperit in tali natura intellectui obiecta, verbi gratia, naturæ humanæ per intellectum apprehensæ & præcisæ à conditionibus indiuiduantibus tribuitur ab intellectu, reflectente se super illam apprehensionem, & præcisionem ens rationis, scil. species, & dicitur homo est species: Fundamenta autẽ huiusmodi entium

rationis sunt duplicia, scilicet remota & proxima. Remota sunt naturæ ipsæ reales, quæ habent aptitudinem, vt hæc, vel illa secunda intentio, illis possit conuenire, & non alia, non enim quælibet entium rationis affingi possunt quibuslibet rebus, verbi gratia, homini, vel humanæ naturæ attribui potest specificitas, & dici homo est species, non autem tribui genereitas, ratio suo loco patebit. Fundamenta proxima sunt cognitiones intellectus, quibus versamur citra naturas reales, quæ prout sunt triplices, ita triplicia fundant entia rationis. Nam in prima operatione, siue in simplici rei apprehensione fundantur hæc entia rationis, esse abstractum, esse genus, esse speciem. In secunda operatione, siue in iudicio fundantur hæc esse affirmatum, esse negatum, esse enunciatum, esse subiectum, esse prædicatum. In tertia generatione, id est, in discursus fundantur hæc, esse antecedens, esse consequens, magis extremum, minus extremum, esse demonstratum, & quia entia mere fictitia carent huiusmodi fundamento, hinc fit, vt nullo modo possint prædicari, non enim dici potest homo, vel arbor est Chymæra

Nota septimo, Philosophos agnoscere quasdam denominationes extrinsecas, quæ non sunt entia rationis, sed prædicata realia, nam denominatio in genere est quidam modus, vel effectus formæ communicantis semetipsam alicui subiecto. Quia vero omnis forma primo dicit habitudinem, seu ordinem ad subiectum, cui inest, & præterea aliquando ad aliquid extrinsecum, hinc duplex est denominatio, vna intrinseca, quæ prouenit à forma, existente in alio, verb. grat. oculus denominatur videns, denominatione intrinseca, à visione, & actu vitali, qui illi inexistit, sed paries dicitur visus denominatione extrinseca, ab eodem illo actu visionis oculo inhærente, quatenus dicit ordinem ad parietem, & hæc denominatio licet nihil ponat reale in re denominata, est tamen realis, sicuti campana dicitur sonare, & dicitur sonora à sono, qui non est in ipsa campana, sed in aere, & res dicitur locata a loco extrinseco. Et huiusmodi denominationibus extrinsecis annumerari possunt pleraque prædicata, quæ significant entia rationis, vt esse subiectum, prædicatum, affirmatum, demonstratum. Nam sicuti paries dicitur visus, à visione reali oculo inhærente, quam intellectus cognoscit habere intrinsecam habitudinem ad parietem, tanquam ad obiectum, ita res dicitur cognita à reali cognitione & operatione, quæ est in intellectu, dicitur apprehensa à reali apprehensione, dicitur subiecta, vel prædicata, à reali subiectione, vel prædicatione, affirmata, à reali iudicio affirmatiuo, communiter tamen hæc nomina sumuntur pro denominationibus, à relatione aliqua rationis, quam intellectus affingit rebus apprehensis, subiectis, enuntiatis, dum illas comparat inter se, aut cum intellectu cognoscente, ac propterea significant entia rationis, tales enim relationes, à quibus sumuntur hæ denominationes, non sunt in rebus, sed habent tantum obiectiuum in intellectu.

Nota octauo, pro complemento huius materiæ, à plerisque Theologis & Philosophis admitti quoddam genus entis, quod vocant morale, neque reduci potest ad ens reale Physicum, neque ad ens rationis, neque etiam ad denominationes extrinsecas, est enim aliquid amplius, vt est nobilitas, iurisdictio, denominatio, iurisdictio, esse regem, ducem, doctorem, magistrum, &c. Huiusmodi autem entia moralia pendent à reali institutione, deputatione, vel æstimatione naturæ intellectualis, quæ æstimatio est quidem rebus extrinseca, formaliter enim residet in intellectu, & voluntate æstimantis, vel deputantis, obiectiue tamen & in rebus ipsis, easque facit prudenter, seu morali æstimatione censeri tales, adeo vt ab æstimatione, aut deputatione semel facta res fit, & remaneat in intellectu habitualis quædam promptitudo, res illas æstimandi tali, vel tali modo, verbi gratia, hunc hominem esse nobilem, regem, magistrum, &c. quæ entia moralia in concreto dicunt ipsam personam, vel rem Physicam & simul affectionem illam, à deputatione, electione, aut æstimatione, quæ est aliquid amplius, quam denominatio extrinseca, siue quam termini habitudinis formæ extrinsecæ, vt in praxi patet.

PROLEGOMENON SEXTVM.

De directione operationum intellectus.

DVpliciter diriguntur operationes intellectus, primo obiectiue, id est, per aliquid, quod tenet se ex parte obiecti, secundo effectiue, siue per aliquid, quod tenet se ex parte potentiæ, scil intellectus.

Obiectiue diriguntur operationes intellectus, primo, per ipsa obiecta actionum, quæ sunt entia realia, quibus si se conformet intellectus, elicit operationes rectas, & hæc directio est à priori, secundo diriguntur obiectiue per entia rationis, declaratur exemplo, elicio operationem aliquam rectam, ad hanc sequitur ens rationis rectum, sicuti ad stylum sequitur vmbra recta. Hoc ens rationis sumitur tanquam regula, qua dirigantur reliquæ operationes similes, quæ tunc erunt rectæ, quando habebunt ens rationis, consequens ad illas simile enti rationis, quod est regula. Sicuti Stylus tunc erit rectus, si vmbram proiiciat similem vmbræ prioris stylis, verb grat. fiat hoc iudicium rectum, homo est animal rationale, hinc resultat rationis scilicet propositio constans ex subiecto, quod est definitum, & ex prædicato, quod est definitio. Hoc ens rationis assumitur ad dirigendas similes operationes, & iudicia explicantia naturam rei, secundo discurro & concipio tres terminos poni in modo & figura debitis, & aduerto vnum ex tribus esse medium, idque non poni in conclusione, & sic dirigor in confectione aliorum syllogismorum per illud medium, quod est ens rationis.

Effectiue diriguntur operationes intellectus per habitum Logicæ tradentem Præcepta circa definitionem, diuisionem, argumentationem, vt bonæ sint, quibus præceptis quasi instrumentis vtimur in directione operationum, & veluti quibusdam ideis, quibus informatus intellectus elicit operationes rectas, primum circa obiecta in communi in Logica, deinde circa obiecta particularia in aliis scientiis, & ex hoc habitu Logicæ eliciuntur actus intellectus exprimentes regulas recte operandi, & dirigentes effectiue re ipsa operationes nostri intellectus verb grat. definitio, siue prima menti, operatio, qua apprehenditur natura res, dirigitur per actum intellectus illicitum ab habitu Logicæ, & dictantem quod definitio continere debeat genus & differentiam Enunciatio, seu secunda mentis operatio dirigitur per actum intellectus docentem, quod enuntiatio debeat constare subiecto, prædicato, & copula. Syllogismus, seu tertia mentis operatio dirigitur per actum dicentem, quod syllogismus constare debeat duabus præmissis in modo, & figura rite dispositis. His ita explicatis nunc ad naturam Logicæ plenius declarãdam veniamus.

PROLEGOMENON SEPTIMVM.

Logicam esse scientiam practicam, non speculatiuam.

SCientia speculatiua dicitur illa, quæ rem contemplatur, eiusque naturam considerat, quæ contemplatio non refertur ad aliud, siue ad alios actus dirigendos, saltem ex natura sua, quod addo, quia ex intentione speculantis omnis scientia potest alio referri, cuiusmodi scientia & Physica, metaphysica, mathematica, quæ proxime suo habent solam veritatis agnitionem. Practica scientia dicitur, cuius actus ex natura sua non sunt propter solam cognitionem, sed vt veluti regulæ quædam dirigant alias operationes, & talis est Ethica, quæ docet operationem virtutis huius, aut illius esse naturæ, vt talis ab homine fiat.

Dico Logica est scientia practica, actiua ita Pet. Fonseca 2. *Metaph. cap. 3. quæst. 2.* Gabriel & alii Nominales *in 2. quæst. 3.* & videtur D Thom. *init. 1. poster.* est contra Scotum & Toletum hic.

Probatur, quia Logica agit de operationibus intellectus, quatenus illius sunt naturæ, vt bone vel male fieri possint, & tradit modum quo bene fiant, ac detegit vitia, quæ contingere possunt in exercitio operationum intellectus. Atqui hæc propria sunt scientiæ practicæ. Ergo. Probatur secundo, Actus qui eliciuntur à scientia Logica, quo modo fieri debeat definitio, enuntiatio, syllogismus, &c. non sunt propter solam veritatis cognitionẽ

vt ibi sistamus, sed ex natura sua referuntur ad vsum, vt definitiones, &c. sine errore faciamus, ergo Logica ex scientia practica. Consequentia probatur à definitione scientiæ practicæ.

Dixi practicam esse actiuam, duplices enim sunt operationes, quædam immanentes, quæ immanent & hærent in ipsis potentiis, à quibus eliciuntur, ita vt non relinquant post se aliquod opus externum, & tales sunt volationes, intellectiones, &c. aliæ sunt transeuntes, ita dictæ, quod in rem & naturam externam transeunt, & opus post se relinquant, vt sunt scriptio, ædificatio, &c. iuxta duplices has operationes diuiditur scientia, seu habitus practicus in actiuum, & factiuum, 6. *Ethic. cap. 4.* Actiuus dicitur ille, qui dirigit actiones immanentes, factitius siue effectiuus, qui dirigit transeuntes.

Obiicitur primo, Modus procedendi Logicæ est speculatiuus, inquirit enim, quid sit definitio, diuisio, syllogismus, &c. ergo non est practica.

Resp negando antecedens, ad probationem dico ita explicare & speculari naturam definitionis scil. vt totam illam cognitionem referat ad praxin, siue operationem, ita enim & moralis Philosophiæ virtutis natutam indagat, quod nimirum sit habitus rectæ rationi conformis, &c. quia tamen apta est dirigere operationes voluntatis, dicitur practica.

Obiicitur secundo, scientia practica dirigit aliquid extra suum subiectum, sed actus qui diriguntur per Logicam, non sunt extra subiectum, cui inest habitus Logicæ, ergo nō est scientia practica. Maior probatur ex Aristotel. 3. *de anim. cap.* 10. vbi dicit, intellectum extensione fieri practicum, quod interpretantur quasi velit solas operationes voluntatis, & corporeas esse praxes. Resp negando maiorem, sufficit enim, vt actus, qui dirigitur, non sit idem cum dirigente. Ad Aristotelem: Resp. locum illum commode aliter explicari, intellectus enim extensione dicitur fieri practicus, dum non sistit in speculatione, sui obiecti, sed vlterius extendit se, vel suam operationem, ad alicuius rei directionem. Et in genere praxes dicuntur actiones tales, quæ ex natura sua bene, & minus bene fieri, & per præcepta in certum finem dirigi possunt, hoc autem conuenit etiam operationibus intellectus.

Obiicitur tertio, Praxes sunt actiones quædam particulares, sed operationes intellectus, prout spectantur à Logica, sunt vniuersales, ergo non sunt praxes, nec Logicæ practicæ. Resp. ad maiorem, dupliciter accipi praxim, primo, prout re ipsa & de facto ab homine exercetur, & ita significat altiorem singularem Secundo sub ratione quadam vniuersali, & hoc modo consideratur à Logica, verb. gratia si tali modo fiat definitio, erit bona, si tali modo fiat argumentatio, necessario concludet. Simili modo actiones voluntatis sunt praxes, & abiectum scientiæ moralis.

Obiicitur quarto, Ratio, qua probatur Logicam esse practicam, etiam conuincit mathematicam esse practicam, quia docet modum conficiendi figuras, & varia instrumenta mathematica, atqui hæc nihilominus est speculatiua, ergo & Logica. Resp. ad maiorem, Logicam contemplationem suam omnem referre ad opus, Mathesin vero è contra omnia referre ad contemplationem, & non nisi per accidens, siue ex consequenti, docere modum conficiendi operis artificiosi.

Obiicies vltimo: Regula praxis & scientiæ practicæ est in ipso operante, quia secundum eum dirigit praxim: Sed regula Logicæ non est in ipso operante, ergo non est practica. Minor probatur, quia definitiones, verb gratia regula & mensura est ipsa res, prout est aperte rei cui nisi definitio sit conformis, falsa est.

Resp negando minorem. Logica enim non inquirit, an hæc definitio huius rei naturam explicet, an non, illud enim cognosci debet ex scientia particulari, ad quam pertinet res, de qua agitur. Logica vero docet, si quis naturam rei explicare velit, & definire, adhibendum esse genus & differentiam, hæc autem regula est in nobis.

PROLEGOMENON OCTAVVM.

De necessitate Logicæ.

Logicam esse vtilem ad alias scientias acquirendas, nemo dubitat, auget enim ingenii acumen, & discurrendi facilitatem, sed dubitatur, an etiam sit necessaria, Proquo nota du-

ta dupliciter aliquid necessarium esse ad aliquem finem, primo ita, vt sine eo finis absolute obtineri nequeat. Sic necessaria sunt præcepta diuina ad beatam vitam, cibus ad viuendum. Et hoc dicitur necessarium absolute, secundo ita vt sine illo finis obtineri possit, non tamen certo aliquo modo, quem mihi præfigo: verb. gratia non æque commode, non æque tuto, vel celeriter, &c. & hoc dicitur necessarium ex suppositione, hoc modo consilia Euangelica sunt necessaria ad beatitudinem, cibi delicatiores ad viuendum, equus ad conficiendum iter. supposito enim quod quis velit tuto ad beatitudinem contendere, laute viuere, quam citissime iter conficere, necessario debet sequi consilia, vti cibis delicatioribus, eruo, &c. quæritur, an Logica sit necessaria primo modo, quia de secundo conueniunt authores.

Resp. Logica artificialis est absolute necessaria ad totales scientias perfecte acquirendas, ita D. Thom. *init. poster.* Tolet. *hic. qu* 1. D. August. *lib.* 3. *contr. Academic. c.* 13. Formatrix, inquit, & iudex scientiarum est Dialectica, quæ ipsa est aut scientia, aut sine qua sapientia omnino esse non potest Et *alibi* sic loquitur. Logica est disciplina disciplinarũ, hæc docet docere, hæc docet discere, sola scientes facere nõ solum vult, sed etiam potest facere.

Probatur ratione, Scientia nulla acquiri potest, nisi quis certo & infallibiliter sciat definire, diuidere, demonstrare, atqui hæc sola docet Logica. Maior probatur, quia licet semel atque iterum possimus bene operari in aliqua materia, & reflectere circa nostras operationes, & discursus, per Logicam naturalem, siue per lumen naturæ, id tamen non potest fieri semper, & in qualibet materia alicuius scientiæ talis, vt perinde præcepta Logica sint scienti, quod perpendiculum, & amussis fabro, quibus vtitur ad dirigenda ligna, & perinde rectitudinem, seu obliquitatẽ sui operis.

Secundo, Quia scire est rem per causas noscere, & quot eius sunt causæ, & quot debitæ applicentur ad illationem, vt Aristoteles, *l. posterior.* Sed hæc omnia habentur à Logica, quæ docet inuenire medium ad demonstrationes & diiudicare an & quomodo recta concludant.

Dixi in conclusione *totales*, quia nemo dubitat quin scientiam partialem, id est, actum aliquem scientificum elicere quis possit in aliqua scientia solo lumine naturæ, vt verb. gratia consequentiam in Barbara esse necessariam, problemata aliqua mathematica esse certa, vt quod à quouis puncto, ad quoduis punctum possit duci linea recta, si æqualia æqualibus addas, remanere æqualia.

Dixi *perfecte*, quia ante inuentionẽ Logicæ extiterunt sciẽtiæ naturalis & Philosophi Sed scientia tunc temporis non habuit statũ sciẽtiæ perfectæ, vnde docet Arist. *l. de part. animal.* antiquos Philosophos ignorantia in multis fuisse lapsos errores, sic & modo videmus, multos in Theologia, Iure, & aliis facultatibus cognitionem quandam superficialem, & Imperfectam consequi sine Logica, verum certi & securi de scientia sua esse nequeunt, nisi ratiocinationes suas ad normas Logicas, velut ad Lydium lapidem possint explorare.

Obiicies primo, In scientiis particularibus sunt propriæ quędam definitiones, diuisiones & illationes. Ergo ad illas acquirendas nõ est necessaria Logica, hæc. n. tantum tradit modũ definiendi &c. Resp. negando consequentiã, quia licet sciẽtiæ particulares habeant definitiones & diuisiões, certis materiis applicatas, illarũ tamen bonitas & certitudo ex pręceptis Logicis de definiendo & diuidendo cognosci debet. Obiicitur secundo, Si Logica est necessaria ad omnes scientias, ergo etiam ad se ipsam, quia & ipsa est scientia, sed hoc videtur absurdũ, sic. n. Logica ante Logicã doceri deberet, ꝙ implicat, &c. Resp. negando minorẽ, ipsa n. simul est scientia, quam ad discimus, & instrumẽtũ quo addiscimus, estq; sibi ipsi sufficiens, sicuti ad omne visibile videndũ necessarium est lumen, ergo etiã ad videndũ lumen cum sit è numero visibilium, non tamẽ est necessarium lumen distinctum ab eo, quod videtur. Sufficit igitur, vt in præceptis Logicis addiscendis intellectus reflectatur supra operationem suam, & consideret num ea præcepta seruauerit, quæ in aliis scientiis seruãda sunt, quorũ certitudo pendet partim à lumine naturali, partim à longa seculorũ experientia. Et hæc quidẽ reflexio necessaria est in eo, qui acquirit habitũ vt cognoscat se recte definiuisse & demõstrasse. Nã sine hac reflectione intellectus non habet certitudinem de re cognita, quanquam in eo, qui habet habitum, hæc reflexio non sit ita necessaria.

Obiici-

Obiicitur tertio, Ante omnem Logicam docentem factæ sunt operationes quædam rectæ, ex quarum obseruatione tandem concinnata est Logica artificialis, sed in istis operationibus rectis nullam habuerunt homines præsidium à Logica docente, ergo Logica non est absolute necessaria ad operationes rectas, & per consequens neque ad scientiam.

Resp. negando consequentiam, Quia non est opus vnius intellectus, aut hominis obseruatio illa, qua ad iuuenta est Logica docens, potuerunt quidem aliqui subinde bene operari, in aliis autem errare, & subsequenter obseruatione præcedentium adiuti errata corrigere, & sic sensim Logica potuit perfici. Initio enim natura duce, definiebant, & variis modis argumentabantur homines, tum animaduersum hos veritatem esse assecutos, illos vero errasse. Deinde modus ille obseruatus; quẽ secuti fuerant, qui recte definiuerant, & argumentati fuerant: denique constitutus est ille modus, tanquam regula similium operationum. Postremo deprehensum fuit, quod in tradendis & explicandis modis illis experientia & lumine naturæ adinuentis adhiberetur, talis definitio & modus operandi, qualis iam ante fuerat constitutus: & sic demum Logica fuit perfecta.

DISPVTATIONES LOGICÆ.

PROOEMIVM.

QVæ in annotationibus ad textum cursim, & breuiter dicta sunt, & ad finem nobis præfixum sunt accommodata, dilucidiori methodo in hisce disputationibus examinabuntur. Eas autem distinguemur per quæstiones, quæ si per ratione materiæ fusiorem tractatum exigant, diuidentur in articulos.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura & numero vniuersalium.

LIcet controuersiæ, quæ in hac disputatione occurrunt, Metaphysicæ sint considerationes, ac proinde intellectum exigant, Philosophiæ mancipiis imbutum, quia tamen vel mediocris illarum cognitio ad maiores progressus in Logica faciendos multum confert, communi consuetudine receptum est, eas in ipso statim Logicæ limine agitare, à qua non putaui recedendum.

QVÆSTIO I.

Quibus modis vniuersale accipiatur.

VNiuersale principium, in quo veritates alicuius scientiæ fundantur. Subinde appellatur vniuersale ab Aristotele, *l. metaph. c. 1. & alibi.* Idque alio nomine complexum dicitur, hic vero potissimum agimus de incomplexo, quod scilicet voce simplici significatur, & huiusmodi quintuplex à Philosophis assignati solet. Primum dicitur vniuersale in causando, quia multorum effectuum potest esse causa, & hoc modo Deus, Sol, dicuntur vniuer-

vniuersalia, licet enim in natura sua sint, aliquid singulare, vniuersalia tamen sunt in obiecto, quia ad plures effectus virtus illorum extenditur, simili quodam sensu intellectus & voluntas dicuntur potentiæ vniuersales, nimirum obiectiue, quia circa omnia entia versantur. Secundum est vniuersale, in repræsentando, vt idea in mente artificis, imago, species intelligibilis, conceptus formalis, & huiusmodi vniuersale etiam est res singularis tantum ex parte obiecti, quod repræsentat est vniuersale, idea enim in mente artificis vniformiter repræsentat multa artificiata, &c. Tertium dicitur in significando, huiusmodi sunt termini communes plura significantes, vt homo, animal, quæ significant sua inferiora, & hoc etiam est singulare. Quartum dicitur in essendo scilicet natura aliqua, quæ multis inest, seu inesse potest, & tale esset idea Platonica, vel natura re ipsa ab indiuiduis separata, si daretur: & vnus ille intellectus, quem Auerroës fingit in omnibus hominibus existere. Quintum dicitur in prædicando, & est illud, quod de multis prædicari potest, & sequitur ex quarto vniuersali, ideo enim potest quid prædicari de multis, quia potest multis aliqua ratione inesse, vt de duobus postremis in præsenti instituitur disputatio, quorum prius Metaphysicum, postremum Logicum dici potest.

Secundo, diuidi etiam solet vniuersale, in vniuersale ante multa, in multis, & post multa, siue, vt alii in vniuersale ante rem, in re, & post rem. Vniuersale ante multa esset idea Platonica, siue natura seorsim à singularibus existens multis communis.

Vniuersale in multis est natura vniuersalis, quæ vna est in pluribus indiuiduis aliqua saltem vnitate, vt natura generica, specifica. Vniuersale post multa, est eadem natura per intellectum præcisa, & abstracta, à multis indiuiduis.

QVÆSTIO II.

Quomodo definiatur vniuersale.

RESP. Primo definitio essentialis est, *Vniuersale est vnum aptum inesse multis*. Ita Aristot. 7 *meta. h text. 45. & alibi*. Genus definiti est ens reale vnum, vnde excluduntur a definitione primo negationes, priuationes, entia rationis, secundo res artificiales, quæ constant materia naturali & forma artificiali, similiter subiectum cum accidente, vt homo albus, quia non sunt ens vnius naturæ, sed multa entia.

Dicitur in definitione *aptum inesse*, contingit enim naturam vniuersalem actu vni inesse, & de illo tantum dici, secundum prædicationem actualem, vt natura Solis, Lunæ, &c. sed de vnitate vniuersalis, & aptitudine inessendi, multis *infra* latius.

Resp. secundo: descriptio vniuersalis per propriam passionem est hæc, Vniuersale est, quod in multis aptum est dici. Ita Aristotel. *lib. 1. de Interpret. c. 5 & 1 poster. tit. 25* Quia aptum esse dici, vel prædicari, consequitur ad essentiam vniuersalis, tanquam quid posterius, & propria velut passio.

Nota vniuersale aptum esse de multis dici, scilicet affirmatiue, vniuoce, diuisim, ordinate ac intrinsece.

Per affirmatiue excluduntur singularia, quæ prædicari possunt de multis, sed negatiue tantum, vt arbor non est Socrates, lapis non est Socrates.

Per vniuoce excluduntur ea, quæ prædicantur æquiuoca, & quorum ratio non est vna, licet vna voce significetur, vt canis respectu constellationis cœlestis, quæ hoc nomine ab Astronomis vocatur, & respectu animalis domestici, secundo excluduntur, quæ prædicantur analogiæ, vt sanum respectu animalis, medicinæ &c. Licet enim analogata sub nomine, quo significantur, aliquam habeant similitudinem, vel proportionem, quæ aliqualem eis confert vnitatem, simpliciter tamen & absolute sunt diuersa ac plura.

Diuisim, id est, de singulis inferioribus, ita vt multiplicetur natura, quæ prædicatur, hac parte excluduntur primo nomina collectiua, populus, gens, quia non dicuntur diuisim, siue de singulis seorsim. Secundo, Deus, seu diuina natura respectu trium personarum Sanctissimæ Trinitatis. Licet enim Deus vere prædicetur de singulis personis, tamen ipsa natura diuina vt Deus, non multiplicatur cum multitudine personarum.

Ordinate, Ordinata prædicatio est qua superius siue vniuersale dicitur de inferiori, siue minus vniuersali, vt animal de homine, homo de Petro, vel qua forma dicitur de eo, cuius

ius est forma, accidens scilicet de subiecto, differentia & proprium de specie, excluditur itaque prædicatio inordinata, quæ inferius dicitur de superiori, species de proprio, accidens de accidente, vt cum dico, animal est homo, risibile est homo, album est dulce. Intrinsece, siue per modum superioris, siue per modum formæ, vt excludantur denominationes extrinsecæ.

QVÆSTIO III.

An vniuersalia sint naturæ reales, an vero nudæ voces, & conceptus.

RESpond. vniuersalia non sunt nudæ voces, aut conceptus, sed reales quædam naturæ, quæ in rebus ipsis vere existunt. Est communis Philosophorum sententia, exceptis Nominalibus. Hinc Aristoteles *l. metaphys. cap 6.* reprehendit eos, qui dicebant in rebus nihil esse, nisi singularia. 7. *Metaph.* dicit, definitiones dari de rebus vniuersalibus, *l. poster. tit. 5. & 11.* scientiam esse de vniuersalibus, quæ in singularibus existunt, & *prim. de interpret. cap. 5.* rerum alias esse vniuersales, alias singulares.

Probatur ratione, primo, vera est hæc prædicatio, homo est animal, Petrus est homo, non de vocibus, aut conceptibus, ergo de naturis per illos terminos significatis, minor patet, quia vox homo non est vox, animal, nec conceptus vnius est conceptus alterius.

Probatur secundo, Termini communes, homo, animal, &c. non significant immediate singularia, quia non magis significant vnum, quam aliud. Deinde singularia propriis nominibus significantur, ergo, hæ voces sunt impositæ, vt proxime significent naturas vniuersales communes, sicuti ipsæ voces communes sunt.

Probatur tertio: Scientiæ non sunt de vocibus, aut conceptibus nostris formalibus, sed directæ de rebus ac conceptibus obiectiuis. Atqui scientiæ sunt de vniuersalibus. Ergo. Confirmatur, multa prædicantur de naturis vniuersalibus, quæ non conueniunt vocibus, aut conceptibus, vt quod animal, verb. gratia potentia contineat species, sic contrahibile per differentias, &c, Et quamuis res non sciantur, nec prædicentur, nisi à nobis conceptæ, & signo vocis articulatæ significatæ, conceptio tamen & vox tantum sunt conditiones, sine quibus non.

Nominales volunt tantum voces esse vniuersales in significando, conceptus vero in repræsentando, quos fuse refellit Fonseca *l 5. Metaph. c. 28.* qui licet in re forte non dissideat à vera sententia, in modo tamen loquendi peccant, dum negant, definitiones aut demonstrationes dari de rebus, dum dicunt, scientiam esse de vocibus ac nominibus, vnde & Nominales dicti sunt, Rationes ipsorum solum probant ipsam veritatem non esse in rebus, sed conuenire illis, prout sunt obiectiue in intellectu, quæ est sententia communis. Verum licet ipsa vniuersalitas naturis proueniat ex conceptibus naturæ, tamen ipsæ vniuersalitati substratæ reales sunt, & in rebus insunt. Vniuersalia autem communiter supponunt pro substratis.

QVÆSTIO IV.

An naturæ vniuersales sint realiter separatæ à singularibus, de quibus prædicantur.

RESp. negatiue probatur, primo, Quia res omnis, quæ existit, est limitata singularis & indiuidua. Vniuersalia autem sunt illimitata, & communia, ergo. Secundo probatur, Naturæ vniuersales prædicantur de indiuiduis, sed vniuersale realiter separatum à singularibus non potest prædicari, ergo nullum datur tale. Probatur quia tale vniuersale est realiter distinctum ab indiuiduis, sed quæ sunt realiter à se distincta, non possunt de se mutuo prædicari, ergo, minor probatur, quia prædicatum significat esse subiecti. Tertio probatur, implicat naturam esse vniuersalem, & seorsim à singularibus existere, nam si sit vniuersalis, debet esse intrinsece, & essentialiter in indiuiduis, quia hoc est de ratione vniuersalis, si sit realiter separata non est intrinsece in illis, ergo nec vniuersalis. Quarto probatur, si homo vt sit, sit natura existens realiter separata à Petro & Paulo, ergo erit res distincta à Petro & Paulo. Nam euidens argumentum distinctionis realis est, quando res seorsim à se mutuo existunt, ergo natura illa erit homo distinctus à cæteris. Vnde nec erit de

essentia

essentia illorum, neque multis inerit, nec de iis poterit prædicari.

Quæ omnia tam aperte sunt vera, vt incredibile sit, Platonem contrarium docuisse, de ideis separatis, & vniuersalibus, eo sensu, quem Aristoteles illi ascribit, 1. *&* 7. *metaph.* vbi etiam prolixe illum refellit. Vnde D. August. *l.* 80 *quæst. q.* 46. *&* *l.* 7. *de Ciu. Dei, cap.* 28. Senec *ep.* 65. censent Platonem loqui de ideis, in mente diuina, quæ suo modo prima quædam sunt principia omnium rerum, de quibus Theologi cum D Thom 1. *p. q.* 15.

Dices vniuersalia sunt æterna & incorruptibilia, quia sunt obiecta scientiarum, quæ debent esse necessaria, & æterna ex Aristotele, *l. post. tex.* 43. ergo separata sunt à singularibus. Probatur consequentia, quia res singulares sunt in continuo fluxu, & omnes saltem sublunares sunt corruptibiles, & destructis singularibus nihil remanet. Secundo probatur, dantur propositiones essentiales de vniuersalibus, quæ vocantur reales, necessariæ, & æternæ veritates, ergo, dantur vniuersalia à singularibus separata.

Resp. ad antecedens vniuersalia dupliciter posse dici æterna, primo secundum actualem existentiam in singularibus, & hoc modo secundum Aristotelem, sunt æterna, qui ponit mundum esse æternum, & per consequens naturas vniuersales semper esse in aliquibus indiuiduis, sed hoc pugnat cum fide Christiana, quæ docet mundum in tempore à Deo esse conditum, & aliquando secundum aliquas partes interiturum. Secundo dici possunt vniuersalia æterna, secundum essentiam, siue secundum connexionem prædicatorum essentialium, primo modo non habent vniuersalia intrinsecam perpetuitatem, vt patet ex Doctrina fidei, & in quibusdam speciebus florum, & fructuum brumali tempore. Secundo modo dicuntur æterna, quæ æternitas essentia in eo consistit, quod si Deus velit illas producere debeant esse talis naturæ, vt si velit producere hominem, is necessario debeat esse rationalis, animal, viuens, corpus substantia. Et hoc modo non existunt in se secundum aliquod esse actuale proprium, sed secundum esse virtuale, quod habent in potentia productiua agentis, vt solis, seminis, vel solius Dei, à quo produci possunt in singularibus, & de huiusmodi vniuersalibus sunt scientiæ. Nemo enim dixerit hyeme verb. grat. non esse scientiam de quibusdam floribus, post finem mundi non fore scientiam de mixtis. Quæ connexio prædicatorum non reperitur in contingentibus, verbi gratia. Petrus est albus, nam posito Petro nihil est necesse ponere albedinem, at posito homine non potest non poni animal viuens, &c. Hinc alii dicunt, quod tamen eodem recidit, vniuersalia esse æterna negatiue hoc est, non esse corruptibilia, aut generabilia, quia essentia rei abstrahit à loco, tempore, & aliis, quæ sunt causa, cui res dicatur interire, esse in hoc, vel illo loco, tempore, &c. & hoc modo vniuersalia dicuntur esse vbique & semper.

Ad secundum respond. ad propositiones reales necessarias, æternæ veritatis non requiri actualem existentiam subiecti, & prædicati, earumque connexionem, dicuntur enim reales, quia sunt de rebus aptis existere, & coniungi inter se, dicuntur bene, quia sunt de ipsis essentiis in se spectatis, verb grat. homo est animal, animal est corpus, idque per ampliationem subiecti & prædicati, ad omne tempus, vt homo est animal, id est, homo actualis qui est tempore præsenti, est animal actuale existens tempore præsenti, & homo actualis, qui fuit, erit, aut potest esse, est animal actuale, quod fuit, erit, aut potest esse. Ex quibus etiam patet, ad veritatem harum propositionum non esse necesse asserere, essentias rerum esse reales ab æterno, secundum esse proprium, vt quidam voluerunt, cum non requiratur esse reale ipsarum pro tempore, quo propositio de ipsis enuntiata est vera, quia nimirum ampliatur ad omnia tempora, ex parte scilicet subiecti & prædicati, vt etiam videre est in aliis propositionibus, in quibus solum subiectum ample accipitur pro præterito, vel futuro: vt Adamus vixit, Adamus mortuus est, Antichristus est reprobus, cum tamen nec Adamus, nec Antichristus modo existant, imo & per ampliationem dantur propositiones, vbi nec subiectum, nec connexio prædicati cum subiecto est ab æterno, vt homo albus, & similes.

QVÆSTIO V.

An detur in rebus vnitas aliqua formalis.

TRiplicem vnitatem assignat Aristoteles 5 *Metaph.* .6 numericam, siue numeralem, specificam, & genericam. Numerica dicitur omnibus maxima, quia quod numero vnum est sic est indiuisum in se, vt amplius non possit diuidi in alia similia. Vnitas specifica dicitur, minor, quam sit numeralis, quia quod specie vnum est, admittit secum diuisionem, per differentias indiuiduales. Generica vnitas est minima, quia admittit diuisionem per differentias essentiales. Vnitatem genericam in rebus dari, sensu patet, quæritur de vnitate specifica, & generica, quæ formales à Philosophis appellantur.

Resp. reperitur in rebus vnitas formalis, per se conueniens cuilibet essentiæ, est communis D. Thom. & Scoti, & vtriusque discipulorum sententia. Probatur, quia vnitas indiuiduum habet vnitatem essentialem, ergo & formalem. Confirmatur, Vnitas dicit carentiam diuisionis, sed in rebus est carentia diuisionis essentiarum, ergo, & vnitas essentialis. Probatur secundo, Natura existens in indiuiduis, potest definiri, nisi quatenus vnum est. Confirmatur, Si naturæ non sunt formaliter vnæ, ergo sunt formaliter, & essentialiter diuisæ, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Confirmatur secundo, Natura communis, verb. gr. humana est positiue ens, ergo habet aliquam vnitatem non numeralem, ergo formalem. Confirmatur tertio, naturæ diuersæ, verb. gratia humana & equina sunt plures & distinctæ naturæ, ergo vnaquæque earum est vna formaliter & essentialiter, multitudo enim, siue pluralitas supponit vnitates, & diuisio ab aliis supponit diuisionem in se.

QVÆSTIO VI.

AN & quomodo hæc vnitas formalis distinguatur à numerali.

ARTICVLVS PRIMVS.

Notabile de distinctionibus rerum ad quæstionis resolutionem.

QVia frequens est vsus distinctionum, operæ pretium erit, paucis aperire, quæ distinctiones, & quo sensu admittantur. Dico igitur triplex esse genus distinctionis, prima distinctio est realis, quæ aliter dici solet res à re, & hæc est inter res omnino distinctas, quarum vtraque simul & actu possit conseruari in rerum natura, absque reali vnione inter se, vt corpus & anima, Petrus & albedo illius, materia & forma.

Secunda distinctio est Distinctio rationis, quæ scilicet non inest rebus, quæ distinguuntur, prout sunt in se, sed tantum, prout substant conceptibus nostris, hæc duplex est, vna, quæ non habet fundamentum in re ipsa, & dicitur distinctio rationis ratiocinantis, vt quando ei, (quod est aperte rei vnum & idem,) affinguntur relationes rationis, vt dum dicitur Petrus est Petrus, Petrus vt subiectum distinguitur a se ipso, vt prædicatum, Fit igitur hæc distinctio per intellectum, qui repetit eundem conceptum adæquatum rei, eumque comparat secum, siue vtitur vnico conceptu, tanquam pluribus Altera est quæ habet fundamentum in re ipsa, quæ distinguitur & dicitur distinctio rationis ratiocinatæ. Dicitur rationis, quia actu & formaliter non est in rebus, sed fit per rationem seu intellectum. Dicitur rationis ratiocinatæ, quia res, circa quā versatur ratio, seu intellectus, præbet occasionem & fundamentum talis distinctionis, propter eminentiam suæ naturæ, de qua intellectus format conceptus inadæquatos, id est, quibus non competit totum id, quod est in re Et licet singuli concipiant aliquid, quod est in re nullus tamen seorsim sumptus adæquat, vel exhaurit totam rationem obiectiuam, vel naturam rei & quidditatem illius, sic distinguimus in Deo omnia attributa. Sapiētiam, misericordiam, iustitiam, &c. quia scil. concipimus diuinam naturam non prout est in se, sed eam partimur ex ordine quodam ad diuersos effectus, quos potest producere, vel per habitudinem quandam ad virtutes, vel attributa, quæ in homine videmus distingui à se mutuo.

Tertia

Tertia distinctio est actualis, & à parte rei, & proprie dicitur modalis, quia scilicet repe ritur inter entitatem rei, & modum illius, verbi grat. inter Petrum & sessionem, inter accidens, & illius inhærentiam in subiecto, inter naturam & subsistentiam, inter materiam & vnionem illius cum forma. Suppono enim præter entitates quasi radicales rerum dari modos aliquos positiuos, qui entitatem præexistentem afficiant & determinent, non tamen addunt illi nouam entitatem, cuius euidens signum est, quod per nullam potentiam esse possint in rerum natura, nisi actu coniuncti sint illi entitati, cuius sunt modi, addo, vt intrinsece, & essentialiter semper debeant alteri esse affixi, cui immediate vniuntur per se, siue alio modo distincto, vt sessio sedenti, subsistentia naturæ. Constat autem hos modos actualiter distingui à parte rei, vnde hæc distinctio modalis dici potest, distinctio ex natura rei, non distinguuntur tamen vt res à re, quia modi non sunt res, aut entitates, nisi late sumpto vocabulo rei, pro omni eo, quod non est nihil: vbi nota modum hic non sumi generaliter, sic enim omne id, quod contrahit, vel determinat aliud dici solet modus contracti, & determinati, & sic rationale dicitur modus animalis, sed accipitur pro imperfecta illa forma, quæ intime concludit coniunctionem cum re quam modificat

Petes ad quod genus distinctionis referri debeat distinctio illa, quam Scotus frequenter adfert & vocat formalem. Resp non satis constat, quid per distinctionem formalem Scotus intelligat, quidam è discipulis eius volunt, formalem hanc distinctionem esse ratiocinatæ, supra allatam, quam dicunt vocari formalem, quia diuersæ rationes formales, id est, definitiones in ea concipiuntur, & is nisi sit Scoti sensus, tolerari non potest doctrina illius de distinctione formali attributorum Dei.

Alii tamen Scoti sectatores existimant, illum loqui de distinctione aliqua, vera & actuali, quæ sit in re, ante intellectum, quæ nunquam sit realis, primo modo, tertio modo à nobis allato, & huiusmodi reperiri distinctionem docent inter communem essentiam & indiuiduum, sed rationes illorum tantum conuincunt dari distinctionem rationis ratiocinatæ, per conceptus nimirum inadæquatur, quæ tamen dici potest realis fundamentaliter. Et quicquid sit de intentione, aut sensu aliorum, non videtur admittenda distinctio aliqua actualis, à parte rei, præter realem, primo loco, & modalem tertio loco allatam, reliquæ sunt distinctiones rationis, vel cum fundamento, vel sine fundamento.

Petes secundo, An distinctio rationis ratiocinatæ recte dicatur formalis Resp. negatiue, quia distinctio formalis est quid æquiuocum, & commune, & accommodari potest omnibus generibus distinctionum, primo, conuenit essentialiter & realiter distinctis, vt homini, & equo, qui formaliter possunt dici distingui, quatenus habent essentias, & vnitates formales, indiuiduas diuersas. Secundo, conuenit distinctis realiter, licet non essentialiter, vt in diuinis paternitas & filiatio distinguuntur realiter, & dici possunt distingui formaliter in rationibus obiectiuis relationum. Tertio, conuenit distinctioni modali, vt dum dicimus sessionem Petri non esse formaliter Petrum, vel aliud esse formaliter Petrum, aliud ipsius sessionem. Quarto, conuenit distinctioni rationis ratiocinantis, vt dum dicimus subiectum formaliter non esse prædicatum, quorum omnium ratio est, quid in omni ente seu reali, seu rationis, concipiatur aliquid, quod se habet per modum determinabilis, & aliquid, quod se habet per modum formæ ac determinantis à quo desumitur acceptio formalis, adeoque distinctio ipsius ab omnibus aliis quibuscunque, fatendum tamen frequenter in vsu per distinctionem formalem intelligi distinctionem rationis ratiocinatæ, iuxta primam explicationem Scoti, qui in hoc sensu à nobis diffidet.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Decisio Quæstionis.

Celebris est hæc controuersia inter discipulos D. Thomæ, & Scoti, eo quod multæ difficultates ex ea dependent Docet D. Thomas, cum suis, vnitatem formalem sola ratione distingui ab vnitate indiuiduali, ac proinde eam multiplicari in indiuiduis, vna cum vnitatibus indiuidualibus, vnde etiam

negant dari vnitatem aliquam realem, quæ vna & eadem fit in multis indiuiduis Econtra Scotistæ volunt vnitatem formalem distingui ex natura rei, ab vnitate indiuiduali, ac proinde eam non multiplicari in indiuiduis.

Resp. primo, Vnitas formalis naturæ non distinguitur ex natura rei ab vnitate indiuiduali, ita Moderni pene omnes contra Scotistas. Probatur primo, Natura communis & singularis non distinguuntur ex natura rei, ergo nec vnitates illas consequenter. Consequentia patet, quia vnitas nihil addit supra entitatem, nisi negationem divisionis. Antecedens probatur, quia impossibile est naturam actualem separari ab vnitate indiuiduali, ergo non distinguuntur natura rei. Consequentia probatur à signo distinctionis ex natura rei superiori articulo allata. Antecedens probatur, quia natura actualis necessario existit, quod autem existit, est singulare, & indiuiduum, ergo implicat differentiam indiuidualem separari à natura actuali. Probatur secundo, natura communis non distinguitur à differentia indiuiduali, vt res à re, neque vt rei à modo, ergo non distinguitur ex natura rei. Consequentia probatur, quia non datur alia distinctio actualis, à parte rei, vt patet ex dictis superiori articulo. Antecedens pro priori parte ab omnibus conceditur, pro secunda probatur, quia ad huiusmodi distinctionem requiritur vt entitas illa, à qua aliud distinguitur tanquam modus, secluso ac præciso illo modo habeat in seipso veram & realem entitatem, aliter enim non potest intelligi, qua ratione distinguatur, sed si præciso modo differentiæ indiuidualis natura habet entitatem realem, ergo habet existentiam, nihil enim habet esse reale, nisi existat, ergo etiam habet singularitatem.

Probatur hæc secunda consequentia, quia omne id, quod existit in rerum natura, habet determinatam entitatem, per quam terminat actionem singularem causæ determinatæ agentis in determinata loco, tempore, &c. sed omnis talis entitas determinata habet adiunctam negationem diuisionis, aut communicabilitatis in plures alias, qualis ipsa est, ergo habet & singularitatem. Modus enim ille à Scotistis superadditur, vt natura secundum se communis fiat omnino incommunicabilis, quod ostendimus naturam existētem præcise ex se sine vllo modo superaddito habere, alioquin enim posset simul esse vna & plures entitatiue, quod adeo implicat, vt ne quidem in diuinis id fieri possit, nam licet natura diuina per modum formæ cõmunicetur pluribus suppositis, in illis tamen neq; ipsa, ab ipsis, neq; à se ipsa diuiditur, quia tota est in singulis, & omnibus simul, ac proinde indiuidua ac singularis.

Probatur tertio, distinctio illa, quæ fingitur à parte rei inter naturam & indiuiduum, siue differentiam indiuidualem, vel sumitur ex modo loquendi & concipiendi, vel ex conuenientia simul & distinctione, quæ reperitur inter indiuidua, sed hæc non indicant necessario distinctionem ex natura rei, ergo tota distinctio concidit Minor probatur, quia differentia indiuiduales inter se etiam conueniunt & discrepant: verbi gratia, differentiæ Petri & Pauli distinguuntur tanquam duæ res, saltem incomplete singulares, & indiuiduæ, (ex sententia aduersariorum,) & tamen etiam conueniunt, nam similiores sunt inter se, quam differentiæ indiuiduales Petri & Bucephali, sed in his differentiis non assignatur aliquid distinctum, in quo sint similes, & in quo distinguantur, ergo nec in proposito, necesse est assignare distinctionem à parte rei, inter naturam & differentiam indiuidualem, vt saluetur conuenientia & distinctio, quę reperitur inter indiuidua eiusdem speciei.

Probatur quarto, Si natura animalis, quæ est in homine, & natura hominis, quæ est in Petro, habet vnitatem realem, siue ex natura rei, quæ non sit singularis, erit communis, ergo in Petro erit aliquid realiter vnum, cum eo, quod est in Paulo, qui potuit post mille annos periisse in rerum natura.

Respondent Scotistæ naturas animalis & hominis in Petro existenter esse contractas & determinatas, atque vt sit, non habere vnitatem realem communem, secundum se, tamen vt natura animalis est generica, & natura hominis specifica habere vnitatem illam communem, sed contra, primo, hoc nihil aliud est dicere, quam naturæ sunt reipsa diuisæ, a[c] multiplicatæ, quod si non essent diuisæ, essen[t] quid vnum, sed conditio illa est impossibilis non enim potest existere natura generica, & specifica, nisi in indiuiduo, & diuisa per diffe[-]rentias indiuiduales.

Res[p.]

Resp. secundo, ex euasione ista recte sequi naturam animalis & hominis aperte rei simpliciter esse diuisas, & non vnas esse, quia impossibile est, naturam genericam aliter diuidi, quam per differentias specificas, aut naturam specificam aliter, quam per differentias indiuiduales, quæ diuisiones cum sint realiter à parte rei, opponuntur directe vnitati genericæ, & specificæ reali naturæ, sic diuisæ, & multiplicatæ in pluribus speciebus, & indiuiduis, neque remanent naturæ sub illa vnitate essentiali, sed eam tantum possunt habere per intellectum considerantem naturam genericam, sine differentiis specificis, vel naturam specificam sine differetiis indiuidualibus, per quas illæ naturæ intrinsece, & à parte rei sunt diuisæ, quæ diuisio à parte rei tolli nequit.

Resp. secundo, Vnitas formalis distinguitur ratione ab vnitate numerali. Probatur, quia vnitas formalis in proprio cõceptu tantum dicit indiuisionem naturæ in prædicatis essentialibus, vnitas vero indiuidualis dicit indiuisionem in ipsa entitate, & omnimodam incommunicabilitatem, ago ex vnitates saltem conceptibus obiectiuis distinguuntur, & hoc solum probant rationes contrariæ, quas mox soluemus.

Ex dictis infertur, vnitatẽ formalem, prout existit in rebus ante operationem intellectus non esse communem multis, sed singularem, & tot multiplicari vnitates formales, quot sunt indiuidua, adeo vt vnitates formales hominis, animalis, viuentis, &c. in Petro à parte rei sint singulares ratione vnitatis numericæ, cui realiter & formaliter identificantur, ac proinde numero distinguantur à similibus vnitatibus formalibus in Paulo.

ARTICVLVS TERTIVS.

Respondetur ad argumenta.

Obiicies primo, Aristoteles 5. *Metaph c.6. t.12.* agens de modis vnius, sic ait, alia numero, alia specie, alia genere, alia similitudine rationis sunt vnum. Vbi expressis verbis distinguit vnitatem formalẽ, sive specificam, & genericam, ab vnitate numerica, & ab vnitate rationis, ergo vnitas formalis est realis, & distincta ab vnitate numerica.

Resp. Aristotelem tantum ibi distinguere ea, quæ analogice sunt vnum, ab iis, quæ numero, vel vniuoce, vnum sunt, per ea enim quę similitudine rationis sunt vnum, aperte intelligit analoga, & hoc ipsum verbum habet alia versio, & dicit alia analogia vnum sunt, quæ doctrina Aristotelis in omni sententia admittitur.

Obiicies secundo: Natura quæ est in indiuiduis considerata secundũ se, siue secundum prædicata essentialia, quæ ipsi cõueniunt, vere à parte rei habet carentiã diuisionis essentialis, ergo etiam vnitatẽ sibi propriam. Consequentia probatur, quia vnitas formaliter dicit carentiã diuisionis. Antecedens probatur, quia natura nõ est diuisa in plures diuersas essentias, & distinguitur ab omni alia essentia.

Resp. ad antecedens: Natura secundum se dicit carentiam diuisionis essentialis ac est vna formaliter, siue essentialiter. Hoc enim per se notum est, quia alioqui eadem natura haberet diuersam essentiam à se ipsa, quod aperte implicat, & hoc probat argumento: Verum natura secundum se, non dicit necessariam carentiam diuisionis essentiarum, ita vt non sint alia similes, vnitas enim essentialis compatitur secum diuisionem, seu pluralitatem essentiarum. Explico, Natura humana spectata secundum connexionem prædicatorum essentialium dicit negationem omnis alterius essentiæ, quæ sit alia, ac diuersa ab humana, verbi gratia dicit negationem essentiæ equi, bouis, &c. & hoc euidens, non tamen dicit negationem essentiæ humanæ similis, quid enim incommodi patitur connexio prędicatorum essentialiũ humanæ naturæ, quod sæpius actualiter in rerum natura reperiatur. Non enim hinc sequitur, naturam humanam habere diuersa prędicata essentialia, verbi gratia, equi, vel bouis. Hæ autem plures essentia non possunt dici distingui essentialiter, quia distingui essentialiter non tantum significat habere distinctam essentiam, verum etiam habere dissimilitudinem essentiæ, & significat essentiam distingui ab alia, non tantum entitatiue, & secundum rem, sed etiam secundum communem conceptum, & definitionem, quam intellectus potest formare, quod non reperitur in pluribus vnitatibus formalibus humanæ naturæ. Quare non repugnat naturæ, quæ ex se dicitur formaliter, & essentialiter vna multiplicari, siue diuidi secundum eam vnitatẽ, in multis, & in singulis habere

habere illam vnitatem, incommunicabilem aliis naturis, sed tantum repugnat dissimilitudo secundum illam vnitatem.

Obiicitur tertio. Natura communis secundum se est ens, ergo habet vnitatem, quia vnitas est passio entis. Confirmatur, Natura humana secundum se & equina secundum se sunt plures, & distinctæ realiter & essentialiter, ergo vnaquæque illarum est ex se vna formaliter multitudo enim, sed pluralitas supponit vnitates. Resp. his argumentis tantum probari naturam secundum se habere vnitatem formalem; per quam differt essentialiter ab alia, non tamen probari vnitatem illam formalem esse communem è parte rei, aut non esse plures vnitates formales & distinctas entitatiue, quæ inter se habent similitudinem, & conuenientiam, ac per consequens vnitatem quandam fundamentalem. Hæc enim pluralitas vnitatum formalium non repugnat vnitati essentiali, eo sensu, quo hoc intelligi solet.

Obiicitur quarto: Natura communis secundum se, vel est vna, vel plures, hæc enim contradictorie opponuntur, sed non plures, ergo vna. Minor probatur, quia tantum fit plures per differentias indiuiduantes, sed per hæc non includuntur in natura secundum se, siue in connexione prædicatorum essentialium. Resp. Naturam secundum se esse vnum formaliter, & dicere negationem diuisionis essentialis, non autem necessario esse vnam essentiam, siue esse veram entitatiue, vt supra explicauimus.

QVÆSTIO VII.

An vniuersalitas conueniat naturis ante operationem intellectus.

SEnsus est: An naturæ, quæ vniuersales denominantur, & sunt in singularibus habeant ex se & aperte rei ipsam vniuersalitatem, a qua formaliter vniuersales dicuntur, an vero illam habeant actu, per operationem intellectus, præcedente aliquo fundamento.

**
*

ARTICVLVS PRIMVS.

Diuersæ sententiæ, & apparatus ad Quæstionis resolutionem.

IN quæstione proposita duæ sunt præcipuæ sententiæ: prima est, Naturam habere ex se, & per se vniuersalitatem, ita vt etiam realiter existens in ipsis indiuiduis eam retineat. Et in hac sententia sunt varii loquendi modi, quos explicare nimis longum foret. Scotus *Met. lect. 16. & 2 sent. d. 3 q 1.* putatur docere naturam à parte rei secundum se esse indifferentem ad multa indiuidua, & habere vnitatem quandam realem minorem numerali, siue illa, quam habent singularia, adeoque distingui à parte rei, ab indiuiduis, non quidem realiter sed formaliter, ac proinde contrahi ad indiuidua per differentias indiuiduales, quas vocat hæcceitates.

Ita illam explicant quidam ex illius discipulis, alii aliter, quod satis intricata sit eius hac in parte doctrina. Cui sententiæ occasionem dedisse videtur vulgatis noster loquendi modus, de naturis rerum.

Secunda sententia est, nullam naturam à parte rei esse vniuersalem actu, sed tantum potentia, ratione alicuius fundamenti, nimirum conuenientiæ, quo supposito possit fieri actu vniuersalis, per operationem intellectus, ita D Thom. *1. p. q 5 5. art. 1.* & ex professo *1 Opuscul. de Ente & Essent c 4.* Durandus, Sotus, Toletus & Thomistæ omnes. Docent hi authores naturam tribus modis posse spectari, primo, vt in se est, siue secundum prædicata essentialia, vt natura hominis, quatenus habet, quod sit substantia, corpus, viuens, animal, &c Secundo, vt habet esse in indiuiduis, Tertio, prout est obiectiue in intellectu. Primo modo spectatam fatentur esse vnam, (nam alioquin non haberet vnum nomen, & vnam definitionem) vnitate tamen, neque numerica, neque specifica, neque generica, (nisi in potentia) sed tantum vnitate transcendentali, sicuti ens in genere vnum est, qua hæc natura habens hæc prædicata essentialia, non est alia habens prædicata dissimilia, & prout natura illa inesse possibili considerata apta est esse à parte rei, sic apta

sic apta est habere vnitatem actualem numericam, scilicet vel specificam, vel genericam, nam vnitas transcendentalis, quam habet ex se, tantum est potentialis, sic enim non natura dicit ordinem ad existentiam actualem, secundo modo spectata neque est vna, neque etiam plures ex se sine exigentia prædicatorum actualiter illi conuenientium, sed est vna, vel plures ex accidenti tantum, si enim esset vna per se, non posset multiplicari, quæ enim alicui naturæ per se conueniunt, non possunt tolli, cum sint de essentia illius, si autem esset plures, etiam in singulis indiuiduis deberet esse plures, ob eandem rationem. Tertio modo, est vna vnitate actuali, non quidem reali, sed rationis consurgente in natura ex operatione intellectus abstrahente naturam à differentiis indiuidualibus, & sic abstractum comparante cum inferioribus & indiuiduis. In hoc autem discrepant hi authores à Nominalibus, quod Nominales doceant huic vniuersali in intellectu, siue huic conceptui nihil respondere, à parte rei, nisi ipsamet singularia, quatenus talia immediate, hi vero qui dicuntur reales, dicant huic conceptui respondere immediate naturam existentem in singularibus, quatenus apta est abstrahi per intellectum à singularibus.

Pro veritate nota primo, conceptum formalem intellectus nostri in eo similem esse imaginem artificialem, quod repræsentat rem conceptam. Differt tamen, quod cũ sit ouium imago, & actio quædam operans, circa rem imaginatam, non ita astringatur rei, quin possit illam sibi repræsentare diuersimode, vt fit, dum multa concipit per modum vnius, vel vnum quid, tanquã plura, per plures conceptus inadæquatos, idq; ob perfectionem obiecti, quæ tanta est, vt contineat in se collecta, quæ in aliis pluribus sunt dispersa, hoc modo intellectus considerans Petrũ, tanquam entitatem quandam determinatam, incommunicabilem cõcipit sub ratione indiuidui, & singularis, quæ conuenit omni rei existenti: vt vero considerat illum, tanquam principium diuersarum perfectionum, & operationũ alias tribuit illi denominationes naturæ, & graduum essentialium, ac primo, vt est principium existendi per se independenter ab alio, dicit esse substantiam, vt est principium primæ dimensionis, dicit esse corpus, vt est principiũ vegetandi, & operandi, etiã dum est in loco naturali, dicit esse viuens, vt est principiũ sentiendi, dicit esse animal, vt est principium ratiocinandi, dicit esse hominem, quæ tamen omnia conueniunt Petro, ratione vnius simplicis entitatis, sine vlla distinctione actuali huiusmodi graduum inter se, simili enim modo in Deo concipiuntur varia attributa, in quo tamen non reperitur eorum distinctio à parte rei.

Nota secundo, Quando intellectus in obiecto huiusmodi continente perfectionẽ plurium rerum, intelligit vnam, non perceptis aliis, quæ reuera ipsi sunt cõiunctæ, dicitur abstrahere, vel præscindere vnam perfectionem, siue rationem formalem ab alia, sicuti oculus percipiens colorem pomi, nõ percepto odore, qui est obiectum odoratus, dicitur abstrahere colorem ab odore, non quasi realiter separet illa, sed quia vnum percipit sine alio, & hac ratione dicunt Thomistæ, vniuersale, (saltem in proxima potentia) fieri per abstractionem intellectus, qua intellectus concipit naturam in indiuiduis existentem, adeoque per differentias indiuiduales contractam sine illis differentiis indiuidualibus, perinde ac si non esset illis coniuncta repræsentando illam sibi per modum vnius diffusæ, & extensæ per omnia indiuidua, & sic dat naturæ illi multiplicatæ vnitatem quandam rationis, quo modo, (licet in re dissimili) visus percipiens eminus struem lignorum, non aduertens, propter distantiam, superficies terminantes singula ligna, videt, & repræsentat sibi omnia illa, quantumvis multa per modum vnius continui conferens illi aliquam contiguitatem, quæ tamen non est à parte rei.

Nota tertio, rationem formalem vniuersalitatis consistere in duobus, scilicet in vnitate, & communicabilitate, siue aptitudine pluribus in essendi, vtrunq; explicat Aristoteles, definiens vniuersale vnum in multis: Si enim natura non sit aliquo modo vna, iam erit multitudo, seu collectio multorum, & non vniuersale, si non sit communicabilis, seu apta esse in pluribus, iam erit singularis, & non vniuersale.

Nota quarto: Vnitatem quæ constituit vniuersale, nec esse formalẽ, nec numeralem, sed ab his distinctam habentem propriã suam rationem, consistit enim in indiuisione alicuius naturæ, in plures naturas similes, sub eo-

dem nomine, & ratione, cum aptitudine tamen, vt in eas diuidatur. Quare vnitas formalis per se sola non sufficit ad vnitatem vniuersalem, sed requiritur maior aliqua vnitas: quod probatur primo, quia vnitas vniuersalis debet esse talis, vt sit naturę vniuersali propria, ac rei singulari, (vt talis est) nequeat conuenire, hoc enim requirit oppositio, quæ est inter vniuersale & singulare: Vnitas autem formalis indifferens est, ad vtrumque, quia potest multiplicari in indiuiduis, vna tum natura, cuius est vnitas, vt quæstion. præcedent. diximus Hoc autem pugnat cum natura vniuersali, vt vniuersalis est, siue cum vnitate constituente naturam potentialiter vniuersalem, quod clare ostenditur, quia alioqui multiplicaretur vnitas specifica in ipsis indiuiduis, & tot essent naturæ vniuersales, quot sunt indiuidua, & plures homines essent, plures species, & quisque haberet in se vnitatem vniuersalitatis, quisque esset vnus vniuersaliter, sicuti vnus est formaliter, quæ omnia sunt absurda. Probatur secundo, quia vnitas formalis tantum dicit indiuisionem essentialem, illius rei, quæ sic vna denominatur, ad hanc autem indiuisionem impertinens est, quod res illa cui conuenit, sit singularis, vel communis, vt patet ex dictis *q. præcedent.* Vnitas vero vniuersalis dicit intrinsece indiuisionem plurium, in ea ratione, qua vniuersaliter dicitur, ita vt nullum ex inferioribus seorsum sumptum habeat totam illam vnitatem vniuersalem: sed vt omnia simul collectiue sub illa ratione vnum sint. Ex quo patet, vnitatem formalem esse quidem fundamentum vnitatis vniuersalis, non tamen esse ipsam vnitatem, quæ constituit naturam vniuersalem.

Nota quinto, ex dictis colligi indiuisionem naturæ vniuersalis, qua talis proxime accedere ad naturam priuationem, dicit enim negationem diuisionis in natura apta ad talem diuisionē. Indiuisio vero indiuiduali dicit ineptitudinem ad diuisionem in plura, vnitas, seu indiuisio formalis neq; repugnat diuisioni in plura, neq; etiam illam requirit, vt patet, quia in Deo potest concipi vnitas formalis cum indiuisione & incōmunicabilitate, ad plures naturas, in quam sententiā dixit Auic. *5. Met. in princ.* equinitas secundum se tantum est equinitas, non vna, sed plures,

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resolutio Quæstionis.

RESp. naturæ non sunt vniuersales à parte rei, sed fiunt tales per operationem intellectus, præcedente aliquo fundamento, ex parte ipsarum rerum, propter quod dicuntur esse in parte rei, vniuersales potentia. Est sententia Authorum *superiori articulo secundo loco citator.* & communis fere omnium, eamque constanter tenent præcipui Philosophi & Theologi, ex Societate nostra, quibus aliquando opposita sententia arrisit, Soarez, Leonardus Lesceus, Bonaert, imo & Soarem censet Scotum in hanc sententiam commode posse trahi. Probatur primo, ex Aristotele, qui passim negat vniuersale esse à parte rei & specialiter *l. 1. de anim.* c g. vbi ait, vniuersale aut nihil est, aut posterius est, id est, aut nihil est in rebus vel per operationem intellectus rebus ipsis posterius iuxta Interpretum expositionem, vnde dicit ibi Commentator, intellectum facere in rebus vniuersalitatem, & 12. *Metap. comm.* 4 ait, vniuersalia apud Aristotelem esse collecta ex particularibus in intellectu, qui accipit inter ea consimilitudinem, & facit eam vnam impensionem.

Probatur ratione. Ad rationem vniuersalis requiritur vnitas vniuersalis, & aptitudo multis in essendi, sed ante operationem intellectus neque vnitas, neque aptitudo conuenit naturis, ergo non sunt ante operationem intellectus, maior est certa, & constat ex definitione vniuersalis. Minor probatur, pro priori parte, quia vnitas vniuersalis est, qua plura indiuidua sunt vnum, atqui ante operationem intellectus nulla reali vnitate indiuidua sunt vnum, ergo, minor probatur, quia singula indiuidua sunt vna, vnitate numerali, & incommunicabili, & dicunt indiuisionem in se, & diuisionem ad omnia alia, ergo nihil est, in illis, à parte rei vnum commune, nec satisfacit, si dicas, in indiuiduis reperiri vnitatem formalem, in qua omnia indiuidua vnus speciei conueniunt, quia hæc vnitas formalis ex se non est vniuersalis, sed indifferens ad vniuersalem & numericam, ac proinde transcendalis tantum, vt patet ex *notabili 4. super. artic.* Ac proinde alia specialiter vnitas ipsi superaddi debet, vt fiat vniuersalis: nam si con-

si concipiamus hominem in communi, habebit vnitatem formalem eandem etiam in Petro, nam verum est, Petrum esse, vnum hominem formaliter, vnde patet id, sicuti natura generica animalis, quia communis est homini, equo, leoni, & aliis speciebus, non est sufficiens ex se, ad constituendam aliquam speciem, nisi addatur differentia, per quam determinetur, ac perficiatur, ita vnitas formalis naturæ debet per vnitatem superadditam fieri vnitas vniuersalis, sed à parte rei præter vnitatem illam formalem, ex se sufficientem, ad vnitatem vniuersalis non reperitur alia præter numericam, quæ tantum abest vt constituat naturam vniuersalem, quia potius vniuersalitati ex diametro repugnat, cum per eam naturam in singularibus sit diuisa ac multiplex, vnde consequens vnitatem superadditam vnitati formali, quia constituitur natura vniuersalis esse vnitatem rationis, siue ab intellectu.

Dices ad minorem, naturam existentem in indiuiduis esse vnam, numero, siue singularem, sed extrinsece, intrinsece, & secundum se, esse communem, sed contra, si per esse singularem extrinsece intelligas singularitatem non includi in conceptu essentiali naturæ, siue singularitatem non esse prædicatum essentiale, hoc omnes admittunt, certum enim est, concipi posse essentiam verbi gratia naturæ humanæ siue singularitatem cum peculiaris sit naturæ diuinæ, non posse vere ac proprie concipi, siue singularitate, quippe quæ essentialiter peculiare sit. Sed hinc tantum sequitur, naturam communem conceptu ac ratione distingui, ab indiuiduo, licet à parte rei nulla reperiatur distinctio, ratione cuius singulariter possit dici extrinseca, naturæ à parte rei. Si vero intelligant naturam existentem, verbi gratia humanam fieri singularem, & hanc per modum, extrinsecum, siue à parte rei à natura distinctum, hoc supra refutauimus, quia natura etiam secundum se existit, & non tantum ipsius hæcceitatis, quicquid demum illa sit, ergo natura etiam secundum se habet certam & determinatam entitatem, sed talis entitas se ipsa includit negationem diuisionis in plures, qualis ipsa est, ergo & intrinsece se ipsa nullo superaddito habet singularitatem ac incommunicabilem vnitatem, neque indiget modo aliquo extrinseco. Minor probatur, quia hoc ipso quod natura secundum se existit, & est determinata entitas, nō potest diuidi à se ipsa, ergo non potest diuidi in plures, quæ tales sunt, qualis ipsa est, alioqui esset simul vna & plures, entitatiue, quod omnino repugnat. Vide Soarem *disp. 5. Metaph. sect. 2.*

Hoc ergo ipsum sit nullam esse à parte rei distinctionem, inter naturā actualem, & hæcceitatem eius, sed ipsam naturam esse singularem intrinsece, ac sola ratione naturam posse distingui ab indiuiduo, siue ab eo, q̀ additur naturæ cōmuni, vt fiat hæc, & indiuidua. Hoc enim posito, omnes rationes cōtrarię sententię concidunt. Quid autem illud sit, quod indiuiduum superaddit naturę cōmuni, dicetur suo loco. Interea consulatur Soares *loco citato.*

Dices secundo, naturam esse omnino singularem, & intrinsece, id est, totam, nō tamen totaliter, sicuti compositū Physicum totum est compositum, sed non totaliter, quia materia secundum se nō est compositum, neq; forma, neq; etiam est ipsa vnio. Ita naturam existentem esse singularem, si accipiatur, vt compositum ex natura communi, & totaliter est singularis, quia totaliter existit, ac totaliter est entitas determinata, terminans actionem productiuam totaliter singularem.

Ad simile resp. repugnare composito, vt totaliter tale sit, quia necessario requirit partes distinctas, quæ secundum se sint incompositæ, vt in vnum totum possunt coalescere, quod totum ob hanc coalitionem dicitur compositum. Si enim compositum esset totaliter tale, siue haberet partes secundum se, etiam copositas, in resolutione compositi daretur progressus in infinitum, sicuti in diuisione cōtinui. Econtra vero repugnat aliquid reperiri in re singulari, quod non sit intime singulare, sicuti repugnat aliquid esse in re singulari, quod existat intime se ipso, ergo indiuiduum etiam totaliter est singulare.

Minor primæ probationis pro posteriori parte, quod scilicet naturis non conueniat aptitudo, pluribus inessendi, ante operationem intellectus, probatur eadem ratione, quia natura actualis siue natura à parte rei est singularis, & vna numero totaliter ex dictis, sed ei, quod est singulare positiue, repugnat pluribus inesse ante operationē intellectus, non habet aptitudinem requisita ad

vniuerſalitatem. Maior patet ex dictis, quia quicquid exiſtit eſt ſingulare. Minor eſt clara, quia alioqui idem eſſet poſitiue & apte rei determinatum ad vnum per differentiam indiuidualem, ſeu ſingularitatem, quæ omnibus modis eſt vltima, adeo vt reddat naturam non amplius determinabilem; eſſet indeterminate, quia poſſet pluribus ineſſe.

Dices ad maiorem, & eius probationem, illud, quod primario exiſtit, (vt ſunt indiuidua,) eſſe ſingulare, non vero, quod ſecundario exiſtit, vt natura communis, ſed contra hanc euaſionem facit primo, quicquid demum per terminos illos intelligas, id quod ſecundario dicis, exiſtere intime, attingitur ab actione producentis, vel non, ſi non, manet nihil, ſi attingitur, ergo vero producitur, & vt eſt terminus actiuus ſingularis ac entitas determinata ſingularis, ac incommunicabilis intrinſece ſe ipſa, & non tantum ſingularizata, vt loquuntur, per quid extrinſecum, quia res eſt ſingularis, præciſe ex eo, quod ſit producta. Id autem, quod ſecundario producitur, ſaltem abſolute producitur, dicitur enim tantum ſecundario produci, reſpectu alterius, ergo illa diſtinctio nõ ſatisfacit. Secundo: Hæc euaſio ſupponit diſtinctionem à parte rei, inter naturam & ſingularitatem. Tertio, ne quidem ſuppoſita illa diſtinctione in ſententia aduerſariorum, euaſio illa poteſt habere verum ſenſum, quia nullo ordine prioritatis dici poteſt ſingulare produci primario, natura vero ſecundario, vel enim produci primario cadit ſuper ſingulare, quatenus compoſitum ex natura, & ſingularitate, & ſic non producitur primario, quia nihil ſupereſt producendum, reſpectu cuius ſecundario produci, dici poteſt produci primario, vel primario produci cadit ſuper ſingularitatem, & tunc peto, qua prioritate primario producatur, non prioritate temporis, quia implicat modum præcedere tempore rem modificatam, non prioritate naturæ, quia vt ipſi fatentur, determinabile & modificatum prius eſt natura determinante, & modo natura aut eſt determinabilis, & modificata, ſingularitas vero eſt determinans ac modus: non prioritate intentionis, quia generans in productione tendit primario in naturam ſibi ſimilem in ſpecie, non prioritate executionis, quia in ordine executionis primario producitur id, à quo aliud quid reproducitur eſſentialiter, & neceſſario dependet; atqui tale quid eſt natura, reſpectu ſingularitatis, ergo procedit probatio minoris naturam, ex vi ſuæ productionis eſſe intrinſece, & totaliter ſingulare.

Probatur poſterioris pars minoris ſecundo; Natura non exiſtit in indiuiduis, niſi per identitatem omnimodam, cum ſingulis eorum, ſed natura omnino identificata vni indiuiduo non poteſt eſſe ſecundum rem, & ſecundum exiſtentiam realem identificari aliis, ergo à parte rei non habet aptitudinem realem eſſendi in multis. Minor & conſequentia patent. Maior patet ex dictis ſupra, & iterum probatur, quia quæ prædicantur de ſuis inferioribus, tanquam illis eſſentialia debent in illis eſſe per omnimodam identitatem, quia nihil magis identificari poteſt cum re, quam ipſius eſſentia.

Dices, identificari naturam indiuiduis realiter. non formaliter. Reſp. ergo ſaltem erunt formalitates, & tenues entitates (vt loquuntur) à parte rei, inter ſe diſtinctæ, quarum quælibet ſuam & peculiarem, licet tenuem, habeat eſſentiam, ergo vna non poteſt eſſe de eſſentia alterius, & prædicari de illo, tanquam aliquid illi eſſentiali.

Probatur tertio. Si in natura exiſtente à parte rei ſit aptitudo poſitiua eſſendi in multis, ergo & ipſa aptitudo exiſtet, ergo erit & ipſa ſingularis, & indiuidua, ex rationibus ſupra dictis & conſequenter erit in omnibus, ac ſingulis indiuiduis, vnde ſequitur primo, tot fore naturas vniuerſales, quot ſunt indiuidua, ſecundo. vnum numero poſſe contrahi & diuidi in plura numero, tertio quodlibet indiuiduum habere aptitudinem realem ad ſingularitatem alterius indiuidui, vt patet diſcurrenti quæ omnia ſunt abſurda.

Probatur concluſio ſecundo; A parte rei nulla datur vnitas præter formalem & numeralem. Atqui neutra harum ſufficit ad vnitatem vniuerſalem, ergo vnitas vniuerſalis non eſt in rebus, prout ſunt à parte rei, ſed conuenit eis per intellectum. Maior patet ex *notabili tertio præced. artic.* Confirmatur, vniuerſalitas dicit indiuiſionem naturæ in plures alias ſimiles, ſiue alias, qualis ipſa eſt ſub eodem nomine & ratione, ergo vniuerſalitas non ineſt naturæ à parte rei. Conſequentia probatur,

Probatur, quia à parte rei natura est actu diuisa, in plures similes eiusdem nominis & rationis, quibus repugnat vlterius diuidi, sed esse diuisum à parte rei, & indiuisum à parte rei inuoluit repugnantiam, ergo si natura habet indiuisionem vniuersalitatis, habebit illam non prout est à parte rei, sed prout substat conceptibus mentis, & hoc modo natura erit diuisa à parte rei, & secundum rem, indiuisa vero secundum rationem tantum, quæ non repugnant. Vnitas itaque naturæ, verbi gratia hominis, quatenus vniuersales, completur per intellectum, & in eo est sita, quod homo abstracte conceptus non sit, communicabilis multis hominibus, siue conceptibus obiectiuis, sic abstractis, licet sit communicabilis à parte rei, multis indiuiduis, per realem multiplicationem.

Probatur tertio, Implicat naturam secundum se, & à parte rei, esse vniuersalem, quod probatur, quia vniuersale secundum se idem est, vel idem signat, quod natura solitarie & præcise considerata, & hoc modo significat naturam, vt subest operationi intellectus, & præscinditur à differentiis indiuiduantibus, vnde & vnitas ipsius sic consideratæ vocatur vnitas præcisionis, quod in terminis includit operationem intellectus, atqui quod conuenit naturæ secundum se, siue secundum statum præcisum consideratæ, non conuenit illi à parte rei, sed per intellectum, quæ duo opponuntur, ergo, si natura secundum se est vniuersalis hac acceptione, non est vniuersalis, à parte rei: vel illud secundum se accipitur posterioristice, (vt loquuntur,) qua acceptione significat vnitatem esse de essentia naturæ, aut intrinsece ab illa manare. Et hoc modo etiam repugnat naturam à parte rei esse vniuersalem quia sic non posset fieri vllo modo singularis, cum tamen de facto sit singularis in indiuiduis. Probatur illa sequela, quia quod conuenit naturæ essentialiter, conuenit illi semper & vbique, & ab illa omnino est inseparabile, ergo non potest naturæ conuenire singularitas. Consequentia probatur, Quia oppositum illius, quod essentialiter alicui competit, nullo tempore ei potest inesse, verbi gratia impossibile est absolute hominem esse irrationalem, irrisibilem: atqui singularitas ex diametro opponitur vniuersalitati, quæ naturæ essentialiter conuenit, ergo impossibile est illam naturæ conuenire.

Dices: Vniuersale & singulare non sunt opposita, ergo vniuersalitas & singularitas poterunt simul conuenire naturæ: Antecedens probatur, quia habent se sicuti potentia & actus, sicut determinabile & determinans, quæ non sunt opposita, imo ex natura sua debent reperiri simul.

Resp. negando antecedens, quia sunt opposita priuatiue, sicuti fere vnitas & multitudo, vniuersale enim dicitur, quod secundum vnam rationem in multis inferioribus reperitur, singulare vero, quod non potest vnum esse in multis, vniuersale dicit communicabilitatem naturæ, singulare dicit negationem communicabilitans. Vniuersale dicit indiuisionem, singulare dicit actualem diuisionem & determinationis, hæc autem sonant priuatiuam oppositionem. Ad probationem resp. non exponi sicuti potentiam & actum, quomodocunque ita, vt possint simul reperiri, quod probatur, quia natura non fit singularis, per singularitatem, veluti per actum aliquem tantum correspondentem potentiæ siue determinabilitati naturæ, sicuti forma aquæ est actus correspondens potentiæ substantialis materiæ, ad illam formam, sed determinatur ita, vt singularitas & actus tribuat naturæ ineptitudinem, oppositam aptitudini, quæ illi essentialiter conuenit, conferendo omnimodam illi incommunicabilitatem. Resp. per singularitatem, veluti per actum tolli aptitudinem essendi in multis, proximam, non autem remotam, adeo vt si singularitas auferatur, possit multis communicari, sicuti fit in materia prima, quæ existens sub vna forma, & sub dispositionibus illius, verbi gratia aquæ non est etiam proxime apta ad alias formas, verbi gratia ignis, aeris, ita vt remanente forma aquæ, alias possit admittere, retinet tamen aptitudinem remotam ad illas, ita vt excussa forma aquæ, & dispositionibus illius possit admittere formam ignis, &c. Sed contra, ne quidem remotam natura existens in indiuiduis, habet aptitudinem essendi in multis, sicuti materia prima habet aptitudinem remotam ad recipiendas formas distinctas, ab illa, quam de facto habet, quia hæc aptitudo remota posset aliquo saltem casu, aliqua con-

ditione posita, saltem diuina potentia exire in actum. Atqui fieri nequit omnino, vt natura singularis, siue singularisata actualiter se tota, vel secundum aliquid sui communicetur pluribus, siue diuidatur in plures tales, qualis ipsa est, sicuti materia potest admittere aliam formam, vnde exemplum non facit ad rem, non quia declarat aliam esse oppositionem, inter vniuersale & singulare, quam sit inter potentiam materiæ, & actum, siue formam illius, ex eo, quod forma, verbi gratia, ignis non tribuat materiæ potentiam, aut aptitudinem oppositam potentiæ, quam naturaliter habet, sed potius illam perficiat, tanquam actus illi correspondens, & impediat tantum actum oppositum, nimirum actualem informationem formæ ignis, vel aëris, idque per formalem suam præsentiam, relinquendo interim materiæ potentiam recipiendi formam ignis, vel aëris, vbi ipsa fuerit corrupta, vel desierit informare, singulariter vero non solum conferat naturæ communicationem actualem, respectu vnius singularis, verb. gratia Petri, quæ incompossibilis sit cum communicatione actuali, respectu Pauli, sicut forma aquæ in materia, respectu formæ ignis. Sed præterea inuehit secum oppositum plane ineptitudinem, & positiuam in potentia, facitque naturam simpliciter, & omnino incommunicabilem etiam respectu diuinæ potentiæ, adeo vt fieri non possit, vt natura communis, siue actualis illa entitas, quæ subest singularitati multiplicetur, ergo natura communis non seruat remotam potentiam essendi in pluribus. Horum autem fundamentum peti debet, ex discrimine, quod est inter potentiam materiæ ad receptionem formarum, & potentiam naturæ communicandi sese pluribus inferioribus, quia potentia materiæ tota est perfectibilis & actuabilis, indifferens ad omnem actum & formam. (est enim ipsa entitas materiæ nudata omniforma, quo fit, vt actus & forma adueniens illi correspondeat, tanquam perfectiuum, neque sint opposita inter se, potentia vero naturæ dicit potentiam perfectiuam actuatam, quā natura potens est sese communicare pluribus formaliter, quæ potentia non perficitur per singularitatem aduenientem, sed omnino tollitur, ac proinde opponitur communicabilitati naturæ, sicut actus actui, & forma formæ, & sicuti opponuntur forma ignis & forma aquæ. Quę fusius declaraui, vt satisfiat exemplo materiæ primæ, quo aduersarii vti solent ad sui defensionem.

Dices tamen secundo; Composito Physico conueniunt quædam proprietates oppositæ iis, quæ conueniunt vni parti, secundum se, etiam essentialiter, verb. grat materia prima est essentialiter ingenerabilis, & incorruptibilis, compositum vero, verb. grat. homo nihil impedit, quo minus indiuiduum quid & compositum Metaphysicum sit, & dicatur incommunicabile, atque diuisum, licet natura secundum se sit communicabilis, & indiuisa.

Resp. negando consequentiam: Latum enim est discrimen inter compositum Physicū, & inter indiuiduum, multo vero latius inter vtriusque proprietates, quæ comparantur inter se. Quia compositum Physicum habet alias & diuersas proprietates, propter inclusionem alterius compartis realiter distinctæ ab altera, quæ sui accessione potest fundare huiusmodi distinctas proprietates, verb. grat. numerus binarius accessione vnitatis desinit esse numerus par, sed fit impar, & in proposita materia prima, secundum se est ingenerabilis, quia nullam habet formam, generatio autem dicit productionem formæ in materia, vel saltem vnionis formæ cum materia, est incorruptibilis, quia corruptio dicit dissolutionem vnionis, quæ est inter materiam & formam, vnde per aduentum formæ, & vnionem ipsius cum materia constituitur aliquod totum generabile & corruptibile, quia habet partes & vnionem partium, ratione quarum conueniunt illi proprietates, quæ materiæ solitarie spectatæ non poterant conuenire, quæ tamen proprietates conueniunt toti composito, qua tale, non autem conueniunt illi totaliter, siue secundum omnes partes, non enim materia prima est corruptibilis, vel anima rationalis est corruptibilis, licet homo cōstans ex materia & anima rationali sit corruptibilis, quia proprietas corruptibilitatis aut generabilitatis tantum extrinsece afficit materiam & formam, propter vnionem, quam habere possunt inter se, vnde non transcendunt sese intime, ad singulas partes compositi. Econtra incommunicabilitas, quam tribuit singularitas naturæ, conuenit indiuiduo totaliter, & secundum quamlibet sui partem, transfundit enim

se in-

se intime ad singula, huius compositi Metaphysici partes, sicuti quodammodo existentia intime peruadit totam essentiam totaliter, ita vt non possit dici essentia à parte rei non existens secundum aliquid sui. Adimit igitur singularitas naturæ actuali, & toti illi entitati indiuidui totaliter omnem aptitudinem essendi in multis, vt nulla sui parte sit diuisibilis in plures, sicuti compositum Physicum est incorruptibile secundum partem sui, scilicet materiam, vel etiam secundum formam, vt in homine, vt *supra* probauimus ex eo, quod implicet aliquid entitatis illius per vllam potentiam multiplicari. Addo ipsam singularitatem non esse proprie singularem & incommunicabilem, tanquam id quod, sed potius esse id, quo natura est singularis & incommunicabilis, sicuti sessio non sedet, sed est id, quo homo sedet, ergo natura vere secundum se debet esse singularis, vtpote affecta singularitate.

Dices, hinc non probari naturam non esse singularem, sed tantum singularisatam, & hoc verbo gloriantur aduersarii, se infringere vim omnium argumentorum. Per esse singularisatam, volunt significari naturam esse extrinsece esse singularem. Per esse singularem intrinsece esse talem, sed gratis confingitur hæc noua etymologia, quia esse singulare, & esse singularisatum, ex vi suæ significationis non important huiusmodi distinctionem, vnde & pro eodem vsurpantur ab vtriusque sententiæ authoribus, vtrunque enim adiectiue & concrete sumitur tantum, esse singularisatum est locutio magis causalis. Imaginantur autem esse singulare significare abstracte, quia dicunt naturam esse quidem singularisatam, non tamen singularem, sicuti materia est quidem informata, non tamen est forma.

Verum nemo vnquam dixit, naturam esse singularitatem, sed esse singularem, siue esse singularisatam seipsa formaliter, sicuti essentia est existens se ipsa formaliter, (secundum veriorem sententiam,) non tamen recte dicitur existentia, sed existens in concreto, licet dicatur fieri existens per existentiam, vnde existere & habere existentiam non distinguuntur, ergo neque esse singulare, & esse singularisatam, siue habere singularitatem, seu factum esse singulare quæ omnia idem sunt, sed hoc quo ad terminos. Vlterius quæro ad rem probatur, naturam esse singularem, aut singularisatam, (vt vtamur verbo aduersariorum,) non tantum extrinsece, sicuti homo sedet, per sessionem, vel sicuti materia est informata per formam entitati ipsi extrinsecam, sed extrinsece, sicuti essentia actualis intrinsece existit, vt secundum se à parte rei non potest dici non existere, nam si illam accipias absolute secundum se, siue existentiam, non est amplius à parte rei, sed in potentia tantum, quia adimis illi id per quod est à parte rei: ita in proposito singularitas intrinsece afficit naturam adimens illi communicabilitatem omnem realem, quæ illi secundum se conuenit, sicuti existentia adimit essentiæ esse in potentia, quia communicabilitas realis est proprietas talis, vt non possit tolli, vel impediri, per aliquid extrinsece naturam terminans, aut determinans, quia communicabilitas ipsius naturæ, qua potest fieri plures, & diuidi in plures, non consistit in eo, quod extrinsece terminet plures singularitates, siue non consistit in terminando passiue plures singularitates, sicuti natura diuina singularis communicat se pluribus suppositis terminans plures subsistentias relatiuas, quia sic non implicaret naturam diuinam multiplicari, aut diuidi in plures similes, sicut non implicat illum terminum pluribus subsistentiis relatiuis, sed est communicabilis per potentiam, qua ipsa se communicat tribuendo seipsam, intrinsece, & constituendo formaliter seipsa plura, per reale multiplicationem sui ipsius, non enim cum natura communis actu multiplicatur, & fiunt plura indiuidua, consurgunt tantum plures singularitates & modi, sicuti cum natura terminatur pluribus subsistentiis multiplicantur personæ, per multiplicationem modorum, & subsistentiarum, quæ se ipsis vniuntur vni indiuiduæ naturæ, sed multiplicatur etiam tota actualis entitas, quæ subest, aut concipitur subesse nouis istis singularitatibus, ita vt actualis entitas ve.gr. Adami secũdum se prout distincta concipitur à sua singularitate, sit alia entitas realiter distincta, ab entitate actuali Euæ, prout etiam distinguitur à sua singularitate, alioqui Eua nihil esset præter entitatem actualem Adami, per

per quam ipſe eſt homo animal viuens, &c. addere tantum aliam ſingularitatem, ſicuti Petrus ſedens hora prima non eſt aliud à Petro iterum ſedente hora ſecunda, quam ſeſſio ei ſuperaddita. Procedit itaque tertia probatio concluſionis ſcil. inuoluere contradictionem vt natura ſecundum ſe à parte rei ſit vniuerſalis, eo quod à parte rei ſit affecta ſingularitate: vniuerſalitas autem & ſingularitas intrinſece conueniant ſubiecto, & ſint incompoſſibiles.

Probatur quarto, ex abſurdis, quæ ſequuntur oppoſitam ſententiam. Primo, ſi natura ſecundum ſe à parte rei eſt communis, & tantum intrinſece affecta ſingularitate, quæ ſit modus, & ex natura rei ad illa diſtincta, qui habet propriam ſibi ac proportionatam exiſtentiam, ſimiliterque diſtinctam ab exiſtentia naturæ, (vt docent aduerſarii,) ſubtrahat Deus ſuum influxum conſeruatiuum ad exiſtentiam ipſius ſingularitatis manebit natura communis, ſine ſingularitate exiſtens, & erit idea Platonica, quæ exploditur ab omnibus. Secundo ſi eodem modo deſinant ſingularitates Petri & Pauli, erunt duo vniuerſalia ſeparata eiuſdem ſpeciei, Tertio, deſinant eſſe ſingularitates omnium hominum, vnica excepta ſingularitate regis, quid fiet de naturis realibus adhuc exiſtentibus, erunt ne ſub ſingularitate Regis, & vnum & indiuiduum cum illo, an omnes ideæ Platonicæ ſeorſim exiſtentes. Quarto, ſi ſingularitas Iudæ terminaret D. Pauli, & contra Iudas eſſet in cœlo & D. Paulus in inferno, quia non diſtinguuntur, niſi ſingularitate. Denique exercitus Archiducis nihil erit, niſi natura Archiducis, & aliquot hæcceitates, &c

Sequitur ſecundo, eſſe realem vnitatem inter ens, & non ens, verb. grat. inter naturam Petri de facto exiſtentem, prout eſt diſtincta à ſingularitate, & inter naturam Antichriſti, quæ prout etiam diſtinguitur ab ipſius ſingularitate, iam concipitur eſſe non ens, & non exiſtere, niſi quis malit fateri iam reuera Antichriſtum in ſe ipſo latere, ſecũdum omnem entitatem, quæ Antichriſtum intrinſece componit vſque ad ſingularitatem.

Sequitur tertio, Naturam humanam Chriſti Domini in cœlis exiſtentem, vt à parte rei præſcindit à ſingularitate æque diſtingui à ſua natura replicata in venerabili Sacramento, ac à natura Iudæ, & vniuerſim naturas diuerſorum hominum æque diſtingui, ac replicationes eiuſdem naturæ.

Sequitur quarto, Deus non poterit ſecundum illam ſententiam vere annihilare Petrum exiſtentem, quia annihilatio eſt diſtractio totalis ſubiecti, ita vt totaliter tranſeat ab eſſe actuali ad non eſſe, in quo erat ante mundi creationem, & econtra non poteſt Deus iam vere ac proprie iam creare hominem, neque de facto vere creat animas rationales: quia creatio eſt productio totius totaliter ex nihilo, ſi enim aliquid entitatis rei creandæ præexiſtat, non erit vera creatio. Vtrumque probatur, quia in annihilatione omnes gradus vniuerſales, & tota ſit entitas actualis Petri, remanebit intacta, ſimiliter tota entitas hominis creandi & animarum præexiſtet in aliis, ſed Reſp ſufficere ad annihilationem, ſi nihil remaneat ſingulare, & ad creationem, vt nihil præexiſtat ſingulare. Reſp. Secundum communem & ſanum ſenſum requiri abſolute, vt nihil remaneat in rerum natura entitatis actualis, quæ intrinſece componebat rem annihilatam, & vt nihil etiam præexiſtat entitatis intrinſece componentis rem creatam.

ARTICVLVS Tertius.

In quo ſatisfit obiectionibus.

ARgumenta, quæ contra D. Thomam à Sectatoribus Scoti afferuntur, fere fundantur in abuſu terminorum, aut continent æquiuocationem, dum ex modo concipiendi, & loquendi iudicant de rebus, vt ſunt in ſe, ſed ſingula videamus

Obiiciamus primo, Natura humana Petri ſecundum ſe, vt eſt prior natura ſingularitate vero à parte rei non diſtinguitur à natura Pauli, ergo à parte rei eſt vna vtrique communis. Antecedens probatur, quia natura humana Petri ſecundum ſe non habet quidquam, quod non habeat naturam Pauli.

Reſp. Negando antecedens & eius probationem, qui natura Petri habet totam eſſentiam, & entitatem realem, exiſtentem, quam non habet natura Pauli, & quia hæc eſſentia à parte rei omnino identificatur cum ſua ſingularitate, fit, vt eſſentia, ſiue natura Petri, & eſſentia

essentia Pauli à parte rei se totis distinguantur, neque essentia est prior natura indiuiduis, & singularibus prioritate aliqua reali, quæ fundatur in reali causalitate, vel habitudine, vel ordine: vbi enim non est distinctio à parte rei, ibi non potest esse ordo, vel causalitas. Vnde si essentia accipiatur pro prædicatis quidditatiuis naturæ secundum se sumptis, erit prior ratione indiuiduis, non realiter, quia tale esse præcisum, inuoluit operationem mentis concipientis rationem communem, in qua indiuidua conueniunt abstractam à differentiis indiuiduantibus, & etiam hoc modo prius est esse vniuersalius.

Inferunt ergo, tanta est distinctio inter Petrum & Paulum, quanta est inter Petrum, & Solem, quia non possunt magis distingui, quam se totis.

Resp. negando illatam. Licet enim Petrus & Paulus sint duæ entitates, & duo singularia inter se distincta, & à se mutuo totaliter independentia, sicut Petrus & Sol: tamen Petrus & Paulus sunt entitates similes, & essentiæ plures, Petrus vero & Sol sunt essentiæ dissimiles, & non tantum plures essentiã, sed insuper diuersæ, quæ clara sunt, nisi quis velit hærere & ludere in terminis.

Obiicit secundo: A parte rei est conuenientia inter Petrum & Paulum, sed conuenientia realis supponit aliquid realiter vnum, illis commune, ergo. Minor probatur, quia alioqui non erit vera conuenientia, sed ficta.

Resp. negando minorem, quia conuenientia nec apud Grammaticos, nec apud Philosophos significat vnitatem, sed tantum similitudinem & commensurationem duorum inter se, atqui in Petro est aliquid, cui simile aliquid, & commensuratum vere est in Paulo, ergo inter Petrum & Paulum est realis conuenientia, vnde ad probationem dico similitudinem Petri & Pauli non esse fictitiam, ac proinde neq; conuenientiam, cum idem sint.

Instant, Petrus & Paulus dicuntur esse eiusdem naturæ, ergo vero natura illorum est vna & eadem.

Respond. ad antecedens, illum modum loquendi accipi ex modo nostro concipiendi, quo duas essentias distinctas, similes tamen vno conceptu formali nobis repræsentamus, non quasi à parte rei, sit inter illas aliqua realis vnitas, aut identitas, simili ratione distincta numero vocamus eadem numero, ex quo tamen non sequitur vere esse numero eadem, verb. grat. dum dico, istum librum legi hesterno die, designando librum in officina typographi, cui similem habeo in Musæo, istum florem habeo in horto meo, id est, similem & numero distinctum, hæc est sententia D. Thomæ, id est, similis, &c. illum, istum, hæc sunt demonstratiua rei singularis.

Obiicit tertio, Si Petrus & Paulus se totis differunt, à parte rei, ergo non conueniunt à parte rei. Probatur consequentia, Quia si conueniunt, per aliquid sui conueniunt, sed hoc non, quia se totis distinguũtur, ergo non conueniunt. Probatur consequentia, Quia implicat idem per idem differre & conuenire.

Resp. ad antecedens argumenti: Si per differre velint intelligi distinctionem essentialem, & non tantum essentiarum, concedo totum, quia non facit contra nos, qui non dicimus Petrum & Paulum distingui essentialiter, siue vt diuersæ essentiæ. Si per differre intelligant distinctionem essentiarum, qualis est inter plures similes, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem nego minorem cum sua probatione, quia duo se totis distingui, & simul conuenire, non magis implicat, quam implicet esse duas humanitates in rerum natura, & si mutes terminos, idem est dicere, duo se totis distincta inter se conueniunt, ac dicere duo sunt similia. Nam quia sunt duo, & constituunt numerum, necessario se totis sunt distincta, & quia sunt similia necessario in aliquo sui conueniunt nemo autem negat reperiri posse duo similia. Similitudo autem hæc non est realis aliqua vnitas, sed fundamentum vnitatis rationis, seu conceptus, vel est vnitas fundamentalis, & radicalis, quia se similitudo dat occasionem, cur naturæ similes vno formali conceptui possint repræsentari per intellectum, sicut oua sua similitudine in colore & figura sunt fundamentum & occasio, cur imaginatio vno phantasmate omnia sibi repræsentet & cur pistor vna imagine, tale autem fundamentũ nõ habent res dissimiles, sicut ouum cũ scorpio.

Sed vrgent: Non potest esse conuenientia, aut similitudo realis, sine vnitate reali.

Resp. Id esse falsum: Similitudo enim non dicit vnitatem, sed inuoluit in terminis distinctionem eorum, quæ sunt similia, & qui-

dem in eō,in quo sunt similia, quia idem non est sibi simile, & propter realem vnitatem, quæ reperitur inter naturas replicatas, non possunt dici similes. Verum,vt corrigam errorem imaginationis,ostendo exemplis, dari similitudinem & realem conuenientiam sine vnitate reali. Primo, duæ singularitates Scoti, verb.grat. humanæ naturæ sunt similes, nam vtraque secundum ipsam,est modus extrinsece determinans naturam communem, eamq; reddens incommunicabilem,nulla tamen est realis vnitas inter illas, cum sint modi omnino simplices. Secundo, Deus conuenit cum Angelo in aliqua ratione entis realis, quæ consistit in eo, quod aliquid sit extra nihil, nulla tamen est realis vnitas, inter Deum & Angelum, sed se totis distinguuntur. Tertio, tres Personæ diuinæ sunt similes in ratione personæ, siue suppositi naturæ rationalis, realiter tamen se totis sua simplicissima entitate distinguuntur. Si dicant duas humanitates vere esse similes inter se, non tamen duas singularitates.

Secundo, hominem conuenire cum pisce vere & à parte rei,in ratione entis, substantiæ, corporis viuentis,& animalis, & tantum non esse piscem: Deum vero cum angelo ne quidē conuenire in ratione aliqua entis, sed tam differre ab angelo, quam differt à nihilo, vel à Chimæra.

Tertio, Hominem similiter conuenire cū culice in ratione entis, &c personas vero Diuinas in ratione personæ, & subsistendi incōmunicabiliter non conuenire, magis, quam personalitas Patris conueniat cum Chimæra.

Resp Huiusmodi obfirmati animi responsa damnari à lumine naturæ, malunt negare euidentissimam similitudinem in diuinis, siue vbi piaculum est negare distinctionem, & asserere vnitatem realem, quam in creatis admittere similitudinem sine vnitate reali.

Obiicit quarto: Natura à parte rei existens ex se, siue ex essentia sua, non est incommunicabilis, & singularis, sed illud habet à differētia indiuiduali, quæ est essentiæ extrinseca, ergo ex se erit communicabilis & vniuersalis.

Resp Negando consequentiam, quia licet essentia ex vi intrinseca non sit incommunicabilis, est tamen omnino necessario talis, idque ex vi virtutis vnitatis numericæ, cui identificatur, ita vt absolute & simpliciter sit incepta, vt à multis participetur, eique positiuè repugnet in tali statu, esse in multis. Quæ repugnantia solo intellectu potest tolli, cum scilicet separando essentiam à differentia numerica concipit illam sine repugnantia, vel sub non repugnantia, quæ tamen non repugnantia non conuenit illi ex se, vel ab extrinseco. Sic enim nunquam posset fieri incommunicabilis, sed conuenit illi per considerationem intellectus, vnde naturæ ex se, vel ab extrinseco, nec conuenit incommunicabilitas, nec non repugnantia, vt pluribus communicetur, id est, neutrum continetur in conceptu quidditatiuo naturæ, vtrumque tamen potest ei conuenire, per quid extrinsecum essentiæ, incommunicabilitas scilicet & repugnantia per realem contractionem ad indiuidua, & vt est à parte rei, non repugnantiā vero per solam considerationem intellectus.

Dices, quod natura concipi possit sub non repugnantia, oritur ex principiis realibus ipsius naturæ, ergo adhuc ex se erit realiter cōmunicabilis.

Antecedens probatur, à contrario, quia quod natura diuina non possit proprie concipi sub non repugnantia, fundatur in positiua & infinita ipsius perfectione.

Resp ad antecedens: oriri illud ex limitatione & finita perfectione, ratione cuius non repugnat, vt sint plura indiuidua talis naturæ, Interim nego consequentiam, quia hoc tantum est fundamentum aliquod remotum aptitudinis rationis, non vero aptitudo aliqua realis, quæ sit proprietas & indifferentia positiua ad existendum in pluribus conueniens naturæ existenti in singularibus.

Obiicit.quinto, A parte rei sunt plures species animalium, ergo & naturæ vniuersales.

Confirmatur primo, omnia indiuidua definiuntur vnica definitione, ergo in illis est aliquid commune vnum.

Confirmatur secundo, Naturæ vniuersales sunt obiecta scientiarum, ergo sunt reales.

Confirmatur tertio, Proprietates per se, & immediate insunt naturis vniuersalibus, & non indiuiduis.

Confirmatur quarto, Natura vniuersalis est obiectum intellectus, obiectum autem præcedit actū suæ potentiæ, ergo naturæ est vniuersalis à parte rei, & non per intellectum.

Resp. A parte rei esse plures species animalium

lium, non formaliter, sed materialiter tãtum, quia sunt plura indiuidua, quæ habent vnitates formales similes, quæ vnico conceptu formali possunt exprimi.

Ad primam, & secundam confirmationem, respond. naturam in indiuiduis habere vnitatem formalem, esseque vniuersalem materialiter, quod sufficit ad definitionem & scientiam. Ad tertiam resp proprietates immediate inesse vniuersalibus, nihil est aliud, quam illas non pendere ex conditionibus indiuiduantibus, sed illis per intellectum præcisis, adhuc naturæ competere Ad quart. resp. naturam vniuersalem materialiter, siue secundum vnitatem formalem, quam habet in indiuiduis esse obiectum intellectus, & illa debet præsupponi, quia est ratio obiectiua, quam intellectus percipit, formaliter vero, siue vniuersaliter nõ supponitur, sed fit ab intellectu.

Obiic. sexto, Si natura habet vniuersalitatem à conceptu, ergo tot erunt vniuersalia, quot conceptibus natura repræsentabitur. Probatur sequela, quia multiplicata forma dante vniuersalitatem, multiplicatur vniuersalitas.

Resp. negando sequelam, ad probationem dico, multiplicari quidem vniuersalitates in abstracto, non tamen vniuersale in concreto, quia id, quod substat, tali vniuersalitate, scilicet natura non multiplicatur ad pluralitatem autem concretorum non sufficit pluralitas formæ, sed requiritur sufficit pluralitas suppositorum. Concreta enim in plena sua significatione significant composita. Vnde licet homo habeat plures artes, non est tamen plures artifices, licet Sol sit visus à multis hominibus, non est tamen plura visa, sed vnum tantum Sic in proposito, &c.

Obiicit. vltimo, sequetur naturas à parte rei non esse definibiles, agnoscibiles, diuisibiles, determinabiles, sed tantum vt sunt entia rationis.

Resp. negando sequelam, quia naturæ habent à parte rei perfectionem suam, & vnitatem formalem, quæ obiicitur intellectui, diuiditur, definitur, ac varie determinatur, prout intellectus stringit, vel dilatat suos conceptus, magis, vel minus adæquando totam rationem obiectiuam illius, abstractio vero intellectus tantum est conditio requisita, sicuti nemo negat domum, imaginem, &c. realiter videri ab oculo, licet requirantur species.

ARTICVLVS QVARTVS.

Assertiones, quibus clare proponitur tota præcedens doctrina de vniuersalibus.

PRima; Vnitas formalis, qua aliquid est in se vnum, per propriam essentiam conuenit à parte rei, & per se cuilibet naturæ, & singularibus eius, quia vnumquodque habet suam essentiam, *ex q. 5 supra.*

Secunda, Hæc vnitas formalis non distinguitur ab vnitate numerica indiuiduorum, ante operationem intellectus, quia nulla est actualis. Distinctio inter naturam & singularitatem, sed idem est in Petro, verbi gratia, esse hominem, & esse hunc hominem, *ex q. 6, art. 2.*

Tertia, Vnitas formalis distinguitur numero in singulis indiuiduis ratione vnitatis numericę, cui identificatur, vnde tot sunt vnitates formales, quot sunt indiuidua, ex *q. 6. a. 2.*

Quarta, Vnitas formalis non est vnitas cõmunis, seu vniuersalis, sed illius fundamentum, quia vnitas formalis conuenit etiam singularibus, vnitas vero vniuersalis talis debet esse propria naturæ vniuersali, alioqui multiplicarentur vniuersalia in ipsis indiuiduis, ex *q. 7. a. 1. not. 4.*

Quinta, Vniuersalitas naturæ consistit in duobus, scil. in vnitate & aptitudine pluribus inessendi, ex *q. 7. a. 1. n. 3.*

Sexta, Natuta non habet vniuersalitatem à parte rei, quia natura existens habet à parte rei duas conditiones oppositas conditionibus vniuersalibus, Est enim à parte rei multiplex & incommunicabilis.

Septima, Vnitas vniuersalis potest cõuenire, & cõuenit naturæ per operationẽ intellectus. Quia sicuti res à parte rei vna & simplex potest ab intellectu distingui & fieri quodammodo plures, vt in Deo patet, propter fundamẽtũ & virtualem distinctionẽ, quã continet ratione diuersarũ perfectionum, ita potest intellectus res distinctas vnire, propter fundamentum & vnitatem radicalem, quã in se habent ratione similitudinis vnitatem formalium inter se.

Octaua, Vnitas vniuersalis in hoc sita est, ꝙ natura abstracte concepta sit vna & incom-

municabilis pluribus naturis, siue pluribus conceptibus obiectiuis, sic abstractis, quia talis vnitas dicit indiuisionem, & est communis, quia extendit se ad omnem naturam, etiam possibilem eiusdem rationis.

Nona, Quicquid conuenit naturæ secundum se absolute spectatæ, sine differentia indiuiduali, non conuenit illi à parte rei, sed per intellectum, quia à parte rei non est secundum se, neque habet vnitatem præcisam, sed intrinsece & per identitatem est singularis, & tantum per intellectum potest habere statum præcisionis, siue secundum se, *quæst. 7. a. 2. prob. 3.*

Decima, Aptitudo naturæ vt sit in multis, non est aliqua realis proprietas ipsi conueniens, vt à parte existit, quia natura est identiæ singularis, ita vt à parte rei habeat repugnantiam, oppositam soli aptitudini, *q. 7. a. 2. §. probatur pars. &c.*

Vndecima, Vt indiuidua possint multiplicari in eadem specie, non est necesse, vt in ipsa natura existente præcedeat realis aptitudo pluribus inessendi, sed sufficit, vt à parte rei nulla illi insit proprietas, ratione cuius ei repugnet habere alia similia, quia tunc est in potestate causæ efficientis, se communicare effectiue, & ponere eandem naturam sæpius actu.

XII. Aptitudo naturæ, vt sit in multis requisita ad vniuersalitatem, conuenit illi, per intellectum separantem ab illa differentias contrahentes, seu indiuiduales, ratione quarum est positiue incommunicabilis hæc aptitudo, est tantum non repugnantia, siue in differentia negatiua, sub qua consideratur natura cum abstrahitur, vt vero est forma quædam rationis, concipitur per modum cuiusdam capacitatis, & potentiæ actuabilis, per differentias contrahentes.

XIII. Hæc non repugnantia non conuenit naturæ positiuæ ex vi suæ vnitatis formalis, quia sic non posset ab illa separari, nec posset fieri incommunicabilis, sed conuenit illi negatiue, id est, ita vt ex vi vnitatis suæ formalis præcise sumptæ, non habeat repugnantiam, vt sit in multis.

XIV. Hæc aptitudo, seu non repugnantia naturæ, prouenit ex abstractione intellectus, habet remotum fundamentum à parte rei, scilicet limitatam perfectionem naturæ, ratione cuius non repugnat reperiri aliud simile in natura, quod fundamentum etiam est in ipsis indiuiduis, vt talia sunt, vt clare intelligatur hoc fundamentum non esse aptitudinem naturæ communis, vt talis, quæ sit potentia aliqua, seu proprietas realis, actuabilis per plures differentias.

XV. Vt natura possit dici habere aptitudinem positiuam, à parte rei essendi in multis, non sufficit, vt ex vnitatis formalis non habeat communicabilitatem, (vt volunt aduersarii,) sed requiritur, vt neq; illam habeat ex adiuncta, & identificata sibi differentia, indiuiduali, adeo vt simpliciter & absolute sit communicabilis.

QVÆSTIO VIII.

Per quam operationem intellectus naturæ fiant vniuersales actu.

NOTA, dum homo naturam vniuersalem constituit, per intellectum, hoc ordine procedit in suis actibus, res sensu exteriore percepta transit ad sensum internum, & communem, qui vim habet inprimendi speciem, siue imaginem illius in phantasia, siue imaginatiua.

Ex hac materiali specie, siue ex hoc phantasmate, tanquam è materia, & forma, siue potentia intellectiua speciem immaterialem obiecti sensibus percepti, vt fiat intelligibile, & illam imprimit in intellectu, quæ in eo receptu obiectum constituit præsens. Vis efformans è phantasmate speciem intelligibilem dicitur lumen quoddam spirituale, ac ab Aristotele passim vocatur intellectus agens, propter eius officium, quod est obiectum facere intelligibile. Vis autem percipiens obiectum dicitur intellectus possibilis, quia est subiectum circa quod intellectus agens operatur, speciem illi imprimendo, in qua operatione passiue potius, quam actiue se habet. His positis communior sententia est, intellectum agentem imprimere tantum speciem singularem inessendo, & repræsentando, solum autem intellectum possibilem abstrahere & separare naturam à conditionibus indiuiduantibus, illam scilicet intelligendo, non intellectis iisdem conditionibus, quæ cognitio directa

directa est, & vocatur abstractiua. Huic cognitioni additur alia, per quam intellectus naturam sic præcise & abstracte apprehensam comparat cum inferioribus, in quibus existit, & à quibus est abstracta, intelligendo illam, vt vnum, quod aptum, vt sit in multis inferioribus, & de illis prædicatur, quæ cognitio propterea dicitur comparatiua, aut comparatio, & respectu prioris, scilicet abstractiue, est cognitio reflexa, supponit enim vtrumque relationis extremum ab intellectu cognitum. Quæstio, an naturæ fiant actu vniuersales, per solam priorem abstractiuam cognitionem, an vero requiratur etiam cognitio comparatiua, & reflexa.

Resp. Vniuersale actu non fit per solam abstractionem, sed insuper requiritur cognitio comparatiua. Ita D.Thom. 1.*p*.4.28.*n*.1. *& opusc.* 56. licet alibi solius abstractionis mentionem faciat Soncin.5.*M.q.*2~.*concl.*2.

Probatur primo, quia vniuersale in actu est concretum ab intellectu fabricatum, ergo pro formali suo habet formam rationis, siue vniuersalitatem denominantem & pro materiali, vel substrato habet naturam denominatam, sed forma rationis seu vniuersalitas non fit per abstractionem sui tantum per comparationem ad inferiora: ergo per illam fit vniuersale formaliter. Minor probatur, quia per abstractionem, aut repræsentationem naturæ sine conditionibus indiuiduantibus, tantum potest denominari natura abstracta, & repræsentata denominatione reali extrinseca, non vero potest dici vniuersalis, à forma rationis habente se, per modum formæ inhærentis, sed per comparationem, quæ fabricat ens rationis.

Probatur secundo, Vniuersalitas est vnitas quædam rationis essentialiter relatiua, sed talis vnitas tantum fit per comparationem, ergo. Maior probatur, quia vniuersale, vt tale, est essentialiter vnum, respiciens multa, quia definitur vnum in multis, & de multis, ergo est relatiuum, cum definiatur per suum correlatiuum, & patet hoc ex speciebus vniuersalis genere, & differentia, quæ sunt nomine relatiua. Minor probatur, quia vnitas relatiua includit ordinem ad inferiora, ergo non potest conuenire natura, nisi sub illo ordine consideretur, quod fit per comparationem.

Probatur tertio, Idem est naturam cognosci vniuersalem, & fieri vniuersalem, sed non cognoscitur vniuersalis, nisi per comparationem, & cognitionem reflexam, ergo etiam fit per illam. Maior probatur, quia fieri naturam vniuersalem est denominatio proueniens ab intellectu, sed intellectus nihil certo modo denominat, nisi in quantum cognoscit tale, vnde denominando cognoscit vniuersaliter, sed cognosci naturam, vt vniuersalem, ac prædicabilem, est cognosci vt vnam in multis, ac de multis, quod fit per notitiam comparatiuam ad inferiora, ergo etiam vniuersale fit per illam comparationem.

Probatur quarto, Vniuersale in communi fit per eandem cognitionem, per quam fit vniuersale in particulari, verbi gratia genus, species, &c sed hæc fiunt per comparationem, ergo. Minor probatur, quia omnes gradus eodem modo abstrahuntur, vnde ex abstractione præcise natura non habet potius rationem generis, quam speciei, sed tota diuersitas oritur ex comparatione.

Obiicies primo, Cognitio directa & abstractiua, qua cognoscitur natura secundum formalem ac præcisam essentiam, sufficit, ergo non requiritur comparatiua cognitio. Antecedens probatur, quia si natura ita existeret, sicuti obiicitur cognitioni abstractiuæ, esset vniuersale in essendo, quale Platoni tribuitur. Similiter, qui ponunt naturam à parte rei, vniuersalem, non ponunt vniuersalitatem in relatione, sed in proprietate absoluta, ergo signum est abstractionem sufficere. Resp. negando antecedens, ad probationem dico primo, vtrumque illum casum esse impossibilem.

Resp. secundo, etiam illo concesso, non sequi, quia vniuersale Platonicum & Scoticum si daretur, esset vniuersale in essendo positiue, per propriam entitatem, & essentiam, vniuersale autem, vt reipsa fit per solam abstractionem tantum, est vniuersale, negatiue, id est, non est quid diuisum & multiplex, quod vocari solet vniuersale in potentia, & in fundamento, & vniuersale secundum quid, ac Metaphysicum, eo quod circa naturam sic abstractam versentur scientiæ, & præcipue Metaphysica, vt vero stat vniuersale positiue, & actu requirit vnitatem, quasi formam positiuam rationis, quæ aduenit illi

per cognitionem comparatiuam, & sic fit vniuersale actu, formaliter & simpliciter, tale, quod Logicum dicitur, quia talis forma rationis est secunda intentio, ac proinde considerationis Logicæ. Ex quibus collige, naturam in singularibus existentem habere tantum vniuersalitatem in potentia remota, quia est in illa similitudo aliqua, & conuenientia plurium rerum singularium inter se, quæ præbet fundamentũ cognitioni abstractiuæ, abstracte vero cognita est fundamentum proximum, vt comparata, & concepta sola relatione ad multa fiat actu vniuersalis.

Obiicitur secundo, Natura fit singularis, per differentias indiuiduantes, ergo illis præcisis per cognitionem abstractiuam, fiet vniuersalis. Confirm. si intellectus reflectat supra hominem, verbi gratia sic abstracte conceptum inueniet illum esse, quid commune multis singularibus.

Resp. negando consequentiam, quia natura per præcisionem tantum est non diuisa, & non incommunicabilis negatiue, quod quidem ad vniuersalitatem requiritur, tanquam fundamentum, non tamen sufficit, sed superaddi debet vnitas positiua, & aptitudo, per quam natura sit vna, respiciens multa, id autem fit per comparationem.

Ad confirmationem respond. in reflexione ista includetur comparatio, & sic natura fiet vniuersalis in actu exercito.

Obiic. tertio, Operatio intellectus supponit suum subiectum in quod tendit, sed tendit in vniuersale, ergo vniuersale supponitur.

Resp. ad maiorem, ex d. s. operationem supponere obiectum secundum rationem obiectiuam, quæ est vnitas formalis, non vero secundum conditionem, quæ in obiecto resultat ex cognitione, hæc enim comitatur, aut sequitur potius actum & operationem.

QVÆSTIO IX.

An, & quomodo distinguantur inter se gradus superiores, & inferiores, siue prædicata essentialia naturæ.

EX iis, quæ quæst. 7. disputata sunt de vniuersalitate naturali, quod nullo modo sint actu in rebus, satis constat gradus genericos & specificos nõ distingui à parte rei, à singularibus, cum quibus identificantur. Quæritur igitur hic, an gradus isti, qui in re singulares sunt, distinguantur, vt indiuiduum ab indiuiduo, verbi gratia an in Petro distinguatur gradus animalis, à gradu hominis gradus sensitiui gradu rationalis, &c. Ratio dubitandi est, quia seclusa, v. grat. differentia specifica, v. grat rationalis in indiuiduo potest intelligi gradus genericus, v. grat. animalis in indiuiduo realiter existens, quod non reperitur in natura vniuersali, seclusa differentia indiuiduali, nam sine illa nõ est res aliqua existens, ac proinde non potest distingui à parte rei à tali differentia.

Resp. nulla est actualis distinctio inter gradus genericos specificos, & differẽtiales, prout à parte rei existunt coniuncti, sed rationis tantum fundamento ex ipsis rebus. Est contra Scotum, qui docet illos distingui formaliter, & ex natura rei. Ita D. Thom. 1. *p. q. 50. a. 4. ad prim. opusc. de ent. & essent. c.* 4. & communiter Thomistæ, & multi Nominales.

Probatur primo, Vnusquisq; illorum graduum sola ratione distinguitur à sua differentia indiuiduali, *ex q. 7. sup.* Sed vna & indiuisibilis est differentia indiuidualis omniũ graduum, quę proxime speciem, & per illã omnes gradus superiores determinat, ergo quæ per illam indiuiduantur, nõ possunt distingui, vt duo indiuidua ex natura rei distincta, quia in distinctione indiuiduorũ reperiri debent differentiæ indiuiduales distinctæ. Minor est cõmunis, quia vna differentia indiuidualis sufficit ad determinandam in singulari totam rei essentiam, prout includit prædicata omnia.

Probatur secundo, omnes isti gradus, verb. gr. huius animalis, huius viuentis, huius hominis in Petro fundantur in vna simplici radice Physica, scilicet anima, sed in anima esse rationale, sensitiuum, & vegetatiuum, non sunt gradus distincti, ex natura rei, ergo nec gradus hominis & animalis. Minorem negãt Scotistę, sed probatur, quia anima est simplex entitas Physica, nullas includens partes, aut entitates distinctas, sed nullum est sufficiens indicium distinctionis actualis. Nã quod intellectus singulos istorum graduum abstracte & præcise concipiat, hoc tantum arguit distinctionem rationis, vt patet in Deo Nam & creatura habent suas perfectiones, limitatas quidem, diuisibiles tamen per inadæquatos

conceptus

conceptus humani intellectus dependentis à corpore, & sensibus, & cæcutientis etiam in rebus minimis. Potest autem intellectus præscindere, quæ in re non sunt præcisa inter se, ergo ex eo, quod aliqua distinguantur, prout obiiciuntur intellectui, non potest colligi aliqua distinctio à parte rei, quia sic ratione distingui est tantum obiici distinctis conceptibus intellectus, & diuerso modo, aut sub diuersa habitudine concipi, & sic res vno modo concepta differt à seipsa cōcepta alio modo, quia diuersæ conceptiones sunt quasi formæ extrinsecæ, quibus dum afficitur res concepta, fit quodammodo plures, sic anima, quę est vna, simplex forma, est fons & radix omnium operationum, quæ sunt in homine, adeoque vnum eminens & vniuersale principium omnium, vt vero concipitur principium vitæ distinguitur ratione à seipsa, prout concipitur principium sensus, rationis, &c. vt nō sit necesse fingere in illa diuersas entitates, per quas sit principium diuersarum operationum, sicuti in luce Solis, v. gr. non assignantur varii gradus entis, per quos sit principium variorum effectuum in hisce inferioribus.

Probatur tertio; Vt abstractio horum graduum fiat per intellectum, non indiget pro fundamento, distinctione aliqua actuali, ergo nulla talis est. Consequētia probatur, quia occasio introducendi hanc distinctionē sumpta est, ex modo concipiendi abstracte, & ex modo loquendi. Antecedens constat ex dictis, & patet in Deo, & probatur, quia vt intellectus formet huiusmodi distinctos conceptus, sufficit ex parte rerum conuenientia & similitudo illarum inter se, cum aliqua dissimilitudine, & disconuenientia. Vnde fit, vt intellectus præcise possit concipere per modum vnius, id, in quo conueniunt Confirm. Si pro ratione prædicatorum & graduum essentialium, qui concipiuntur, essent multiplicandæ entitates, daretur pene progressus in infinitum, in rebus etiam simplicissimis, & tenuissimæ entitatis, in primis qualitatibus, habitibus, imo & substantiis, cum præter cōmuniter assignatos, si rem attente consideremus, longe plures assignandi sint, neq; enim natura bruti ęque immediate descendit, ad animalia terrestria, volatilia, & aquatilia: In terrestribus non descendit æque immediate ad equum & murem, &c. sed in his omnibus multi sunt gradus intermedii.

Obiicies primo: Gradus superior potest à parte rei separari à gradu inferiori, ergo ex natura rei distinguuntur. Antecedens probatur, quia ratio & gradus animalis est in equo, vbi tamen non est gradus hominis.

Resp. in præsenti quæstione tantum comparari hos gradus inter se, prout existunt in vno & eodem indiuiduo, & sic nulla potentia separari possunt Si autem cōparentur inter se, prout existūt in diuersis indiuiduis, aut speciebus, (quod fit in obiectione,) sic non tantum gradus animalis in equo distinguitur formaliter à gradu hominis, in Socrate, sed etiam realiter, imo sic gradus hominis in Petro distinguitur realiter à gradu hominis, qui est in Paulo, quia identificatur suis indiuiduis, in quibus multiplicantur numero vnitates formales singulorum graduum.

Obiic. secundo: Compositio Metaphysica ex gradu generico & differentiali non est compositio rationis, sed realis, ergo hi gradus ex natura rei distinguuntur.

Consequentia patet, quia realis compositio est distinctorum vnio. Antecedens probatur, quia si esset compositio rationis, posset reperiri in Deo.

Resp. negando antecedens: est enim compositio rationis, quæ non est omnino conficta, sed habet fundamentum in re, ratione cuius intellectus possit vnum gradum concipere, & genericum, siue vt potētialem alium, vt differentialem & actualem, siue determinantem. Ad probationem dico, compositionem hanc repugnare Deo, non quod supponat distinctionem à parte rei, sed ex alio capite, scilicet ex illimitatione & infinitate naturæ diuinæ, ratione cuius fit, vt nullus in illa concipi possit gradus communis, qui non includatur in ratione particulari propter summam simplicitatem.

Obiic. tertio. Genus & differentia habent essentias, partiales, aliquo modo diuersas, ergo distinguuntur: antecedens probatur, quia habent distincta attributa, verb gr. Genus est potentia, differentia est actus, genus non est de essentia differentiæ, nec è conuerso, deinde differentiæ diuidentes genus sunt inter se oppositæ, ergo non sunt ambæ de essentia generis.

Resp. habere diuersas essentias nōn secundum rem, sed secundum rationem, eo quod

vtriusque

vtriusque formalis ratio concipi possit distincto conceptu, & quod gradus obiectiuus pręcisus generis non includat conceptum obiectiuum differentiæ, & contra. Ad secundam probationem antecedentis resp. genus siue gradus genericus, vt est à parte rei, actum includit differentias oppositas, quia est idem cum illis in diuersis speciebus, vt vero habet gradus, substant conceptibus nostris præcisis, & concipiuntur per modum vnius non includunt se mutuo.

Obiicitur quarto. Hæc definitio actualis, & formalis graduum multum confert ad bene & distincte Philosophandum.

Resp. non esse diiudicanda subsidia Philosophiæ à falsitate, neque Theologia aut Metaphysica, qua est de Deo caret solida methodo, sine his formalitatibus distinctis sui obiecti.

QVÆSTIO X.

Quomodo naturæ, siue gradus vniuersales prædicentur de suis inferioribus.

NAturæ vniuersales sumi possunt vel in concreto, vel in abstracto, vniuersalia in concreto sunt animal, homo, rationale, & in abstracto animalitas, humanitas, realitas. Possunt autem inter se comparari quatuor modis, primo, Concretum cum concreto, secundo, concretum cum abstracto, tertio, abstractum concreto, quarto, abstractum cum abstracto.

Secundo, comparari possunt vniuersalia inter se, quoad prædicationem, vel secundum primas intentiones, quando scilicet prima intentia prædicatur de prima, vel secundo intentionaliter, quando secunda intentio prædicatur de prima.

Resp primo, Vniuersale in concreto prædicatur de suo inferiore, in concreto, verbi gratia, homo est animal, probatur, quia propositio affirmans, in qua supponunt extrema pro eodem est vera, talis est hæc prædicatio, ergo. Minor probatur, quia concreta supponunt pro suppositis habentibus naturas, sed idem suppositum habet vtramque naturam cõcreto nomine significatam, ergo Confirm. Prædicatum in concreto dicit confuse & in potentia, quicquid dicit subiectum, verbi gratia animal dicit confuse, & in potentia omne id, quod dicit homo & equus, &c. quia significat habens animalitatem, quod iure est homo, vel equus, &c. ergo recte prædicatur de illo.

Resp. secundo: Vniuersale in concreto non potest prædicari de abstracto, neque abstractum de concreto, verbi gratia falsæ sunt hæ prædicationes, humanitas est animal, & homo est animalitas, &c. Probatur, quia licet à parte rei hi gradus sunt vna & eadem entitas, distinctio tamen rationis sufficit ad falsitatem propter modum significandi, quia termini abstracti significant rationes essentiales præcisas, vnde cum de se mutuo prædicantur, significatur quod vna sit altera, non tantum à parte rei, sed etiam secundum rationem, & præcisionem intellectus, quod est falsum. nam prout præcise & abstracte significantur, nullo modo comparantur inter se, ita vt vna contineatur in alia, ac proinde vna non potest dicere totum id, quod dicit altera nec explicite, nec confuse, aut in potentia, multo vero minus dicit totum id, quod dicit concretum, explicite enim tantum significat partem, concretum econtra, vtpote totum non prędicatur de præcisa ratione, cũ sit pars.

Dices, vera est hæc prædicatio, homo est entitas. Resp. peculiare esse prædicatis transcendentibus, vt possint in abstractis prædicari, quia eorum ratio imbibitur in quolibet gradu, & qualibet re, quomodocunque significata, siue per modum totius, vt concreta, siue per modum partis, vt abstracta.

Resp. tertio: Abstracta de abstractis formaliter loquendo non potest prædicari, vnde falsæ sunt hæ prædicationes humanitas est animalitas, rationalitas, est animalitas, ita D. Thomas *de ente & essentia. c. 4.* Idem docet Scot. *in prædicabilibus q. 16.* licet ex diuerso fundamento probetur *ex præ. ed. conclus.* quia abstracta significant rationes formales alicuius naturæ præcisæ, per modum partis, sed vna pars non potest vere prædicari de alia, debet enim prædicatum saltem confuse significare totum id, quod est in subiecto, quod in terminis abstractis non fit.

Dices abstracta accidentium possunt prædicari de se mutuo: verb. grat. vere dicitur albedo est color, ergo etiam abstracta substantiarum

Resp.

Resp. negando consequentiam, quia abstracta accidentium fiunt abstractione Physica, accidentis de subiecto, non vero abstractione Metaphysica, qua scilicet abstrahitur essentia à re, quam constituit, si enim hoc modo etiam abstrahantur, non poterunt prædicari, verbi gratia non potest dici albedineitas est coloreitas, & sicut abstracta Physice, id est, vt forma à subiecto possunt prædicari de se mutuo in accidentibus, ita etiam in substantiis simili modo abstractis, vere enim dicitur, anima Christi est anima.

Resp. quarto: Abstractum secundæ intentionis non potest prædicari de abstracto primæ intentionis, verbi gratia falso dicitur, animalitas est genereitas, cum genereitas sit ens rationis. Secundo. Concretum secundæ intentionis non prædicatur proprie de abstracto primæ intentionis, verbi gratia male dicitur animalitas est genus, humanitas est species, quia concretum dicit naturam completam, abstracta vero incomplete. Tertio, Concretum secundæ intentionis potest prædicari de concreto primæ intentionis, modo proprium prædicatum attribuatur proprio subiecto, vt animal est genus, homo est species, quæ prædicationes sunt formæ accidentales, & rationis de subiecto.

QVÆSTIO XI.

Quomodo ad quæstiones Porphyrii de vniuersalibus respondeatur.

PRima quæstio est, an vniuersalia sint in rebus, respondetur, vniuersali à materialiter sumpta pro naturis, quæ denominantur vniuersales, esse realia, formaliter vero esse entia rationis, & tantum obiectiue in illa, imo & in rigore ipsum materiale vniuersale late sumptum potest esse quid rationis, quia vniuersalitas cum sit secunda intentio, & relatio rationis, affingi potest etiam entibus rationis, dum ab iis ratio communis abstrahitur, per varias reflexiones.

Secunda quæst. est, an vniuersalia sint corporea, an corporis expertia. Resp. materialiter sumpta quædam esse corporea, vt gradus corporis animalis, hominis, & vniuersaliter, qui conueniunt rebus compositis ex materia & forma quędã sunt spiritualia, vt natura angeli. Nam & in spiritibus inuenitur cõuenientia & distinctio, ratione cuius possit concipi natura vniuersalis, alia deniq; sunt vtrisq; communia. Nam & corporalia habent aliquam conuenientiam cum spiritualibus, huiusmodi sunt substantia qualitas, ipsum vero formale vniuersalitatis, nec est corpus, nec spiritus, sed accidens, quoddam rationis, quod concipitur per modum accidẽtis incorporei.

Tertia quæst est, an vniuersalia sint in singularibus. Resp. vniuersalia materialiter sunt in singularibus, cum nihil possit existere nisi singulare, pro formali tamen accepta aliquo modo dici possunt separata à singularibus, quia vniuersalitas est ens rationis, habens tantum esse obiectiuum in intellectu.

QVÆSTIO XII.

Quæ sint proprietates naturæ vniuersalis.

REsp. proprietates naturæ vniuersalis sunt triplicis generis, secundum duplicem illius considerationem, primo in ordine intellectum; secundo in ordine ad inferiores; tertio in se.

Primo modo spectata est obiectum intellectus, & tantum intelligibile, in quo distinguitur à singulari, quod etiam est sensibile, secundo est opus intellectus, & ab illo formaliter fit, saltem secundum aliquid sui, scilicet secundum vniuersalitatem.

Tertio est tantum obiectiue in intellectu, si formaliter accipiatur, secundo modo consideratum vniuersale primo est prædicabile de multis inferioribus, secundo, secundum aliquid sui tãtum ratione distinctum est ab inferioribus, scil. secundũ id quod habet ab intellectu. Tertio est prius ac posterius suis inferioribus diuersa consideratione, est prius, quia ab eo non conuertitur subsistendi consequentia, sequitur enim, est homo, ergo animal, non vero econtra. Est posterius, quia fit per intellectum, quo sensu dixit Aristot. vniuersale aut nihil est, aut posterius est.

Tertio modo consideratum est vniuersale est immateriale, quia est abstractum à conditionibus indiuiduantibus, & à materia sensibili, ac signata, id est ab hac numero materia includit tantum vniuersale corporeum materiam in communi, & sic omnino non est immateriale, secundo est ingenerabile, incorruptibile, immutabile, scilicet negatiue, quia positiue corrumpuntur, generantur, & mutantur

tantur

tantur ipsa singularia. Tertio, eodem modo est æternum, & vbique, ac semper, non positiue, quasi vere & realiter coexistat omnibus locis ac temporibus, sicuti Deus positiue per suam immensitatem est vbique, & per suam æternitatem est semper, & omni tempori præsens, sed negatiue, quia nullum certum locum habet, aut tempus, cum ab his omnibus præscindat, sed potest in omni loco & tempore reperiri, mediantibus singularibus, in quibus existit: vnde non dicitur æternum fuisse, quasi ab æterno habuerit aliquod esse reale distinctum à Deo, vti quidam volunt, quod esse reale essentiæ vocant, sed quod ab æterno esse potuerit, & quod ab æterno verum fuerit, dicere singularia necessariam habere connexionem cum vniuersalibus.

QVÆSTIO XIII.

Quot sint vniuersalia, siue prædicabilia.

RESpon. tantum sunt quinque vniuersalia, siue prædicabilia, à Porphyrio enumerata, nec plura, nec pauciora. Est communis sententia, excepto Caietano. Probatur à priori ex diuersis modis inexistendi, qui sunt quinque quod declaratur, quicquid est in multis, vel inest illis, essentialiter, vel extra essentiam, si essentialiter, vel vt tota essentia, & est species, quæ tantum est communis indiuiduis, & solo numero differentibus, aut est pars essentiæ, & hæc vel est potentialis, ac veluti materialis, & est genus, vel est formalis, & determinans, & est differentia, si vero est extra essentiam, vel est necessario connexum cum illo, vel & ab illo necessario dimanat, & est proprium, vel omnino contingenter inest, & est accidens commune.

Secundo probatur sufficientia huius numeri ex diuerso modo prædicandi, vide Tolet. *hic*.

Pro solutione obiectionum; Nota, vt aliquod sit vniuersale prædicabile, debere esse quid simplex, & incomplexum, secundo, debere esse quid commune, vniuoce, ac directa prædicatione, de pluribus sub eadem ratione prædicari. Defectu prioris conditionis definitio, diuisio, & alia huiusmodi non sunt prædicabilia, defectu posterioris excluduntur transcendentia, verbi gratia, ens, siue existere vnum, & ratio indiuidui quæ si sumatur secundum positiuum quid, dicit nihil addi supra ens, si sumitur secundum formale, quod superaddit enti, est negatio, vel saltem ratio indiuidui non est communis, vniuoce, sed analogice tantum, quæ ratio analoga sic explicatur, sicut Petrus & indiuiduũ ita & Paulus &c. Secundo excluditur indiuiduum vagum, quia non significat quid vnum commune multis, sed immediate ipsa singularia, per distinctionem, vt sit idem Petrus, est aliquis homo, ac si dicas Petrus est hic homo, vel ille homo, vel iste homo, &c.

Obiicies primo: Decem sunt prædicamenta, ergo totidem sunt prædicabilia. Resp. negando consequentiam, quia in prædicamentis considerantur naturę in se secundũ entitatem suam, & essentiam, quæ multiplex est, hic autem considerantur secundum modum inexistendi singularibus ac prædicandi, qui tantum sunt quinque distincti.

Obiic. secundo: Genus & species constituunt duo prædicabilia, ergo & differentia generica & specifica, & sic erunt sex: Resp alibi responsum est, non sequi, quia vtraque differentia habet eundem modum inexistendi, & prædicandi, scil. per modum partis formalis: genus autem & species habent diuersum.

Obiic. tertio, Subsistentia, personalitas, inhærentia, vnio & similes modi non prædicantur, vt genus, species & differentia, quia non constituunt rei essentiam, nec vt proprium, quia non fluunt necessario ab essentia, cum sine illis esse possit nec vt accidens, cum sint modi substantiales, ergo dabitur sextum prædicabile, scilicet modus substantialis, Resp. negando sequelam, quia hi modi, cum sint vltimi & simplices, nullam habentes compositionem, non habent rationem aliquam communem abstrahibilem, omnibus essentialem, ne detur processus in infinitum, in hisce abstractionibus, reducuntur itaque ad vnum è quinque, & quidem si significent aptitudinem, pertinent ad proprium, quia comitantur essentiam, sicut risibilitas, si significent actum, pertinent ad accidens commune, quia possunt abesse, sicuti ridere, quod autem in sua entitate non sint proprietates accidentales, sed modi substantiales, hoc non mutat modum prædicandi, & habitudinem,

quam dicunt ad substantiam, quia esse bipedem, actu dicitur accidens commune quintum prædicabile, res tamen non desumitur è substantia, idque quia modus prædicationis accidentalis est, & contingens, sic multa ponuntur reductiue in Categorias, alioqui multiplicanda essent vniuersalia, cum non desint prædicata, quæ in rigore ad illa quinque reduci non possunt, vt esse bipedem, aptitudine respectu hominis.

Obiic. quarto: Aristoteles enumerat tantum quatuor prædicata, ergo erunt tantum quatuor prædicabilia, hæc enim non differunt, Resp. negando sequelam, quia Aristoteles agit de prædicatis, paulo confusius, prout faciunt ad formandas quæstiones & argumentationes Topicas, & sic idem est modus tractandi prædicatum generis, & differentiæ, item definitionis speciei, ac differentiæ constitutiuæ. Porphyrius vero agit de illis in ordine ad Categorias, ac definitiones faciendas, vnde distinctius illa enumerat.

Petes cuius prædicabiles sunt, hæ propositiones, homo est species, humanitas Christi. Resp. priorem & similes reductiue esse accidentis, quia species est nomen secundæ intentionis, & accidens intentionale naturæ ab intellectu affixum. Posterior est reductiue speciei, quia humanitas dicit rationem speciei, sed abstracte.

QVÆSTIO XIV.

An vniuersale sit genus vniuocum, respectu quinque vniuersalium Porphyrii.

NEgant Albertus Magnus *l. præd. tract.* 2. *c* 9. Canterus *c* 4 *præd.* Louanienses & alii, Affirmant D. Thom. *q.* 2. *de vniuers.* Scot. *q.* 8 vniu. Tolet. *hic.*

Resp. vniuersale comparatū ad omnia prędicabilia esse genus vniuocum, Probat. quia naturæ abstractæ à singularibus, & comparatæ ad inferiora conueniunt in eo, quod sint vnum aptum prædicari de multis, ergo ex hac conuenientia potest intellectus abstrahere conceptum omnibus communem, qui erit vnus generice. Confirm primo, Ratio vniuersalis & prædicabilis conuenit omnibus prædicabilibus, Confirm. secundo, Prædicabilia definiuntur per vniuersale, dum dicitur, v. gr. Genus est vniuersale, quod multis & specie differētibus aptum est in esse, &c. Nec refert, quod naturæ, quæ denominantur veniuersales, secundum propriam entitatem spectatæ, nō habeant rationē communem vniuocam, sed tantum analogam, quia hic considerātur, quatenus subsunt secundæ intētioni, vniuersalitatis, & sic possunt habere vnā & eandem rationē nominis, denominatio enim generis æqualiter cōpetit animali & colori, quia hæc consideratio non attēdit rerum entitates, sed tantum habitudinē ad inferiora, per formam ad relationē ad inferiora, simili modo æqualitas & similitudo sunt species vniuocæ relationis, licet fundamenta earū, scil. quantitas & qualitas tantum habeant rationē communem analogā, ex multorum sentētia, etsi materialitatis ratio vniuersalium esset spectata, nullum prædicabile esset vniuocum, respectu eorum, quæ sub se comprehendit, v. gr. genus non esset vniuocum respectu omnium generum, & sic de cæteris.

Obiicit. tria priora prædicantur vniuersaliter duo postrema, accidentaliter ergo ratio prędicandi, & per consequens, vniuersalis erit analoga, prius enim & nobiliori modo conuenit prioribus, quam posterioribus, secundo competit prius generi & speciei multis inesse, & de multis prædicari, quam reliquis: quia genus & species immediate & proxime insunt pluribus, sub se contentis. Differentia vero & proprium, quatenus distincta constituunt prædicabili immediate tantum insunt æquali, scil. speciei, & mediante illa pluribus, ergo ratio vniuersalis est analoga.

Resp. Rationem vniuersalis in cōmuni abstrahere ab inesse, seu prædicari essentialiter, & accidentaliter immediate, & mediate, hæc enim sunt differentię contrahentes rationem communem vniuersalis, & constituentes varias species, quarum vna est alia perfectior.

Obiicit. secundo: Genus non potest contineri sub sua specie, sed si vniuersale esset gen⁹, contineretur sub sua specie, scil sub genere primo prædicabili, ergo non est genus.

Resp genus nō cōtineri sub sua specie essentialiter; posse tamen contineri accidentaliter. Pro quo nota, secundas intentiones vniuersalitatis dupliciter posse accipi: primo formaliter vt denomināt naturas vniuersales, ac pdicabiles, vnamquamq; secūdum propriā suam

 ratio-

rationem, & modum inessendi, & prædicandi, & hæc consideratio est essentialis, secundum quam, quinque sunt diuersa prædicabilia, nec vnum prædicabile potest hoc modo de altero enuntiari, secundo considerantur materialiter quatenus sunt fundamentum alterius secundæ intentionis, & tunc subeunt vicem naturarum realium, quæ sunt fundamentum & substractum secundæ intentionis, habent enim se tunc, sicuti verbi gratia, homo in hac propositione, homo est species, quæ prædicatio est accidentalis & denominatiua, & hoc modo vnum prædicabile potest enuntiari de altero, & dici vniuersale est genus, genus est species vniuersalis, &c. huiusmodi enim prædicationes tantum sunt materiales, neque distinguunt vniuersalia inter se, sed faciunt illa esse fundamenta ad semetipsa, priori modo spectata. Et ex hac duplici consideratione secundarum intentionum fit primo, vt subiicibile possit esse prædicabile, & vniuersale, respectu omnium subiicibilium, secundo, vt idem possit prædicari de seipso non identice, verbi gratia vniuersale est vniuersale, genus est genus, si subiectum accipiatur materialiter, & vt fundamentum respectu prædicati formaliter accepti, hinc sequitur, prædicationes has genus est vniuersale, species est vniuersale, & sic de ceteris esse essentiales superioris, scilicet de inferiori: Has vero vniuersale est genus, genus est species, vniuersalis, &c. esse accidentales, scilicet formæ de subiecto, quales sunt hæ, animal est genus, &c.

Obiicitur tertio: Quando connotatiuum abstrahitur à suis particularibus, non sola forma, verum etiam subiectum abstrahitur, atqui nihil est commune subiectis vniuersalium, ergo neque secundis intentionibus.

Resp ad maiorem: Subiectum abstrahi non prout est secundum se, sed tantum, quatenus subest formæ denominanti, ac in confuso, quo fit, vt album sit vniuocum, respectu niuis, chartæ, hominis, &c.

DISPVTATIO II.

DE VNIVERSALIBVS SEV PRÆDICABILIBVS IN PARTICVLARI.

QVÆSTIO PRIMA.

De Genere.

ARTICVLVS PRIMVS.

In quo sita sit essentia Generis.

VAria est generis significatio, primo apud Rhetores significat qualitatem causæ, ponunt enim quinque causarum genera, secundo ab iisdem sumitur pro multitudine, quæ se inuicem respicit, secundum quendam gradum affinitatis causatæ ex generatione, quæque refertur ad vnum aliquod principium effectiuum, vt in *text.* diximus. Tertio nomine generis Iurisconsulti intelligunt principium generationis, vel à patre, vel à patria, vti Porphyrius in secunda acceptione. Hinc deducitur acceptio generis Logici, quod est principium specierum, quæ sub ipso continentur: sicuti enim pater habet potestatem in filios, per vim generatiuam, simili quadam ratione genus continet potestate species. Et de hoc genere hic cum Porphyrico disputamus.

Resp. Essentia generis in eo sita est, quod sit quid aptum pluribus inexistere, tanquam prima pars essentialis, qua se habet vt materia, & per differentiam perfici potest. Hinc Aristot.

Aristot. 5. *Met. text.* 33. dicit genus esse primum in rationibus, id est, esse primam partem definitionis, & essentiæ specificæ. Vnde sequitur genus se habere per modum subsistentis, non vero per modum adhærentis alteri, sed in illo recipi alteram essentiæ partem, scilicet differentiam, quæ instar formæ adueniens materiæ illud determinet ac perficiat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quodnam sit definitum in definitione Porphyrii quod dicitur, Genus est *quod de multis, &c.*

DIfficultas est, an definiatur hic natura realis, an vero secunda intentio, vel potius genus in concreto, siue natura, vt subest secundæ intentioni. Eadem quæstio de definitionibus cæterorum prædicabilium proponitur, vnde quæ hic statuemus de definitione generis, illis etiam erunt accommodanda.

Resp. Definitum huius definitionis est genus in concreto siue natura generica, vt à secunda intentione denominata. Ita D. Thom. *op. de ent. & essent. c.* 4. Scot. *q.* 11. *hic de genere*, & communiter alii.

Probatur, quia illud est definitum alicuius definitionis, cui per se talis definitio conuenit, & cum quo reciprocatur. Sed prædicari de pluribus differentibus specie, in quid conuenit naturæ genericæ, vt denominatæ à secunda definitione generis, & cum ea reciprocatur, ergo est definitum. Minor probatur, quia non conuenit naturæ reali secundum se, hæc enim est à parte rei singularis, ita vt de multis dici non possit, non secundæ intentioni tantum, hæc enim est ens rationis, quod non potest prædicari in quid, de natura reali, ergo vtrumque definitur.

Obiicit primo: Prædicari in quid conuenit soli naturæ reali. Nam animal tantum prædicatur de leone, & homine, non verò secunda intentio, ergo sola natura est definitum. Antecedens probatur, quia alioqui idem esset dicere, homo est animal, atqui homo est genus, quia si animal est prædicatum, vt subsit secundæ intentioni generis, prædicabitur vt genus formaliter.

Resp. ad Antecedens, naturam realem prædicari, tanquam rationem formalem, quæ prædicatur de speciebus, secundam vero intentionem esse rationem sub qua prædicatur illa natura. Natura verb. grat animalis est ratio, quæ prædicatur, siue id, quod prædicatur in hac prædicatione, homo est animal. Ratio vero sub qua, siue id, quo natura animalis prædicatur, est secunda intentio generis.

Ad probationem respond. inde tantum concludi secundam intentionem non esse rationem formalem, quæ prædicatur, siue quã animal enunciat de homine, non tamen euinci eam non esse rationem formalem, sub qua vel à qua natura habet prædicabilitatem.

Obiicit secundo: Corpus, vt substat albedini, non prædicatur in quid de viuente, & non viuente, sed tantum secundum propriam essentiam substantiæ corporeæ, ergo nec animal prædicatur in quid, vt substat secundæ intentioni. Par enim videtur ratio.

Resp. negando consequentiam, propter disparitatem, quia albedo & alia huiusmodi accidentia realia non ordinant subiectum ad inferiora, at secunda intentio generis est ipsa relatio naturæ ad inferiora, ac proinde id quod prædicatur natura.

Obiicit tertio: Natura habet ex se, quod sit prædicabilis de specie, inde enim accipit intellectus occasionem fabricandi secundam intentionem generis, ergo, illud ratione cuius commune genus est, est natura realis, & per consequens illa definietur.

Resp. Negando antecedens: Natura enim ex se tantum habet quod possit esse fundamentum secundæ intentionis, ac fieri prædicabilis, cum sit in se diuisa, per differentias numericas, nullam habens vnitatem communem ex se, sed ab intellectu.

Obiicit quarto: Natura realis, siue substratum secundæ intentionis non habet rationem vniuocam communem. Habet enim substantiam & accidens, ergo non potest esse definitum quod, sed erit sola secunda intentio.

Resp. Negando consequentiam, licet enim natura secundum entitatem suam considerata non habeat superius quid vniuocum, habet tamen rationem vniuocam in ordine, & sub ordine secundæ intentionis. Omnes siquidem naturæ cuiuscunque sint prædicamenti, æqualiter præbent fundamentum secundæ inten-

intentionis, & æquali ratione comparantur ad sua inferiora.

ARTICVLVS TERTIVS.

An definitio Porphyrii sit essentialis, an vero descriptiua.

RESP. esse descriptiuam, ita in terminis Porphyrius *c.2. de gen.* Probatur, quia assignatur per aptitudinem prædicandi, seu prædicabilitatem, quæ ex vniuersalitate, tanquam ex radice & fundamento ortum habet, & cum illa conuertitur, quæ sunt conditiones propriæ passionis: Atqui definitio per propriam passionem est descriptiua, ergo:

Dices cum Scoto *q.14. de vniuersali.* Porphyrius hic considerat vniuersalia sub ratione prædicandi: ergo definitio assignata per prædicabilitatem est essentialis.

Resp. Negando antecedens: cōsiderat enim illa sub ratione obiectiua vniuersalium, explicat autem prædicabilitatem tanquam propriam eorum passionem nobis notiorem.

Petes, an genus possit definiri definitione essentiali. Resp. affirmatiue, quia habent genus & differentiam, ex quibus conflatur definitio essentialis: genus illius est vniuersale aptum inesse pluribus, differentia est tanquam pars materialis. Definitio essentialis est huiusmodi, genus est vniuersale in multis differentibus specie quidditatiue aptum inesse.

Dices, genus est concretum accidentale ex natura reali, & ente rationis, sed huiusmodi concretum tam diuersa complectens vnica essentiali definitione explicari non potest, ergo.

Resp. Negando minorem, quia natura & secunda intentio, quæ in concreto generis includuntur, habent inter se ordinem potentiæ, & actus, ratione cuius habent modum vnius, sicque vna definitione explicantur.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum genus contineat differentias, ac consequenter species actu, an potestate.

PRÆNOTANDVM verb. gr. animal & quoduis genus dupliciter posse accipi, primo per modum partis speciē componentis, quatenus dicit gradum potentiæ sensitiuę condistinctū à gradu rationali in hom ne: secūdo, per modum totius potentialis, id est, abstracti a suis inferioribus. Priori acceptione nullo modo continet differentias, cum vna pars non contineat alteram, De posteriori acceptione est dubium, an scilic. contineat differentias actu saltem confuso & indeterminato, consentiūt enim omnes, non continere actu explicito, sicut definitio continet vtramq; sui partem. Sic enim animal esset definitio hominis, neque etiam continere actu determinato, licet non explicito, sicut v.gr. homo continet rationale quia sic non posset prædicari de vlla specie, quia falsum, v.g. hominem esse animal, si animal actu determinato contineat differentiam leonis, equi, &c.

Resp. Genus non continet actu confuso, seu indeterminato, differentias ac species, sed sola potestate. Probatur primo, ex Porphyr. qui *cap. de differ.* dicit, differentiam esse, qua species excedit genus, quia sc. species complectitur illam actu, genus sola potestate, vt omnes explicent. Probatur secundo, quia si actu inessent generi, eidem simul inessent opposita, quod est impossibile, nec refert, quod continentia sit confusa, & indeterminata, modo sit actualis. Probatur tertio, Genus & differentia sunt conceptus diuersorum graduum, eiusdem naturæ, ergo neutrum includit actu alterum, sicuti in composito Physico, vna pars, verb. gr. materia non includit alteram, scil. formam. Confirmatur, genus est vniuersale, ac proinde abstrahitur à suis inferioribus, quæ sunt species, & suo modo differentiæ, ergo non includit illa actu, sed potestate tantum, quatenus scilicet est contrahibile per differentias, quibuscum constituit species.

Obiicitur primo, genus prædicatur de specie essentialiter & actualiter, ergo actu & complete continet, quicquid est in specie. Probatur consequentia, quia si contineret tantum actu partem, non posset prædicari. Pars enim de toto non prædicatur, ergo vt animal possit prædicari de homine, debet actu continere non tantum naturam sensitiuam, sed etiam realem. Confirm. quia licet materia vnam contineat actu compositi partem, scilicet materialem alteram potestate, scilicet formalem, hoc tamen non sufficit, vt de toto possit prædicari.

Resp.

Resp. Negando consequentiam, Ad probationem dico, genus prædicari de specie, tanquam totum, non tamen actuale, (vt conatur probare argumentum) cum sola species habeat rationem totius actualis, sed tantum totum potentiale, cuius ratio in eo sita est, quod sit determinabile, & contrahibile per differentias, in ordine ad constitutionem specierum, ita vt genus in confuso connotet quālibet differentiam, tanquam actum suæ potentiæ passiuæ.

Ad confirmationem respond. dissimilem esse rationem materiæ, quippe quæ aliter est distincta à forma, & composito Physico, genus vero sola ratione.

Obiicit secundo, Ex Aristot. 7. *Physic. t. 31.* vbi ait, in genere latere æquiuocationes, quia sc. actu continet diuersas differentias, quæ pariunt æquiuocationem.

Resp. Sensum Aristotel. ex connexis colligi, scilicet multa esse sub genere, quæ apparent quidem æquiuoca, si Physice considerentur, quia habent formas specie diuersas, non tamen sunt æquiuoca propter vnitatem Logicam, prouenientem ab intellectu, qui gradum generis, secundum rationem actualem generis separat à differentiis.

Petes, in quo genere causæ genus continet species? Resp. cum D. Thom. & communi sententia continere species, seu differentias in genere causæ materialis, propter similitudinem generis cum materia. Nam sicut materia quasuis suscipit formas, quibuscum Physice constituit varias species, ita genus suscipit quodammodo diuersas differentias, quibuscum metaphysice componit distinctas species. Sicut igitur materia est quid incompletum, indifferens, & principium conuenientiæ, & sicut forma actuat & perficit materiam, & est Principium distinctionis inter species Physicas, ita & differentia actuat genus, & cum eo constituit species metaphysicas distinctas, distinguuntur tamen genus & differentia à materia & forma, quod non vniantur inter se, vnione aliqua ab ipsis distincta, & separabili, sicut materia & forma, sed seipsis, quia sunt realiter idem.

Petes secundo: An materia sit principium & radix generis, vt communiter dicatur, genus sumi à materia.

Resp. Dictum hoc non intelligi proprie, quia etiam in Angelis reperitur genus, & differentia, qui tamen carent materia & forma Physica, & in substantiis materia constantibus gradus genericus viuentis, & animalis, ve. gr. non potest esse à materia, quare intelligitur secundum quandam analogiam, & similitudinem nimirum, quia genus sumitur à tota rei natura, vt habet conuenientiam cum aliis in aliquo gradu potentiali, siue vlterius determinabili, sic enim se habet instar materiæ, differentia vero, seu species desumitur ex eadem natura, & entitate, quatenus est determinata siue secundum vltimam suam perfectionem essentialem, & sic habet rationem formæ & actus, ita Aristot. 8. *Metaph. tit. 6.* D. Thom. 7. *Metaph. text. 11. 12. & alibi.* Genus igitur & differentia sumuntur à tota rei entitate, & natura, aliter & aliter concepta, vnde & quælibet natura, quantumuis spiritalis & simplex potest esse principium, & radix differentiæ, & generis, modo habeat vniuocam conuenientiam in gradu aliquo abstrahibili per intellectum, qui sit determinabilis.

ARTICVLVS QVINTVS.

An genus vt pars non possit prædicari de specie.

Ex quorundam doctrina genus habet duplicem rationem partis, respectu speciei, quam cum differentia constituit; primo partis actualis, vt scil. actu est coniunctum differentiæ in compositione speciei; secundo, partis potentialis, prout consideratur tanquam potens componere; & vt concipitur prius, quā actu coniugatum sub ordine tamen actualis & determinatæ coniunctionis.

Nota certum esse quamlibet partem non tantum metaphysicam, vt est genus, sed etiam Physicam, imo & integrantem posse prædicari de toto nominatiue, & in obliquo; verbi gratia, recte dicitur homo constat animalitate, homo habet corpus, caput, &c. Sed quæstio est, an pars saltem metaphysica possit prædicari in recto & absolute. Affirmant Caietan. *c. de gen.* Paul. Venet. *c. de spec.* & alii, qui docent, genus vt pars est, posse prædicari de specie, saltem in concreto. Conclusio.

Genus;

Genus neque vt pars actualis, neque vt potentialis potest prædicari de specie, sed tantum vt totum potentiale. Est D. Thom. *de ent. & essent. c.* 3. Suarez. *disput.* 15. *sect.* 11. *num.* 16. & communis recentiorum ex doctrina Arist. qui passim negat partem prædicari de toto. Probatur, Quia ad veritatem prædicationis necesse est, vt prædicatum contineat actu, vel saltem actu simul & potestate, quicquid continet subiectum, sed genus, vt pars non continet omne id, quod est in specie, nec actu, nec potentia, sed partem duntaxat, scil. naturam sensitiuam, ergo non potest prædicari vt pars. Maior admittitur ab omnibus, & probatur, quia prædicatio in recto significat hoc esse illud siue subiectum idem esse cum prædicato, quæ significatio esset falsa, si prædicatum non contineret aliqua ratione totum, quod continet subiectum. Minor probatur, quia vt pars tantum continet, ad quod habet actu, verb. grat. animal gradum naturæ sensitiuæ, vnde si prædicaretur, vt pars faceret hunc sensum, homo est animal, id est, homo est tantum animal, siue homo non est plusquam animal, neque in hoc differt pars actualis à potentiali. vtraque enim habet rationem incompleti, quia potentialis dicit saltem actualem ordinem, ad coniunctionem cum determinata differentia, qui ordo tollit rationem totius à genere, & coarctat illud ad differentiam, quã respicit.

Obiicit primo: Ad veritatem propositionis videtur sufficere, vt vnum in alio includatur, ita vt sensus sit, homo est animal, id est, homo continet naturam animalis.

Resp. Negando assumptum, si enim sola inclusio significaretur, & sufficeret sensus allatus, posset etiam pars Physica integralis prædicari in recto de suo toto, hoc modo, homo est caput, &c. totum enim continet suas partes, quare prædicatio in recto significat hoc esse illud, siue esse quiquid illud est. Vnde cum dico, homo est animal, nihil excludo ab homine, & affirmo idem suppositum, quod est homo, etiam esse animal, siue hominem. Eadem forma & essentia, qua est homo, esse etiam animal, vel habens naturam animalis esse ipsum, quod est habens naturam hominis.

Obiicit. secundo, Aristot. 1. *post. c.* 4. docet, singulas definitionis partes, scil genus & differentiam prædicari quidditatiue, de definito, sed genus in definitione ponitur, vt pars, ergo vt pars potest prædicari, quidditatiue, seu in recto.

Resp. ad maiorem: Partes definitionis prædicari materialiter, siue gradus, qui sunt partes, non tamen quatenus partes, cum enim eo loco intendit probare partes definitionis quidditatiue in esse definito, ad quod impertinens est, siue prædicetur per modum totius, siue per modum partis.

Obiicit. tertio: Si genus prædicatur de specie, & totum non prædicabitur in complete, sed complete, eodem modo, quo species indiuiduis, & sic genus & species non erunt distincta prædicabilia.

Resp. Genus licet totum, quia tamen potentiale prædicatur incomplete, cum actu dicat partem speciei, potentia reliquum. Species vero prædicatur de indiuiduis, vt totum actuale, quia totam essentiam illorum continet actu.

Dices, si subiectum & prædicatum sint idem in omni prædicatione committetur negatio, in qua idem prædicatur de eodem. Resp. Negando sequelam, quia prædicatum & subiectum non sunt idem, explicite, & formaliter, sed tantum implicite, & connotatiue, & hoc sufficit ad vitandam negationem, sic in propositione, homo est animal, hoc subiectum homo significat idem, quod animal, & contra, sed homo id significant explicite, per rationem formalem humanitatis, animal vero per rationem animalitatis.

ARTICVLVS SEXTVS.

An genus prædicetur de specie, & per hoc distinguatur à differentia.

ANnotauit D. Thom *c. de gen.* duo requiri, vt aliquid prædicetur in quid, primum est, vt sit de essentia subiecti, alterum vt prædicetur substantiue, non adiectiue tantum.

Resp primo: Genus prædicatur in quid, de specie, ita Arist. 4. *Top. c.* 6. Ex quo Porphyrius definitionis suæ particulam (in quid) desumpsit: Probatur, quia vtraque conditio requisita ad prædicationem in quid conuenit generi

respect-

respectu speciei Confirm. quia quæstio facta de quidditate rei satis fit respondendo per Genus.

Obiicit Aristot. *c. de substant. & 7. Metaph. t.* 48 ait, genera & species, & quæ vniuersaliter dicuntur non significare quid, sed quale, ergo genus non prædicatur in quid.

Resp Negando consequentiam, quia Aristoteles non dicit, genera prædicari in quale, sed significare quale. Sensus est, genera species & omnia vniuersalia, quæ vocantur secundæ substantiæ, non significare hoc aliquid, id est, indiuiduum per se subsistens, sed significare communitatem naturæ, quæ est veluti qualitas quædam illius.

Resp. secundo : Per prædicationem in quid, distinguitur: Genus non tantum à proprio & accidente sed etiam à differentia. De proprio & accidente constat, de differentia probatur, Quia differentia non prædicatur substantiue de specie, ergo non prædicatur in quid, Secundo probatur: Quæstioni factæ de qualitate rei satis fit respondendo per differentiam, ergo prædicatur in quale. Ratio est, quia differentia concipitur in esse speciei, per modum formæ, cuius est alteri, siue materiæ inesse, & habere se per modum inhærentis, ac modificantur, quia tamen differentia est essentialis pars speciei, prædicatur in quale, non simpliciter, sed adiuncta particula quid, siue in quale essentiale.

Obiic. primo, Modus prædicandi sequitur modum essendi, sed differentia magis spectat ad quidditatem rei, quam genus, ergo etiam prædicatur in quid, Minor probatur, quia inter partes speciei essentialis differentia habet rationem formæ, genus materiæ.

Resp Explicando maiorem, modus prædicandi consequitur quidem modum essendi, non tamen nude, sed prout subest modo concipiendi, & significandi, vnde licet modus essendi differentiæ in se sit perfectior, quam generis, modus tamen prædicandi, qui immediate desumitur ex modo concipiendi potest esse imperfectior.

Obiic secundo: Aristot. 1. *post. t* 21. dicit vtramque definitionis partem scilicet genus, & differentiam prædicari quidditatiue.

Resp. Ibi tantum doceri prædicationem differentiæ de specie esse quidditatiuam, quoad rem prædicatam, quia scil. res, quam differentia enuntiat, est pars quidditatis specificæ, ex quo tamen non sequitur, modum prædicandi esse quidditatiuum.

Obiic. tertio : Differentia genericæ prædicatur in quid de specifica, verb. gratia reale est sensibile.

Resp. Differentiam genericam non prædicari de specifica formaliter, vt differentia est, sed materialiter tantum, vel in sensu identico, id est, propter identitatem earum cum genere, & specie, vnde prædicatio hæc reducitur ad prædicationem generis de specie.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

An possit à Deo produci gradus genericus in indiuiduo, non mediante specie.

Quæritur, verb grat. an implicet dari aliquod indiuiduum animalis in rerum natura, quod non habeat naturam specificã, neque sit homo, neque brutum.

Resp primo : Implicare contradictioni, ac proinde à Deo fieri non posse. Probatur: Quia genus omnino idem est cum differentia, vtrunque enim dicit eandem essentiam diuersimode, conceptam, vt determinabilem & determinantem, ergo genus omnino est inseparabile, à differentia, quod tamen requiritur, vt seorsim produci possit in indiuiduo. Probatur secundo : nihil potest esse à parte rei, quod non habeat determinatam essentiam, & per consequens, sit in aliqua specie vltima, ergo non potest præcise alicui indiuiduo inesse. Confirmatur, quia alioqui posset dari indiuiduum substantiæ, quod non esset corporeum, nec spirituale, posset dari corpus in indiuiduo, quod à parte rei nec esset animatum. nec inanimatum, posset dari viuens, quod nec esset sensibile, nec insensibile, &c. quæ omnia videntur absurda.

Dices, non vniuersaliter implicari, dari animal, quod nec sit positiue rationale, nec positiue irrationale, sed non rationale, siue irrationale, negatiue.

Resp Negando assumptum, quia si sit animal, à parte rei, habebit essentiam, & entitatem, quæ est principium rationis, vel cui repugnat positiue esse principium rationis, vnde erit

de erit

de erit positiue rationale, vel irrationale, quia per eandem simplicem entitatem, qua aliquid est animal, tale animal.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An Genus requirat plures species, à quibus desumatur.

QVæstio est aliis terminis proponi solita, an genus saluari possit in vna specie.

Nota conuenire inter Philosophos, genus essentialiter referri ad plures species, vt cōstat ex definitione Porphyrii, dubium tamē est, an sufficiat, vt vna tantum species actu existat, reliquæ vero potestate Physica, vel Logica.

Nota secundo: Genus dicitur habere plures species actu, si re ipsa existant indiuidua diuersarum specierum, ita modo se habet animal, & quoduis aliud genus nobis notum. Secundo dicitur habere plures species in potentia Physica, si actu existant indiuidua vnius speciei, & aliquando extiterint, vel naturaliter possint existere indiuidua aliarum specierum, sub eodem genere, ita se habebit animal post diem Iudicii, nisi forte sint vermes teterrimi in inferno. Tertio, dicitur habere plures species in potentia Logica, si vna existat, & nil repugnet ex parte naturæ esse alias species, saltem supernaturali vi, & per nouam creationem D. Thom. requirit, vt sint plures potentia Physica, quæ videtur doctrina Peripateticorum, Scotus existimat, vt sint plures potentia Logica, sed vtraque sententia potest habere verum sensum.

PRIMA CONCLVSIO.

GEnus non requirit plures species actu. Est communis sententia. Probatur, quia vniuersale definitur aptum pluribus inesse, ergo sufficit, vt vna species sit actu, reliquæ potestate. Totum enim genus secūdum entitatem Physicam existit in vna specie, licet non totaliter, sicuti tota anima rationalis est in capite, non tamen totaliter, cum etiam sit in cæteris membris.

Obiicies: Aristot. 3. *Metaph. t.* 10. dicit, non esse genus, quod sub se non continet plures species. Secundo, omne genus diuidi differentiis oppositis. Tertio, genus essentialiter referri ad oppositas differentias.

Resp. ad primum, id intelligi de præsenti rerum statu, in quo nullum est genus, quod non habeat plures species actu.

Ad secund. & tert. & si quæ sunt alia similia loca: Resp. Sufficere vt diuidatur per plures differentias, saltem possibiles, & ad easdem referatur.

SECVNDA CONCLVSIO.

IN praxi non abstrahimus, aut cognoscimus genus, nisi sunt plures species, saltem in potentia Physica, ita D. Thom. *de ent.* 3. *c.* Albert. *tract.* 3. *de gen. c.* 2. Probatur primo, Genus à nobis colligitur ex proprietatibus communibus diuersarum specierum existentium in suis indiuiduis: atqui si non existant, vel saltem non extiterint, aut naturaliter possint existere, indiuidua diuersarum specierum, nulla poterit notari conuenientia operationum, & proprietatum, ergo, nec poterit ab vna natura abstrahi gradus aliquis genericus omnes enim operationes attribuuntur naturæ specificæ, tanquam illi propriæ, sicuti modo operationes omnium sensuum attribuuntur gradui vni animalis, vnde si quis putaret, non esse aliud animal, præter hominē diceret animal, siue naturam sensitiuam non esse genericam, sed specificam, & non posse in ea formari intentionem generis, sed speciei tantum, nam hæ intentiones oriuntur à primis per operationem intellectus, quæ versatur circa primas, atqui circa talem naturam vnicam species intellectus versatur tanquam circa speciem, ergo, &c. Probatur secundo, fundamentū generis debet esse à parte rei, & non imaginarium, quia alioqui quæuis species vltima posset esse genus, possemus enim pro libito confingere differentias essentiales, per quas vlterius possent contrahi, quæ sunt absurda, & euertunt multa Philosophorum axiomata.

Obiic. Species potest abstrahi ab vno indiuiduo, licet non sint plura in potentia Physica, sed Logica tantum, siue per non repugnantiam, vt patet in Sole, Luna, & c. ergo & genus ab vna specie, &c.

Respon. Negando consequētiam, est enim dispar ratio, quia cuiuis notum est, ex parte natura creatæ, non repugnare, vt existant plura indiuidua sub eadem specie, cum omnia sint eiusdem perfectionis, & pluralitas indiuiduorum non afferat nouam perfectionem essentialem,

tialem, quæ actu non sit: at vero non ita obuium est, posse dari plures species, siue gradum aliquem naturæ posse contrahi & diuidi à diuersis differentiis, & produci in rerum natura essentiam, quæ sit principium quarundam operationum, similium, cum specie existente, & quarundam dissimilium, forte enim repugnat gradum existentem combinari cum alia differentia.

TERTIA CONCLVSIO.

Si à parte rei non repugnet multiplicari plures species sub aliquo gradu, quia à Deo saltem sunt creabiles, poterit hic gradus concipi sub ratione generica ab eo, qui cognoscit hanc non repugnantiam. Est ex mente Scoti, neque repugnat D. Thom. qui tantum docet secundam conclusionem. Probatur, quia potentia Logica respectu cognoscentis æquiualet potentiæ Physicæ, nam respectu illius gradus comparatus ad plures species, estque aptus pluribus inesse.

Secundo, gradus ille sic collatus ad species possibiles Logicæ, est vniuersalis, non specificus, quia species, vt tali repugnat esse in multis specie distinctis, ergo erit genericus.

ARTICVLVS NONVS.

An genus prædicetur per se, de differentiis diuisis.

Respon. negatiue cum D. Thom. Scot. & communi sententia contra Iordan. 3. *Met. t.* Probatur, ex Aristot. 3. *Metaph. t.* 10. vbi ait, Ens non esse genus, quia prædicatur de differentiis vltimis, genus autem de differentiis non prædicari. Probatur secundo, Quæ prædicantur per se, vel pertinent ad essentiam subiecti, vel sunt propriæ illius passiones, sed genus non est de essentia differentiæ, nec proprie illius passio Ergo: Minor probatur ex Aristotel. 4. *Top. c.* 3. vbi ait, differentiam non participare genus, deinde si genus esset de essentia differentiæ, differentia esset vere composita, sicut species, Non ex propria parte, quia est prius differentia, & non conuertitur cum illa.

Dices, hæc prædicatio rationale & animal, vel est per se, vel per accidens, non per accidens, quia animal non est accidés, ergo per se.

Resp. ad minorem, accidens subinde sumi, non tantum pro eo, quod est in prædicamento accidentis, sed pro omni eo, quod est extra naturam alterius, siue sit accidens, siue sit substantia, quo sensu dicit Porphyrius species accidere generi.

ARTICVLVS DECIMVS.

An genus sit prius specie.

Resp primo, Genus materialiter, siue natura & res quæ est genus, est prior natura, specie quia est pars speciei, pars autẽ est prior natura suo toto. Ordine autem, perfectionis species est prior genere vt patet.

Resp secundo: Genus est species formaliter, & vt correlatiua sunt simul natura, patet ex natura correlatiuorum, de quibus suo loco.

QVÆSTIO II.

De Specie.

ARTICVLVS PRIMVS.

Cui potissimum conueniat nomen speciei.

Omissis variis speciei acceptionibus, quæ ex Physicis vel Metaphysis longiorem postulant explicationem, sumitur à Porphyrio hic. *c. de spec.* pro forma & pulchritudine rei, ex qua significatione deriuatur noua speciei Logicæ, quæ est res, quæ proxime subiicitur generi, vel prædicatur de pluribus differentibus numero in quid, & de hac præsens instituitur quæstio. Cum vero duplex sit species, ex Porphyrio, subalterna scil. seu media,

& intima, seu specialissima, quæri potest, vtri ex duabus potissimum conueniat denominatio speciei. Resp. nomen speciei prius dignitatē & tempore competit speciei specialissimæ. R. prius probatur, quia species in genere dicit formam & perfectionem rei, at species specialissima dicit vltimam & consummatam perfectionem, vel actum, secundum quem genus potest perfici, ac determinari. Deinde dicit totam pulchritudinem & essentiam indiuiduorum, subalternæ species, licet perficiant genus superius, ipsæ tamen ad huc vlterius possunt perfici. Posterius probatur, contra Albertum, & Auicennam, quia species secundum Porphyrium, *c. de gen.* est collectio multorum in vnam naturam, sed prima multitudo quæ se nobis offert, est indiuiduorū speciæ specialissimæ, ergo prius tempore est species specialissima. Omne enim vniuersale per abstractionem fit ab eo, de quo prædicatur, quæ abstractio est instar alicuius collectionis, quare cū indiuidua primo occurrant, prima collectio & abstractio erit speciei special ssimæ.

Obiicit prim Porphyr. *c. de spec.* docet descendentibus à generalissimo prius occurrere species medias, ergo illæ sunt priores.

Resp. Negando consequentiam, quia licet via diuisionis priores sint species mediæ, via tamen & ordine compositionis, qui procedit ac seruatur in productione vniuersaliū prior est intima.

Obiicit. secundo. Vniuersalia sunt nobis notiora, ex Aristot. *1. Phys. c. t 4.* ergo & species mediæ, quæ sunt magis vniuersales, quam intimæ nobis erunt notiores, & per consequēs, primo abstrahentur.

Resp Vniuersalia esse notiora nobis cognitione confusa, quia scilicet habent accidentia sensibus magis obuia, verb. grat. quantitatem, motum, &c. sed hic agitur de cognitione distincta vniuersalium, secundum propriam cuiusque naturam.

Obiicit. tertio: Illa species est prior, cuius fundamentum prius est extra animā sed prius est fundamentum speciei subalternæ, nam prius producitur viuens, quam animal, & homo, ex Aristot. *2. de gen. c. 3* ergo &c

Resp. Negando maiorem, quia abstractio & fabricatio vniuersalium non sequitur ordinem fundamenti, sed inchoatur à singularibus specificis, deinde à speciebus fiunt abstractiones generum, & sic deinceps vsq; ad generalissimum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An species Logica duas habeat relationes.

RESp. primo, Sola species specialissima in ratione speciei habet duas relationes, probatur, quia species subalterna non habet duas relationes, quatenus sola species est, sed quatenus species est & genus: specialissima autem, qua species refertur ad genus superius, & ad indiuidua inferiora.

Resp. secund istæ relationes sunt essentialiter distinctæ. Probatur, quia distinctio relationum oritur ex diuersitate terminorum, sed termini harum relationum sunt diuersi, imo oppositi, ergo, quod intelligitur, non de aliqua distinctione reali, sed de distinctione, quæ reperitur in relationibus rationis, quas intellectus rebus attribuit. Ex quo sequitur id, quod Porph. dicit, vnam tantum esse relationem, in specie specialissima intelligendum esse de vnitate nominis, & ratione seu fundamento denominationis, nam vtraque relatio fundatur in perfectione illius, A relatione ad genus superius dicitur species subiicibilis, à relatione ad inferiora dicitur inseparabilis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An species quatenus subiicibilis, sit vniuersalis.

ADuerte prædicabilitatem, citra controuersiam conuenire naturæ, vt vniuersale, eo quod vniuersalitas se habeat instar essentiæ, prædicabilitas tanquam propria passio, ab ea emanans, quare sicut homo, quatenus homo, est risibilis, ita natura vniuersalis, quatenus vniuersalis, est prædicabilis. In quæstionem hic vocatur, cuidem naturæ vt vniuersali conueniat quoque subiicibilitas, tanquam propria passio.

Caietan *c. de spec* docet subiicibilitatem speciei habere se tanquam essentiam, & ab ea emanare vniuersalitatem, & prædicabilitatē, velut passionem. Tolet *q. 1. c. de spe.* contra censet vniuersalitatem speciei esse essentiam, prædicabilitatem vero & subiicibilitatem passiones.

Resp.

Resp. subiicibilitas non est propria passio speciei, quatenus vniuersalis est, sicuti prædicabilitas. Probatur, quia vniuersalitas conuenit naturæ per comparationem ad inferiora, sed subiicibilitas conuenit naturæ ex comparatione ad superius, ergo hæ relationes sunt disparatæ, neque ex se mutuo oriuntur, ergo neque vniuersalitas est passio subiicibilitatis, contra Caietan. nec subiicibilitas passio vniuersalitatis contra Tolet. Probatur secundo: Ita se habet species, quæ simul est subiicibilis ex relatione ad genus, & prædicabilis ex relatione ad indiuidua, sicuti verbi gratia Petrus, qui simul est filius, respectu patris sui, & pater respectu filii, à se geniti, sed in Petro relatio paternitatis non oritur ex filiatione, nec filiatio ex paternitate, vnde dici nequit, Petrus quatenus pater est, est filius, aut quatenus filius est pater, ergo, apparet in eadem specie vniuersalitas & prædicabilitas, non oriuntur ex subiicibilitate, neque subiicibilitas ex vniuersalitate.

Obiic. primo: Species secundum prædicabile est subiicibilis, & comparata ad vniuersale, quod est genus omnium prædicabilium, ergo quatenus est subiicibilis, est vniuersalis.

Resp. negando consequentiam, Vniuersale enim non est prædicabilium, quatenus illi subiiciuntur formaliter, sub illa ratione, sed possunt secundum propriam suam rationem, vnumquodque eorum est vniuersale, ac prædicabile, v. grat. quatenus genus est secunda intentio, denominans naturam in pluribus speciebus, in quid, est species quatenus est secunda intentio, denominans naturam in pluribus numero differentibus &c. Quare denominatio speciei subiicibilis, quæ oritur in his vniuersalibus, ex comparatione ad vniuersale in communi, est illis accidentalis, vnde sub illa denominatione non sunt vniuersalia; sicuti in simili in homine, & equo, qui sunt species animalis, oritur denominatio accidentalis speciei subiicibilis, ex comparatione cum animali, quod est genus illorum secundum propriam suam naturam, scilicet sensitiuam.

Obiic. secundo, species subiicibilis, qua talis formalitas est, superius, respectu omnium specierum subiicibiliū, de quibus potest prædicari, ergo qua subiicibilis, est vniuersalis.

Respon. negando consequentiam, quia ex comparatione speciei subiicibilis, in genere resultat vniuersalitas, vnde species subiicibilis materialiter prædicatur formaliter vero vt vniuersale.

Obiic. tert. Species sub ratione subiicibilis non est singularis, sed à singularibus abstracta, atqui natura à singularibus abstracta est vniuersalis, ergo, &c. Minor probatur, quia non est propria alicuius indiuidui, ergo communis & vniuersalis.

Resp. negando minorem, ad probationem distinguo consequens, est communis negatiue, id est, nulli indiuiduo est propria, non tamen est communis positiue, quia nullo respectu positiuo multa respicit, estque indifferens, vt sit subiectum commune, & species subiicibilis, si comparetur ad superiora, vel vt sit vniuersalis, si ad inferiora.

Obiic. quarto; Id quod immediate refertur ad genus, est vniuersale, sed species vt subiicibilis est talis, ergo: Maior probatur, quia genus immediate non prędicatur de indiuiduis, ergo de vniuersalibus.

Resp negando maiorem, ad probationem, nego consequentiam, datur enim medium inter indiuiduum, & vniuersale, scilicet species sub ratione subiicibilis.

ARTICVLVS QVARTVS.

An definitio speciei à Porphyrio allata sit ipsi propria.

POtissima ratio dubitandi est, quod generi videatur conuenire prædicari de numero differentibus, vt constat in his propositionibus, Petrus est animal, Paulus est animal, &c.

Resp affirmatiue, Probatur, Quia in hisce definitionibus assignantur tantum ea, de quibus prædicabilia prædicantur immediate, & per se, sed sola species hoc modo prædicatur de numero differentibus, ergo hæc definitio est propria speciei. Pro explicatione probationis nota dupliciter aliquid de alio prædicari, primo immediate, id est, nullo interposito medio, ratione cuius prædicetur, hoc modo prædicatur animal de homine: Et huius prædicationis signum est, quando nequit assignari ratio, cur prædicatum conueniat subiecto, sed tantum assignatur definitio prę-

 dicati,

dicati, si quis enim petit, cur homo sit animal, dices, quia est corpus animatum, sentiens, quæ est definitio animalis, non vero ratio media, talis enim ab vtroque extremo ita debet distingui, vt sit aliquid superius subiecto, & inferius prædicato. Secundo prædicatur aliquid mediate, cum scilicet datur medium, ratione cuius prædicatum insit subiecto, vt Petrus est animal medium est homo, & si petatur ratio, cur animal insit Petro, & cur Petrus sit animal. Resp. quia est homo: Hinc patet respons. ad rationem dubitandi initio positam, quia genus tantum mediante specie prædicatur de indiuiduis.

Obiic. in hac prædicatione hoc animal est animal, illud animal est animal, genus immediate prædicatur de numero differentibus, ergo &c.

Resp. negando assumptum, quia prædicatio illa solo nomine est immediate, secundum rem, & reuera est mediata natura subiectum illius propositionis, est indiuiduum specificum, ac idem est, ac si dicas, Petrus est animal Bucephalus est animal, &c. quia articulus demonstratiuus hoc illud, &c determinat & designat aliquid singulare existens: atqui nullum est, aut potest esse singulare, nisi determinatæ speciei, ergo hoc animal significat indiuiduum, non genericum, sed specificum, & ita se habet ad animal, sicuti Petrus aut Bucephalus, quod confirmatur, quia generi, qua genus est, repugnat habere indiuidua immediate. Nam indiuidua sunt naturæ existentes à parte rei constitutæ, per completam essentiam, qualis est sola species, genus, qua tale est essentia incompleta. Vnde si quis existimet gradum genericum, v.gr naturæ sensitiuæ apprehendi posse ab intellectu, sub conceptu communi, & singulari, & per consequẽs, gradum genericum immediate prędicari de indiuiduo, consequenter dicet non prædicari vt genus, sed per modum speciei, quia gradus ille genericus collatus cum propriis indiuiduis non concipitur vt prædicabilis, de speciebus, & vt quid incompletũ, contrahibile, per modum cõpleti, & totius actualis, quod est proprium speciei. Vnde alia est relatio, qua gradus iste refertur, proprie ad indiuidua ab illa, qua refertur ad species, & earum indiuidua. Prior enim est relatio incompleti, & totius actualis constituti per proprium genus, & differentiam, posterior est relatio completi, & totius potentialis contrahibilis per differentias essentiales.

ARTICVLVS QVINTVS.

An species requirat plura indiuidua.

RESP. negatiue, sufficit enim vt vnum actu existat, plura vero sint in potentia saltem Logica eiusmodi species sunt natura Solis, Lunæ, &c. Vide dicta *q. præcedent. art. 8.* Hinc Aristotel. *1. poster. c. 5.* docet passionem non esse demonstrandam de indiuiduo, sed de specie, tanquam subiecto immediato, v gr. eclipsin non de hac luna, sed de Luna in genere. Ratio est, quia intellectus habet sufficiens fundamentum abstrahẽdi naturam communem ab vno indiuiduo, in quo existit, & comparandi eam cum pluribus indiuiduis possibilibus saltem ex parte ipsius naturæ, cui non repugnat multiplicari, nam proximum fundamentum speciei, quatenus vniuersalis est, non est natura, prout est à parte rei existens, sed prout est abstracta à differentiis indiuiduantibus, quæ vt sic est negatiue communis, & proxima disposita, vt positiue fiat vniuersalis, per comparationem ad plura indiuidua, quibus inesse non repugnat ex parte ipsius, quod si ex parte naturæ sit repugnantia, non poterit fieri abstractio, exemplum est in natura diuina, quæ essentialiter est vna, numero singularis, adeo si abstrahatur à singularitate, & concipiatur non hæc numero, natura sit amplius diuina, sed secum ipsa pugnet.

Obiic. Ex quorundam doctrina non possunt plures creari. Angeli eiusdem speciei, in quibus tamen inuenitur compositio generis, & differentiæ, v gr spiritus & differentiæ essentia Gabrielis, quæ simul est specifica, & indiuidualis, ergo species non quidem potestate Logica requirit plura indiuidua.

Resp. Longe verius esse Angelorum naturam non esse determinatam ad vnum indiuiduum, sed multos esse, aut saltem esse posse, solo numero distinctos. Secundo, Qui aliter sentit, admittit speciem subiicibilem in tali indiuiduo, saluari posse. Nam species illa non dicit essentialem potentiam ad plura, vt patet in qualibet specie subalterna, hic vero quæstio est de specie prædicabili, quæ necessario est vniuersalis, adeoque includit ordinem & poten

Potentiam ad inferiora, cum species subiicibilis solum dicat naturam aliquam complexam, ex genere & differentia, quæ vt talis est, nullam includit potentiam, neque ad differentias specificatas, neque ad indiuiduales.

APPENDIX.

DE INDIVIDVO.

QVÆSTIVNCVLA PRIMA.

Quales sint definitiones Indiuidui à Porphyrio allatæ.

Respond. tantum esse descriptiuas, probatur, quia definitio quidditatiua & stricte sumpta debet esse quid complexum, explicans quidditatem rei, sed indiuiduum, qua tale, non habet partes quidditatiuas, scil. genus & differentiam, sed tantum naturam specificam, & differentiam indiuidualem, ergo non potest propriis definiri. Quare indiuiduum scitur eadem scientia, qua ipsa species, quia non habet aliam differentiam ab essentia speciei, quia licet differentia indiuidualis, siue principia indiuidualia sint vere de essentia indiuidui, quatenus indiuiduum est, communiter tamen dicuntur non esse de essentia indiuidui, quia illa vox essentia includit quãdam præcisione mentis, & significat tantum principia essentialia, & gradus vniuersales.

QVÆSTIVNCVLA SECVNDA.

An hic describatur Indiuiduum sub communi aliqua ratione.

Resp. negatiue. Probatur: Quia talis communis ratio nõ datur. Indiuiduatio enim, vel singularitas, quæ cõstituunt indiuiduum, in ratione formali indiuidui sunt se ipsis in suo conceptu singulares, & incommunicabiles, ergo nõ potest ab illis abstrahi ratio communis ac indeterminata, quæ describeretur. Antecedens probatur, quia singularitas, seu indiuiduatio est ipsa vnitas numerica, hęc autem non potest concipi, nisi singularis. Consequentia probatur 1. quia si abstraheretur ratio communis, illa secum pugnaret. Nam esset singularis, & simul communis, esset determinata ac indeterminata Probatur secundo, Si indiuidua possent conuenire in cõmuni ratione abstracta, singularitatis, & differre per proprias singularitates, sicuti conueniunt in natura specifica, & differunt in singularitatibus, daretur processus in infinitum inconuenientiis, & differentiis, sed hoc absurdum, ergo. Sequela maioris probatur, quia propriæ illæ singularitates iterum conuenirent per aliquid cõmune, & differrent per aliquid proprium, & sic deinceps sine statu. Probatur tertio, illa non est ratio aliqua communis, quę includit essentialiter ac formaliter ipsam rationem differendi, per quam efficitur vni propria, sed in ratione communi indiuiduorum includitur ipsa ratio differendi, ergo nõ potest esse communis. Minor probatur, quia ratio communis omnium indiuiduorum, est quod vnumquodq; eorum sit singulare, ac determinabile, sed esse singulare est esse distinctum ab omni alia. Confirm. Quia sic posset concipi natura v gr. humana, cum indiuiduatione illa communi, quæ facerent compositum, ꝙ non est commune, nec singulare, non commune, quia sic natura illa non esset indiuiduata, neq; singulare, quia sic ratio indiuiduationis non esset communis, sed propria.

Dices, si non definitur ratio aliqua indiuiduorum, ergo tot assignãdæ erunt descriptiones, quot sunt indiuidua. Resp negando sequelam: datur enim mediũ scil. descriptio indiuidui confuse sumpti, in qua descriptione omnia indiuidua primo intentionaliter sumpta describuntur, ita tantum, vt nullum eorum determinate exprimatur, sicuti indiuiduum vagum significat rem determinatam, & non communem, sumptam tamen indeterminate, vt cum dicitur, aliquis calamus est necessarius ad scribendũ, de omnibus indeterminate hoc verũ est, cum dicitur, aliquis Logicus scribit, determinat, significatur aliquis singu-

singularis, licet non significetur nomine proprio. Quæ confirmantur ex Porphyrio, qui definitionibus suis subiungit hæc exempla, Socrates, hoc album, &c. quæ nihil habent secundæ intentionis, aut commune.

QVÆSTIVNCVLA TERTIA.

An indiuiduum possit prædicari?

Resp. affirmatiue, patet ex prima descriptione Indiuidui. Est n. vera prædicatio, Petrus est indiuiduum, quia & indiuiduum determinatum vere potest prædicari, vt hoc scribens est Petrus, non tamen proprie & naturaliter. Pro quo nota, ad prædicationis veritatem sufficere, vt ita se res habeat, sicuti enuntiatur, siue hoc pertineat ad scientiam, siue non. Et hoc modo est vera prædicatio, quando idem dicitur de seipso, sed ad propriam & naturalem prædicationem necessarium est, vt prædicatum sit superius, aut habeat se instar formæ, respectu subiecti, quia eiusmodi prædicatio vsurpatur in scientiis, vnde artificialis à Caietano vocatur, qui prædicationem absolute veram vocat naturalem.

QVÆSTIO TERTIA.

De Differentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit differentia, cuius trimembrem diuisionem affert ex Porphyrio.

Resp. est forma quædam realis, qua aliud ab alio differt, quæ si naturaliter accipiatur pro forma, quæ exercet officium differentiæ; semper est realis: si formaliter est quid rationis, sicut de Vniuersalibus dictum est. Natura igitur denominata realis est ipsa ratio denominans, sed ratio differendi est, quid rationis tantum, maxime in differentiis essentialibus, quia sicuti nulla est differentia, quæ vt talis, non dependeat ab intellectu, verbi gratia, homini inest quidem anima rationalis, & forma Physica, à parte rei, non tamen rationalitas, vt pars quædam distincta, siue forma Metaphysica, ac differentia formaliter, si materialiter tantum, & per identitatem quomodo etiam genus inest. Nam vna & eadem entitas varie concepta, habet rationem generis & differentiæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An diuisio illa trimembris sit bona.

Resp. affirmatiue, ex communi Interpretum sententia, Probat. quia diuisum & membra diuidentia æque late patent, vt constabit ex solutionibus argumentorum.

Obiic. primo. Differentia communis & propria non prædicatur in quale quid, ergo non sunt differentiæ, ergo abundat diuisio. Respond. illas secundum entitatem suam referri ad quartum & quintum prædicabile, ratione tamen cuiusdam affectus habere analogiam cum differentia, essentiali, vt proinde hic vtiliter exponi potuerint & tantum infertur in argumento non esse differentias essentiales.

Obiic. secundo: Differentia indiuidualis & proprietates specificæ non continentur vllo membro diuisionis, ergo non est sufficiens diuisio. Antecedens probatur, quia differentia indiuidualis non est essentialis, neque etiam accidentalis, ergo nec propria, nec propriissima, multa vero minus communis: proprietates non sunt accidentia, neque admittunt magis & minus, ergo non sunt differentiæ propriæ, constat etiam non esse commune, nec propriissimas.

Resp. differentiam indiuidualem reductiue pertinere ad differentiam propriissimam, quia sicuti illa constituit speciem, ita hæc proportione quadam constituit indiuiduum, Proprietates pertinent ad differentiam propriam, quia sicut se habent accidentia inseparabilia ad indiuiduum, ita fere proprietas ad speciem, respectu cuius dici potest, accidens inseparabile, ex natura ipsius speciei fluens, quia ad essentiam speciei non pertinet. Non est autem necesse, vt omnis differentia propria admittat magis aut minus, dictum enim Porphyrii permissiue accipiendum est,

dum est, ita vt sensus sit, à toto genere differentias proprias admittere magis & minus, & pluribus hoc conuenire, licet non omnibus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Qualis sit hæc diuisio.

QVIDAM opinantur esse generis in speciem, alii accidentis in accidentia, Resp. verisimilius est, esse diuisionē analogi in analogata, probatur, quia facere differre siue exercere actum & officium faciendi differre soli differentiæ propriissimæ cōuenit, absolute & simpliciter, aliis vero tantum secundum quid. Quia, quæ essentiali differunt, dicuntur simpliciter differre, quæ accidentali tantū dicuntur differre secundum quid, & esse dissimilia, nō autem proprie diuersa, atqui à ratione faciendi differre simpliciter, atq; à ratione faciendi differre secundum quid, siue per attributionem, per aliud, non potest abstrahi ratio communis vniuoca, sed analogo tātum, ergo.

Obiic. omnia prædicabilia conueniunt in ratione communi vniuoca, vniuersalis & prędicabilis, ergo & omnis differentiæ conueniunt in ratione vniuoca faciendi differre & per consequens erit diuisio generis in species.

Resp. negando consequentiam, quia ratio illa vniuersalis, in communi absolute & simpliciter conuenit omnibus prædicabilibus, hæc autem ratio faciendi differre simpliciter tamen conuenit differentiæ propriissimæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

An differentia admittat magis & minus.

RESp. negatiue. Est communis sententia, & ita expresse Porphyrius, *c.6. de different. in 4 diuis.*

Probatur, quia essentiæ rerum consistunt in diuisibili, vt docet Aristot. 8 *Metaph.t.*10. adeo, vt quouis addito, vel adempto vnitate desinant esse, sicuti species numerorum addita, vel adempta vnitate desinunt esse, & fiunt quidē potissima illius pars, ergo non habet latitudinē, vt admittere possit magis & minus.

Obiic primo. Vnus homo perfectius ratiocinatur, & quidem naturaliter, quam alius, vnde Arist. 1. *Polit.* ait, quosdam homines, ita alios excellere, vt ab ipsa natura aliorum Domini designati videantur, ergo differentia naturalis admittit magis & minus.

Resp. negando consequentiam, quia hæc diuersitas non oritur præcise ex ipsa differentia, sed ex temperamento, & figura & dispositione organorum, à quibus rationis vsus multum dependet, sicut & ceteri affectus, quorum magna est in diuersis varietas.

Obiic. secundo: species qualitatis quædam possunt intendi, & remitti v.g. albedo, color, ergo & quædam earum differentia.

Resp. negando antecedens, quia intensio & remissio fit tantum secundum gradus entitatiuos, siue substantiales, vt loquuntur, qui tantum sunt partes integrantes, non vero secundum prædicata essentialia, quæ omnia à genere summo usq; ad vltimam differentiam tam reperiuntur in calore, v.gr. vt duo, quam in calore, vt sex: &c.

Petes, an idem sit iudicium de propriis passionibus. Resp. affirmatiue, quia illæ oriuntur ex essentia, tanquam ex causa adæquata, quæ cum non admittat magis & minus, proprietates etiam non suscipient aliquam mutationem, quod dicitur vnus procliuior, sit ad actum ridendi, quam alius, id ex peculiari complexione conuenit.

ARTICVLVS QVINTVS.

An differentiæ speciei infimæ sint simplices.

COnsentiunt Philosophi pleriq; differentias genericas esse simplices, id est, vnito conceptu exprimi, & disputant tamen, an differentiæ constituenter speciē in finē non sint compositæ, ex pluribus conceptib. obiectiuis.

Resp. differentiæ vltimæ sunt omnino simplices, ita D. Thomas 2 *post. lib.*13. Scot. *ibid. q.*58. Probatur ex Aristot. 7. *Metaph. t.*43. vbi docet, si genus diuidatur per differentias essentiales, statim perueniri ad vltimam, Probatur secundo: Gradus vltimus essendæ rei tam est simplex, quam gradus superiores: ergo differentia, quę ab eo desumitur, tam erit simplex, quam intermediæ, quæ à superioribus. Antecedens probatur, qui anima v. gr. hominis quatenus conuenit cum plantis, tribuit homini vnam simplicem differentiam vege-

tatiui, quatenus conuenit cum animali, tribuit differentiam simplicem, & talis est rationale. Confirmatur: Quo differentia est perfectior, eo est simplicior, sed vltimæ sunt perfectiores, ergo.

Obiic. Aristot. *2. poster. c. 8 l. 17. & alib.* docet differentiam de pluribus prędicari, quam speciem, ergo non datur vltima differentia, quæ non pateat latius, quam species vltima.

Resp. negantes consequentiā quia Aristot. *loc. citat.* suggerit modum definiendi per plures differentias, quando propria differentia speciei vltimæ est ignota, sicuti plerumq; fit, ita definitur, inquit, numerus ternarius, numerus primus impar. Quod igitur de differentia, cum Aristot tum Porphyr. frequenter dicunt, eam latius patere, quam speciem, id de differentia subalterna verum est, de qua fere loquuntur, eo quod differentiæ vltimæ sint occultæ, licet Porphyr. eo propendere videatur, nō dari scil. differentias vltimas simplices.

ARTICVLVS SEXTVS.

In quo sita est ratio differentiæ, quatenus est prædicabile.

QVæ præmisimus, faciunt ad cognitionem gradus essentialis Metaphysicis. hic igitur explicanda ratio differentiæ, quatenus constituit quintum prædicabile.

Resp. Ratio formalis differentiæ, vt prædicabile est, consistit in aptitudine multis inexistendi, & de iisdem prædicandi per modum partis formalis essentiæ vnde prædicatur in quale quid. In quid, quia est de essentia in quale, quia est pars essentiæ formalis, quæ se habet per modum superadditi, & qualificantis aliud hinc Aristot. 5. *Met. t. 19.* dicit differentiam esse primam qualitatem substantiæ.

Nota, differentiam ad quatuor posse comparari, primo ad genus superius, quod diuidit & de eo prædicatur, per modum accidentis, cum sit extra ipsius essentiam. Salua enim potest esse essentia generis, in vna specie destructa differentia diuisiua in alia specie. Secundo comparatur ad sua inferiora, siue ad differentias specierum inferiorum, de qua comparatione *sequent. artic.* Tertio ad speciē quam constituit, de qua prædicatur, tanquā de vno & de pari, quia species formaliter & expresse est quid vnum virtute & implicite tātum plura, scilicet indiuidua, quæ ab ea deriuantur, & eandem participant essentiam, vnde cum de specie prędicatur, dici potest prędicari de pluribus; secundum rationem virtualem. Quarto comparatur ad inferiora speciei, quam constituit, & respectu illorum habet rationem vniuersalis, & prædicabilis, non inest differentia vltima, & quidem immediate, quia nimirum nulla distincta natura intercedit inter differentiam, & inter indiuidua Species enim de qua per se primo differentia prædicatur, & mediante illa de omnibus, quæ sub specie continentur, non est proprie natura media.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum differentia superior includatur & inferiori ac de illa prædicetur?

QVæstio est de differentia in concreto & formaliter accepta quia cōstat differentiam in abstracto non posse prædicari, maxime cum in abstracta significatione non tam sit, differentia quam differentiæ principium. Sic enim non facit formaliter officium differentiæ quod est facere differre, cōstituere speciem esse in quo species excedit genus. In materiali vero acceptione etiam euidenter includit differentias superiores Significat enim hoc modo speciem quam constituit.

Resp. Differentia superior non includitur formaliter in inferioribus differentiis, & per consequens nō potest de illis prædicari per se. Est cōmunis sententia contra nominales, qui docent non esse prædicationē differentiæ superioris de inferiori quam generis de specie.

Probatur conclusio. Quia differentiæ omnes sunt seipsis diuersæ. Ergo se mutuo non includunt. Consequentia probatur quia hæc est ratio cur summa genera se mutuo non includant. Probatur antecedens quia si differentiæ non differunt seipsis sed per alias differentias omnes differentia inferiores essent formaliter compositæ ex conceptu superiori, & proprio, & daretur processus in infinitum. Probatur secundo, Quia alioqui genus, v gr. animal non esset extra rationem differentiæ diuisiuæ scilicet rationalis, quia differentia constitutiva animalis nimirum sensibile non esset extra rationem rationalis quod est differentia

rentia diuisiua animalis. Confirmatur quia alioqui sensibile bis esset in homine semel inclusum in animali quod constituit & semel inclusum in rationali.

Obiic. primo differentia vltima, v. gr. hominis se rationalis est substantia corporea viuens, sensitiua ergo includit omnes differentias superiores.

Resp ad Antecedens differentiam formaliter non esse substantiam completam, quæ est supremum genus illius prædicamenti, sed esse substantiam late sumpto vocabulo substantię prout non distinguitur ab accidente: sic vero comprehendit etiam partes & substantias incompletas quales sunt differentiæ.

Obiic. secundo Rationale est sensibile, videtur esse prædicatio per se, ergo.

Resp. negando antecedens quia si formaliter accipiantur extrema est falsa prædicatio si materialiter est vera, sed accidentalis reducenda ad quintum prædicabile quia prædicatum est extra essentiam subiecti.

Obiic. tertio non potest dari rationale quod non sit sensibile, ergo signum est rationale formaliter includere sensibile.

Resp. negando consequentiam quia ad necessariam illam connexionem sufficit inclusio materialis siue præsuppositiua ita vt inferior differentia necessario præsupponat in natura quam afficit differentiam superiorem.

ARTICVLVS OCTAVVS.

An secunda definitio differentiæ conueniat differentiis vltimis?

Resp. negatiue cum communi sententia contra Caietanum hic conuenit enim solis subalternis siue mediis. Vltimas nō definiuit Porphyr. quod existimaret illas esse compositas ex pluribus, quarum singulæ aliis speciebus essent communes. Coniunctim tamen cum vna specie conuerterentur ac proinde vnica definitione explicari non posse. Vel ut alii in Porphyr. propensiores solas subalternas definit quia eorum frequentior est vsus in definitionibus & disputationibus quæ fere simul de rebus secundum prædicata vniuersaliora.

Dices ergo hæc definitio est insufficiens.

Resp negando illatum, quia abunde explicat modum prædicandi omnibus differentiis communem scilicet in quale quid: quo cognito facile potest formari definitio comprehendens omnes differentias, sicut enim differentia subalterna prædicabilis est de pluribus specie differentibus quia constituit speciem mediam quarum inferiorum est genus ac de pluribus differentibus specie prędicatur, consequens est, differentiam vltimam de solis indiuiduis tanquam inferioribus esse prædicabilem sicuti species quam constituit. Vnde distinctio quæ reperitur inter differentiam subalternam & vltimam, tantum est materialis non vero formalis, neque constituit duo diuersa prædicabilia.

QVÆSTIO IV.

De Proprio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quodnam sit proprium constituens quartum prædicabile.

Resp. Solum proprium quarto modo constituit quartum prædicabile, reliquæ spectant ad quintum prædicabile. Ita D. Thomas *op.*48. & passim interpretes Porphyrii ex Aristot. *Primo topicorum c.*4. vbi indicat tres primas acceptiones proprii coincidere cum accidente communi. Probatur conclusio, quia ad rationem proprii 4. prædicabilis duo requiruntur. 1. vt fluat ab essentia alicuius, secundum vt essentia sit illius adæquata & proxima: hæc autem Proprio soli quarto modo conueniunt, ergo. Maior probatur quia prædicatio reciproca est intrinseca conditio Proprii quarti prædicabilis: sed hæc supponit illa duo, ergo. Minor probatur, quia si oriatur ab essentia tanquam à causa inadæquata, tamen vt verisimile est de temperamento, albedine niuis &c. non reciprocatur cum essentia & cum oriatur ex alia essentia, & hoc ipso non conuenit speciei tanquam proprium sed tanquam accidens commune.

Obiicies proprium primo modo verbi gratia esse medicum vel Geometram, oritur ex essentia hominis vt principio adæquato, quod pertinet ad quartum prædicabile.

Resp. Antecedens verum esse, si ista accipiantur, pro aptitudine ad illiusmodi disciplinas, sed tunc sunt proprium quarto modo, vt vero sunt proprium primo modo significant actualem scientiam vel artem, & sic pertinent ad quintum prædicabile. Nota conclusionem intelligi de omni proprio quarto modo, siue id quod fluat ex principiis naturæ genericæ, quæ etiam habet suas proprietates, siue ex principiis naturæ specificæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quorum comparatione proprium sit quartum prædicabile.

NOta in proprio sicut in cæteris prædicabilibus reperiri rationem communem prædicabilis, & rationem particularem talis prædicabilis per quam ab omnibus aliis distinguitur.

Resp primo proprium non est vniuersale respectu solius speciei, est contra Toletum hic. Probatur, Quia vniuersale comparatur ad inferius, & latius potest illo respectu cuius est vniuersale Sed proprium reciprocatur cum specie tanquam illi æqualis ergo respectu speciei non est vniuersale. Confirm. Repugnat idem respectu eiusdem, esse proprium & vniuersale; nam proprium est quod vni tantum, vniuersale quod multis conuenit.

Resp. secundo proprium non est vniuersale ab aliis distinctum respectu indiuiduorum, seu inferiorum. Est contra Scotum hic. Probatur, quia hinc tantum habet rationem communem prædicabilis non specialem. Confirmatur. Definitio non conuenit proprio nisi comparatione speciei ergo respectus ad speciem concurrit ad constitutionem rationis specialis prædicabilis.

Resp. tertio proprium est quartum prædicabile ab aliis distinctum ex comparatione ad speciem à qua fluit, & ad inferiora. Sequitur ex dictis, cum vterque respectus concurrit ad constitutionem specialis vniuersalis.

Obiic. Proprium prius inest indiuiduis quam speciei. Ergo sola comparatio ad indiuidua sufficit. Nam ex ea erit vnum in multis prædicabile in quale proprium.

Resp. distinguendo antecedens: Si proprium accipiatur ut est accidens reale, prius inest indiuiduis secundum actualem inhærentiam & existentiam extremorum, quia indiuidua primo existunt, & ab his abstrahitur ratio speciei. Sed secundum connexionem prædicamentorum & intrinsecam habitudinem ad subiectum, prius inest speciei cum qua immediatam & necessariam habet connexionem independens à conditionibus indiuidualibus in quo distinguitur ab accidente communi. Ergo nullam materiam necessario sequitur, sed tantum complexionem indiuidualem: vnde non tam ratione existentiæ & inhæsionis quam ratione connexionis & habitudinis primo conuenit indiuiduis.

Nota quæ hic de proprio dicta sunt ad differentiam esse accommodanda, quæ habet rationem vniuersalis ex respectu ad speciem subalternam vel vltimam quam constituit. Et simul ex respectu ad inferiora, & hoc est quod dicitur differentiam & proprium prædicari mediate siue per participationem speciei.

QVÆSTIO V.

De Accidente.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quodnam sit quintum prædicabile.

TOletus *dub. 1. c. de accidente.* docet quintum prædicabile esse accidens commune respectu subiecti cui inest, prout distinguitur à substantia & ab accidente proprio vt in textu annotauimus.

Resp. Verius est quintum prædicabile esse prædicatum quodcunque habens contingentem & accidentalem habitudinem ad subiectum, siue illud sit substantia siue accidens prædicamentale. Ita Diuus Thomas *1. Posier. l. 9. & 1. top. c. 4.* vbi dicit, accidens apud Porphyr. non significare id quod commune est cum summis generibus, sed accidentalem

talem habitudinem prædicati ad subiectum. Probatur, quia numerus prædicabilium desumitur præcisè ex modo quo prædicatum se habet ad subiectum, adeo vt vbi reperitur distinctus modus, etiam reperiatur distincta ratio prædicabilis. Vnde vnum & idem verb. gr. color respectu diuersorum scilic. albedinis & parietis pertinet ad diuersa prædicabilia, videlicet generis & accidentis, idque propter diuersum modum se habendi ergo substantia & accidens si conueniunt in modo se habendi ad subiectum, qui constituit quintum prædicabile, ad illud pertinebunt. Confirm. Substantia & quoduis accidens conueniunt in ratione primi prædicabilis, si comparentur ad inferiora, sine quibus prædicantur essentialiter, ergo etiam conueniunt in ratione quinti prædicabilis respectu subiecti de quo prædicantur accidentaliter & contingenter.

Obiicit. Modus prædicandi sequitur modum essendi, sed substantia & accidens differunt in modo essendi ergo in modo prædicandi.

Respond ad maiorem, modum prædicandi non sequi modum essendi absolute, siue habitudinem prædicari ad subiectum. Alioqui enim tot essent prædicabilia, quot prædicamenta.

Obiic secundo, In hac propositione animal est homo, non prædicatur accidens sed substantia ergo pertinet ad quintum prædicabile.

Respondeo distinguendo antecedens non prædicatur accidens prædicamentale sed prædicabile, id est, id quod est extra essentiam prædicati, & de illo prædicari potest.

Petes, qualis sit hæc prædicatio vas est argenteum, Corona est aurea, &c.

Resp. Esse ei prædicabilis. Eiusmodi enim propositiones immerito reiiciuntur à quibusdam tanquam imcompletæ, in quib pars scil. materia prædicatur de toto artificiato, quia pars illa prædicatur per modum totius. Significatur enim nomine communi vnde prædicatur sicuti differentia & genus per modum scil. totius, & quia prædicatur adiectiue & per modum, forma accidentalis pertinent ad prædicabile accidentis. Et sensus est, vas est fabricatum in argenti materia, corona est fabricata in materia auri, esse autem in tali vel tali materia est accidentale vasis & coronæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An prima definitio Porphyrii sit bona.

Resp affirmatiue. Vide dicta in textu sensus est. *Accidens est quod ita se habet ad subiectū vt de ea affirmari vel negari possit. Ita vt neq; propter præsentiam & affirmationem neq; propterea eius absentiam & negationem natura & essentia subiecti destruatur.* Vt siue homo sit & dicatur albus, siue non sit & dicatur non albus vel etiam niger nihil decedit naturæ homini.

Dices. Si definitio intelligatur de separatione eiusmodi per intellectum etiam proprium erit accidens.

Resp Negando consequentiam, quia licet proprium possit, separari ab essentia per simplicem apprehensionem, vt fit quando subiectum concipitur sine proprietate nihil affirmando vel negando, neque tamen separari per negationem & iudicium compositum sicuti accidens, non enim potest negari risibilitas de homine siue præiudicio naturæ hominis, potest autem quoduis accidens.

Dices tam falsa est negatio accidentis inseparabilis de subiecto quàm proprii de natura.

Respon. Vtramque esse quidem falsam, sed cum distinctione, quia in qua negatur proprium, de natura implicat contradictionem, quia implicat naturam non esse principium suæ proprietatis, vel esse principium proprietatis oppositæ, illa in qua negatur accidens inseparabile de subiecto, non implicat nec euertit naturam subiecti. Non enim repugnat naturæ Æthyopis esse sine nigredine vel cum albedine.

Dices tertio. ergo nullum erit accidens inseparabile contra diuisionem Porphyrii.

Resp Negando sequelam. Erit enim accidens inseparabile realiter, de qua separatione intelligitur diuisio Porphyrii in accidens separabile & inseparabile.

Dices conditiones indiuiduantes sunt accidentia indiuidui, & tamen non possunt separari per intellectum Ergo.

Resp. Si per conditiones indiuiduantes intelligantur proprietates per quas describitur indiuiduum, nego antecedens: Si vero intelli-

gatur doctrina indiuidualis siue principium indiuiduum, separari non potest, quia non est accidens indiuidui sed de intrinseca ratione illius.

Petes primò vtrum mors sit accidens. Resp. Per mortem significari vel priuationem vitæ in fieri, siue dispositionem ad mortem, & sic est accidens, & quandiu est habet subiectum. ver. gr. hominem sicut & omnes morbi & vniuersim actiones priuatiuæ seu corruptibiles, vel secundo significari priuationem vitæ in facto esse, & sic non est accidens positiuum nec realiter inhæret alicui subiecto, quia tamen habet modum accidentis priuatiui nostro modo intelligendi inhæret materiæ primæ cuius conuenit illa definitio accidentis. Hæc enim potest esse cum tali priuatione & sine illa. Denominat tamen hæc priuatio animal non tanquam subiectum inhæsionis sed vt terminans qui fuit & à quo inchoata fuit actio corruptiua quæ terminatur formaliter ad priuationem.

Petes secundo an vita sit accidens. Respon. Vita prima quæ est forma corporis animati non est accidens, quia est pars altera essentialis compositi Physici. Vita secunda id est actus & functiones vitales, vt sunt videre, nutrire, &c. Est accidens, ideo est de calore naturali animalis, temperamento 4. humorum sine quibus subiecti seu animalis natura integre concipitur. Vel tertio vita vt significet durationem intrinsecam non est accidens, quia non est forma aliqua viuenti superaddita, sed ipsum viuens perseuerens in suo esse.

Ex dictis ex hac & præcedenti quæstione, colliguntur differentiæ inter proprium & accidens commune. Prima differētia proprium fluit ex essentia & principiis intrinsecis rei: Accidens vero ex conditionibus indiuiduantibus & principiis extrinsecis. Secunda, Proprium habet immediatam connexionem cū essentia & primo illi inest mediatam, cum indiuiduis Accidens vero immediatam cum indiuiduis & mediantibus illis conuenit speciei. Tertia proprium non admittit magis & minus sicuti accidens Quarta proprium est separabile à subiecto per 1am operationem tantum accidens etiam per secundam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Cuius comparatione accidens sit quintum prædicabile.

NOTA quædam accidentia prædicari de generibus speciebus & indiuiduis vt color de corpore mixto cygno, hoc cygno, &c. Alia de Solis speciebus & earum indiuidu s vt sunt actus omnium proprietatum specificarum v g videre hinnire, &c.

Respon. Accidens est quintum prædicabile comparatione cuiusvis subiecti cum quo cōtingentem habet connexionem siue illud sit genus, siue sit species, siue indiuiduum Definiri itaque potest hoc modo. *Accidens commune est quod prædicatur de pluribus in quale commune* definitiones Porphyrii sunt accidentes materialiter siue primo intentionaliter sumpri, non vero vt est quintum prædicabile.

Probatur conclusio, quia de his omnibus prædicatur modo ab omnibus aliis prædicabilibus distincto.

Dices Accidentia primo insunt indiuiduis & de iis prædicantur ergo comparatione Indiuiduorum constituunt quintum prædicabile.

Resp. Negando sequelam ex antecedenti enim sequitur tantum indiuidua esse terminum proximum, non vero esse adæquatum.

Dices secundo Propositiones singulares non pertinēt ad scientiam quia res singulares sunt incontinuo fluxu nec habent stabilem cognitionem. Ergo accidens non est vniuersale respectu singularium seu indiuiduorum seu speciei & generis.

Resp. Negando sequelam, tantum enim infertur principalem terminum esse genera & species, indiuidua minus principalem, adæquatus igitur terminus quinti prædicabilis sunt genera, species & indiuidua simul & hæc de prædicabilibus paulo fusius pro rei difficultate dicta sint nunc ad Categorias Aristotelis transeundum.

Fin Quæstionum de Vniuersalibus.

BERN.

BERNARDI MORISANI PHILOSOPHI ACVTISSIMI COMMENTARII IN CATEGORIAS ARISTOTELIS.

PROLEGOMENA

AVTHOR. INSCRIPTIO.

Categoriarum siue prædicamentorum liber communi interpretum sententia tribuitur Aristoteli & testatur id Porphyrius initio Isagogis. Stilus & modus scribendi id confirmant, tum etiam doctrina quæ conformis est iis quæ traduntur ab Aristotele quinta Metaph. *Inscribitur liber Categoriarum. Categoria ex prima sua institutione latine publicam & forensem accusationem significat, & quia in ea multa reo attribuuntur ex translatione enunciationem significat, & ab Aristotele hic sumitur pro prædicato & præcipua enunciationis parte. Et quia summa genera ita de aliis semper prædicantur vt subiici non possint, absolute prædicamenta dicuntur: quamuis hoc nomine non raro significetur series vel ordinatio omnium graduum superiorum & inferiorum vsq; ad indiuidua vt prædicamentum substantiæ sit tota illa series prædicamentalis v.g. substantia corpus, viuens animal, homo. Et hoc sensu describi potest hoc modo, Prædicamentum est naturalis dispositio prædicatorum & subiectorum per quam superiora de inferioribus quidditatiue prædicantur.*

OBIECTVM.

Docuimus obiectum totale Logicæ esse operationes intellectus. Hinc partiale obiectum sibi desumit liber hic primam operationem intellectus quatenus applicatam in prædicamentis: Tria enim prædicamenta sunt quæ obstant quo minus prima mentis operatio siue apprehensio recte fiat. Primum maxima rerum multitudo. Secundum confusio & permixtio rerum inter se vt substantiæ in accidentibus & accidentium inter se. Tertium Immoratio proprietatum quæ conueniunt rebus. Quæ impedimenta hac tractatione amouentur. Nam primo rerum multitudo imminuitur, dum omnes reducuntur ad 10. summa genera, secundo tollitur confusio, dum quælibet res collocatur in suo prædicamento. Tertio explicantur proprietates singulorum prædicamentorum. Neque pertinet hac tractatio ad Metaphysicam, cuius proprium est agere de ente & eius speciebus. quia agitur hic de illis iisdem non vt naturæ quædam sunt, tantum sed modo Logico vt nimirum res explicantur vocibus & prædicantur ac subiiciuntur siue vt substant secundis intentionibus, vt docet D. Thom. *in lectione prima in libru* περὶ ἑρμηνείας. Caietanus & hic alii. Et hic traduntur hoc libro æquiuoca, vniuoca, Paronyma, regulæ item prædicandi, quæ omnia diriguntur ad primam intellectus operationem perficiendam.

VTILITAS.

CONducit hic liber ad obiectionem secundæ & tertiæ operationis intellectus quæ deperdent à prima, vt facilius sit enuntiare & discurrere, quando res secũdum naturas suas proprias suæ confusione & distinctè concipiuntur. Immediate vero conducit ad definitiones quæ ex genere & differentia, ad diuisiores, quæ constant ex toto & partibus & superioribus & inferioribus, tum ad demonstrationes in quibus passiones demonstrantur, de subiectis vniuersalibus per suas causas.

DIVISIO.

TRes sunt huius libri partes. Prima continet quædam præambula quæ vocantur ante prædicamenta & absoluitur *c.*10. In secunda explicantur ipsa summa genera siue Categoriæ. Tum *c.*13. Subiungitur tractatio eorum quæ post prædicamenta vocantur.

CAPVT I.

De illis qua categorias antecedunt.

TRes sunt huius capitis partes. In prima traduntur tres definitiones, in secunda duæ diuisiones. In tertia duæ regulæ.

§ PARS PRIMA.

H*Omonyma siue æquiuoca sunt, quorum nomen solum commune est essentiæ vero ratio nomini respondens est diuersa.* Nota æquiuoca alia dici æquiuocantia & sunt ipsæ voces diuersa significatione plura significantes, alia æquiuocata passiua, & sunt ipsæ res diuersæ vocibus illis significatæ.

Resp Enim in se absolutæ non sunt homonymæ nisi ratione vocum quibus significantur. Definiuntur hic æquiuoca æquiuocata, quia æquiuocantia non habent nomen commune, sed sunt ipsa nomina Genus vel Superius definiti est entia diuersa in plurali. Eiusmodi homonyma sunt canis marinus & terrestris respectu nominis canis & homo putus & homo verus respectu nominis homo.

Nota tria requiri ad rationem homonymorum Primum vt habeant idem nomen: Secundum vt habeant rationem id est definitionem & essentiã diuersam. Tertiũ illa diuersitas definitionis sit in ordine ad idem nomen.

Quod primum nomen hic significat vocem simplicem vt excludantur orationes amphibologicæ: nomen hoc debet esse secundũ materiam id est secundum Syllabas & literas & secundum formam intrinsecam, quæ est eadem dispositio literarum, quantitas, accentus, cuius defectu populus non est non æquiuocum respectu multitudinis & respectu arboris ita dictæ, quia non est eadem quantitas illius vocis diuersa significantis

Dixi secundum formam intrinsecam, quia forma extrinseca & accidentaria nominis sc. significatio est diuersa. Secunda conditio vt essentiæ ratio id est vt definitio sit diuersa. In hoc enim distinguuntur æquiuoca ab vniuocis vt paulo post dicetur. vbi

Nota Aristotelem hic vti & 7 Physicorum c. 4. sub nomine æquiuocorum comprehendere etiam analoga vnde illud (diuersa) si explicandum est vt ratio essentiæ sit omnino diuersa si sint æquiuoca strictè sumpta, vel sit partim diuersa partim eadem si sint analoga. Tertia conditio est, vt definitio & essentia sit diuersa respectu eiusdem nominis. Nam quæ sunt æquiuoca. Respectu vnius nominis, possunt esse vniuoca respectu alterius vt patet in cane marino & terrestri, qui licet respectu nominis canis sint æquiuoca, respectu tamen animalis corporis & substantiæ sunt vniuoca.

Petes primo an æquiuoca accidentaria hic definiantur ve gr. acutum ferre & vocis respectu nominis acutum.

Respondeo affirmatiue sunt enim diuersæ essentiæ reales eodem nomine significatæ.

Petes secundo quomodo æquiuoca possint definiri cum habeant diuersas essentias.

Resp. Definiri plura æquiuoca combinata non secundum se vt sunt diuersæ essentiæ, sed prout illis conuenit appellatio æquiuocorũ, an consideratione sunt vniuoca & possunt definiri. Nam eodem modo hæc appellatio illis conuenit v. gr canis marinus & terrestris canis & Lupus marinus & terrestris respectu nominis canis & Lupus vna & eadem ratione sunt æquiuoca.

Petes tertio quotuplicia sunt æquiuoca?

Respo. Si nomen æquiuocorum late sumatur cum Aristotele, hic quatuor sunt genera æquiuocorum.

Primum

Primum dicitur æquiuocum à casu siue à fortuna, vt quando rebus omnino diuersis idem nomen fortuno inditum est, vt est os respectu orificii, & respectu durioris partis corporis. Secundum dicitur æquiuocum à consilio, quando diuersis rebus idem nomen inditum est, ob aliquam considerationem quamuis leuem, huiusmodi fere sunt metaphora vt ridere respectu hominis & prati; & hæc duo genera sunt æquiuoca proprie & stricte sumpta, tertium & quartum sunt analoga. Primũ eorum dicitur æquiuocum ab vno ad vnum, quod vocari solet à Philosophis analogum attributionis. Alterum dicitur proportionis, de quibus suo loco.

Secunda Synonyma siue vniuoca dicuntur quorum nomen commune est, & ratio essentiæ nomini respondens est eadem. Intelligitur ex præcedenti definitione. Tandem aduerte hic definiri vniuoca, vniuocata, essentialia, vt homo & brutum ratione animalis, & sumitur vniuocam strictius quam dum v.g. vniuersale dicitur vniuocum ad 5. prædicabilia Porhyrii. Ad hoc enim sufficit, vt dicatur secundum rem & rationem eandem licet accidentarie & denominatiue, vt album respectu niuis & hominis, risibile respectu Petri & Pauli. Hæc autem ratio eadem debet esse de essentia, vt in exemplo allato animalis.

Tertia Paronyma siue denominatiua dicuntur quæ ab aliquo differentia casu appellationem à nomine sortiuntur, id est quæ ab aliqua forma accidentali denominationem accipiunt à qua forma differunt in nomine sola diuersa terminatione.

Obserua denominatiua esse triplicia sc voca tantum, significatione tantum, voce simul & significatione. Voce tantum sunt concretum cum abstracto initio vocis conueniens, fine vero discrepans cum quo non significat eandem formam, vt somnus & somnolentus. Somnus enim significat quid naturale & non vitiosum. Somnolentus significat vitium. Secundo significatione tantum est concretum quod cum abstracto conuenit in significatione, voce autem vel tota discrepat vel tota conuenit, vt studiosus, quod significat id quod barbare dicitur virtuosus: vnde studiosus respectu virtutis est denominatiuum significatione tantum, vti & Dialectica mulier ita dicta à Dialectica arte. Tertio voce & significatione simul est concretum ratione abstracti, cum quo in significatione principali conuenit, & initio dictionis, discrepat autem in fine, vt iustus respectu iustitiæ.

Definiuntur hic concreta voce & significatione simul loco generis ponitur (concreta accidentaria) vt excluduntur substantialia verbi gratia argenteum ab argento lapideum à lapide animal ab animalitate.

Casu differre est differre inflexione vltimæ Syllabæ siue terminatione, quid inflexit tribus modis fieri potest vel per aduerbium, vel per adjectiuum vel per gradum comparationis vt à pulchritudine fit pulchre & pulcher & pulchrior.

(Ab aliquo) scilicet abstracte siue nomine substantiuo. Denominatiuum enim hic definitum deduci debet non tantum à re sed etiam à nomine quod intelligendum est Physice Philosophi enim ab abstractis & formis rerum deducunt nomina concreta, apud Grammaticos vero nomen abstractum deriuatur à concreto, quia sicuti concreta prius fuere cognita; ita & nominata.

(Sortiri appellationem) est dici prædicatione denominatiua eadem quoad vocem & significationem.

Obserua differre inter se denominatiuum denominans & denominatum. Denominatiuum est nomen adiectiuum quod significat formam per modum concreti siue in concreto, ut iustus.

Denominans est nomen significans formã in abstracto, vt iustitia. Denominatum est subiectum cui forma inest & de quo affirmatur vt homo.

SECVNDA PARS.

PRIMA DIVISIO.

EOrum quæ dicuntur alia vt coniuncta dicuntur alia vt simplicia. Diuisum sunt voces ex instituto significantes vt indicat Aristoteles, dum dicit vnum quodque eorum quæ dicuntur, aut substantiam significat &c. vel etiam res quatenus vocibus significantur sensus igitur diuisionis est vocum vel rerum

quædam sunt complexæ quædam incomplexæ. Complexę dicuntur quibus plures respondent conceptus, siue illi sunt rerum inter se realiter distinctarum, vt homo albus siue rei & modi ipsius vt homo stans siue rei & signi, vt omnis homo. Incomplexæ sunt quibus respondet vnicus simplex conceptus.

Artificialis vt sedes, statua, domus possunt dici incomplexæ; licet enim plures contineat partes illas tamen repræsentant coniunctim, & per modum vnius est animal rationale est complexa: licet enim idem sit quod homo, repræsentat tamen partes disiunctim.

SECVNDA.

EOrum quæ sunt alia dicuntur de subiecto, in subiecto vero nullo sunt: alia sunt in subiecto & de subiecto nullo dicuntur: alia dicuntur de subiecto & sunt in subiecto: alia nec sunt in subiecto, nec de aliquo subiecto dicuntur.

Hæc diuisio est subdiuisio secundi membri præcedentis diuisionis scilicet vocis vel entis simplicis & incomplexi vt excludantur omnia complexa quæ à categoriis reiiciuntur. Quatuor sunt huius diuisionis membra: Ad primum pertinent gradus substantiæ vniuersalis & differentiæ, quæ sunt de essentia suorum subiectorum, & proinde non insunt illis accidentaliter vt dicantur in diuisione in nullo esse subiecto vbi.

Nota subiectum in hac diuisione dupliciter accipi. Primò pro subiecto essentiali, quale est omne inferius respectu gradus superioris, & ita accipitur quando in diuisione coniungitur cum Dici. Ita vt Dici de subiecto idem sit quod prædicari essentialiter de subiecto. Secundo pro subiecto accipitur inhæsionis seu accidentalis, & sic intelligitur, quando in diuisione coniungitur cum esse, adeo vt esse in subiecto idem hic sit quod accidentaliter posse prædicari Ex quibus intelliguntur singula diuisionis membra, &c.

Ad secundum igitur membrum pertinent indiuidua accidentium, verbi gratia hæc albedo. Nam indiuidua hæc prædicantur de subiecto siue tribuuntur subiecto. Nec sunt de vllius subiecti siue inferioris essentia.

Ad tertium pertinent accidentia vniuersalia vt albedo color, &c. quia insunt in suis inferioribus essentialiter & præterea mediantibus suis inferioribus insunt subiectis inhęsionis accidentaliter.

Ad quartum referuntur substantiæ singulares, vt Petrus, hic Equus quia neque de vllius inferioris sunt essentiæ neque vlli accidentaliter inhærent. Modi substantiales reduci possunt ad primum membrum, quia in nullo sunt subiecto accidentaliter proprie & inhæ siue cum sint complementa substantiæ, dicuntur tamen de subiecto non quidem essentialiter stricte, cum non sint de essentia sed sumendo illud essentialiter latius vt etiam cōprehendat substantialiter.

In subiecto esse dico, quod cum in aliquo sit, non vt pars, sine eo cui inest, esse non potest. Est definitio accidentalis Genus definiti est esse intrinsece, vt excludantur ea quæ insunt extrinsece v.c. res in suo loco, causa efficiens vel operans in fine, &c [non vt pars], scilicet essentialis, vel integralis vel Physica, & sic excluduntur superiora quæ insunt inferioribus, tanquam partes essentiales. Secundo pes, manus, &c. quæ insunt Petro tanquam partes integrales Tertio materia & forma quæ insunt composito tanquam partes Physicæ (sine ea cui inest esse non potest) id est, quod non potest naturaliter separatum à subiecto existere, quod verum est de omni accidenti.

Solent hic afferri 8. modi inexistendi qu[i] hisce versibus comprehenduntur.

Insunt pars, totum, species, genus, in, quoque qu[...]
forma,
Regnum regi, res in fine, locoq; locata.

Singulos explicemus Primus est pars Physic[a] scil. materia vel forma vel pars, metaphysica[,] vt sunt corpus & animal respectu homini[s] vel pars integralis, vt caput, manus, &c. sun[t] in toto, quo etiam reducendi sunt modi sub[-] stantiales Secundo est quo Totum qualecun[-] que est in partibus suis simul sumptis v.gr. ho[-] mo in animali rationali. Tertio est. Quo in[-] ferius & gradus specificus est in superiori su[o] gradu generico, nam omne inferius contin[e-] tur aliquo modo in superiori suo sumpto p[er] modum totius potentialis. Quartus est qu[o] superius est in inferiori, vt animal in homin[e] Quintus est quo forma accidentalis est i[n] subiecto vt albedo in Petro Sextus est, quo [a-] liquid est in potestate alterius, vt regnum [&] seruus in Domino, septimus, quo operans inte[-]

intendens finem totus dicitur in fine quomodo animus dicitur totus esse in diuitiis. Auarus, quo res est in loco. Quo pertinet modus, quo res est in tempore vt Noe tēpore Diluuii.

Ex his modis tres postremi sunt externi, alii possunt dici interni. Solus vero quintus est quo accidens dicitur esse in subiecto.

TERTIA PARS.

PRIMA REGVLA ANTE PRÆDICAMENTALIS.

Cum alterum de altero dicitur vt de subiecto quæcunq; de attributo dicuntur, eadem etiam de subiect. dicuntur, i.e Quando vnum dicitur essentialiter de altero quidquid de illo dicitur vt de subiecto id omne dicitur de illius subiecto. Quod vt verum sit, necesse est, vt ea quæ de attributo dicuntur competāt illi, pro vt conuenit cum subiecto. Si n. tantum competerēt attributo, vt per se præcise sumitur, & quatenus differt à subiecto, illa non conuenirent subiecto, neque de eo possent dici. Declaratur tota regula. Petrus est homo, in hac propositione quæcunq; prædicantur de homine quatenus conuenit cum Petro, vt sunt hæc prædicata, animal, corpus, &c. Illa eadē dicūtur de Petro: quę vero dicuntur de homine pro ut in præciso significato differt à Petro, vt sunt hæc prædicata, esse speciē, esse aliquid contrahibile ad indiuidua, illa nō dicūtur de Petro.

Nota quæ attributo tribuuntur debere de illo dici vt de subiecto (sicuti habet regula) sc. proprie subiicibili, & minus late patenti, alioqui non sequitur, vt patet in hisce propositionibus. Homo est animal, animal est volatile, ergo homo est volatilis, quia animal, quod est subiectum secundę propositionis non est subiicibile proprie & minus late patens quā prędicatū sc. volatile, imo latius patet quā volatile.

Petes quo modo hæc regula conueniat cū secunda regula attributionum Porphyrii.

R. Hasce regulas habere se vt excedentia & excessa i. e. partim conuenire, partim differre. Conueniunt quia vtraq; cōplectitur prædicationes essentiales, vt sunt. Iohannes est homo. Homo est animal, animal est viuens, viuēs est corpus ergo Iohannes est corpus. Differūt vero quod regula Porphyrii comprehendat etiā prædicationes accidentales, vt Iohannes est albus, albus est coloratus. coloratus est qualificatus, ergo Iohannes est qualificatus. Hæc vero regula illas non continet quia dici hoc loco significat essentialiter prædicari. Nota secundo ex hac regula desumi modum illū argumentandi quem vocant à primo ad vltimū, qualis est hic, Iohannes est homo, homo est animal, animal est corpus, corpus est substātia, ergo à primo ad vltimū Iohannes est substantia. Duæ requiruntur conditiones, vt hęc argumentatio sit bona. Prima vt propositio in ordine prima affirmans sit: alioqui n. vitiose procederetur à non distributo termino ad distributum, vt patet in hoc exemplo, Iohannes non est leo, leo est animal, animal est corpus, ergo. Iohannes nō est corpus: vbi in cōsequēti corpus distribuitur vi particulæ negātis, dum dicitur; Iohannes non est corpus qui terminus in antecedente & propositione in ordine tertia non distribuitur cum sit prædicatū propositionis affirmatiuæ. Secunda conditio est vt propositiones omnes quæ iam sequuntur sit vniuersales, quia alioqui medium non distribuitur quod vitiat argumentationem, vt patet exemplo homo est animal, animal est brutum, ergo homo est brutum: Secunda propositio particularis alioqui esset falsa.

SECVNDA REGVLA ANTE PRÆDICAMENTALIS.

Diuersorum nec subalternorum generum diuersæ sunt specie differētię ac subalternorum generum, nūc prohibet easdē esse differentias, quæ vt intelligātur, nota diuersa genera, nec subalterna dici genera, quia sunt in diuersis prædicamentis v. g substantia, quantitas, qualitas, quę sunt summa genera, vel etiam genera singulorū eorū inferiora, vt sunt animal, quantitas continua & calor. Secūdo subalterna vocantur illa genera quæ sunt eiusdē prædicamenti, & quorū alterū sub altero ponitur, vt sunt animal viuens, corpus, substātia, & hęc proprie vocantur subalterna. Hic tamē sub generibus subalternis etiam comprehenduntur illa quæ sunt eiusdem prædicamenti, & quorum neutrū ponitur sub altero vt sunt animal & planta, quę sunt eiusdē prædicamēti sc. substantiæ, & conueniunt etiam in ratione corporis. Animal tamen non inferius respectu plantæ, neque planta respectu animalis. Ex his colligitur sensum regulæ esse qui genera diuersarum prædicamentorum habeant differentias essentialiter diuersas: Genera vero subalterna aliquando habent easdem differentias, vt patet in subalternis proprie

dictis, quorum vnum ponitur sub alio. In his enim genus inferius semper continet differẽtiam generis superioris, v.g. animal quod ponitur sub viuente & corpore continet essentialiter differentiam constitutiuam viuentis & constitutiuam corporis. Illa vero subalterna quæ sub eodem quidem tertio collocatur, neutrum tamen sub altero aliquando etiam habeant easdem differentias ve gr. Animal & planta habent differentias quæ constituunt viuens & corpus. Aliquando tamen non habent easdem v. gr. illa genera quæ immediate consequuntur summum genus, vt sunt corpus & Spiritus, quæ immediate subiiciuntur substantiæ. Idem dicendum de omnibus iis, quæ tantum conueniũt in genere summo v g. Homo & Angelus, Petrus & hic Angelus, quia hæc non conueniunt in vlla differentia, cum summum genus in quo solo conueniunt non habeat proprie differentiam constitutiuam.

Sub finem cap. tradit diuisionem Categoriarum, quæ talis est, eorum quæ vt simplicia dicuntur vnum quodque aut substantiam significat, aut quantum, aut quale aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati. Diuisum est ens reale simplex, finitum, directe positum in Categoriis, & totale vt excludantur entia rationis, entia composita ex rebus diuersi prædicamenti, vt sunt artificiata, Deus infinitus Partes Physicæ, vt materia & forma & partes integrales vt manus & pes.

CAPVT II.

De substantia prima & secunda.

PRæmittit substantiam cęteris prædicamẽtis quia est natura prior & omnium fundamentum, quam sic describit *Substantia est ens per se subsistens*, id est, aptum per se subsistere. Ens definiti est ens prædicamentale per quod excluduntur omnia quæ rejiciuntur à prædicamentis.

Hæc definitio etiam non comprehendit differentias substantiuas, tũ quia non ponuntur in recta linea prædicamentali, (hoc n. requiritur, vt sæpius per se possit prædicari) tum quia non habet se per modum naturæ substãtiuæ & materiæ sustentãtis alias partes, sed per modum adiacentis & qualificantis aliud, scil. genus, cuius sunt forma & actus. Subsistere per se est non dependere ab alio in sua existentia, vel non sustentari ab alio tanquam à subiecto, & sic excluduntur accidentia, quæ inhærent substantiæ tanquam subiecto. Quia vero substantia per se subsistit, fit vt possit sustentare accidentia, siue vt possit substare accidẽtibus, à quo officio sic etiam describi potest. *Substantia est ens substans accidentibus.*

Initio c. diuidit substantiam in primam & secundã Definitio substantiæ primæ est hæc: *Substantia est quæ proprie primum & maxime cum appellatur est quæ nec de subiecto vllo dicitur, nec in subiecto vllo inest*, hic equus Petrus. Quæ definitio licet assignatur per negationes, habet tamẽ hunc sensum positiuum, substantia vere est, sed non in aliquo vt subiectum, quia illæ negationes fundantur in positiua perfectione primæ substantiæ ver. gra. quod sit eius completum per se primo existens & subsistens, ex quo fit vt non sit in aliquo subiecto inhæsiue, sicuti accidens, neque dicatur de subiecto vt superius de inferiori.

Dicitur proprie substãtia, quia per se ipsam primo subsistit, & non per aliud, sicuti substãtia secunda dicitur, prima substantia id est principaliter, quia principaliter subit munus substantiæ quod est substare accidentibus.

Dicitur denique maxime substantia eo quod substet omnibus tam eis substantiis quam accidentibus.

Secundæ Substantiæ dicuntur *species, in quibus quæ prim æ substantiæ vocantur insunt tum & harum ipsarum genera.* Sensus est secundæ substãtiæ sunt naturæ specificæ vel genericæ quæ sunt gradus essentialiter superiores ipsa prima substãtia & illi insunt quarto modo inessendi tanquam prædicata essentialia, & secundum actum, in quibus etiam insunt ipsæ primę substantiæ, sed tertio modo inessendi & secũdum potentiam, sunt n. singularia in vniuersalibus, vt partes potestatiuæ, & hic modus inessendi significatur in definitione secundæ substãtiæ.

Reliqua ca. parte instituit aliquas comparationes, primo comparat secundas substantias cum accidenti quibus vtrisque substat prima substantia, & ostendit discrimen eorũ quoad prædicationem de prima substantia, quod secundæ substantiæ prædicantur de prima secundum nomen & rationem, id est, vniuoce secundum eandem rationem inferioribus essentialem; accidentia vero vel neq; dicatur secundũ nomen aut rationẽ, vt sunt abstracta,

non enim dicitur Petrus est albedo, vel si dicantur in concreto secundum nomen, vt Petrus est albus, non dicuntur tamen secundum rationem, id est, essentia & definitio accidentis non est de essentia aut definitione subiecti. Conueniunt vero secundæ substantiæ & accidentia, quod eodem modo dependeant à prima substantia quoad existentiam, ex quo infert illud vulgare sublatis primis substantiis fieri nequit vt ceterorum aliquid sit. Nam sublata totaliter prima substantia non possunt remanere secundæ quoad existentiam cum à primis à parte rei non distinguantur; neque etiam possunt remanere accidentia scilicet naturaliter.

Dixi totaliter sublata, quia constat in anima separata, quæ est pars primæ substantiæ remanere multa accidentia, vti & in corpore, seu in materia vbi.

Nota quod Porph. docet sublatis indiuiduis non tolli species & genera, cum hoc loco non pugnare. Intelligitur enim non de existentia, sed de essentia siue de necessaria habitudine terminorum inter se.

Secundo comparat inter se secundas substantias & docet eam quæ propius accedit ad primam vt est species esse magis substantiam, quam sit illa quæ est remotior, vt est genus. Ratio est quia quo propior est, eo perfectius, plenius & distinctius explicat naturam primæ, & eo etiam substat pluribus, quia etiam substat generi.

Tertio confert inter se secundas substantias primæ viciniſſimas, ut sunt species specialiſſimæ, & docet vnam non esse magis proprie substantiam, quam aliam. Ratio patet ex præcedenti comparatione.

Quarto comparat primas substantias inter se, & docet, vnum non posse dici magis substantiam quam alteram, quia æque subsistit & æque multis substat.

Petes primo quo sensu substantia summum genus dicatur ens completum.

Qui licet absolute ens completum significet id quod ad nullius constitutionem simpliciter concurrit communiter tamen etiam ens completum dicitur id quod prædicatur in quid de completis simpliciter, vt sunt genera & species, non vero differentia, neq; modi substantiales, & hoc sensu substãtia & reliqua prædicamenta dicuntur entia completa.

Petes secundo, qualis sit diuisio substantiæ in primam & secundam.

Respondeo cum D. Thoma *q 9. de potentia a.* 1. *ad sextum* esse analogam, quia ratio subsistendi & substandi accidentibus conuenit per se primo substantiæ primæ. Secundis vero per participationem substantiæ primæ.

Petes tertio, An diuisio per primam & secundam sit peculiaris substantiæ.

Resp. affirmatiue, quia licet accidens aliud sit vniuersale, aliud particulare, nullum tamen est subiectum primum, omne enim accidens est in alio vt in subiecto.

Petes quarto quo sensu Aristoteles dicat vniuersalia non esse substantiam?

Respon. Vniuersalia non esse substantias seorsum à singularibus existentes, vt sunt ideæ Platonicæ.

CAP. III.

De proprietatibus substantiæ.

Explicata ratione substantiæ hoc *c.* enumerantur 6. proprietates. Prima est. *Omni substantiæ commune est esse in subiecto*, id est, omnis substantia existit sed non in subiecto inhæsiue, hoc enim est proprium accidentium. Hæc proprietas conuenit substantiæ secundo modo. Omni licet non soli, conuenit enim etiam differentiis.

Secunda *substantiis & differentiis hoc conuenit omnia ab ipsis synonymos dici.* Sensus est, secundæ substantiæ & differentiæ dicuntur vniuoce de prima substantia Hæc proprietas conuenit substantiis secundis secundo modo, quia omnibus licet non solis, quia etiam conuenit differentiis & accidentibus collatis ad sua inferiora. Non conuenit substantiæ primæ. Hæc enim non dicitur de vllo subiecto.

Tertia. Omnis substantia hoc quiddam significare videtur. Nota quiddam denotare substantiam hoc singularitatem vnde (hoc quiddam significare) est significare substantiam singularem & completam perse subsistentem ab omni alio separatam, quæ possit designari demonstrando, hoc est quiddam, id est, aliquid. Quale quiddam significat substantiam vniuersalem. Hæc enim quia est substantia est quiddam, quia vero non est aliquid determi-

terminatum demonstrabile & non existit per se primo, sed per primam substantiam accedit aliquo modo ad qualitatem & hinc dicitur quale quiddam. Hæc proprietas conuenit vocibus substantiam significantibus, quibus est proprium quarto modo. Omnibus enim & solis conuenit videri significare hoc quiddam. De nominibus primæ substantiæ non est dubium de nominibus secundæ substantiæ probatur, quia licet vere illa significent quale quiddam videntur, tamen propter similitudinem denominationis significare hoc quiddã, vt dum hominem vel animal dicimus, videmur significare suppositum & quid determinatum: licet vere significemus quid indeterminatum & vniuersale. Conuenit solis, quia differentiæ & concreta accidentium vt rationale hoc album (de quibus potest esse dubiũ) significant formas suas per modum inhærentis & adiacentis, & tantum connotantur hoc quiddam tanquam formæ subiectum.

Quarta. *Id etiam conuenit substantiis quod ipsis nihil sit contrarium.* Est proprium secundo modo: nam etiam conuenit quantitati.

Nota primo aliud esse contrarium Physicum, aliud Logicum, aliud Metaphysicum. Contraria Physica sunt omnia illa, inter quæ est per se natus determinatus, & sic relatiue, priuatiue & contradictorie opposita sunt contraria. Logica contraria sunt solæ formæ accidentales positiuæ sub eodem genere quæ eidem subiecto capaci possunt inesse, & ab eo se mutuo expellunt. Metaphysica contraria sunt differentiæ oppositæ, vt rationale & irrationale.

Nota secundo Quædam esse contraria per se alia per accidens Per se contraria sunt ipsæ formæ accidentales, vt calor & frigus. Per accidens contraria sunt subiecta istorum accidentium, vt ignis & aqua, quæ sunt contraria non ratione sui, seu ratione substantiæ & per se, sed ratione caloris & frigoris, quorum sunt subiecta. Proprietas hæc quarta intelligitur de contrario Logico & per se: nam substantia habet contraria Physica, v. g. priuationem & contraria per accidens, vt patet ex dictis.

Quinta. *Videtur substantia non admittere magis & minus.* Sensus est, substantia non patitur intentionem aut remissionem, ita ut vna aut eadem diuerso tempore sit magis vel minus substantia, sicuti qualitas, verbi gratia calor, albedo in eodem subiecto modo maior est, modo minor, & consequenter vnum idemque subiectum magis vel minus calidum. Hæc proprietas sequitur & quarta, quia intentio & remissio proprie fit per admixtionem contrarii. Conuenit substantiis secundo modo, quia omni etsi non soli, nam & differentiis conuenit & quantitati, & propriis quarto modo.

Nota hanc proprietatem non pugnare cum dictis cap præced. vbi docuit Aristoteles, vnam substantiam esse magis substantiam quam sit alia, quod nimirum pluribus substet prædicatis, & per se primo subsistat, alia vero pauciori & per aliud. Hic enim non confert diuersas substantias inter se sed tantum docet vnam & eandem non intendi & remitti.

Sexta. Hoc autem substantiæ maxime proprium videtur, quod eadem & vna numero contrariorum sit capax, id est, vna & eadem perseuerans substantia potest successiue suscipere contraria; tanquam subiectum quod. Nam quantitas, verbi gratia, superficies potest recipere albedinem & nigredinem, calorem & frigus, similiter intellectus & voluntas possunt recipere actus contrarios non tamen vt subiectum primum, & quod. sed tantum vt subiectum quo, id est, mediante quo substantia vel anima recipit illa contraria Conuenit substantiæ primo modo, quia soli non tamen omni, quia cœlum non admittit contraria Logica. Accidentia vero quando in contraria mutantur, desinunt esse.

Obiicit sibi Aristoteles eandem orationem modo esse verum, modo falsum, ac proinde admittere contraria. Vt Petrus sedet, vera est dum sedet, ipso surgente est falsa.

Resp. orationem esse capacem contrariorum sine vlla sui mutatione per solam mutationem rei significatæ & obiecti, & ab hoc distingui à substantia quæ est capax contrariorum per realem susceptionem & mutationem intrinsecam sui. Verum clarius respondetur, esse diuersas orationes quarum vna est vera, altera falsa, quæ enim de Petro sedente enuntiatur alia est ab illa quæ anuntiatur Petro surgente, & sic nulla est obiectio.

CAPVT

CAPVT IV.

De Quantitate.

POst substantiam agit Aristot. de quantitate quia inter accidentia nobis est notissima & quia reliqua accidentia, insunt substantiæ mediante quantitate Agitur vero hic de quantitate molis, & non de quantitate siue perfectione virtutis & essentiæ, quæ in omnibus prædicamentis reperitur imo & in ipso Deo.

Quantitas est forma secundum quam aliquid dicitur, aliquid dicitur quantum vel aliqua dicuntur aliquot. Describitur hic quantitas per concretum se per quantum & aliquot, quia illud est notius quam abstractum, licet abstractum sit notius natura, & per illud assignari definitiones proprie dictæ debeant vt Aristot. 6. *Topic. cap.* 4. Eius definiti hic est forma accidentalis prædicamentalis, id est vna, realis, integra vt excludantur differentiæ quantitatis & principia. Reliquæ descriptionis pars secundum quam &c. excludit omnia alia prædicamenta.

Obserua ex definitione duplex esse concretum quantitatis scilicet quantum & quotum siue aliquot. Quantum dicitur à quantitate continua, verbi gratia, longum latum profundum quæ sunt concreta denominatiua à longitudine, latitudine, profunditate. Quotum siue aliquot dicitur à quantitate discreta, vt duo, tria quatuor secundo tertio quarto dicuntur à binario, ternario quaternario quæ sunt species numeri & quantitatis discretæ.

Hinc colligitur prima diuisio quantitatis. Quantitas alia est continua, alia discreta Continua est cuius partes termino communi copulantur. Discreta est cuius partes non copulantur termino communi. Terminus vocatur hic aliquid indiuisibile vel simpliciter & absolute siue omni ex parte, vt punctum & instans temporis: vel secundum quid siue secundum aliquam dimensionem, vt linea & superficies: nam quamuis linea diuidi possit secundum longitudinem tamen secundum latitudinem secundum quam est terminus superficiei diuidi non potest. Similiter superficies licet diuidi secundum longitudinem & latitudinem, non tamen secundum profunditatem cuius est terminus. Triplex vero est terminus, inchoans, continuans seu communis & finiens.

Quantitas continua vlterius diuiditur in permanentem cuius scil. omnes partes simul existunt, & in transeuntem siue successivam cuius scilicet partes in continuo fluxu sibi mutuo succedunt. Permanentis quantitatis species numerantur ab Aristot. Linea superficies, corpus & locus. Linea est longitudo latitudinis & profunditatis expers cuius partes puncto copulantur & licet non reperiatur linea sine latitudine & profunditate, datur tamen secundum rationem & definitionem sicuti gradus virtutis superficies est longitudo & latitudo expers profunditatis cuius partes linea copulantur. Corpus est longitudo cum latitudine & profunditate cuius partes superficie copulantur. Solent igitur imaginari Philosophi, lineam fieri ex fluxu seu descriptione puncti superficiem ex fluxu lineæ corpus ex fluxu superficiei.

Locus est superficies corporis continentis aliquid locatum, verbi gratia, superficiens aeris ambiens hominem. Vnde ad rationem loci duo concurrunt scilicet superficies tanquam materiale, & continentia tanquam formale. Locus vero pertinet ad quantitatem secundum suam materiale tantum.

Quantitas continua successiua est tempus cuius partes scil. præteritum, præsens & futurum copulantur instanti. Instans est momentum vel nunc indiuisibile.

Per præsens accipitur non aliquid indiuisibile sed exigua aliqua mora & latitudo temporis.

Quantitates discretæ sunt numerus & oratio quia earum partes nullo communi termino sunt connexæ, neque enim media vnitas in ternario numero terminus est finis scilicet prioris vnitatis & initium sequentis, sed est aliquid per se discretim & pars interiecta idem est dissyllaba media in oratione.

Nota agi hic de numero quantitatiuo & multitudine rerum quantarum quæ conflatur ex vnitatibus quæ consequuntur rem quantum quia numerus transcendentalis qui constat ex vnitatibus transcendentibus siue quæ comitantur essentiam cuiusque rei pertinet ad prædicamentum earum rerum quarum est numerus, vt centum Angeli ad sub-

ad substantiam, tres relationes ad relationem &c. oratio est prolatio syllabarum sibi inuicem discrete succedentium, pertinet autem ad quantitatem & est numerus illarum syllabarum.

Secunda diuisio. Quantitas est, Quantitas alia est quæ ex partibus constat quæ inter se situm habent, alia ex iis quæ situm non habent. Situs hoc loco significat ordinem partium, permanentium & simul existentium in continuo permanenti ratione cuius ordinis pars vna est prior altera, vicinior principio medio aut fini, vna summo altera infima &c Huiusmodi situm habet linea, superficies, corpus, situm non habet tempus, numerus & oratio, quia harum partes vel non existunt, vt sunt tempus & oratio cum sint in continuo confluxu, vel non sunt continuæ, vt numerus & oratio. Vnde licet habeant ordinem prioris & posterioris vt quod vna pars temporis & orationis præcedat alteram vnus numerus, verbi gratia, binarius prius numeratur quam ternarius situm tamen non habent.

Sub finem cap. docet species enumeratas quantitatis esse quantas per se: alia vero omnia prout substantiam qualitatem actionem &c. esse quanta per accidens & denominatiue quatenus accidentaliter affirmatur ab aliqua specie quantitatis. Sic substantia dicitur quanta, longa, lata, albedo lata ratione superficiei actio longa ratione temporis longi.

CAPVT V.

De proprietatibus Quantitatis.

TRES adfert proprietates quantitatis & soluit aliquas obiectiones.

Prima. Quantitati nihil est contrarium scilicet contrarietate Logica & per se vt supra explicuimus c 3. nam per accidens & ratione alterius, verbi gratia, quantitatis possunt superficies & lineæ sibi esse contrariæ vt superficies alba & nigra, linea curua & recta.

Conuenit secundo modo proprii scilicet omni non soli conuenit re etiam substantiis.

Obiicit sibi Aristoteles primo: Magnum est contrarium paruo & multum pauco. Resp. & hæc non esse contraria, quia alioqui vnum & idem eodem tempore haberet contraria. Nam idem respectu diuersorum est magnum & paruum simul. Sunt igitur potius relata quorum vnum sine altero non potest intelligi.

Obiicit secundo sursum & deorsum sunt contraria & insunt loco, ergo. Huic obiectioni non respondet quia forte censuit priorem solutionem illi adaptandam. Vnde sursum & deorsum vel significant relatione tantum, quo modo aer respectu aquæ est sursum, respectu ignis est seorsum, vel si sunt contraria non sunt talia ratione loci & quantitatis sed tantum ratione vbi aut situs.

Secunda. Non videtur etiam Quantitas admittere magis & minus, id est, non potest intendi & remitti, licet possit extendi & contrahi siue fieri maior & minor. Vbi notandum discrimen inter magis & minus aduerbialiter, & inter maius & minus adiectiuum. Prius enim significat intentionem & remissionem. Posterius extensionem & contractionem. Intentio fit per additionem gradus ad gradum præexistentem, idque in vna & eadem parte subiecti, vt dum calor in digito crescit & augetur, remissio contra quando in eadem parte subiecti gradus aliquis perit vt cum calor ignis sensitiui imminuitur. Extensio fit per additionem gradus ad gradum in diuersa parte subiecti, vt quando calor ex digito diffunditur ac promouetur ad alias partes vicinas antea frigidas, contractio contra, quando calor perit in diuersa parte subiecto. Potest igitur quantitas extendi & contrahi: non vero intendi & remitti, quod proprium est qualitatis quæ admittit accessionem gradus entitatiue perfectionis ad gradum præexistentem in eadem parte subiecti, cum quo tamen conuenit in essentia & quidditate.

Hæc proprietas conuenit quantitati secundo modo.

Maxime proprium est quantitati quod æqualis dicatur vel inæqualis. Sensus est, aptitudo ad æqualitatem & inæqualitatem & propria passio quantitatis quia actualis æqualitas potest non inesse, vt si vnum esset quantum vel potest tolli & mutari, vt quando æquale fit inæquale.

Æqualitas est relatio per quam vna quantitas comparatur alteri in magnitudine, vel multitudine secundum negationem excessus & defe-

& defectus inæqualitas est relatio quæ reperitur inter quantitatem secundum excessum & defectum magnitudinis vel multitudinis. Harum relationum fundamentum est quantitas: vnde quod res dicatur æqualis id habet fundamentaliter à Quantitate, formaliter verò à relatione æqualitatis vel inæqualitatis.

Nota relationes has non conuenire nisi quantitatibus, quæ conueniunt in eadem ratione mensurandi. Hinc linea dicitur æqualis vel inæqualis lineæ cum qua conuenit in ratione mensurandi secundum longitudinem. Non dicitur autem æqualis vel inæqualis superficiei aut corpori in quo quantitàs discreta distinguitur à quantitate continua, quod quantitates continuæ speciei eiusdem inter se dicantur æquales vel inæquales, & quantitates eiusdem speciei, vt duæ lineæ possunt esse inæquales: quantitates autem discretæ diuersæ speciei inter se dicantur inæquales, vt numerus ternarius & quaternarius, quia scilicet conueniunt in ratione mensurandi secundum multiplicationem vnitatum. Omnes vero eiusdem speciei quantitates discretæ sint æquales, quia in numeris omnis æqualitas vel vnica etiam vnitate addita vel detracta mutat speciem numeri & inæqualitatem sequitur diuersitas specifica.

CAPVT VI.
De ad aliquid.

QVIA supra fecit mentionem relatiuorum & relationis, de iis immediate agit post quantitatem. In Metaphysica præmittit qualitatem secutus ordinem dignitatis. Initio cap. ponit primam definitionem. Ad aliquid ea dicuntur quæ ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur aut quomodolibet aliter ad alterum, id est, Ad aliquid sunt quorum essentia & natura refertur ad aliud expressum casu genitiuo aut quouis alio. Vt pater est filii pater. Simile est simili simile.

Definitio hæc communis est omnibus relatiuis tam secundum dici quam secundum esse. Relatiua secundum dici sunt entia quædam positiua & respectiua, quæ ex natura sua respiciunt aliud ad quod ordinantur: eiusmodi sunt accidentia quæ ordinantur ad perfectionem & ornatum subiecti, potentiæ, habitus, dispositionis quæ etiam ordinem dicunt ad obiecta. Relatiua secundum esse sunt quæ formaliter non dicunt entitatem aliquam realem Physicam, sed nudum ordinem & habitudinem ad aliud, vt sunt pater & filius, similia, æqualia &c. & hæc sola ponuntur in hoc prædicamento definitio hæc ab Aristotele allata aliorum est, & eam improbat *c. sequenti.*

Notandi igitur quidam termini qui in explicatione relationis occurrunt. Primus est relatio qua significat ipsum ordinem & habitudinem quam secundæ res ad inuicem habent, vt similitudo æqualitas. Secundus est relatiuum & significat concretum relationis, vt simile æquale. Tertius est correlatiuum significat relatiuum quatenus cum alio relatiuo comparatur. Quartus extremum significat subiectum relationis sine relatiuum materialiter simplum vt Iohannes. Dicuntur autem subiecta relationis extrema quia inter illa mediat ordo ipse & relatio. Quintus terminus significat id ad quod relatiuum primo refertur, vt filius est terminus patris. Sextus fundamenti est ens absolutum in quo fundatur relatio, vt qualitas est fundamentum similitudinis, quantitas fundamentum æqualitatis. Septimus ratio fundandi, quæ etiam dicitur fundamentum proximum, est conditio requisita vt relatio in fundamento consurgat, & conuenientia vnius parietis cum alio in albedine est ratio fundandi similitudinem.

CAPVT VII.
De proprietatibus ad aliquid.

QVatuor assignat proprietates Relatiuorum. Prima. Conuenit etiam relatis contrarietas, id est. Relatis potest esse aliquid repugnares nullo 4. modorum est proprium quia non conuenit relatis per se ac formaliter sed tantum ratione fundamenti, vt virtus quę est relatiuum. Secundum dici respectu sui obiecti & termini contrariatur vitio. Relatiuis secundum esse etiā non conuenit quia formaliter sunt nude respectus qui carent entitate reali Physica & per consequens contrarietate.

Ad aliquid videntur etiam admittere magis & minus conuenit relationibus quarum fundamenta & rationes fundandi possunt variari, vt sunt similitudo æqualitas, quæ enim habent fundamenta indiuisibilia, vt sunt pro-

portiones arithmeticę & geometrię non possunt videri admittere magis & minus, vt sunt duplum dimidium &c.

Nota recte addi videri, quia relatiua non accipitur magis & minus per veram mentionem eiusdem numero relationis sicuti qualitas sed per variationem relationis, dum alia & alia numero magis & minus accedit ad perfectam æqualitatem & similitudinem quæ proprie consistit in indiuisibili vnde improprie aliquid dicitur nunc magis nunc minus simile aut æquale.

Tertia. Omnia relata dicuntur ad reciprocantiam, id est, relata vicissim ad se inuicem referuntur, vt pater est filii pater & filius patris filius. Conuenit primo modo proprii, quia solis non tamen omnibus, conuenit enim relatiuis tantum mutuis, fallit in non mutuis vt sunt Deus, à creatura. Creatura enim realiter refertur ad creatorem non vero vicissim creator ad creaturam, vt docent Scholastici *prima part. q. 3. a. 6.* Fuse hanc proprietatem explicat Aristoteles. Id autem notatu dignum quod in exprimenda hac reciprocatione assignari debeat proprium siue correlatiuum adæquatum, omissis iis quæ per accidens coniuncta sunt, vt sunt pater & filius, quia pater & Iohannes, v. gr. vel doctor vel sacerdos &c. non sunt proprie correlatiua patris, sed iis remotis numeris homo filius. Et si correlatiuum careat nomine (vti sępe fit) confingi debet concretum per deriuationē à nomine cuius inuestigetur correlatiuum, v. gr. ala, gubernaculum, caput, non habent adæquata correlatiua proprio nomine expressa, sicut pater & filius dominus & seruus auis enim & nauis non sunt adæquata, nam & muscæ habent alas & quædam naues carent gubernaculo distantiæ habent caput. Eiusmodi igitur finguntur correlatiua, alatum, gubernatum, capitatum vt dicitur ala alati ala, gubernatum est gubernati gubernatum, & contra alatum est ala alatum, gubernaclum gubernaclo gubernaclum.

Quarta. Videntur ad aliquid simul esse natura. Ratio est quia ordine naturę simul oriūtur & intereunt. Conuenit relatiuis mutuis secundum esse, vt sunt pater & filius, dimidiū duplum &c. nō autem relatiuis secundū dici. Hæc enim neque simul oriuntur, quia partes sunt priores natura toto obiecta habitibus & actibus, neq; simul intereunt saluo n. obiecto potest tolli significantia totū saluis partibus

CAPVT VIII

REdarguit definitionem hic c. 8. allatam quod ex illa sequatur quasdā substantias esse relationes scil. partes substantiarum cum tamen omnis relatio sit accidens, aliū igitur assignat his verbis. Ad aliquid sunt quorum essentia est idē quod affici quodammodo ad aliquid, i. e. quorum essentia est tantum ordo & ad aliud habitudo. Differt hæc definitio à priore quod illa ponat habitudinem & comparationem in appellatione hæc vero ipsa in re non relatiua secundū dici habent esse absolutum licet ordinatum ad aliud ex hac definitione infert aliam proprietatem relativorū. Si quis nouerit definite alterū relatiuorū etiam alterū nouerit definite, v. g. si quis determinate cognoscat patrem in vniuersali, cognoscet & filiū in vniuersali, vt si quis cognoscat hunc patrem in particulari etiā cognoscet hunc filium. Ratio est quia relatiuorum essentia & quidditas est referri ad aliud. Ex quo etiā confirmat partes substantiæ, v. g. caput, manus nō esse relatiua, quia id ꝙ sunt secundū substantiam determinate potest cognosci absque eo quod cognoscamus cuius sunt partes.

CAP. IX.

PRæmittit Qualitatem actioni & passioni quia hæ sunt per qualitates actiuas.

Qualitas est ex qua quales quidam esse dicuntur. Per quales excluduntur primo differentia in qua aliquid dicitur quale quid secundo accidentia cætera à quibus subiectum non proprie quale dicitur sed quantum vel relatum vel alio modo.

Porph. quādo dicit omne accidēs prædicari in quale accipit quale in lata significatione, hic vero significat distinctū prædicamentū à cæteris. Vnde & inscribitur hoc caput ab Arist. de qualitate & quali, vt restringat hanc tractationē ad peculiarem speciem accidētis secundum q̄ res aliqua propria dicitur qualis.

Quatuor assignantur species Qualitatis ab Arist. prima est habitus & dispositio.

Habitus est qualitas sub sensum non cadens exercitio comparata firmiter subiecto inhęrens per quam subiectum redditur promptum ad aliquid facile faciendum, vt iustitia, scientia, ars, quibus homo fit expeditus ad actiones iustitiæ opera artis & scientiæ.

Dispo-

Dispositio est similis qualitas à subiecto facile mobilis, vt promptitudo & facilitas in eo qui dicit artem aut scientiam. Habitus igitur differt à dispositione quod difficulter auellatur à subiecto, dispositio vero facile secunda species naturalis vis & imbecillitas. Naturalis vis est qualitas subiecto à natura indita per quam est aptum ad aliquid patiendum vel ad resistendum contrario, vel ad recipiendum aliquid quod facit ad eius perfectionem vt potentia videndi &c. intellectus, voluntas, sunt vires naturales ad agendum, salubritas est temperamentum, quod quid ab incommodis non facile læditur sunt vires ad resistendum. Huc pertinet durities perspicuitas &c Imbecillitas naturalis est qualitas naturaliter subiecto inhærens per quam subiectum est positiue ineptum vel impotens ad opus, vel ad resistendum contrario vel aptũ ad recipiendum id quod sibi est noxium vt tarditas ad cursum, hebetudo visus, ingenii teneritudo temperamenti seu insalubritas, mollities opacitas. Dicitur (positiue) quia naturalis imbecillitas non est priuatio potentiæ, sed potentia minus bene composita, quia mera priuatio non est qualitas. Ad hanc secundam speciem pertinent proptias passiones naturaliter ex essentia manantes sensus & vitales potentiæ, naturales item propensiones ad amorem, verbi gratia, odium &c.

Tertia species patibilis qualitas & passio. Patibilis qualitas est quæ habet entitatem realem non ordinatam alii firmiter inhærens subiecto & aliquo sensu exteriori perceptibilis. Huiusmodi sunt obiecta sensuum color, sapor, &c. Dicitur patibilis qualitas, quia passionem gignit in sensu, vt frigus in tactu, amaritudo in gustu, licet aliqua non generent passionem in sensu, vt sunt obiecta visus, colores scilicet quos Aristoteles vult dici patibiles qualitates ex eo quod subiecto innascuntur ex passione permanente sine naturali dispositione.

Passio est similis qualitas non firmiter subiecto inhærens vt pallor ex metu, rubor ex verecundia. Dicitur (passio) quia ab eo subiectum non denominatur absolute, verbi gr. pallidum, rubicundum, sed tantum dicitur aliquid esse passum scilicet expalluisse. Vnde etiam negat Aristoteles passiones esse qualitates & prædicari in quale, quod intelligit de absoluta & perfecta prædicatione. Per (entitatem realem in definitione) excluduntur figuræ & formæ quæ tantum sunt modi. Per (non ordinatam alio) excluditur à passione dispositio quæ ordinatur ad aliquem actum vlteriorem. Huc pertinent omnes qualitates spirituales & corporales præter eas quæ ad primam & secundam pertinent speciem vt sunt actus vitales & operationes intellectus & voluntatis, quæ sunt actus vltimi alio non ordinati, potentiæ ipsæ ordinant animam ad operationes: Et hinc dici solent actus primi, actiones vero ipsæ actus secundi.

Quarta species est figura & forma quæ sunt qualitates quædam resultantes ex positione partium & terminorum qualitatis continuæ, vt sunt triangulum, quadrangulum in superficie. Forma significat modum ipsius rei quantæ, verbi gratia, lapidis vel ligni. Figura vero modum ipsius quantitatis & pertinet proprie ad res Mathematicas. Alii aliter distinguunt, & volunt formam significare formam externam rerum animatarum & naturalium. Figuram vero esse rerum inanimatarum, & præcipue artificialium. Ad hanc speciem reuocat Aristoteles rectitudinem & curuitatem quæ sunt in terminis figurarum.

Subiungit rarum, densum, asperum, lene, non esse qualitates, licet videantur, sed pertinere ad situm, significant enim positiones partium.

Rarum est cuius partes à se mutuo magis distant vt spongia.

Densum est cuius partes magis inter se coniunguntur, vt silex, ferrum.

Asperum, cuius partes inæqualiter extant, ita vt hæ immineant, illæ sint dispersæ.

Lene cuius partes æqualiter extant & in rectum sunt sitæ, vt in speculo.

CAPVT X.

De qualitate.

PRæcedenti c. dixit qualitatem esse, quam quale dicamus, hic docet quod modis id sit, & fuit, primo autẽ declarat quid sit quale. Qualia sunt quæ ab his paronymως dicũtur, aut quomodolibet modo ab his scilicet qualitatibus, id est, sunt concreta qualitatis

 (parony-

(paronymως) ſignificat denominatiue. Illud & re & nomine, vt albus albedine calidus à calore (quomodolibet aliter) ſunt hic paronyma voce tantum, vel ſignificatione tantum, quia aliquando non ſunt impoſita nomina abſtractis, à quibus concreta poſſint denominari, vt pugil. Pugil enim dicitur à naturali potentia pugillandi, quæ non vocatur pugillatio eſt ipſe actus pugillandi: facultas igitur pugillandi caret proprio nomine abſtracti.

Secundo quando concreta non habent vſitatum nomen ab abſtracto, vt à virtute dicitur probus.

Nota non committi circulum in definitione qualitatis & qualium, quæ per ſe mutuo definiuntur, quia qualia hic definiuntur per abſtracta, quæ ſunt notiora, qualitas vero definita ſupra per concretum quod eſt notius nobis.

CAPVT XI.

De proprietatibus Qualitatis.

TRes adfert proprietates qualitatis. Prima eſt, in qualitate eſt contrarietas, id eſt, quædam qualitates ſunt contrariæ per ſe & contrarietate Logica: vt calor & frigus, humiditas & ſiccitas. Conuenit ſoli qualitati, non tamen omni quia non conuenit quibuſdam potentiis naturalibus, viſiuæ, intellectiuæ &c. non conuenit etiam figuris, triangulo quadrangulo, circulo, quia tantum ſunt modi nō habentes realem entitatem Phyſicā colores medii, vt ſunt rutilius. Color flauus &c. nō ſunt contrarii, niſi accipiantur pro extremis ſcilicet albedine vel nigredine ad quos maxime accedunt, ex Ariſtotele 5. *Phyſicorum c.7.*

Secunda proprietas. Qualia admittunt magis, & minus, id eſt, intenduntur & remittuntur per ſe, per realem additionem & detractionem graduum, vt ſecundum varia tempora idem ſit ſeipſo magis vel minus calidum, album, &c. quod proprie eſt admittere magis & minus. Conuenit ſoli qualitati, vt patet ex dictis de quantitate & relatione, non tamen conuenit omni, quia potentiæ naturales, propriæ paſſiones eſſentiarum figuræ non admittant magis & minus.

Nota quod Ariſt. *hic* negat Qualitates in abſtracto non admittere magis & minus, vt verum ſit, intelligi debet de eſſentia aut quidditate Qualitatis, quam abſtracta accidentium videntur ſignificare, alioqui concretum Qualitatis non admittit magis & minus niſi ratione ipſius Qualitatis cuius entitatiuam perfectionem magis & minus participat.

Tertia ſimilia & diſſimilia à ſolis dicuntur Qualitatibus Nam ſicuti maxime proprium eſt Quantitati, vt ab ea aliquid dicatur æquale vel inæquale, ita qualitati, vt ab ea dicatur ſimile vel diſſimile. Similia ſunt duo æqualia eiuſdem ſpeciei æque intenſa vt duo alba, vt quatuor gradus. Diſſimilia ſunt, qualia diuerſarum ſpecierum vel inæqualiter intenſa album & nigrum, vel album vt quatuor, vel album vt ſex.

Sub *finem cap.* obiicit ſibi, quod enumerauit habitum diſpoſitionem inter relatiua, hic inter Qualitates primæ ſpeciei. Reſp. & primo ex ſententia Rhetorum Qualitatem &c. in genere eſſe relationem, in ſpecie eſſe qualitatem, ſed hoc eſt falſum. Reſp. & ſecundo idem ſub diuerſa ratione formali pertinere ad plura prædicamenta, & ſic habitus ſcientia &c. vt ſunt qualitates actuantes & perficientes ſubiectum quod ab illis denominatur, quales ſunt ſimpliciter Qualitates, hic vero formaliter dicunt ordinem ad actum, vel obiectum ſcibile pertinentur ad relationem: ſunt enim relatiua ſecundum dici quæ ex ſententia ponuntur in prædicamento ad aliquid.

CAPVT XII.

De reliquis ſex prædicamentis & primo de Actione & Paſſione.

QVia (quæ ad ſex vltima prædicamenta pertinent) fere pendent ex Philoſophia naturali, ad res autem Logicæ intelligendas ſatis erat exacta explicatio ſuperiorum prædicamentorum, ideo hæc Ariſtoteles b ſime perſequitur, poſſunt autem ſingu modo deſcribi.

Actio eſt forma ſecundum quam dicitur agere in ſubiectam materiam lefactio, frigefactio, vel.

Actio eſt egreſſio formæ ab age tiens excluditur creatio quæ non teriam præexiſtentem, ſed rem ре

cit ex nihilo. Passio est forma secundum quam aliquid dicitur pati, vel est receptio ipsius esse, v. gr. caloris vel frigoris, vt calefactio passiua vbi.

Nota ad actionem plura concurrere, primo est agens, verbi gr. ignis, secundo vis agendi, vt virtus calefactiua in igne, tertio forma producta, vt calor, quarto ipsius caloris productio siue positio in rerum natura.

Actio igitur & passio sunt idem materialiter, siue naturaliter scilicet forma producta solum formaliter siue modaliter distinguuntur, quia ipsa forma in fieri prout egreditur ab agente, dicitur actio, prout recipitur in subiecto, dicitur passio.

Prima proprietas est. Suscipiunt agere & Pati contrarietatem, id est. Actio potest esse Actioni contraria, passio passioni scilicet contrarietate per accidens ratione qualitatum contrariarum, quæ producuntur & sibi inuicem contrariantur. Non conuenit omnibus, quia non conuenit generationi substantiali, nec illuminationi, quia substantia & lumen carent contrariis

Secunda proprietas: Agere & pati suscipiunt magis & minus, intellige per accidens ratione qualitatum, quarum sunt modi, sic ignis magis calefacit corpus propinquum, quia plus caloris producit.

QVANDO.

Qvando describitur id, quod ex adiacentia temporis relinquitur in re, quæ est in tempore, prout est subiecta tempori, id est, quod communiter ab aliis dicitur esse in tempore, secundum determinatam quantitatem temporis, vt fuisse heri, esse hodie, olim pridem &c.

Quando nihil habet contrarium nec suscipit magis & minus.

VBI.

Vbi describitur, quod ex circumscriptione loci relinquitur vel clarius, est modus se habendi in loco vt esse in templo, in cubiculo &c. Quare vbi non est ipse locus neque corpus quod est in loco, sed est id quod resultat in corpore ex adiacentia loci, sicuti quando non est tempus, neque id quod tempore mensuratur, sed id quod resultat ex coexistentia determinati temporis.

SITVS.

Situs est modus habendi se corpori & partium eius in ordine ad locum & partes eius, vt iacere, stare, inniti, &c. Differt ab Vbi quod Vbi resultet in re locata ex habitudine ad totum locum, Situs vero ex habitudine partium rei locatæ, ad determinatas partes loci, vnde fit, vt in variato vbi possit mutari situs, vt quando vinum in vase agitatur manet intra eandem superficiem concauam vasis, atque adeo in eodem loco, singulæ tamen partes vini respondent vicissim diuersis partibus istius superficiei & loci. Situs alius est naturalis, quem scilicet natura instituit, & secundum quem caput verbi gratia, est sursum, pedes deorsum, alius est accidentalis, qui ex libero arbitrio pendet sic enim caput potest esse deorsum pedes sursum &c.

Nota situm huius prædicamenti differre à situ prædicamenti Quantitatis, quod ille significet coordinationem partium in ipso toto, & à se inuicem sine respectu ad locum, hic vero situs dicat respectum ad locum. Vnde invariato manente situ Quantitatiuo potest mutari hic situs, vti fit, quando homo variis modis se componit, erigit, incuruat, incumbit &c. tunc enim non mutatur ordo partium hominis, nam caput semper immediate adhæret collo mediate pectori, & reliquæ omnes partes eædem iisdem partibus coniunctæ partes tamen illæ diuersis partibus loci respondent, potest tamen situs ille quantitatiuus ad hoc prædicamentum reduci.

HABERE.

Habere variis modis accipitur, & quidem in lata sua significatione dicitur de omni eo quod in aliquo est quomodocunque, qua significatione ponitur ab Aristotele inter post prædicamenta, hic vero significat id, quod ex adiacentia corporis circumpositi relinquitur, siue est modus se habendi corporis cui aliud est circumpositum, vt esse vestitum, esse armatum, togatum, &c Duo autem requiruntur ad rationem habitus, primo ut id à quo sumitur denominatio non sit agnatum, vel naturaliter connexum, vt sunt capilli, pellis &c. sed vt extrinsecus adueniat, vt est vestis &c. secundo, vt id ipsum cum corpore cui circumponitur, moueatur, & ab ea defe-

ratur, cuius defectu nõ sumitur denominatio habere à loco seu aere nos contingente.

Habitus alius est necessitatis, alius ornamenti, alius virilis, alius muliebris, &c. Vide de his fusius Gilbertum Poretanum.

TERTIA PARS LIBRI.

CAPVT XIII. & XIV.

De oppositis & eorum distinctione.

Absoluta Categoriarum tractatione, quædam subiungit, quæ pleniorem cognitionem faciunt, & post prædicamenta dici solet. Sunt a, quinq; oppofita, prius Simul, Motus, & Habere agit *v.*13. de oppositis, quorum genus sunt repugnantia.

Repugnantia autem dicuntur, quæ eidem singulari eodem modo & respectu eiusdem nequeunt inesse. Dixi singulari, quia vniuersali v.gr. animali insunt potentiali modo, rationale & irrationale secundo eodem modo quia intellectus quatenus intelligit dicitur agere, quatenus intellectionem recipit dicitur pati, sed diuersa ratione, Tertio respectu eiusdem, quia respectu diuersorum idem est dissimile & simile.

Diuiduntur repugnantia in disparata & opposita.

Disparata dicuntur, quorum altero alteri ita repugnat vt cum altero, tertio æque, vel magis repugnet eodem repugnandi modo vt equus & leo, quæ ita inter se pugnant, vt tamen æque cum boue magis cum homine. Tertium in ea finitione significat aliquid reale extrinsecum non subordinatum vnde gradus inferior vel superior non est hic tertium (eodem repugnandi modo) quia si diuerso repugnandi modo magis pugnent, non iam erunt disparata, sed vel contraria, vel contradictoria.

Alia autem sunt disparata numero, vt Petrus & Paulus. Alia disparata specie, vt homo & leo, alia disparata genere, vt animal & planta, alia prædicamento, vt substantia, quantitas, & eorum inferiora.

Opposita sunt repugnantia, quæ ita repugnant vt neutrum eorum æque vel magis repugnet cum aliquo, tertio eodem repugnandi modo patet sensus ex præcedente definitione.

Quatuor sunt genera oppositorum: Relatiua, Contraria, Priuantia, & Contradictoria.

Opposita relatiue sunt quæ ipsa qua sunt oppositorum esse dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ea, id est, quæ referuntur ad correlatiua: in Genitiuo casu vel alio, sic Pater opponitur filio & filius Patri. Continentur etiam hic Relatiua, secundum dici, vt scientia & scibile.

Nota hoc esse peculiare oppositis relatiue, quod pleraque possint simul eidem subiecto inesse, licet diuersa ratione, vt totum & pars, subiectum & accidens, agens & patiens, in aqua verb. grat. calida, quæ se reducit ad frigus in intellectu eliciente & recipiente intellectionem, imò talia necessario simul reperiuntur.

Contrario opposita definiuntur ab Aristotele. Quæ ea quæ sunt nullo modo ad inuicem dicuntur inter se tamen dicuntur contraria, clarius & plenius sic describuntur.

Contraria sunt formæ reales oppositæ quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto se mutuo formaliter expellunt, vt albedo & nigredo, calor & frigus. Excluduntur, primo priuantia & contradictoria, quia alterum eorum non est forma positiua, sed quid negotiuum, vt mox patebit secundo Relationes quia non sunt formæ Physicæ, reales sunt vt summum modo quamuis late sumpto nomine contrariorum sæpe intelliguntur.

Sub eodem genere maxime distare dicuntur Species, proximæ eiusdem, quæ ita respectu subiecti capacis inter se discrepant, vt nullæ species illi generi subiectæ magis, vt albedo & nigredo summe distant sub colore, nec imaginari potest color ita repugnans nigredini sicut albedo.

Formaliter se mutuo ab eodem subiecto excludere dicuntur formæ illæ, quæ ita inter se comparantur, vt accessus ad vnam, vel productio illius sit recessus ab alia, vel deperditio alterius, sic introductio caloris in aquam est deperditio frigoris, & contra, & qua proportione intentionis crescit calor, eadem decrescit frigus, & contra.

Idem est de albedine & nigredine, & eiusmodi formæ dici solent incompossibiles ratione formalis repugnantiæ, Formæ substantiales verbi gratia forma ignis vt forma aquæ &c. Sunt quidem incompossibiles, & se mutuo excludunt âb eadem per se materia, sed per accidens scilicet ratione ipsius materiæ, quæ non est simul capax duarum formarum totalium.

Vnde dici solent incompossibiles ratione subiecti, & tales formæ non excludunt determinatam aliquam formam, cum qua pugnent: Sed quamuis aliam à se distinctam: verbi gratia forma ignis non tantum excludit formam aquæ, sed omnem formam substantialem.

Formæ vero contrariæ formaliter excludunt determinatam aliquam, cum qua specialem habeat repugnantiam, v gr. calor tantum frigus excludit.

Nota id quod producit formam excludentem aliam formaliter dicitur effectiue excludere vel expellere, sic Ignis & Sol expellunt effectiue frigus ex aqua, quia effectiue producunt in aqua calorem, qui seipso suaque entitate & forma excludit frigus.

Diuiduntur contraria in mediata & immediata.

Immediata sunt, quæ carent medio, & quorum alterum necessario inest subiecto capaci, vt sanitas & ægritudo, respectu animalis.

Mediata sunt quæ habent medium, & quorum alterum non necessario inest subiecto capaci, vt albedo & nigredo. Potest enim subiecto inesse albedo, vel alius color medius. Triplex vero assignatur medium inter contraria.

Primum per negationem vtriusque contrarii, vt puer carens habitu temperantiæ & intemperantiæ. Medium est inter temperantem & intemperantem.

Secundum per compositionem vtriusque contrarii in gradu remisso, vt tepiditas inter calorem & frigus; fuscum inter candidum & nigrum.

Tertium secundum æstimationem moralem vt liberalitas media est inter auaritiam, & prodigalitatem, quia virtus illa cum vtraque vitio habet quandam proportionem in suo materiali, licet non in formali, quia prodigus sua elargitur, sic etiam liberalis, auarus sua retinet, sic etiam liberalis, sed in diuersis circumstantiis.

Priuantia sunt habitus & priuatio illius, vt visus & cæcitas. Qualitas latius hic sumitur quam in prima specie qualitatis, significat enim omne id quod haberi potest siue sit accidens, siue substantia. Priuatio vero illi opposita significat absentiam formæ debitæ inesse subiecto.

Dicitur absentia formæ debitæ inesse, quia absentia caloris in aqua & vitii in homine, non est priuatio nec carentia visus in manu, nec in catulo ante nonum diem, quia non debet inesse.

Licet autem priuatio non sit ens positiuũ, differt tamen à pura negatione, connotato, quia priuatio connotat subiectum aptum, negatio non item.

Hinc lapis habet negationem visus, non tamen priuationem, quia non est aptus habere visum.

Quæritur hic, an & quomodo vera sit doctrina Aristotelis, *cap* 14. Ab habitu in priuationem fieri mutationem, non tamen à priuatione in habitum.

Respondeo id verum esse, de formis ad quarum susceptionem subiectum non potest iterum disponi, si semel illas amiserit, vt indicant exempla Aristotelis. Nam cæcus nunquam visum recipit, nec calvus comam, nec edentulus dentem, & clarius in formis vel partibus Substantialibus, manu, pede, &c. Formæ vero aliæ ad quas subiectum sæpius potest disponi, non possunt hic intelligi nomine habitus cum à priuatione fiat mutatio in tales formas: Sic voluntas & anima possunt sæpius suscipere virtutem iustitiæ temperantiæ aer lumen &c. aqua, frigus.

Contradictoria sunt maxime opposita, quæ nullum omnino habent medium siue sunt res vel affirmatio rei, & eius negatio, vt homo, & non homo, dicuntur maxime opposita, quia opponuntur, sicut ens & non ens, quæ absolute maxime distant.

Contraria habent maximam distantiam non absolute, sed sub eodem genere tantum, & hinc fit, quod nullum sit imaginabile obiectum existens, vel possibile de quo vtrunque contradictorum possit affirmari, vel negari, in quo differunt à contrariis im-

mediatis.

mediatis & priuantibus, quæ licet non habeant subiectum de quo vtrumque simpliciter possit affirmari, quod dici solet medium affirmatiuum, nihil enim simul est sanum & ægrum, visiuum & cæcum: habent tamen subiectum, de quo vtrunque negari potest, quod dici solet medium negationis, v. gr. lapis, nec sanus est nec æger, nec visiuus est, nec cæcus.

Nota sola contradictoria continere formalem & expressam affirmationem & negationem, reliqua vero opposita continere virtualem aliquam, quæ virtualis & implicita negatio non est generalis, sicuti expressa, sed tantum particularis, scilicet negatio formæ alicuius determinatæ, verbi gratia, in relatiuis pater & filius. Filius vt sic includit negationem patris seu paternitatis. Significat vero aliquid positiuum determinatum, quod non est pater sed filius. In contrariis calidum & frigidum includit negationem calidi, & significat determinatum subiectum, quod non est calidum, & sic de cæteris. Expressa autem & formalis negatio contradictoriarum generalis est complectens omnia præter formam negatam, vt non homo dicitur de quauis re existente, vel possibili, quæ est, vel non est, præterquam de solo homine. Ex quo fit, vt in contradictoriis vnum necessario sit verum, alterum falsum, quia impossibile est de eodem esse veram affirmationem & negationem eiusdem. In reliquis vero oppositis vtrumque potest esse falsum, vt si de homine existente, quod sit sanus, vel æger, quod sit albus, vel niger videns, aut cæcus, pater aut filius, & de subiecto existente, verbi gratia, lapide dicas esse patrem vel filium, visiuum vel cæcum, aerem esse album, vel nigrum &c.

CAP. XV.

De proprietatibus contrariorum.

PRima proprietas est. Bono malum necessario est contrarium. Malo autem nunc bonum, nunc malum contrarium est. Sensus prioris partis est conditionalis scilicet si bonum habet contrarium id non potest esse nisi contrarium, verbi gratia, virtuti iustitiæ, quæ est habitus bonus. Contraria est iniustitia quæ est habitus malus. Malo autem non tantum bonum, sed & aliud malum potest esse contrarium, vt vitio auaritiæ contraria est virtus liberalitatis, quæ est bona, & vitium prodigalitatis. Huius autem ratio est, quia malum oritur ex peculiari aliquo defectu, qui sibi opponi possunt, vt nimis multum nimis parum, siue vt loquuntur tanquam excessus & defectus, vt patet in exemplo allato, quia auaritia est vitium ratione defectus, prodigalitas ratione excessus, liberalitas virtus, quia seruat medium Bonum vero bono repugnare non potest quia bonum est ex integra & perfecta naturæ, contrariari autem bono defectus est Quod de duplici contrario hic dicitur intelligi debet de contrarietate late sumpta, quia Logica & stricta contrarietate vnum vni tantum est contrarium, vt sæpe Aristoteles 2. *de cœlo.* quia sub eodem genere non possunt esse plures species, maxime distantes quam duæ.

Secunda proprietas. Contrariorum si vnum sit, non est necesse alterum esse, sensus est, vnum contrariorum potest esse in rerum natura, sine altero, vt si omnes essent sani, nulla esset ægritudo, calidum ex natura sua potest esse sine frigido, album sine nigro. Ratio est quia natura contrariorum est absoluta ita vt vnum non dependeat ab altero sicuti relatiua, quorum essentia est in ordine ac dependentia vnius ab altero, vnde necesse est vtrumque simul existere & vno pereunte interire aliud; Et hæc vera sunt quoad naturam contrariorum si tamen bona constitutio vniuersi attendatur in quibusdam contrariis actiuis, maxime verum erit illud Aristotelis 2. *de cœlo.* Si unum contrariorum sit in rerum natura, necesse erit & alterum esse, ne scilicet vnum cætera omnia in se conuertat sed vt vis eius è contrario retundatur.

Tertia, contraria non possunt eidem ambo simul inesse, se in eadē parte subiecti & in gradibus intensis quæ in diuersis partibus, & gradibus remissis possunt eidem inesse vt in aqua tepida, calor & frigus, in parte igni viciniori calor in remota frigus, vel absolute sine limitatione verum est de contrariis, quæ subiectū absolute denominant, & non tantum secundum quid. Huiusmodi sunt contraria in gradu intenso.

Quarta, In eodē aut genere aut specie apta sunt inesse contraria, id est, subiectum contrariorum est vnum genere aut specie, albedo & nigredo apta sunt inesse corpori mixto

odqu

quod est vnum genere. Virtus & vitium homini qui est species. Non addit tertium membrum, aut scilicet vni indiuiduo, quia etiam contraria eidem indiuiduo possunt inesse, non tamen restringuntur ad illud, sed & aliis possunt inesse.

Quinta. Necesse est omnia contraria, aut eodem genere, aut in contrariis, aut ipsa esse genera. Sensus est. Contraria sunt vel species proximæ eiusdem generis, vt albedo & nigredo sunt species proximæ coloris, vel species generum contrariorum, vt iustitia & iniustitia sunt species virtutis & vitii, vel sunt ipsa genera contraria, vt virtus & vitium, quæ omnia quocunque trium modorum se habent, sunt sub eodem summo genere, & quidem si proprio sunt contraria sub qualitate.

CAPVT XVI.

De Priori.

Explicat hic 5. modos prioritatis quatuor, ex communi sententia, quintum addit ex propria sententia qui continentur hoc versu,

Tempore natura Prius ordine dic & honore
Et causa effectus dicitur esse prior.

Prior modus est prioritatis temporis, vt qui hodie nascitur prior est tempore, cras oriundo, & hęc prioritas est perfectissima, quia simpliciter dicitur talis.

Secundus proprietatis naturæ, & est duplex: Prior quo prius est id, à quo non reciprocatur essendi entia qua rem esse colligimus siue quid in bona consequentia inferri potest ab alia, non tamen potest illius inferre, vt animal hoc modo est prius natura homine, sequitur enim est homo, ergo animal, non contra, est animal ergo homo. Posterior quo prius est id quod licet inferatur ab alio, & cum eo conuertatur, illius tamen est causa, sic homo prior est natura risibilitate: nam licet homo inferatur à risibili, vt cum dicitur est risibile, ergo homo. Homo tamen est causa risibilitatis. Et hic modus concidit, cum quinto modo prioritatis ad quem reducitur omnis causarum effectus, qualiscunque demum illa sit siue Physica, siue moralis. Vnde etiam inuenitur inter enunciationem & obiectum, siue rem significatam. Obiectum enim est prius natura veritate enunciationis. Nam ab eo quod res est, vel non est, enunciatio dicitur vera vel falsa & hinc sequitur quando aliqua possunt esse sibi inuicem causæ in diuerso genere causæ, posse etiam esse priora & posteriora natura se mutuo, sic materia in genere causæ materialis, & substantiæ est causa formæ & prior natura; forma econtra in genere causæ formalis est prior natura & sic idem est prius & posterius, sed diuersa ratione.

Tertius modus est prioritas ordinis, sic principia sunt priora conclusionibus, syllaba dictionibus exordium narratione, &c.

Quartus modus prioritatis perfectionis sic totum est prius suis partibus licet partes sint priores natura toto, & hic modus est minime proprius, quia multum pendet ab hominum æstimatione.

CAPVT XVII.

Adfert tres modos simul esse.

Primus quo aliqua sunt simul tempore, vt quæ eodem tempore generantur, verbi gratia, duæ herbæ.

Secundus est simultas naturæ, quæ conuenit iis quorum mutua est conuersio consequentiæ, & neutrum est alterius causa, vt duplum & dimidium duæ passiones ab eodem immediate manantes, vt risibile & flebile & relatiua secundum esse pater & filius. Nam pater non est causa filii secundum rationem formalem filii, sed secundum materialem tantum scil. qua homo.

Tertius est Quo simul sunt, ea quæ idem genus æque proxime diuidunt, vt species proximæ diuidentes genus, vt volatile, gressibile, & aquatile respectu animalis corpus & spiritus respectu substantiæ sed hæc etiam simul natura dicuntur.

CAPVT XVIII.

De speciebus motus.

Sex sunt species motus, Generatio, Corruptio, Accretio, Diminutio, Alteratio, & Mutatio loci, quæ omnia inter se distinguntur & sunt contrariæ quieti. Generatio etiam

corruptioni, per generationem perducitur substantia, per corruptionem desinit esse: Accretioni quæ tendit ad maiorem quantitatem opponitur decretio, quæ ad minorem, de quibus in *libris Physicorum & de generatione* ex professo agitur.

CAPVT XIX.

RΕcenset octo modos habendi his versibus comprehensos.

Affectum quantum vestitum dic velut aurum
Membrum contentum Possessio vir mulierem.

Primus est, quo quis habet affectum, habitum vel aliam qualitatem, sic habemus scientiam amorem, &c.

Secundus quo habetur quantitas, sic lignũ habet magnitudinem bipedalem vel duos pedes.

Tertius, quo habemus ea quæ circumstant corpus & vestimenta.

Quartus quo habemus aliquid non in toto corpore sed in aliqua eius parte ratione cuius totus homo dicitur habere vt an nudum in manu.

Quintus quo habemus ipsam partem, seu membrum, caput, manum, &c.

Sextus, quo vnum corpus habet aliud illud continendo, sic modius habet triticum, nauis nautas, amphora vinum.

Septimus quo habemus ea quæ iure possidemus, vt agrum, vineam, domum.

Octauus, quo vir habet vxorem, & vxor virum, ratione vinculi matrimonialis, vel cohabitationis legitimæ, in matrimonio fundatæ, his modis addit Aristoteles *5. Metaph. c. 23. textu 28.*

Primo, quo dicitur habere alios is qui appetitu suo eos ducit sic Tyrannus habet ciuitates, febris homines.

Secundo id in quo aliud est tanquam in susceptiuo: sic æs habet formam statuæ, corpus ægritudinem.

Tertio quo totum habet partes.

Quarto quod aliud habet id quod prohibet illud moueri aut legere suo motu, sic columnæ & fulcra habent id qui sustentant & vas liquorem, qui alioqui diffluerèt.

***

FINIS.

DISPVTATIO TERTIA LOGICA AD PRÆDICAMENTA ARISTOTELIS.

QVÆSTIO I.

De Æquiuocis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An dentur Æquiuoca.

ANnotauimus in textu nomen æquiuocorum ab Aristotele extendi ad analoga, vt cum Simplicio colligunt Authores ex *septimo Physicorum c. 4. text. 31.*

Quæstio hic est de æquiuocis stricte sumptis, prout distinguuntur ab analogis, an vere dentur. Non enim defuerunt, qui id negarẽt his rationibus adducti, quod vnius vocis vnica tantum esset significatio, secũdo quod voces significarent ex natura teste Platone, a proinde non possent significare naturas di uersas & confirmatur authotitate Gellii *l. 1 Noctium Atticarum, c. 12.* vbi contendit, null esse verbum ambiguum. Idem innuit Scalige *l. de causis linguæ latinæ.*

Res

Respon. Nulla sunt vocabula æquiuoca diuersas naturas significantes.

Est omnium Philosophorum sententia, & circumfertur integer liber de Æquiuocis Xenophontis. Et probatur quia in vocibus multis latet amphibologia, sed hoc fit, quia æqualiter plura significant, & patet in nominibus propriis, quorum vnum imponitur in Lapponia alterum in Belgio.

Ad rationes initio allatas. Resp. Vtramque esse falsam, voces enim significant ex instituto, & sæpe ex vsu vulgi, quo fit rebus diuersis idem obtineat nomen.

Ad authoritates. Resp. Gellium *loco citato*, tantum velle non esse ambiguitatem in mente proferentis vocem qui vnicam aliquam naturam intelligit, & hoc verum est. Scaliger vero respondit Nonium qui varias vocabulorum significationes videtur finxisse ex authoribus male intellectis alioqui ipse in opusculis Philosophicis apte admittit æquiuoca.

ARTICVLVS SECVNDVS.

In quo consistat ratio formalis æquiuocorum Duplicia sunt æquiuoca stricte sumpta, scil. à casu & à consilio.

Respon. primo. Ratio formalis æquiuocorum à casu consistit in omnimoda identitate materiali, & formali nominis, vt patet in nomine proprio, v.g. Petri diuersis hominibus inditum & in nomine ὀς. Nulla enim fuit habita ratio ipsarum rerum in huius nominis impositione.

Resp. secundo. Ratio æquiuocorum à consilio consistit in identitate nominis impositi ob fictitiam aliquam similitudinem inter res significatas vel in signum speciei alicuius, vel in memoriam vt v.g. ridere respectu hominis, & prati quia nulla est à parte rei conuenientia inter risum hominis & amœnitatem prati, & cum pater imponit filio nomen Iohannes, quod speret illum fore imitatorem præcursoris Domini, vel in memoriam vel reuerentiam illius vel alium aliquem finem quo modo Campanis imponitur nomen proprium sanctorum.

Dixi, ob similitudinem fictitiam quia si sit aliqua realis similitudo, & quidem perfecta, inter naturas eodem nomine significatas erunt vniuocæ si sint imperfectæ, erunt analogæ, de quibus sequenti quæstione.

QVÆSTIO II.

De Analogis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid & Quotuplex sit Analogum.

Analogia Græce significat proportionem & similitudinem quæ proportio proprie reperitur in quantitate siue discreta vt inter duo & quatuor est proportio dupla, siue continua, vt inter lignum pedale & bipedale cum vero plures proportiones inter se conferãtur earum conuenientia dicitur proportionalitas siue proportio ptoportionum, vel similitudo proportionum, vt cum dicitur sicuti se habent tria ad sex, ita quatuor ad 8. vtrobique enim est proportio dupla, vnde proportionalitas supponit vt minimum quatuor terminos saltem formaliter distinctos, quia singulæ proportiones requirunt duos terminos, quia non potest esse habitudo nisi inter duo.

Dixi (saltem formaliter) possunt enim materialiter esse idem, vt in hac analogia, sicut se habet decem ad 20. ita 20. ad 40 scil. proportione dupla vtrobique viginti est terminus, sed materialiter tantum idem, formaliter vero diuersus, quia in priori proportione habet rationem dupli, in posteriori habet rationem dimidii.

Hæc proportio à Philosophis translata est ad res Physicas, quæ eiusmodi habitudines inter se habent, vt proportio significet habitudinem vnius rei ad aliam, proportiõnalitas conuenientiam duarum proportionũ inter se.

Resp. primo Analoga sunt, quorum nomen commune est, ratio vero nomini respondẽs, nec omnino eadem nec omnino diuersa, proportione tamen vel habitudine eadem, vt sunt quid medium inter æquiuoca & vniuoca & D. Thoma 1. *p.q.* 13. *a.* 5.

R. Secundo duplicia communiter assignātur analoga ea Aristotele 4. *Eth.c.6* sc. analoga attributionis & analoga proportionis.

Nota ad euitandam terminorum æquiuocationem priora analoga à quibusdam vocari Proportionis, posteriora vero Proportionalitatis ab aliis, priora etiam vocantur attributionis, posteriora Proportionalitatis quē loquendi modū in sequentibus sumus seruaturi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Analogis Attributionis.

ANaloga attributionis sunt, quæ habent nomen commune, ratio vero nominis respondens illis inest cum ordine & habitudine eorum inter se. Ita quædam ex illis denominantur per attributionem ad aliud, vnde ab Aristotele *loco citato*. Vocantur analoga ab vno vel ad vnum.

Nota duobus modis, rem vnam denominari per attributionem ad aliam, ex quo etiam sequitur duplex analogia attributionis.

Primus modus est quando forma denominans & nomine analogo significata in vno analogorum reperitur proprie, & intrinsece in aliis vero improprie, & extrinsece, per habitudinem, quam dicunt ad formam intrinsece & formaliter participatam ab vno. Eiusmodi sunt, sanum respectu animalis, & sanum in medicina, cibo colore, &c. quia ratio formalis sanitatis quæ est debita humorum temperies intrinsece & formaliter est in solo animali, in medicina vero cibo & colore tantum extrinsece, tanquā in terminis habitudinis, quā dicūt ad sanitatem animalis, v.g. in medicina tanquam in causa effectiua, in cibo tanquā in causa conseruatiua, in colore tanquā in signo.

In his analogis id, quod formaliter participat formam nomine analogo significatam dicitur primum siue primarium analogatum, cætera vero dicuntur secundaria vel secundo analogata.

Nota analogiam hanc attributionis versari inter primum analogatum, v.g animal & inter quodlibet ex reliquis, v.g. medicinam vel cibum vel colorem, quod si vero hæc secundo analogata inter se conferantur, vt medicina cū colore respectu sani dicuntur sana, nō quidem æquiuoce, sed analogice, analogia scilic. mediata resultante ex analogia immediata in ratione sani, qua singula eorum dicuntur sana, ex attributione ad animal sanum.

Nota tertio in hac analogia attributionis nomen analogum attribui analogatis secundariis improprie & per translationem, idque mediante noua impositione secundo secūdaria analogata debent definiri per analogatam primarium ad quod dicunt ordinem, v.g. medicinæ dicitur id, quod efficit sanitatē animalis: nam cū extrinsece denominetur à sanitate animalis non potest nisi per illam definiri vt recte, D. Thom. supra a.6. Tertio in his analogis locum habet vulgare axioma.

Nomen analogum, per se positum stat pro famosiori siue primario significato, vt famam significat animal. Ratio est, quia illud præcipue, & proprie significat, cætera vero per ordinem ad dependentem ab illo.

Nota quarto hanc analogiam fundari maxime in impositione & attributione intellectus nostri: nam forma significata per nomen analogum ex se tantum est in vno & non dicit habitudinem intrinsecam ad aliud, sed intellectus considerans fundamentum aliquid reale intrinsecum, v gr vim operatiuam sanitatis vel significatiuam, &c ratione cuius possit esse terminus habitudinis extrinsecæ transfert nomen ad significanda illa quæ extrinsece vt termini dicunt ordinem ad significatum proprium istius nominis.

Secundus modus, Quo vnum dicitur per attributionem ad aliud, & fit quando forma denominans intrinsece est in omnibus analogatis in vno tamē absolute quod dicitur analogatum, in cæteris vero per habitudinem quandam essentialis dependentiæ ad illud: Quo modo Deus & Creatura sunt analoga in ratione entis, substantia & accidens in ratione entis creati quia creatura non dicitur extrinsece ens ab entitate Dei, neq; accidens ab entitate substantiæ per denominationem extrinsecam, sicuti medicina dicitur sana à sanitate animalis, sed à propria & intrinseca entitate, quæ talis est, vt tota consistat sua quadam habitudine ad Deum & ad substantiam.

Ita & ratio & forma nomine significata inæqualiter infit analogatis: nam ratio ipsa formalis obiectiua intrinseca & ratione sui perfectius est in vno, quam in alio, in vno cum essentiali, dependentia ab alio.

Dico

Dico intrinsece, & ratione sui, quia scilicet ratio obiectiua in se spectata æque perfecta est, in vtroque, & tantum extrinsece ratione differentiæ perfectioris aduenientis perfectior sit in vno quam in alio: Sicuti gradus animalis perfectior est in homine, quam in equo, ista inæqualitas non constituit analogiam saltem Logicam aut Metaphysicam, quia talis reperitur in omnibus naturis etiam vniuocis

Dico saltem Logicam, quia sufficit ad analogiam quandam Physicam naturarum inter se, de qua intelligendus articulus 7. *Phys. cap.* 4. dum dicit, in genere multas latere æquiuocationes siue analogias.

Nota primo hanc analogiam quæ vocari solet æqualitates consistere in re ipsa, & ex vi eius deriuari ad nomen sine vlla operatione intellectus, sed per solam nominis impositionem ad immediate significandum rationem aliquam formalem quę ex se non respicit plura nisi cum ordine & habitudine eorum inter se. Vnde nomen ideo est analogum quia significat rationem analogam seu non perfecte vnam.

Nota secundo his analogis peculiare esse, quod nomen conueniat omnibus analogatis immediate per vnicam impositionem quia sumitur à forma omnibus intrinseca secundo. Secundum analogatum non definitur per primarium; accidens enim in quantum ens non definitur per substantiam tertio axioma illud, superius allatum non habet hic locum. Ens enim tam significat substantiam, quam accidens.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Analogis proportionalitatis.

ANaloga proportionalitatis sunt quæ habent nomen commune, rationes vero nomini respondentes simpliciter diuersas, proportione tamen quadam inter se similes. Huiusmodi sunt visus oculorum & cognitio intellectus respectu nominis visus. Pes & instrumentum motus progressiui hominis & ima pars montis respectu nominis pes. Hæc analogia in eo sita est quod primarium analogatum denominetur tale à sua forma spectata absolute. Cætera vero accipiunt quidem eandem denominationem à sua forma & non spectata absolute sed quia in ordine ad illam formam seruat proportionem cum habitudine primi analogati ad suam formam vel denominatur à sua forma vt substat tali proportioni vel comparationi ad aliud. Vt oculus dicitur videre ab actu suo scilicet à cognitione non absolute spectata sed prout seruat proportionem quandam ad intellectum similem quam habet visio corporea ad oculum. Vnde hæc analogia sic explicatur: sicut se habet visio ad oculum ita cognitio ad intellectum.

Nota vocem analogam in hac analogia duplice impositione significare sua analogata vna proprie, altera per translationem seu metaphoram. Vnde infertur contra Caietanum, & alios non dari analoga proportionalitatis propria quæ vno nomine sine vlla translatione significentur. Vel enim ratio nomine significata inuenitur in omnibus analogatis vel in vno tantum in cæteris vero extrinsece aut cum ordine ad illud vnum si illud sit prius, erunt vniuoca. Nam omnis ratio communis pluribus æqualiter ab illis participata est vniuoca: si posterius iam sunt analoga attributionis. Quare exemplum Caietani & Fonsecæ de ente respectu Dei & creaturæ non est huius loci, dum dicunt, sicut se habet Deus ad suum esse, ita creatura ad suum, & sicut substantia se habet ad subsistendum ita accidens ad inhærendum, quia eiusmodi proportionalitas non sufficit ad analogiam quia reperitur etiam in vniuocis imo tanto proprior & perfectior, quanto perfectiora sunt vniuoca: verbi gratia, sicut se habet Leo ad suas operationes sensitiuas, ita equus ad suas.

Reperitur igitur ad hanc analogiam vt vnum membrum sit absolute tale per suam formam, aliud vero vt substat comparationi & proportioni ratione cuius per Metaphoram significatur nomine absolute & proprie conueniente primo membro.

Nota secundo hæc analoga non esse talia fictione intellectus. Sunt enim duæ rationes analogæ à parte rei similes siue proportionales, quia tamen idem nomen analogum intellectus imponitur, ab intellectu per translationem dici potest hæc analogia compleri per intellectum. In eo autem distinguitur ab

æquiuocatione à consilio, quod illa non supponat veram similitudinem æquiuocatorum sed vel omnino fictũ, vt in virore prati & risu hominis, vel nimis longe positam, vt in constellationibus cœli & animalibus respectu eiusdem nominis.

Nota tertio hæc analogata si formaliter accipiantur vt proportionalia definiri per se mutuo. Nam cum proportionalitas sit comparatio & relatio proportionum, concipi non potest aut exprimi nisi per terminum qui est alterum analogorum. Vnde saltem terminatiue debet ingredi definitionem: hoc modo cognitio est actus intellectus, ita se habens ad intellectum sicut visio ad oculum, ima pars montis est integralis, ita se habens ad montem sicut pes ad hominem.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum analoga habeant vnum communem conceptum.

QVæstio est an analoga vnam aliquam rationem communem immediate significatam nomine analogo quæ sit distincta à rationibus particularibus ac propriis analogatorum ac proinde concipi posse abstracte vnico conceptu.

Pro resolutione & terminorum intelligentia. Nota duplicem esse conceptum formalem & obiectiuum. Formalis est actio quædam intellectus & vna similitudo rei quæ intelligitur, dicitur conceptus quia est quædam proles mentis: dicitur formalis quia rem cognitam formaliter mẽti repræsentat, vel quia est forma & actus intellectus qui inhæret.

Conceptus obiectiuus est res repræsentata per conceptum formalem, vel est idcirca quod versatur conceptus formalis. Dicitur conceptus per denominationem extrinsecam à conceptu formali.

Aduerte tamen obiectiuum aliquando vocari formalem, vt cum dicitur res aliqua considerari sub tali vel tali ratione formali obiectiua. Vnde ad vitandum æquiuocationem prior ille dicitur conceptus formalis subiectiuus scilicet intellectui inhærens tanquam subiecto quo Posterior vero obiectiuus seu ratio formalis obiectiua. De his fusius in Metaphysica.

Resp. primo. Analoga attributionis primi modi quorum vnum tantum participat rationem intrinsecam nomine significatam nõ habet vnum conceptum cõmunem. Probatur quia sumitur prout est in animali medicina colore significat res distinctissimas scil. debitam qualitatem temperiem vim intellectum causandi & significandi quæ non potest conuenire in vno conceptu obiectiua vel formali saltem distincto, & hinc fit, vt huiusmodi ad analogum non possit esse medium demonstrationis quia significat rationes plures.

Resp. secundo habent huiusmodi analogum conceptum aliquem formalem confusum. Probatur quia sunt aliquo modo vnum, sic conceptus sanitatis erit conceptus illius, quod aliquem ordinem dicit in genere ad sanitatem, Confirmatur, quia in eo differunt ab æquiuocis, qui nõ possunt vno conceptu formari, quomodocunque concipi, quia conceptus est similitudo naturalis, rerum, idem autem conceptus non potest esse similitudo parium, vt diuersa sunt.

Resp. 3. Analoga inæqualitatis, quæ formaliter & intrinsece participant, rationem nomine analogo significatam habẽt vnum conceptum formalem, & obiectiuum omnibus communem. Ratio est, quia proprie & intrinsece sunt talia, & vere in tali ratione conueniunt, quam intellectus potest abstracte, seu præcise aliquo modo concipere, & hinc fit, vt nomen analogum possit esse medium demonstrationis. Sic conceptus entis vnicus est communis substantiis, & accidenti, præscindens saltem imperfecte ab vtroque, de quo fusius *in Metaph.*

Respon. 4. Analoga proportionalitatis non habent vnum conceptum communem probatur quia sunt duæ proportiones simpliciter distincte inter terminos diuersos cum aliqua tantum inter se similitudine Sed tales non possunt habere conceptum communem, verbi gratia, visioni corporeæ & actui intellectus sub nomine visionis non respondet vnicus conceptus, ipsa tamen proportionalitas siue similitudo proportionum potest ab vtroque præscindi, & vnico conceptu repræsentari sed illa non significatur nomine analogo visionis sed ipsa extrema inter quæ versatur proportionalitas.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

De Vniuocis.

VNiuoca sunt quorum nomen commune est & essentia nomine respondens eadem. Quæ vero requirantur vt essentia censeri possit eadem colligi potest tum ex dictis in disputatione prima de vniuers. tum quæ præcedente de analogis, suntque fere tria.

Primum vt vniuoca habeant vnum communem conceptum obiectiuum & formale. Secundum vt in vniuocalis sit fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ, ratione cuius gradus ille communis ac perfecte præscindi possit ab inferioribus & gradibus pluribus. Fundamentum autem illud est tale vt per gradum illum nobis repræsentetur aliqua perfectio vel vis operandi quæ non repræsentetur per gradus inferiores aut coniunctos, verbi gratia, adeo intellectus distinguit gradum viuentis à gradus animalis quia repræsentat perfectionem se principium vitæ vegetatiuæ quod non importat gradus animalis & quod reperiri potest fine gradu animalis, Et hinc fit in vniuocis tot possint esse distingui gradus ac perfecte præscindi quod reperiri possunt perfectiones diuersæ & non plures. Et quo etiam fit, vt non ratio entis non habeat fundamentum distinctionis à gradibus seu differentiis contrahentibus ad Deum vel creaturam subiectiuam & accidens, quia ratio entis non repræsentat intellectus aliquam perfectionem quæ non repræsentetur formaliter per aliquem gradum inferiorem & modum contrahentem quamtumuis simplicem, qualiscunque enim ille sit est formaliter ens vnde dici solet rationem entis intime includi in differentiis contrahentibus. Tertium vt ratio formalis obiectiua sit vniformis & omnino indifferens ad quodlibet inferiorum quibus inest, & à quibus abstrahitur, ita vt sine vllo ordine descendat ad inferiora, & intellectus indifferenter æque immediate sese possit extendere ad concipiendas rationes inferiores, quo modo animal ex se est gradus indifferens & non magis postulat contrahi prius per rationale quam per irrationale ita vt intellectus libere possit explicare se ad rationes inferiores & species animalis sine habitudine vel dependentia vnius speciei ab alia, ac proinde requiritur vt gradus ille talis sit, vt spectatus in esse possibili suo concludi & contineri possit in vno indiuiduo alterius speciei.

Explicatur in contrario in ratione entis quæ non relinquit intellectu libertatem concipiendi indifferenter, ens creatum vel increatum, sed ex se prius postulat concipi cum differentia entis siue cum ratione particulari entis increati quam creati propter essentiam dependentiam huius ab illo, vnde ratio entis non potest concipi vt contrahibilis indifferenter ad creatum & increatum aut immediate & totaliter contrahibilis ad ens creatum. Simile est de ratione entis creati respectu substantiæ & accidentis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Deus & creatura, substantia & accidens in ratione entis sint vniuoca & Analoga?

QVæstio hæc fuse examinari solet in Metaph. hic tamen ex proxime fundamentis breuiter est resoluenda

Respon. primo Deus & creaturæ in ratione entis non sunt vniuoca sed analogæ attributionis & inæqualitatis. Est D Thom. prima *p.q.13.a.5.* Est communis discipulorum eius contra Scotum *in 1.d.distinct.3.q.1.* Et plerosque Scotistas & Nominales.

Probatur primo, quia hic requiruntur conditiones requisita ad analogiam inæqualitatis: Ergo. Antecedens probatur quia ratio entis communis Deo & creaturis non est vniformis & indifferens sed inæqualiter illis inest, nam essentialiter exigit prius & per se & independenter esse in Deo, in creaturis vero per participationem & cum essentiali dependentia essentiæ à Deo.

Probatur secundo Ratio entis in Deo est infinita in omni genere entis, & essentiabiliter includit omnem perfectionem entis, in creatura vero est limitata, ergo est inæqualis in vtroque.

Probatur tertio. Effectus non adæquatus virtutem suæ causæ in eo gradu in quo ab illa dependet aut procedit non conuenit cum illa vniuoce sed creaturæ etiam in ratione entis sunt effectus Dei & in nullo gradu quantum-

uis com-

uis communi æquat eius essentiam siue virtutem: Ergo. Maior probatur, quia quando effectus non adæquat virtutem causæ non recipit similitudinem eius secundam illam rationem secundum quam est effectus, & hinc fit, vt ignis aurum & similia qua in hisce inferioribus à sole produci possunt non conueniant cum sole in ratione specifica secundum quam sunt effectus solis per se quod addo quia secundum rationes communes, verbi gratia, corporis & substantiæ in quibus vniuoce conueniunt cum sole sunt effectus solis tantum quoad accidens quia supponuntur ad actionem solis vt cum ex aere fit aqua non fit, per elementum aut corpus simplex sed aqua: gradus vero & rationes communes comitantur per accidens; creatura vero totaliter dependet à Deo quia in ea nihil supponitur ad actionem Dei. Confirmatur. Ratio entis quantumuis abstracte concepta ex ratione sua postulat hunc ordinem, vt primo & per se competat Deo, & mediante illo descendat ad creaturas, quibus & non insit nisi cum habitudine & dependentia à Deo ergo non est vniuoca. Sequela patet ex quæstione præcedenti vbi diximus ad rationem vniuocam requiri indifferentiam, vt quantum ex se est non repugnet illam totam communicari vni ex vniuocatis.

Resp. 2. Substantia & accidens non sunt vniuoca in ratione entis creati sed analoga. Est D. Thom. contra Scotum & Nominales.

Probatur primo ex Aristotele qui id apte docet 4. *Meta. h. 6. 17. Met. c. 4. & alibi.* Probatur ratione quia ratio entis creati descendit per accidens mediante substantia & cum habitudine essentiali à substantia è cuius potentia educitur, & à qua in esse suo dependet & ad cuius perfectionem ordinatur. Vnde dicitur accidens esse entis ens. Nec satisfacit, si dicas rationem entis particularem & determinatam ad actiones, quia ratio entis est transscendens & intime inclusa in modis contrahentibus & determinantibus rationem communem entis Vnde si accidens dependet in ratione particulari entis, cum ratio illa particularis intime includat ens dependebit etiam in ratione entis.

Obiicies. 1. Actus vitales, verbi gratia, intellectio, volitio & similes dependent à potentia scilicet intellectu & voluntate, & tamen conueniunt cum illis vniuoce in ratione qualitatis ergo dependentia. Accidentis à substantia non tollit vniuocationem in ratione entis.

Respon. negando consequentiam: dispar enim est ratio, quia actus vitales ita dependent à potentia, vt etiam multo magis dependeant à substantia animæ, quæ effectiue ad illos concurrit, & à cuius immediato influxu dicuntur vitales & à qua etiam ipsæ potentiæ dependent, ac proinde non reperitur hic dependentia & independentia absolute.

Dices 2. Multa accidentia sunt nobiliora quam substantiæ, verbi gratia, intellectus quam forma lapidis & gratia quæ est ordinis diuini quam omnes substantiæ quæ sunt ordines naturales. Ergo ratio eius ex se non est imperfectio in accidente neque inæqualis.

Resp. negando antecedens: Nam licet accidens aliquod possit excedere substantiam in aliquo effectu, ornatu aut virtute agendi in gradu tamen simpliciter quælibet substantia simpliciter perfectior est quolibet accidente quia esse substantiæ hoc ipso quod est natura sua subsistens nobilius est quam esse accidentis quod est tamen ornamentum substantiæ, cætera scholasticorum argumenta videri possunt apud Fonsecam 4. *Metaph. ca. 1.* quæ non militant contra nos, Quia tantum probant dare vnum conceptum entis communem, quod supponunt sufficere ad vniuocationem: id vero negamus, sed requitimus vniformitatem & indifferentiam conceptus obiectiui communis, quam si qui non requirant, orietur disceptatio de nomine quod dicendum sit analogum vel non. Certe si hæc non sint dicenda analoga, nulla poterunt assignari analoga inæqualitatis.

Petes primo an Analogia entis proueniat formaliter ex actuali participatione inæquali.

Resp. Negatiue sed ex eo quod sit natura quædam in se apta communicari siue per prius & posterius, ita vt in illa virtuali & aptitudinali communicatione entis analogiæ consistat, quæ terminatiue tantum dependet à modis contrahentibus ipsum ens, & licet ratio communis entis prior sit modis contrahentibus & in illa proprietate suam habeat analogiam, nimirum communicabilitatem

tatem inæqualem, colligimus tamen eandem analogiam ex modis contrahentibus dependenter & independenter tanquam notioribus nobis.

Petes secundo vnde proueniat eniti aptitudinalis communicatio inæqualis?

Respon. ex ratione ipsius transcendentalis. Cum enim sit ratio quædam intrinsece inclusa in omnibus rebus adeo vt licet ipsa ab inferioribus & modis contrahentibus præscindat inferiora, tamen ab ea non possunt præscindere, cum secundum omnes suas rationes intrinsece sint ens. Huic fit vt ex eā ratio entis in se formaliter dependeat, dum participatur ab inferiori aliquo dependenter, verbi gratia, dum ratio entis communicatur creaturæ, quandoquidem creatura à Deo dependeat in sua essentia, in qua ens intime imbibitur. Ipsum quoque ens creaturæ inclusum dependet à Deo. Non ita fit in genere, quod licet contrahatur per differentiam dependentem, vel imperfectiorem; ipsum tamen genus intrinsece propterea non est dependens aut imperfectius, verbi gratia, animal in bruto consideratum per irrationale non est in se formaliter imperfectius quam in homine, quia genus non includitur in differentia contrahente sicut ens.

Petes tertio. Vtrum ens in creatura & accidente dependeat reduplicatiue an specificatiue.

Respon. non dependere reduplicatiue, siue in quantum ens. Hinc enim sequeretur inuentum in Deo etiam dependere, cum tamen omnia in Deo sint quid vnum infinite perfecte & plane independens. Sequeretur secundo ens creatum inuentum in substantia dependere. Sequeretur tertio, ens dependere & non dependere, quæ sunt contradictoria. Dicendum igitur ens in creatura & similiter in accidente non dependere actu essentialiter, siue actualem dependentiam, quam habet in creatura & accidente non esse dependentiam essentialem, vt dici possit ens in quantum ens habere dependentiam actu, actu tamen intrinsece in entitate sua dependet, quæ dependentia non est primum fundamentum analogiæ, sed secundarium tantum. Primum siquidem fundamentum est virtualis & aptitudinalis communicatio dependenter & independenter. Vnde licet dependentia actualis posterior sit ratione communi entis, dependentia tamen virtualis non est posterior; ex quo patet solutio. Postremo addit quod obiici potest. Genera ideo esse vniuoca, licet posterius natura contrahatur per differentias dependentis & independentis, quia in se præscindunt ab illis differentiis, quia scilicet virtualis communicatio non est posterior ens sicut differentia respectu generis. Deinde licet ipsa genera & species etiam specificatiue possint dependere sine detrimento vniuocationis; hinc tamen nihil potest inferri contra nos, quia quicquid sit, dependent plane extrinsece cum non includantur in differentiis diuidentibus; ens vero includitur in omnibus modis contrahentibus, idque secundum exigentiam ipsorum scilicet dependenter vel independenter.

Petes 4. An admitti debeat aliquid inueniri in Deo quod aptum sit dependere?

Resp. negatiue, neque hoc sequitur ex nostra sententia quia aptitudinalis illa dependentia non conuenit rationi entis respectu cuiusuis inferioris, sed tantum respectu creaturarum quas secundario respicit, vt in illis aptitudo illa possit exire in actum. Vnde quod dici solet essentiam consistere in indiuisibili, locum tantum habet in essentia & gradu vniuoco, quia essentia analoga patitur imo necessario continet virtualem latitudinem ratione cuius possit inæqualiter communicari inferioribus.

QVÆSTIO V.

De Paronymis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ requirantur ad prædicationem denominatiuam.

RESP. ad prædicationem denominatiuam requiritur, vt forma denominans non sit essentialis rei denominatæ. Probatur, quia prædicatio essentialis in eo distinguitur à denominatiua, quod sumatur à forma subiecto essentiuo.

Hinc Aristoteles c. de substantia docet, differentias essentiales non prædicari denominatiue, quia essentialiter, & 7. *Met. c.* 3. ait genera accidentium prædicari denominatiue. Ratio à priori est, quia subiectum aptum recipere denominationem ab alio, supponit iam subiectum esse, & consequenter supponit habere formam dantem illi esse essentiale. Ergo denominatio fit a forma accidentali aduenientе. Hinc patet quid iudicandum sit de his & similibus prædicationibus, Deus est bonus, sapiens, homo est corporeus, rationalis, linea est quanta, cum enim significent aliquid subiectis essentiale, bonitas enim & sapientia nō sunt accidentia aut qualitates superadditæ, quippe qui per essentiā bonus est & sapiens, similiter gradus corporis & differentia hominis & quantitas lineæ est essentiale nec refert quod prædicatum sit terminus connotatiuus significans formam per modū adiacentis quia vera denominatio nō sumitur ex ipso termino qui per solam variationem & inflexionem potest fieri connotatiuus vt à corpus corporeus, sed definitur à re significata; vnde si res significata siue forma non denominat, prædicatum & prædicans non sunt propria denominativa.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An denominatiua prædicentur vniuoce de subiectis denominatis.

NEgat Scotus q. 6. suæ Logicæ, & probat 1. ex Aristotele c. 3. de proprietatibus substantiæ vbi dicit secundam substātiam de prima secundum nomen & rationem siue definitionem, i. e. vniuoce. Accidentia vero tantum secundum nomen, ac proinde non vniuoce. Confirmatur vniuocū est quod plures rationes similes in rebus vnit in intellectu: sed denominatiuum non vnit rationes, & essentias subiectorum, quia subiecta sunt dissimilia in essentiis vt homo & cygnus in ratione albi, Ergo.

Affirmant Caietanus & Scotus hoc loco primo quia album dicitur de homine & cygno secundum idem nomen & rationem ergo vniuoce. Antecedens probatur: nam sicuti absolute & æqualiter prædicatur de vtroque ita & definitio albi. Confirmatur primo quia homo & cygnus realiter sunt similes in albedine & in hoc non pendent à se mutuo, ergo potest intellectus abstrahere conceptum illis vniuoce communem. Confirmat. 2. Idem potest prædicari denominatiue & analogice de duobus vt sanum de animali & medicina, ergo etiam denominatiue & vniuoce.

Resp. Vtraque sententia est vera. Pro quo.

Nota duplicia esse vniuoca 1. proprie & stricte sumpta in quibus scilicet forma & prędicatum de essentia subiecti, & ad eius constitutionem concurrit, quo modo animal est vniuocum ratione hominis & equi, & de prædicatione eiusmodi vniuoca procedit doctrina Scoti. Aliud est vniuocum quando nomen & definitio prædicantur, sed non tanquā pars essentialis subiecti, sed tanquam aliquid in illo receptum, vt v. gr. album & definitio illius scil. esse disgregatiuum, visus dicitur ęqualiter de homine & de cygno & de his vniuocis intelligitur doctrina Caietani quæ in scholis absolute admittitur.

QVÆSTIO VI.

An genera subalterna quæ se mutuo non continent possint habere aliquam differentiam communem diuisiuam vtriusque?

QVæstio hæc mouetur circa secundam regulam ante prædicamentalem, in qua suppono primo genera nō subalterna illo loco vocari ea, quæ neq; se mutuo continēt, nec sub tertio continentur atque adeo sunt in diuersis prędicamentis. Genera vero subalterna esse ea quæ se mutuo continent, vt viuens & animal & insuper ea, quæ sub vno tertio continentur vt animal & planta, quod est contr Scotum & alios quosdam recentiores & apt conuincitur ex Aristotele 6. *Top. c.* 2. & 4. *Top c.* 2. vbi eandem regulam explicatius tradit.

Suppono 2. genera non subalterna nullar posse habere differentiam constitutiuam a diuisiuam communem quia sunt per se diue sa: ergo non habent commune vniuocum, a que adeo nec differentiam, quid si aliquand videantur habere, vt v. gr. vox & magnitud habent differentiam acuti, id tantum est s cundum nomen quod est æquiuocum diff rentiæ, interim inter se sunt. Ita Aristotel 1. *Top. c.* 13.

Suppono 3. Genera subalterna se mutu

cont

continentia communes habere omnes differentias superiorum generum constitutiuas & aliquot diuisiuas, licet non omnes, vt expresse Aristoteles vltimis verbis istius regulæ. Nam superiora inquit de subiectis dicuntur generibus, quare quæ attributi sunt differentiæ eædem erunt & subiecti. Ex quo colligas easdem esse differentias, nihil aliud significare quam rationem generis superioris inueniri in inferioribus nō vero differentiam constitutiuam generis superioris esse etiam vltimate constitutiuam generis inferioris, hoc enim est falsū.

Ostenditur hæc doctrina exemplo. Animal includit omnes differentias à modo intrinseco substantiæ vsq; ad propriam sensibilis sc. corpoream quod est constitutiuum corporis, deinde animatum ꝙ est constitutiuum viuentis. Diuisiuas vero non omnes continet sed cuiuslibet generis superioris vnam, nam cū sint oppositæ non potest continere vtraque. Vnde ex diuisiuis substantiæ habet corporeū, ex diuisiuis corporis habet animatū, ex diuisiuis viuentis habet sensibile. Sed difficultas est de generib. subalternis q̄ se mutuo nō continēt.

Resp. huiusmodi genera subalterna nō habent communem aliquem doctrinam diuisiuam, per quam contrahantur ad vnam speciē. Probatur quia impossibile est vnam speciem immediate contineri sub duobus generibus se mutuo omnino cōtinentibus, ergo impossibile est vnam differentiam diuidere & contrahere illa duo genera Consequentia probatur quia omnis differentia essentialis potest constituere vnam speciem, Antecedens probatur quia repugnat vt aliqua differant genere & conueniant in specie Nam diuersitas generica descēdit ad omnia inferiora & alioqui vna species actu contineret opposita. Quod probatur quia species actu continet genus & sic opposita de eodem possent prædicari.

Probatur 2. Differentia speciei infimæ non potest conuenire alteri speciei, Nam alioqui vna species infima non distingueretur ab altera quia distinctio oritur ex differentiis; ergo nec differentia vllius speciei subalternæ poterit conuenire alteri. Consequentia patet quia ita differunt duæ species subalternæ inter se sicut duæ infimæ.

Probatur 3. Omnis differentia essentialis est propria vnius speciei quia cōuertitur cum specie quam constituit, Vnde Aristoteles 7, *Met.t.*42. ait tot esse species quot sunt differentiæ, ergo differentia vnius speciei non potest reperiri in alia. Confirmatur quia alioqui differentia prædicaretur de pluribus quam ipsum genus contra Aristotelem 1.*Top.c.*4. Deinde membra diuidentia genus non conuerterentur cum diuiso quod est contra regulam bonæ diuisionis.

Ob. 1. Aristot. 6. *Top.c.*3. contrarium docet dicit enim gressibile & volatile, quæ sunt genera diuersa habere eandem doctrinam eo, quod sub eodem tertio scilicet animali continentur. Idem docet 4. *Top.c.*2.

Resp. Aristotelem *ibi.* loqui de differentiis accidentalibus tantum, de essentialibus vero hic agit de quibus Arist. 7. *Met.t.*42. ait tot esse species quot differentias. Vnde qui oppositum docent, fateri coguntur differentiam illam quam dicunt esse communem neutrius eam vltimate cōstitutiuam aliquam speciem, distinguit illam à cæteris præsertim eiusdem generis. Hinc bipes non contrahit animal volatile aut gressibile ad speciem certam, sed alia differentia cuiusque propria.

Ob. 2 Prudentia continetur sub virtute morali & sub habitu intellectus quæ differunt genere ergo differētia constitutiua prudentiæ diuidit illa duo genera.

Resp. cum D. Thom. 1. *secunda q* 58.*a.*1. & 3. posse vnam entitatem Physicam contineri sub duobus generibus determinatis per duas differētias partiales, quæ concurrunt ad constitutionem vnius speciei perfectæ maxime cum illa distinctio generum & differētiarum actu compleatur à consideratione intellectus & sic prudentia quatenus est constitutiua veri, practici continetur sub habitu intellectus, quatenus vero illa cognitio ex notione voluntatis dirigit actus humanos, continetur sub virtute morali.

Dices 3. Intellectuale diuidit corpus & spiritum quia conuenit homini & angelo nec dicas intellectiuū hominis & angelo esse diuersa quia licet differentia vltima intellectui hominis & angeli sit diuersa eo ꝙ homo intelligat cum discursu, Angelus sine illo, tamen realiter conueniūt in hoc ꝙ vero intelligāt. Ergo intellectus potest abstrahere ab illis conceptum communem intellectualis. Confir. quia substātia intellectualis aut cōtinetur immediate sub corpore simul & sub spiritu, aut nō conti-

netur si prius habetur intentum, si posterius, ergo potest diuidi per corporeum & incorporeum, sed differentia (corporeum) diuidit substantiam non intellectualem, ergo diuidit duo genera, & similiter diuidit animal & substantiam intellectualem.

Resp. Licet intellectus formet sibi conceptum communem scilicet intellectui respectu hominis & Angeli, tamen intellectiuum sic in communi non est differentia diuisiua corporis sed intellectiuam corpori proportionatum siue vnibile materiæ quod est rationale. Nam corpus intellectuale nihil potest esse aliud quam rationale ad confirmationem. Respon. substantiam intellectualem, si intellectuale in communi sumatur non esse proprie vnam speciem. Vnde non diuiditur essentialiter per differentias (corpoream & incorpoream) non esse vnam speciem. Probatur quia species componitur ex genere & differentia immediatis, intellectuale vero non determinat immediate substantiam, sed corporeum & spirituale seu incorporeum quia spiritualitas est radix intellectionis.

Obiic. 4. Incorruptibile diuidit corpus & spiritum nam conuenit cœlo & angelo ergo.

Respon. Si incorruptibile dicat quid positiuum, non est idem incorruptibile conueniens & spiritui, quia corpus est incorruptibile ratione partium Physicarum, materiæ scil. & formæ inseparabiliter vnitarum inter se. Incorruptibile spiritus dicit negationem partium ex quorum dissolutione oriri posset corruptio.

Finis tertiæ Disputationis.

DISPVTATIO QVARTA.

DE PRÆDICAMENTIS IN GENERE.

QVÆSTIO I.

Quid sit prædicamentum?

RESPONDEO Prædicamentum est alicuius summi generis & eorum quæ sub ipso directe ponuntur naturalis dispositio. Siue est series & coordinatio summi generis & generum ac specierum subiectarum secundum prædicationem & subiectionem. In quem descriptione prædicamentum non significat solum summum genus (quod interdum hoc nomine appellatur) sed etiam inferiora vsque ad indiuidua inclusiue, quo modo prædicamentum accipit Aristoteles 5. *Met. t.* 12. *& 6. Met. t* 4. *v g.* prædicamentum substantiæ constat ex substantia in communi & gradibus minus communibus ordine quodam dispositis vsque ad singulares, vt sunt corpus viuens animal homo Petrus, singulorum prædicamentorum series vide apud Iohannem Sandersonum in sua Dialectica.

QVÆSTIO II.

Quæ requirantur vt aliquid directe ponatur in prædicamento?

RESP. requiri aliquod conditiones.

Prima est vt sit ens aliquod reale quia prædicamentum est coordinatio eorum quæ constant vera essentia. Hæc conditio excludit entia rationis siue secundas intentiones, impossibilia, confecta scil. ex impossibilibus sed quæ coniungi non possunt vt chymera hircoceruus, negationes item & priuationes, hæc enim cum nullo certo sint modo ad classes reuocari nequeunt.

Secunda conditio vt sit vnum ens per se constans partibus eiusdem ordinis, ac proinde vnius omnino essentiæ. Hinc Aristoteles *primo Met. c.* 2. solum ens per se diuidit in decē prædicamenta. Ratio est, quia si aggregata ex partibus diuersæ rationis ponerentur nulla esset coordinatio & distinctio rerum nec certus prædicamentorū numerus. Hæc conditio excludit artificialia qua talia. Constant n. ex

materia.

materia ligno quæ pertinet ad prædicamentum substantiæ & ex figura artificiali quæ pertinet ad qualitatem.

Tertia est vt sit ens completum. Ita Aristoteles 3. Met. c. 3 Ratio est quia in completo nimis magno sunt numero quam vt commode in ordinem redigi possint.

Sufficit autem vt sit completum secundum quid vt sit ea quæ prædicantur per se de indiuiduis quæ dicuntur completa simpliciter quia ad nullius constitutionem aut compositionem saltem essentialem concurrunt.

Hæc conditio excludit primo differentias de quibus genus non prædicatur in quid & quæ non prædicantur de indiuiduis in quid. Secundo partes Physicas sc. materiam & formam, partes integrantes, vt est manus, pes, caput, &c. nec refert quod partes integrantes & Physicę sint perfectiores multis accidentibus, quia accidentia quæ in prædicamentis directe ponuntur in suo genere sunt completa & perfecta, partes vero in genere substantię sunt imperfectæ & incompletæ. Tertio excluduntur subsistantia, inhærentia, vnio & similes modi.

Quarta est vt sit vniuocum & incompositum, nam alioqui magna esset confusio prædicamentorum quæ tamen distinctionis causa inuenta sunt Hinc Aristoteles initio huius tractationis distinguit æquiuoca ab vniuocis, complexa ab incomplexis.

QVÆSTIO III.

An id quod ponitur in prædicamento debeat esse finitum?

QVæritur aliis terminis an Deus Opt Max. collocetur in aliquo prædicamento, is enim solus infinitus est, & quidem secundum essentiam, quam secundum accidentia.

Resp Id quod ponitur in prædicamento debet esse finitum secundum essentiam, ac proinde Deus non continetur prædicamento. Ita D. Thom. 1. *parte q.* 3. *a.* 5. Molina & Valentia *ibidem.* Fonseca 5 *Met. c.* 8. *q.* 1 est contra Nominales. Probatur quod ponitur in prædicamento vel est summum genus vel est species intermedia, vel indiuiduum speciei subordinatum: Atqui nullum horum est ens infinitum in essentia. Ergo. Probatur non est genus summum vt patet, neque species, hac enim non existunt seorsim non indiuiduum specie ordinatum, quia illius natura specifica debet componi ex genere & differentia: Atqui natura diuina non admittit huiusmodi compositionem. Ergo. Minor probatur quia genus debet esse extra rationem differentiæ extra rationem generis, quæ etiam confert aliquam perfectionem, quam non includit genus, quia species per eam essentialiter excedit genus, talis differentia non potest concipi à Deo, quia illa excederet genus, vel finite vel infinite, si prius, constituent compositum finitum, & sic non erit Deus: si posterius perfectio & ratio generis erit superflua cum differentia sit infinitæ perfectionis, cui nihil potest addi.

Dices 1. Diuus August. *l.* 5. *de Trinitate,* docet quædam prædicamenta v gr. substantiam relatione, actionem proprie dici de Deo, cætera vero improprie. Ergo ex ipsius sententia Deus ponitur in prædicamento.

Resp. 1. Si quid illa authoritas vrgeret sequeretur Deum poni in pluribus prædicamẽtis & constare accidente. Vnde.

Resp. 2 Mentem D Augustin. esse terminos significantes. Prædicamenta & vsu Philosophorum in propria sua significatione quam ex primo instituto habet, dici de Deo, non tamen eo sensu quo vsurpantur à Philosophis; ad significanda prædicamenta quæ sunt res quædam limitatæ.

Dices secundo. Deus est mensura omnium substantiarum imo & rerum omnium creaturum. Atqui quæ est mẽsura cæterorum, quæ in aliquo genere continentur, id est eiusdem generis, vt Aristot 10. Met. t. 4.

Resp. Ad minorem illam intelligi de mensura eiusdem ordinis Deus autem est mensura rei creatæ sed ordinis sublimioris. & ex illo axiomate sequeretur Deum poni in omnibus prædicamentis.

Petes, si daretur creatura aliqua infinita in determinato genere entis ve gr. in quantitate vt corpus infinitæ magnitudinis vel intensione vt calor infinite intensus poneretur in prædicamento.

Resp. Affirmatiue quia haberet omnes cõditiones requisitas. Constaret enim proprio genere & differentia, &c.

QVÆSTIO IV.

An res ponantur in prædicamentis vt ſignificentur nominibus concretis an abſtractis?

NOTA concreta eſſe duplicia ſubſtantialia ſcilicet vt animal homo, & accidentalia vt album, dulce, abſtracta his reſpondentia ſunt animalitas, humanitas, albedo & dulcedo, inter quæ hæc eſt diſtinctio quod abſtracta accidentium Metaphyſice ſint concreta in ſuo genere.

Reſpon. 1. Concreta ſubſtantialia ponuntur in prædicamento. Probatur primo ſubſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens, ergo. Probatur ſecundo omnis ſubſtantia vel eſt prima vel ſecunda de prima non eſt dubium. Hæc enim ſignificatur nomine concreto vt Petrus. De ſecundis probatur, quia ſecundæ ſubſtantiæ ponuntur in prædicamento quatenus prædicantur de prima in recto: ſed non prædicantur in recto, niſi ſumantur in concreto ergo, &c. vbi.

Nota concluſionem intelligi de prędicamento prout conſideratur à Logico ſecundum prædicationem & ſubiectionem, quia ſi Metaphyſice conſiderentur prout prædicamenta res diſtinguunt ſecundum proprias eſſentias, abſtracta quæ ſignificant præciſe, eſſentias habent eorum in prædicamentis.

Reſpon. ſecundo. Abſtracta accidentium in prædicamento non vero concreta. Probatur quia entia per accidens non ponuntur in prædicamentis: ſed concreta accidentium ſunt talia, ergo. Probatur ſecundo. Concreta ſubſtantiarum ſecundum omnes ponuntur in prædicamento; ergo & abſtracta accidentium. Conſequentia probatur, quia ſunt Metaphyſice concreta & habent ſe reſpectu inferiorum ſicut concreta ſubſtantialia reſpectu ſuorum inferiorum.

Ob. 1. Concreta accidentium primario ſignificant formam accidentalem. Ergo ratione formalis ſignificati ponuntur in prædicamento.

Reſp. Antecedens vt plurimum eſſe verum ſi concreta ſumantur abſolute, vt recte probat Fonſeca *5. Met. c. 4. q. 5. ſ.* 3. dico ſi abſolute ſumantur, quia in enumeratione pro conditione prædicati poſſunt primario ſignificare ſubiectum, v. gr. album eſt corpus diſgregatiuum viſus, vbi album primario ſignificat ſubiectum albedinis, ſed quidquid ſit de Antecedente negatur conſequentia, quia licet primario ſignificetur forma, connotatur tamen ſubiectum quod eſt diuerſi prædicamenti, ſi tamen ſenſus ſit concreta ſignificare formam accidentalem, v. g. album ſignificare formaliter albedinem, ſic facile conceditur concreta, vt ſupponunt pro abſtractis poni in prædicamentis. Sed hac in re eſt dicere abſtracta ponit. Nam eadem ratione etiam ponuntur artificialia, vt ſupponunt pro formali ſuo ſcilicet forma artificiali, & ſic explicandi ſunt D. Thom. & Fonſeca *ſupra* quomodo dicunt concreta accidentium poni in prędicamento.

QVÆSTIO V.

Quomodo ea quæ excluſa ſunt à prædicamentis ad illa reducantur.

QVicquid à prædicamentis excluditur eo quod deficiat à perfecta ratione prædicamenti ponitur in illis ſaltem reductiue. Hac fere ratione negationes & priuationes ad prædicamenta rerum quas negant vt non lapis ad ſubſtantiam, cæcitas ad qualitatem, entia rationis ad entia realia, quibus affinguntur entia plane fictitia, vel ad prædicamentum qualitatis, quia ſunt actus fingentes, vel ad prædicamentum partium ex quibus finguntur conſtare Artificialia & concreta accidentium ſecundum diuerſas partes ad diuerſa prædicamenta vt cathedra, album ratione materiæ & ſubiecti ad ſubſtantiam ratione formæ artificialis vel denominantis ad qualitatem: differentiæ partes Phyſicæ & alia entia incompleta ad completa, æquiuoca & analoga ad vniuoca, complexa ad incomplexa &c.

Petes an Deus reductione etiam ponatur in prædicamento.

Reſpon. Negat. quia non excluditur, quia deficit à perfecta ratione prædicamenti, ſed quia in infinitum excedit rationem cuiuslibet prædicamenti, vnde nec directe nec reductiue ponitur in prædicamento.

QVÆSTIO VI.

Quot sint prædicamenta?

IN quæstione proposita facile vndecim diuersæ reperiuntur sententiæ, vt videre est apud Toletum hic, & Fonsecam 5. *Metaph. c.*7. & alios.

Resp. Recte ab Aristotele decem ponuntur prædicamenta in textu enumerata, ita omnes peripatetici post Aristotelem & communiter Philosophi cum D. Thom 5. *Met. lect.*7.

Probatur, quia res omnes vniuersim ita ordinatæ & distinctæ ad decem illa capita reducantur, vt numerus commode non possit diminui, neque necesse sit illum augeri. Accedit quod si quis à denario numero velit recedere, vel deflectet à fine qui spectatur in distributione prædicamentorum vel pluribus sese implicabit difficultatibus.

Variæ afferuntur rationes inuestigandi denarium numerum prædicamentorum ex quibus magis probatur illa quam assignat D. Thom. *loco proxime citato* & explicat Fonseca. Quicquid est à parte rei aut est indiuiduum substantiæ cui essentialiter insunt gradus substantiales generici & specifici & ex his fit prædicamentum substantiæ aut sunt indiuidua accidentium quæ cognoscuntur conuenire indiuiduo substantia vt quid illi superadditum, & hæc vel sunt quid absolutum vel respectiuum, si respectiuum constituunt prædicamentum Relationis, si absolutum vel sunt aliquid intrinsecum independens ab extrinseco adiacente vel dependens si prius vel inhærent per modum permanentis idque ratione materiæ quam consequuntur & constituunt quantitatem, vel ratione formæ & constituunt qualitatem: Si posterius vel extrinsece adiacens habet se per modum transeuntis & constituit actionem & passionem vel per modum permanentis & hoc se habet vel vt mensuræ quantitatis & magnitudinis & constituit vbi, vel habet se vt mensura partium quantitatis in ordine ad totum, & est situs, vel se habet vt mensuræ durationis rei & est quando, vel denique est aliquid extrinsece adiacens, non habens rationem mensuræ & est Habitus.

Breuius hæc ratio explicatur Quicquid inest substantiæ vel pertinet ad ipsius essentiam & est prædicamentum, vel non pertinet, si non, vel inhæret independenter ab extrinseco vel dependenter, si prius, vel conuenit absolute vel complete, si absolute, vel sequitur materiam & est Quantitas, vel sequitur formam & est Qualitas.

Si comparate, est Relatio, si posterius, vel denominat substantiam vt sui principium, & est actio, vel vt sui susceptiuum & est Passio, vel denominat vt eius mensura idque vel ratione magnitudinis & est vbi vel positione & est situs vel duratione & est quando, vel non denominet, vt est mensura, & est habitus.

Obiic. primo, Substantia constituit vnum prædicamentum. Ergo, & accidens constituet vnum & sic tantum erunt duo prædicamenta.

Resp Negando consequentiam quia vna & eadem substantia variis substat accidentibus, quæ adeo inter se sunt distincta, vt sine confusione ad vnum prædicamentum reduci non possint.

Obiic. secundo. Commode accidentia diuidentur in respectiua & absoluta, & sic erunt tria.

Resp. Absoluta nimis esse varia quam vt ad vnum reduci possint.

Obiic. tertio Actio & Passio sunt duo prædicamenta ergo & habere & haberi, similiter esse mensuram & mensuratum.

Respon. Negando consequentiam. Quia actio & passio denominant formaliter substantiam, vestis autem proprie & per denominationem formalem non dicitur haberi, sicuti homo denominatur à veste, & cuius adiacentia resultat hęc denominatio. Eodem modo ex actiua continentia loci & temporis non constituuntur prædicamenta locantis aut temporantis distincta ab vbi & quando quia in re locata non est aliquid quod sit quasi forma corporis continentis aut locantis. Similiter nec in re subiecta tempori, in patiente est autem aliquid quod dicitur forma patientis.

Obiic. 4. Motus significat rationem formalem distinctum à termino Actione & Passione quia formaliter est ipsa tendentia siue fluxus ad terminum ergo constituit distinctiuū prædicatum.

Resp.

Resp. negando consequentiam quia dicit rationem imperfectam, & reducitur ad prædicamentum sui termini, sicut virtus & punctum reducuntur ad Quantitatem quæ sunt eius initia. Accedit quod motus formaliter non tribuat subiecto distinctam denominationem à suo termino. Calor enim siue sit in facto esse, siue in fieri, denominat subiectum calidum.

Obiicies 5. Actio & passio sunt denominationes desumptæ ab entitate quæ est terminus motus, ergo etiam reducuntur ad prædicamentum termini.

Respon. negando consequentiam, quia licet denominatio per se deueniens à forma pertineat ad prædicamentum illius vt calidum ad qualitatem, denominatio tamen quæ prouenit à forma non per se sed in aliquo statu illi accidente, nimirum vt est in fieri, & pendet ab agente, vel vt incipit afficere passim qui status potest ab illa forma separari, talis denominatio potest constituere distinctum prædicamentum, & huiusmodi sunt esse agens esse patiens.

Obiic. 6. Vbi ea situs sunt duo prædicamenta quæ sumuntur à loco, ergo & à tempore erunt sumenda duo. Consequentia patet, quia sicut res est in loco cum certo partium ordine & habitudine ad locum, ita & in tempore.

Resp. ad antecedens illa dico prædicamenta non tam desumi à loco quam à toto in ordine ad locum & à situ partium in ordine ad partes loci. Deinde nego consequentiam, quia illa habitudo partium rei, tempori, substantiæ non tribuit illi particularem denominationem. Ex his & similibus argumentis patet congruum esse hunc denarium numerum, quamuis non ita firma ratione nitatur vt Fonseca loco citato fateatur, in hoc numero assignando popularis sensus habitam esse rationem.

QVÆSTIO VII.

Quomodo prædicamenta inter se distinguantur?

SVppono ex dictis disputatione prima Logicę triplex esse genus, distinctionis scilicet realis, rationi & modalis. Tres fere sunt sententiæ D. Thom, *De potentia q. 5, & 3. p. q. 13. a. 2.* dicit distingui realiter. Secundo Fonsec *5. Met. c. 7 q. 3. s. 2.* & alii recentiores dicunt distingui quædam modaliter quam distinctionem vocant formalem siue essentialem quæ recipitur inter essentiales actu diuersas. Tertio Soncinas 5. Met. q. 13 & alii docent distingui per diuersos modos essendi & prædicandi quam vocant distinctionem rationis.

Resp. 1. Prædicamenta sunt 1. diuersa siue sunt seipsis diuersa. Probatur ex Aristotele 8. Met. t. 16. & 5. Met. tit. 18. Ratio est quia non habent supra se genus aliquod in quo conueniat. Nam si quod haberent, illud esset ens, sed vt docet Aristoteles ens non est genus quia diuidi non potest per differentias quæ sunt extra rationem entis. Vnde ens non descendit ad prædicamenta per veras differentias destinantes diuersos gradus perfectionis sed per motus quædam intrinsecus tantum, v. gr per modum se descendit ad substantiam per modum inhærendi ad accidens, quod iterum per diuersos modos inhærendi in substantia determinatur ad diuersa prædicamenta vt per modum extendendi substantiam ad qualitatem per modum qualificandi ad Qualitatem, & sic de cæteris, & quia isti modi non continent diuersos perfectionis gradus, sicuti differentiæ non dicuntur contrahere ens sed modificare, neque prædicamenta dicuntur per aliquid differre, sed esse 1. diuersa, vel se ipsis diuersa. Ideo enim species sub orbem genere non dicuntur distingui se ipsis sed per aliquid sui siue per differentias, quia differentiæ important gradum imperfectionis distinctū à gradu generico.

Respon. 2. Quædam prædicamenta distinguuntur realiter inter se. Huiusmodi sunt substantia, Quantitas & qualitas. Per qualitatem intelligo formam, realem Physicam quæ subiectum Physicæ complet cuiusmodi sunt qualitates primæ secundæ, & tertiæ species. Probatur quia illa distinguuntur realiter, siue vt res & res quæ habent entitates Physicas distinctas separabiles ab omni alio vel naturaliter vel saltem supernaturaliter atqui tria hęc sunt huiusmodi, ergo.

Resp. 3. Cætera Prædicamenta tantum modaliter distinguuntur à tribus primis. Probatur quia sunt tantum modi illorum cuius euidens signum est quod implicet illa seorsim ex stere. Relatio igitur est modus substantiæ

vt

vt Paternitas, filiatio similitudo, modus qualitatis æqualitas modus Quantitatis, &c quæ omnia suis locis explicabuntur.

Obiicit. 1. Modi non ponuntur directe in prædicamento ex d. f. ergo non sunt prædicamenta aliqua modalia.

Respon. Duplices esse modos, quidam sunt quasi intrinseci rei & pertinent ad integritatem substantialem illius entis realis, in rigore tamen sunt extra ipsius essentiam: Vocantur autem modi quia supponunt rem habentem in suo genere totam essentiam simpliciter & simul id quo talis res existit complete in eodem genere, & hi modi reductiue pertinent ad prædicamentum eiusdem generis, sic se habet inhærentiæ ad accidens, subsistentia ad naturam, vnio partium Physicarum ad substantiam. Alii sunt modi magis extrinseci rei & quasi aduentitii, qui supponunt rem omnino constitutam in integra entitate sua, & deinde illum modificant extrinsece & separabiliter ita vt constituant diuersas denominationes reales & hi modi vocant, denominantes alii priores possunt dici informantes. Declaratur exemplo, verbi gratia, figura dixit eandem entitatem quam quantitas, connotat tamen modum se habendi Quantitatis quod si partes eius habeant diuersas determinationes ratione quarum sicut diuersi anguli vel partes fiunt diuersimode dispositi. Idem patet in situ sessione & aliis, & hi modi denominantes constituunt diuersa prædicamenta, quia series prædicamentorum ordinatur ad hoc, vt sciamus vnumquamque rem concipere secundum sua essentialia, & distinguere ab accidentariis. Ad vero finem non sufficit scire quæ realiter distinguantur, sed etiam quæ modaliter. Secundo modo siue essentialiter, ergo oportet collocare in diuersis prædicamentis ea quorum diuersæ sunt essentiæ siue rationes formales. Minor probatur, quia essentialis ratio alicuius non tantum præscindit à realitatibus distinctis sed etiam à modis essentialiter diuersis.

Obiic. 2. Ens reale & res idem sunt: Sed ens reale distinguitur in diuersa entia, ergo & res in diuersas res, ergo prædicamenta omnia inter se realiter distinguuntur siue vt res & ens confirmatur. Summa genera sunt primo diuersa ergo in nullo conueniunt ergo realiter distinguuntur.

R. Hæc & similia argumenta ex D. Thom. tantum probare prædicamenta nec distingui sola ratione sed à per se rei distinctione actuali vnde ens est res latiori significatione non tantum dicunt id quod habet entitatem realem Physicam, sed etiam id quod est quomodocunque distinctum contra nihil modo habet essentiam sibi proportionatam, quæ non sit complementum alterius entis in suo genere.

Ex quibus conciliari possunt tres diuersæ sententiæ quia D. Thom. per distinctionem realem intelligit actualem, sub qua comprehendit eam quam nos vocamus realem & modalem Tertia sententia supponit in genere distinctionem actualem quam vocat diuersitatem modi essendi, & hæc reperitur in omnibus prædicamentis.

**
*

Finis Disputationis quartæ.

DISPVTATIO QVINTA.

DE SVBSTANTIA.

PRius quam singularem prædicamentorum explicationem aggrediamur hoc p' ęmonendum est tantam esse ingenii nostri imbecillitatem vt nullius rei quidditatiuam cognitionem secundum prædicata communia & propria vsque ad differentiam vltimam per

proprios ac positiuos conceptus assequi possimus, vt ostendit Suarez *disput.* 35. *se.* 2. Quod non tam verum est de rebus & naturis in particulari, sed etiam de prædicamentis essentialibus cōmunibus vt sunt substātia, Quātitas, &c. quia ad cognitionem proprii quidditatiuam non sufficit cognitio prædicamēti alicuius proprii rei, & non communis alius (quam fere solemus vocare quidditatiuam) quia hoc modo cognoscimus essentiam Dei conceptu aliquo modo proprio, quam tamen nemo dixerit quidditatiue à nobis cognosci quia non cognoscimus id quod est proprium Dei eo modo quo est, sed per negationes tantum aut habitudines ad res creatas nobis aliquo modo notiores, nec refert quod gradus illi & rationes vniuersales videntur omnino simplices, vt proinde videantur posse partim cognosci partim ignorari, quia possunt confuse & per improprios conceptus vel negatiuos vel connotatiuos cognosci. Quod adeo verum est, vt non tantum substantiæ nobis in hac vita secundum quidditatem sint ignotæ imo & anima nostra, cuius proprium modum intelligendi aut operandi non satis perspicimus, sed & accidentia non tantum illa quæ sensu non percipiuntur sed & illa quæ per se sentiuntur & quorum proprias concipimus species. Quis enim satis assequitur quid sit sonus odor sapor &c. Vnde non est quod miremur si in prædicamentorum formali ratione assignanda aliquantulum laboretur.

QVÆSTIO I.

Quid sit & significet substantia?

SVbstantia est Græcorum οὐσία quam Seneca *epist.* 59. existimat latine exprimi non posse. Sumitur vero à Philosophis quinque fere modis 1. pro cuiusuis entis natura tam accidentis quam substantiæ & sic idem est quod essentia. Et hoc modo sumitur ab Aristotele quando dicit substantiarum esse definitionem, & quando dicimus colorem esse de substantia albedinis. 2. Strictius sumitur pro illa tantum essentia quæ non est accidens, siue illa sit ens completum vt animal, homo, siue incompletum vt pars Physica vel integralis vel modus substantialis. 3. Pro substantia completa siue illa sit finita siue infinita. Hoc sensu dicit Aristoteles 1. *Ethicorum cap.* 6. substantiam de Deo dici: & sancti Patres dum quibusdam in locis insinuant Deum esse substantiæ speciem, vere esse substantiam, &c. Quarto pro summo genere in categoria substantiæ quod est substantia completa & finita. Hac acceptione dicitur differentia non esse substantia nec manus, &c. 5. Pro re singulari per se complete existentem in rerum natura vt primæ substantiæ Petrus, Paulus, &c.

QVÆSTIO II.

In quo consistat ratio formalis prædicamenti substantiæ?

NOta cum substantia sit summum Genus non potest definiri definitione propriè dicta per genus & differentiam. Potest tamen explicari ratio eius essentialis per aliquid superius, & per modum contrahentem.

Resp. Ratio formalis substantiæ, quæ constituit summum Genus consistit in aptitudine existendi per se siue subsistendi complete vnde substantia describitur ens aptum vel potēs subsistere, vel ens hominis radicem & principium intrinsecum substantiæ quæ vt percipiantur.

Nota primo Existentiam, quæ concipitur modus essentię immediate contrahi per alios duos modos similes scil per modum existendi à se ex vi suæ essentiæ & independenter ab omni alio qui reperitur in solo Deo & per modum existendi ab alio siue dependenter ab alio & per participationem qui conuenit creaturis.

Nota secundo existentiam dependentem, siue vt ex nostra sententia loquimur quod existimemus existentiam sola ratione distingui ab essentia (vt suo loco probabimus) si rem existendi terminari per alios modos non sola ratione sed actuali distinctione diuersos se per subsistentiam & inhærentiam. Per subsistentiam contrahitur ens actuale ad substātiam. Substantia enim est modus re existentis per quem vltimo perficitur, & ita terminatur, vt ab alio terminari vlterius non possit, sed seipsum sustentet, & in nullo alio recumbat: Per inhærentiam contrahitur ad accidens, quia inhærentia est modus rei existentis per quem

quem recumbit in alio à quo sustentatur & à quo in existentia sua dependet.

Nota tertio hos modos actuali & modali distinctione distingui à re existente ex eo colligi quod res existere possit saltem supernaturali potentia sine illis modis. Sic humanitas Christi Domini habet existentiam creatam, caret tamen subsistentia propria creata qui terminatur à subsistentia increata verbi diuini. Similiter Accidentia in venerabili sacramento carent inhærentia. Nam substantia Panis cui tanquam subiecto inhæreant desinit esse post consecrationem. His positis probatur conclusio quia hæc aptitudo ad substantiam siue hæc radix subsistentiæ reperitur in omnibus substantiis & non est aliquid accidentale. Ergo erit ratio essentialis. Minor probatur quia potentia ad actum substantialiter perficientem non est quid accidentale. Hinc potentia materiæ ad receptionem formæ non est accidentalis sed essentialis materiæ Confirmatur quia per hanc aptitudinem distinguitur substantia ab Accidente. Non enim distingitur per actualem subsistentiam. Hæc enim potest à substantia separari.

Dices partes substantiæ vt materia & forma saltem naturales & partes integrales non sunt aptæ per se subsistere ergo ratio substantiæ non consistit in hac aptitudine.

Respondeo partes substantiæ esse aptas subsistere per se incomplete quia sunt substantiæ incompositæ. Neque per se pertinent ad prædicamentum substantiæ: ratio igitur substantiæ communissime sumpta prout abstrahit à completa & incompleta consistit in aptitudine subsistendi præscindendo à subsistentia completa & incompleta.

Sed substantia hoc modo sumpta non est summum genus.

QVÆSTIO III.

Num Angeli ponantur in prædicamento substantiæ?

PRæcedenti quæstione docuimus Deum non poni in prædicamento vt præter Div. Thom & Theologos communiter tenuere SS. Patres: Div. Dionysius *de mystica Theologia cap. 3. & de diuinis nominibus cap. 5. & alibi* D. August. *l. 7. de trinitate cap. 3. & libris sequentibus* D. Damascenus *l. 1. de fide orthodoxa cap. 1. & 8.* & alii qui passim affirmāt Deum non esse ens scilicet prædicamentale sed supra ens neque substantiam, sed supra substantiam, & melius de Deo negari omnia quam affirmari Deum nec nominari posse nec definiri Deum, nihil esse eorum quæ scimus, quia scilicet est essentia quędam omnibus supereminens quę non dicerent si ens & substantia prædicarentur vniuoce de Deo & creaturis & Deus poneretur in prædicamento substantiæ.

Ex quibus infertur substantiam ab iisdem patribus late sumi pro omni eo quod non est accidens, sicuti dicunt Deum esse vere substantiam.

Proximum nunc est vt videamus an intelligentiæ sint in prædicamento. Negant Albertus & Iandunus *in 12. Metaph.* & Durandus *in 20. distinct. 32. quæstione secunda*, & probant ex Aristotele.

Respondeo Angeli tam secundum Aristotelem quam secundum veritatem continentur in prædicamento substantiæ ita D Thom. 1. p. q. 50. a. 2. ad primum & alii quos referunt & sequuntur Soarez. & Toletus *quæstion. 2. de substantia.*

Probatur quia habet conditiones requisitas vt discurrenti patet. Conueniunt inter se in ratione communi vniuoca Spiritus & cum corporibus in ratione substantiæ.

Obiic. 1. Angeli non substant accidentibus. Ergo.

Resp. Negando Antecedens, habent enim actus intellectus & voluntatis.

Ob. Ex Aristotele 8. *Met. c. 6. t. 16.* vbi docet in substantiis abstractis id est Angelis non posse assignari aliquod per quod ipsæ sint essentiæ vel vnum, sed se ipsis esse ens & vnum, ergo in illis non dantur gradus generici & specifici, secundo 10. *Metaphys. capite sexto, text. duodecimo* dicit, ea differre genere & prædicationis figura, quorum non est communis materia.

Ergo Angeli non sunt in eodem prædicamento cum substantiis corporeis, quę constāt materia 3. 9. *Met. c. 9. t. 17.* ait æterna & incorruptibilia carent potentia, sed quæ ponuntur

in prædicamento debent constare potentia. 4. Et denique vbicunque Aristoteles agit de substantia prædicamentali, tantum agit de corruptibili & composita ex materia & forma.

Resp. Aristotelem 12. *met. c.2. t.5.* diuidere substantiam prædicamentalem in sensibilem & sempiternam quales sunt Angeli & 5. Met. t.12. in substantiarum enumeratione agnoscit Angelos. Ex quo patet ad vltimum argumentum. Ad primum testimonium. Resp Aristotelem tantum asserere Angelos esse simplices Physice & maxima vnitate vnos; quia non constant partibus distinctis vnum quid componentibus hæc vero simplicitas non repugnat compositioni metaphysicæ ex genere & differentia. Ad secundum Resp. differre prædicatione essentiali non tamen prædicationis figura totali & omnimoda. Ad tertium Resp. æterna carere potentia Physica, siue contradictionis ad esse & non esse non vero Metaphysico sine id est genere. Vide Toletum supra.

QVÆSTIO IV.

An cœli sint in prædicamento substantiæ?

NEgant Simplicius & Auerroes cum paucis aliis.

Resp. Cœlum & corpora cœlestia ponuntur in prædicamento substantiæ, tam secundum Aristotelem quam secundum veritatem. Ita D. Thom. 5 & 10. *Met* De Aristotele probatur ex 5. *Met. cap.* 8. *t* 15. vbi agens de prædicamento substantiæ meminit cœli Et 2. *Met. cap.* 2. *t.* 5. dicit Substantiam qua Categoria continetur esse in corporibus: Cœlum autem Aristoteli corpus est.

Obiic. 1 Aristoteles 10 Met c.13 docet corruptibile & incorruptibile differre genere. Deinde differre genere ea inter quæ non est mutua generatio ergo cœli non sunt eiusdem Categoriæ cum substantiis sublunaribus & corruptibilibus.

Resp Ad primum testimonium, illa differre genere saltem proximo non vero summo genere. Vide varias explicationes illius axiomatis apud Toletum hic. Similiter Resp ad secundum, quia scientia & albedo non habent communem materiam nec mutuam transmutationem, & tamen ponuntur in eodem prædicamento & summo genere licet different proximo. Posterior pars conclusionis probatur quia cœlo conueniunt definitio & proprietates quas Aristoteles tribuit Substantiæ, &c. Admittit enim etiam contraria saltem late sumpta quia nunc illuminatur, mox priuatur lumine, vt videre est in luna, nunc est in oriente mox in occidente secundum diuersas partes.

QVÆSTIO V.

An indiuidua ponantur in prædicamentis?

REsp. Affirmatio probatur. Participant rationem substantiæ prædicamentalis & subiiciuntur essentialiter summo generi & omnibus differentiis quæ prædicantur de omnibus in quid.

Obiic. 1. Indiuidua habent entia per accidens quia constãt rebus diuersi ordinis, vt patet ex secunda definitione Porphyrii ergo excluduntur à prædicamento.

Resp. Negando Antecedens. nam ratio formalis indiuidui non est sita in istis proprietatibus, sed in eo quod sit natura quædam in suo genere, ita completa vt vlterius essentialiter compleri aut determinari non possint & sic includit naturam specificam & differentiam indiuidualem quæ non constituit ens per accidens diuersi ordinis.

Obiic. 2. Indiuidua per se non specificant ad scientiam, ergo neque ad prædicamenta, quia hæc ordinantur ad scientiam Confir. Porph. & alii iubent in diuisione prædicamenti sistere in speciebus.

Resp. Dissimulando antecedens de quo in libris poster. Nego consequentiam, neque enim necesse est omnia quæ in prædicamento collocantur immediate pertinere ad scientiã. Ad Confir. Resp Porphyr. tantum velle diuisionem quæ fit per diuisionem quæ fit per differentias non progredi vltra speciem infimam quod non facit contra nos.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

An Christus Dominus sit prima substantia prædicamentalis?

NOta primam substantiam plures genere denominationes secundum varias habitudines, quatenus non diuiditur in plura inferiora, dicitur indiuiduum quatenus vniuersali subiicitur, vocatur singularis quatenus subsistit in rationali natura de persona.

Pro quæstione præsenti suppono ex principiis fidei in Christo Domino duas esse naturas realiter distinctas diuinam scilicet & humanam coeuntes in vnam personam quæ Deus sit & homo, increata scil. subsistentia verbi diuini humanam naturam terminante. Quæritur hic cum Christus vt Deus est siue vt subsistens in natura diuina non sit in prædicamento, an saltem vt hic homo, siue vt subsistens in natura humana sit in prædicamento.

Respon affirmatiue, cum D. Thom. 3. *part. q. 2. a. 3. ad tert.* Probatur, quia hic homo, qui est Christus, directe subiicitur sub humana specie, tanquam eius indiuiduum, & consequenter sub genere animalis viuentis.

Consequentia patet, quia de quocunque prædicantur genus & species, in quid, illud collocatur per se in prædicamento, & est substantia prædicamentalis Antecedens probatur, quia in hac propositione, Christus, quatenus hic homo, est homo, homo prædicatur de Christo, sicut de Petro, vniuoce, vt D. Thom. 3. *part. q. 2. a. 5. in corp.* Soaretz *ibid. q 26. a. 1.*

Obiic 1. Christus est homo, est prædicatio contingens & quasi accidentis de subiecto, ergo non est prædicatio speciei de indiuiduo. Antecedens probatur, quia Christus, vt hic homo, includit naturam diuinam, cui accidit natura humana, & ex consequenti, eadem natura accidit huic homini, qui est diuinum suppositum. Confirm. In triduo mortis, sicut & ante incarnationem Christus non erat homo, ergo hæc propositio est contingens, ita Scot. *in 3. prop. distinct. 7. q. 2.* & quidam eius sectatores.

Respon. negando antecedens ad probationem. Respon. Christum esse Deum, & hominem, quia est persona constituta ex natura humana, & subsistentia verbi, & ex natura diuina, & eadem subsistentia. Vnde sicut de eius essentia est Deus, ita & homo, nam componens est de essentia compositi, ergo natura humana enuntiatur de Christo, vt de propria persona, siue indiuiduo, & licet hæc propositio, Deus est homo, dici posset contingens, quatenus scilicet verbum diuinum libere assumpsit naturam humanam, hæc tamen, Christus est homo, non est contingens, quia Christus dicit formaliter personam subsistentem in vtraque natura. Ad Confirmat. nego consequentiam, quia licet tunc Christus non existeret homo, erat tamen vera illa propositio, Christus est homo, quia est non significat existentiam, sed connexionem prædicati cum subiecto, quæ necessaria est neutro existente termino.

Obiic. secundo, si Christus necessario est homo, ergo Deus necessario est homo, ergo libere non assumpsit naturam humanam.

Resp. negando secundam consequentiam tantum enim sequitur, ergo aliquod quod est Deus, licet Christus necessario est homo, quæ propositio supponit liberam assumptionem naturæ humanæ.

Obiic. tertio Christus, quatenus hic homo intrinsece includit personam diuinam, quia hic homo non est connotatiuum, sicuti album, vt quidam Nominales docent, sed persona diuina non ponitur in prædicamento, quia est infinita, secundum essentiam, ergo.

Resp. ad maiorem, includere personam diuinam tanquam terminum, & collocari in prædicamento, non ratione illius termini, & personalitatis, hæc enim non est ratio formalis, secundum quam indiuidua ponuntur in prædicamento substantiæ, sed tantum conditio sine qua non, sed collocari ratione naturæ, in qua est compositio generis, & differentiæ, & ratio formalis substantiæ prędicamentalis, quare Christus Dominus non ratione suppositi diuini, sed solius humanæ naturæ est in prædicamento, & hæ propositiones simul sunt veræ, Deus vt Deus, siue ratione diuinæ naturæ, vel personarum, non continetur in prædicamento, & Deus siue Dei filius ratione humanæ naturæ ponitur in prædicamento.

QVÆSTIO VII.

Qualis sit diuisio substantiæ in primam & secundam.

RESP. primo, probabilis est sententia Ammonii, non tam esse diuisionem, quam enumerationem, & seriem quandam eorum, quę in hoc prędicamento ponuntur, veluti cũ dicitur, discumbentium hic est primus, ille secundus, probatur, quia nõ apparet, quidnam sit diuisum, & qualis sit diuisio. Dices, cur ergo Aristoteles non enumerat plures vt singularis sit species infima, secunda genus subalternum, tertia genus summum.

Resp. Aristotelem tantum velle vnam esse priorẽ, quia primo substat, alias omnes, quas vocat, secundas, esse posteriores, primas, & quia in hoc conueniunt, ideo tantum numerat primam & secundam.

Resp. 2. Si quis velit esse diuisionem, dicere poterit diuidi substantiam, vt habentes proprietates reales, per se subsistẽdi, & substandi alii, eamq; diuidi per diuersos modos, quibus hæ proprietates conueniunt, primæ & secundis. Nam primæ conueniunt primo ac per se, quia est substantiæ singularis ac indiuiduæ, quia sicut per se primo existit, ita & subsistit, & subsistat accidentia. Secundæ vero solum participant illas per primam, nam licet sint substantiæ, & contineant sub se primam, & in ea essentialiter & intime existant, ita vt quod primæ substantiæ conuenit, à parte rei, necessario etiã conueniat secundæ à parte rei, quia tamen non distinguuntur realiter prima, sed sola ratione sit, vt hæ proprietates solum dicantur conuenire illis mediante prima.

Petes primo, an membra huius diuisionis sint realia.

Resp. affirmatiue, licet inter se sola ratione distinguantur, vt patet ex dictis, *disp.* 1. *de vniuersalib.* sic potest esse distinctio rationis, & membra distincta realia, vt in attributis Dei, quę sunt maxime realia, licet distinctio illorũ inter se sit ab intellectu. Ita & gradus essentiales, ex quibus constituitur prædicamentum, sunt reales, licet distinctio eorum inter se & ordinatio sit opus intellectus: vnde secunda substantia in hac diuisione non accipitur reduplicatiue, vt secũda, siue vt significat secundam intentionem, sic enim nihil est reale, sed prout significat naturam, quam nos concipimus sub tali intentione, siue relatione ad aliud, quod est primum.

Petes, secundo, an membra diuisionis conueniant vniuoce.

Resp. id videri verisimile, quia ad Analogiam non sufficit distinctio rationis inter membra, vt patet, quia concipimus secundis substantiis per se primo conuenire rationem essentialem substantiæ, & proprias passiones, saltem quoad connexionem necessariam, & & essentialem dimanationem, & tamen inde non sequitur, analogia in ratione essentiali, aut proprietate.

Petes tertio, an prima substantia sit magis substantia, quam secunda.

Resp. affirm. cum Aristot. hic, quia actualis ratio subsistendi & substandi, quam substãtia proprie significat, primo & maxime conuenit primæ, illi enim primo conuenit subsistere, imo primo conuenit existere & operari, nec obstat Aristot. 8. *Metaph.* 6. 1. *t.* 2. vbi dicit, vniuersale esse magis substantiam, quam singulare, quia tantum ibi vult secundas substantias esse nobiliores eo, quod sint æternæ & incorruptibiles. Vide Tolet, *hic*.

DISPVTATIO SEXTA.

DE QVANTITATE.

D. Thom. 1. *p. q.* 42. *n.* 1. ex D. August. 6. *de Trinit. c* 8. distinguit Quantitatem in eam, quæ vocatur moralis, & in eam quę dicitur virtualis. Quantitas moralis est, quæ in substantia corporea inhærens, eius partes extendit, & secundum quam corpora sunt producta in longum, latum, vel profundum, Quantitas virtualis est perfectio naturæ, aut operis, secundum quam magna, vel parua res dicitur, quæ magis, vel minus est, perfecta, & hæc reperitur in Deo. Nam ab illa persona diuinæ dicuntur æquales, eo, quod essentia diuina, eiusque attributa essentialia, ac perfectiones omnibus sint communia.

QVÆSTIO I.
In quo consistat ratio essentialis Quantitatis continuæ.

COmmunis habet sensus Quantitatem esse extensionem partium, quod & intelligatur nota primo duplicem esse extensionem partium, vna dicitur extensio partium in ordine ad se altera in ordine ad locum, quæ duplex extensio ab omnibus Philosophis & Theologis admittitur paucis Nominalibus exceptis. Extensio partium in ordine ad se dicitur illa ratione cuius vna pars substantiæ est extra aliam & illi continuatur sine vllo ordine ad locum. Extensio in ordine ad locum est illa secundum quam vna pars est ita extra aliam vt singularis partibus substantiæ remaneant singulæ partes loci.

Nota secundo priorem illam extensionem posse reperiri sine posteriore & de facto reperitur: in mysterio vero Eucharistiæ in cuius parte minima etiā indiuisibili est totus Christus Dominus cum omnib. accidentib. adeoq; cum quātitate eadem numero q̄ habet in cœlo. Vnde non habet extensionē partium in ordine ad locum, sed modū existendi indiuisibilem. Retinet interim extēsionem partiū in ordine ad se & illarum debitā dispositionem & organi sectionem sic vt caput, v. g immediate coniūgatur collo mediate pectori, & sic deinceps sine vlla confusione ac proinde cum tota moles corporis intercedat inter caput & pedes dicitur distare Quantitate siue distantia intrinseca siue distantia vnionis.

Nota tertio substantiæ & qualitates & si quæ sunt alia accidentia corporea proprias habere partes integrantes, quæ dicuntur partes entitatiuæ siue substātiales quod illas habeant non à Qualitate sed à propria sua entitate, vnde illas retinent, si forte quantitas ab eis diuina virtute auferatur. Sic vt Quantitate substantia spoliata, manere posset præsens toti spatio aut loco non quidem circumscriptiue seu Physico illo modo quo corpora solent esse in loco, sed præsentialiter sicuti substantiæ spiritalis præsens determinata alicui spatio, quod immerito negant quidam Thomistæ quos refutat Soarez *disput.* 4. *s.* 4. *n.* 19.

Nota 4. Ex hoc sequi primo partes integrantes dupliciter sumi primo pro entitatiuis aut substantialibus, quas alii vocant situales vtrasque partes de facto habent substantia & qualitates priores ex se posteriores à Quantitate.

Sequitur secundo duplicem dari extensionem intrinsecam, vnam quę consistit in compositione substantialiter partium integrantium, quam alii nolunt vocare extensionem sed multitudo partium, non autem partem extra partem. Alii vocant extensionem transcendentalem. Soarez ad vitandam æquiuocationem hanc vocat extensionem secundum quid & cum additamento scilicet extensio substantialis vel entitatiua.

Secunda extensio intrinseca est quantitatiua quæ proprie & simpliciter vocatur extensio secundum quam vna pars ita est extra aliam in toto, vt etiam requirat naturaliter esse extra aliam secundum actualem situm localem.

Resp. Essentia Quantitatis consistit in intrinseca extensione partium. Ita Fonseca 5. *Met. c.* 13. *q.* 1. Toletus hic *q.* 1. & est communis modernorum. Probatur à sufficienti enumeratione quia essentia Quantitatis consistit in aliqua extensione nō in extensione secundum quid siue substantiali, quia hæc reperiri potest sine quantitate vt patet ex notabili. Secundo non consistit in extensione extrinseca secūdum locum, quia illa separari potest à Quantitate vt declaratur in corpore Christi Domini existente sub speciebus consecratis modo indiuisibili, neque licet dicere Christum Dominum ibi non esse quantum. Hoc enim vt mitissime dicamus est temerariū, quia Concilium Trid. definit sub speciebus panis esse corpus, Christi Domini præcise ex vi consecrationis sanguinem vero ac diuinitatem esse per concomitātiam ratione vnionis cum corpore ex quo sequitur esse etiam quantitatem ratione eiusdem vnionis. Superest igitur vt consistat in extensione extrinseca partium quæ sit radix siue principium & origo exclusionis situalis & impenetrabilitatis, ratione eius res ita naturaliter requirat esse in loco, vt excludat omnem aliam in genere causæ formalis.

Obiic. sub hac extensione intrinseca pedes hominis essent in eodem puncto indiuisibili cum capite & cæteris membris: ergo hæc extensio non facit partes esse extra partes, quod videtur requiri ad rationem quantitatis.

Resp.

Resp. Concedendo antecedens distinguo consequens hæc extensio facit partes extra partes secundum vnionem & distantiam intrinsecam Quantitatiuam, quæ consistit in eo quod partes non sint sibi immediate, sed quia fuit, aut debet esse in extensione extrinseca situ & ordine prima immediate continuetur secundę, secunda tertiæ & ita deinceps neque ad rationem Quantitatis requiritur vt partes sunt extra partes secundam substantiam localem, sicuti non est de essentia substantiæ vel accidentis actu subsistere vel actu inhærere, sed tantum esse principium intrinsecum actualis inhærentiæ vel subsistentiæ & sicuti Deus salua essentia substantiæ & accidentis potest impedire aut tollere actualem extensionem secundum locum integra manente Quantitatis essentia nonminus quam tollere potest ab eadem Quantitate impenetrabilitatem & efficeret vt instar spiritus penetret corpora quæuis solidissima Ex his colligitur quid dicendum sit de opinionibus eorum qui docere videntur rationem mensuræ esse essentiam Quantitatis vt insinuat D. Thom. *p.*53. de natura loci & aliorum qui volunt diuisibilitatem in partes eiusdem rationis essentiam Quantitatis vt Scotus *q.*17. *prædicamentali &* 5. *Met. q.*9. quæ duæ opiniones probari videntur ex Aristotele qui Quantitatem nunc definit per mensuram nunc per diuisibilitatem. Respondendum est si per rationem mensuræ & diuisibilitatis intelligantur actuales proprietates aperte sunt falsæ quia & ratio mensuræ siue actiuæ siue passiuæ vti & diuisibilitas sunt quid posterius Quantitatę & supponunt partes esse extra partes non tantum secundum vnionem sed etiam secundum locum. Nihil enim applicari potest ad mensurandum nisi habeat extensionem localem. Similiter nihil Physice diuidi potest nec realiter, nec per designationem nisi habeat extensionem localem. Si vero per rationem mensuræ & per diuisibilitatem intelligant radicem harum proprietatum, quæ quidem nō sunt proprietates addentes Quantitati aliquam rem vel modum realem ab eo distinctum sed connotantes tantum aliquid extrinsecum, sicut attributa entis explicari solent: hoc sensu non recedunt à vera sententia: minus tamen commode explicant naturam Quantitatis. Quando enim essentia rei explicari potest per ordinem ad proprietatem assignanda est proprietas prima & proxima essentiæ rei qualis est impenetrabilitas & repugnantia essendi intra per extensionem localem non vero diuisibilitas vel ratio mensuræ.

QVÆSTIO II.

Vtrum quantitas distinguatur realiter à substantia materiali & eius Qualitatibus?

AFfirmat D. Thom. 3. *p. q.*77. *a.*2. *& in quarta sententia distinct.* 12. *q.* 1. & *ibidem* Scot. *q.*2. & communiter Theologi. Negat ex Nominalibus. Occam *in Logica* 6. *de quantitate & tract. de communione Christi c.* 17. Gabriel *in* 4. *dist.*10. *vnica q. a.*41. qui voluit distingui modaliter.

Respon. Quantitas distinguitur realiter à substantia & qualitatibus realibus Probatur primo ex Aristotele *tertio Met. t.*17. & *alibi* probat ex professo Quantitatem non esse substantiam & *Physicorum t.*13. substantiam & quantitatem non esse vnum sed multa, & *t.*23. substantiam non esse per se diuisibilem, sed per Quantitatem. Probatur secundo & efficacius ex principiis Theologicis, quia Quantitas potest separatim existere à substantia ergo distinguitur realiter. Consequentia probatur ab infallibili signo distinctionis realis. Probatur antecedens Quia de facto in venerabili Sacramento per consecrationem desinit tantum ipsa panis & vini substantia remanentibus seorsim accidentibus. Ergo Quantitas substantiæ ibi existit separata à substantia cui tanquam subiecto immediato cætera accidentia inhærent vt sunt color, sapor, calor, siccitas &c. Antecedens probatur ex Conc Trid. *sess.* 13. *can.*2. vbi distincte dicitur remanere species, id est, accidentia panis & vini, sed quantitas est vnum ex accidentibus maxime sensibilibus, ergo si cætera manent, manet & quantitas. Vide Suarem 3. *p. tomo* 3. *disp.*56.

Probatur tertio. Sensus docet in hostia consecrata esse aliquam quantitatem. Sed vero alia quam quantitas aliqua realis distincta à substantia & qualitatibus. Ergo minor probatur. Quia si remaneret tantum quantitas quæ sunt modus aliquis qualitatum

rema-

remanentium nõ daretur commune aliquod subiectum omnium qualitatum nec assignari possit ratio cur ita ordinatæ & fixæ inter se cohærerent. Neque dicas qualitates inter se colligari quadam vnione, quia non apparet quænam possit intercedere vnio inter colorem, v gr. saporem &c. Confirmatur consequentia nisi sub illius qualitatib. lateat quantitas realis, non erit ratio cur vna hostia non possit penetrare aliam. Nam sicuti quantitas odoris coloris &c quam aduersarii statuunt sese mutuo penetrant in hostia vna, ita etiam poterunt penetrare accidẽtia eiusdem omnino speciei & cõmunis in alia hostia. Imo poterunt penetrare hostię lintea & manus sacerdotis: nihil enim impediet non substantia Christi in alia hostia: nec enim existit modo indiuisibili non substantia lintei aut manus quia illius quantitas eiusdem est secundum illos cum quantitate cuiusuis qualitatis.

Dices: Quantitates vnius hostiæ sese penetrant mutuo, quia sunt subordinatæ & respiciunt subiectum idem, sed contra illa subordinatio tantum est denominatio extrinseca à subiecto cui inhæreat. Vnde non potest conferre intrinsecam impenetrabilitatẽ. Deinde demus panem reduplicari & sic reduplicatum consecrari illæ species non penetrabũt se, cum tantum sint subordinatę ergo sub speciebus est aliquid quod impedit penetrationem scil. vna realis quantitas communicans se omnibus accidentibus cuius proprietas siue passio est actualis illa impenetrabilitas.

Probatur 4. Subiectum accidentium realium cui actualiter inhęrent debet esse omnino reale sed quantitas est subiectum immediatum accidentium omnium realium vt passim fatentur Theologi & Philosophi: ergo est realis. maior probatur; quia alioqui nõ potest concurrere per modum sustentantis mediante vera inhærentia & vnione accidẽtium: modi enim vniuntur rei modificatæ seipsis & per aliam vnionem. Confirm. radix & principium impenetrabilitatis non videtur posse esse aliquid modale sed quantitas est radix impenetrabilitatis ergo.

Probatur 5. Quia ex opposita sententia sequitur 1. naturaliter clari penetrationem dimensionum siue duas res quantas naturaliter esse in eodem loco. Probatur. Quia ne composito naturali esset extensio materiæ extensio formæ extensio albedinis, saporis &c. accidentium propriam entitatem habẽtium quæ omnes sese penetrãt, nulla enim est pars compositi in qua non reperiatur hæc omnia materia forma & qualitas. Sequeretur 2. Deum posse quamlibet formarum accidẽtium conseruare seorsim extensam & impenetrabilem, v.g. colorem hostiæ, saporem, raritatem siccitatem & per consequens calorẽ posse esse subiectum receptiuum coloris & econtra non enim apparet ratio cur quantitatis aggregatæ simul magis sint aptæ ad receptionem accidentis realis quam singulæ seorsim cum omnes sint eiusdem rationis: nec apparet ratio cur receptiuæ & per modum subiecti concurrere possit accidens præexistens, v gr. calor ad productionem, v. gr. caloris, cum econtra color possit receptiue concurrere ad perductionem caloris. Sequeretur 3. non esse verum axioma commune Accidentia esse extensa per accidens sine ratione subiecti Cuius sensus est extensionem subiecti esse causam formalem extensionis accidentium. Sequela probatur quia omnia accidentia haberẽt propriam extensionem & à se & vt summum esset coextensum subiecto quod non est esse extensum per accidens, quia alioqui & subiectum dici possit extensum per accidens quia est coextensum accidentibus. Dicendum ergo in materiali composito esse vnam quãtitatem simplicem realiter distinctam à tota substantia & à qualitatibus propriam entitatem habentibus à qua entitate formaliter proueniat moles corporea ratione cuius corpora occupant loca extensa &c. inter se naturaliter sunt impenetrabilia cum qua entitate simul esse possunt, aliæ res quæ propriam quantitatem non habent, vt substantiæ & qualitates & hæc entitas vocatur quantitas.

Ob. 1. Etiam ex hac sententia sequi videtur plures esse Quantitates in eodem composito vel enim Quãtitas illa realis tribuit substantiæ & Qualitatibus extensionem effectiue vel formaliter non effectiue, quia Quantitas non est actiua, & sic essent plures Quantitates in eodem subiecto nõ formaliter, quia non communicat semetipsam formaliter substantiæ & Qualitatibus quia partes substantiæ non sunt partes Quantitates.

Respon. Quantitatem tribuere formaliter aliis extensionem, effectus tamen formalis

non est ipsa Quantitas quasi substantia fiat Quantitas, vt supponit argumentum, sed est res participans & includens ipsam formam per cuius vnionem dicitur talis formaliter. Sic Albedo facit parietem formaliter album communicãdo semetipsam; Et licet in omnibus entitatibus realibus subiecti vna tantum sit quantitas, potest tamen dici esse plura quanta quia illa (plura) participant vnam extensionem sicuti per Dei potentiam vna numero albedo poneretur, in diuersis subiectis essent plura alba.

Obiic. 2. Si quantitas esset quid distinctum à substantia in rarefactione acquireretur aliquid reale quantitatis de nouo & in condensatione aliquid deperderetur, sed hoc dici nõ potest, quia actio condensans non est perductiua Quantitatis &c.

Respon. In Rarefactione & condensatione tantum variari modum Quantitatis de quo in libris de generatione. Deinde hoc argumẽtum retorqueri potest in Nominales quia si Quantitas sola ratione distinguere dicitur à substantia (vt quidam ex illis sentire videntur) in rarefactione produceretur substantia & aliæ quantitates primæ.

Obiic. 3. Si quantitas distinguitur realiter à substantia potest esse aliquid quantum sine quantitate vel motum localiter sine motu. Quod probatur. Annihilet Deus Quantitatem ligni, v. gr. bipedalis nulla alia interueniente actione vel substantia ligni manebit cum extensione & partium distantia vel confluẽtia in aliqd indiuisibile: Si prius? ergo erit quanta: si posterius erit localiter sine motu quia nulla fuit adhibita vis motiua subtractio enim influxus diuini non est motiua.

Resp. Tali euentu substantiam ligni mensuram cum extensione transcendentali siue entitatiua & fore præsentialiter in loco & sic non erit quanta vide dicta *q. præcedenti notabili* 3.

Obiic. 4. Situs & ordo partium non sunt quid distinctum realiter à partibus, sed sunt res ipsæ cum tali modo vt patet in figura, sic vt & in extensione partium in ordine ad locum sed quantitas tantum dicit extensionem & partium distinctionem in ordine ad totum ergo erit aliquis modus.

Resp. Ad minorem Quantitatem non esse nudam habitudinem partium inter se sed talem quæ habeat naturalem repugnantiam essendi intra siue coexistendi alteri corpori in eodem spatio.

Obiic. 5. Illa naturalis repugnantia potest tribui materiæ vel substantiæ materiali: nam partes eius præcisæ extra se positæ videntur habere grassitiem & molem ratione cuius vna est extra aliam & excludit aliam à spatio quod occupat in quo distinguitur à substantia spiritali. Confirmatur quia materia non est minus realis quam sit quantitas, ergo si quid tribuitur hic effectus poterit tribui materiæ, ergo.

Resp. Negando assumptum, materia enim est pura potentia vnde ex se non potest habere principiũ impenetrabilitatis: distinguitur autem à substantia spiritali in eo quod sit capax talis accidentis, spiritus vero nõ item: Sicuti, in sententia eorum (qui distinguunt materiam cœlestem à sublunari) distinctio petitur ab habitudine ad diuersas formas ad confirmationem respondeo ex eodem fundamento possent negari omnia accidẽtia: Nam quantitas non est minus realis quam albedo sapor &c. Non potest tamen conferre effectum formalem albedinis aut saporis.

QVÆSTIO III.

Quæ sunt species quantitatis continuæ.

RESP. Linea, superficies & corpus sunt veræ species Quantitatis continuæ essentialiter inter se distinctę. Probatur authoritate Aristotelis & est ab omnibus receptũ. Quia habet extẽsiones specie inter se distinctas cui extensioni conuenit essentialis ratio Quantitatis ergo sunt distinctæ species. Antecedens probatur quia longitudo lineæ quaqua versum protendatur non potest facere latitudinem quę est propria extensio superficiei. Nam superficies non potest componi ex solis lineis indiuisibilibus & latitudo superficiei non potest facere profunditatem corporis ergo hæ extensiones sunt diuersæ speciei confirmatur ex Geometria in qua demonstrantur distinctæ passiones de his speciebus.

Obiic. 1 Linea superficies sunt entia incompleta in genere quantitatis sicut punctum ergo non sunt species.

Resp. Lineam & superficiem qua parte sunt indiui-

indiuisibiles & habet rationem terminorum esse incompleta qua per se vero sunt diuisibiles, vt linea secundum longitudinem & superficies secundum latitudinem esse essentialiter affectiones & species completas. Vnde sunt incompleta in certo genere Quantitatis scilicet corporis, punctum vero in toto genere Quantitatis est incompletum.

Obs. secundo. Mensura secundum Aristotelem est eiusdem rationis cum mensurato sed linea est mēsura superficiei & superficies corporis ergo sunt eiusdem speciei.

Resp. Maiorem esse verum de mensura adęquata linea autem mensurat superficiem inadęquate quia superficies materialiter & pręsuppositiue continet lineam, ita vt virtualiter mensurari possit à linea quatenus scil. ex longitudine vnius & alterius lateris per principia Mathematica colligi potest quanta sit extensio plani quod non est esse mensuram formaliter & adæquate.

Petes an non sint plures species quantitatis continuæ correspondentis dimensionibus.

Resp. Negati: ex cōmuni consensu Mathematicorum, qui docentur dari dimensiones. Vide Aristotelem *primo de cœlo c.*1 & Clauium de sphæra *c.*1 probant id primo quia lineæ rectæ tribus tantum modis possunt sese intersecare perpendiculariter, siue ita vt faciant angulos rectos, ergo tantum est triplex distincta dimensio. Antecedens declararur si duæ lineæ rectæ describantur per modum crucis, ita vt faciant angulos rectos: ergo tantum est triplex distincta dimensio. Antecedens declaratur, si duæ lineæ rectæ describantur per modum crucis ita vt faciant angulos rectos & tertia linea configatur per punctum illud in quo duæ lineæ priores se diuidunt, si aliæ ducuntur lineæ per idem punctum faciat angulos obliquos, ac proinde non denotant distinctam extensionem, idem probatur Physice ex differentiis positionum, quæ tantum sunt tres respondentes tribus dimensionibus scil. sursum & deorsum longitudine dextrū & sinistrū, latitudine ante & retro profunditati.

QVÆSTIO IV.

An locus motus & tempus sint propria species quantitatis?

RESpondeo primo. Locus non est peculiaris species Quantitatis distincta à superficie. Probatur quia nullam addit peculiarem extensionem superficiei sed solam continentiam, vel vt summam figuram scilicet esse concauum, ergo non est species distincta. Nam si ratione figuræ vel continentiæ esset distincta species, etiam superficies alba & nigra constitueret diuersas species Quantitatis.

Ob. Aristoteles hic refert locum inter species quantitatis continuæ.

Respon. Aristotelem categorias scripsisse Tyronibus ac proinde frequenter assignare species & exempla secundum vulgarem sensum & loquendi modum. Vnde 5. *Met. c.*13. vbi accuratius de quantitate agit non meminit loci.

Dices ratio formæ intrinsecæ & extrinsecæ sufficit ad distinctionem specificam, sed locus formaliter est forma extrinseca locati & materialiter siue vt superficies est forma intrinseca locantis, cuius est terminus. Ergo.

Respon. ad minorem locum formaliter habere rationem formæ alicuius respectu locali quod continet, sed hæc forma non est quantitas quia non confert locato aliquam extensionem.

Resp. secundo. Motus non est proprie species Quantitatis. Probatur ex Aristotele 5. *Met. c.*3. vbi expresse docet motum esse quantum per accidens scilicet ratione subiecti corporei quanti in quo existit.

Quod probatur quia motus formaliter vt significat formam in ratione viæ & fluxus non habet extensionem peculiarem sed est forma in statu imperfecto & ponitur in eodem genere cum suo termino, verbi gratia, alteratio in Quantitate accretio in quantitate motus localis in vbi.

Dices continuitas successionis quæ reperitur in motu videtur continere peculiarem extensionem, quæ constituat propriam & distinctam speciem Quantitatis.

Respon. Negando assumptum, quia successio motus qualiscunque ille sit non est vera extensio positiua, sed consistit in quadam negatione existentiæ simultaneæ partium motus, quia de ratione successionis vt sic est vt vna pars sit prior altera, posterior duratione in quo includitur intrinsece hæc negatio quod scilicet vna pars nondum sit facta, dum fit altera vel quod præce-

densiam non fit, qui modus exclusionis non prouenit per se ab aliqua intrinseca Quantitate specie distincta ab aliis sed ab extrinseco, verbi gratia, in alteratione ex imperfecta & limitata virtute agentis aut in sufficienti applicatione aut in dispositione subiecti ratione cuius fit vt qualitas intensa non perducatur in instanti sed successiue cum ex parte qualitatis nulla sit repugnantia vt patet in illuminatione aeris & visione oculi, secundo in accretione & in dispositione alimenti conuertendi in substantiam aliti, vnde fit vt sicut dispositio fit successiue ita & accretio alioqui si alimentum sit debiti dispositum ex parte accretionis, nihil obstat quo minus fiat in instanti de quo latius in libro de generali tertio in motu locali successio oritur ex quantitate mobilis & spatii. Ideo enim motus ille fit successiue quia partes corporis mobilis non possunt simul esse in loco proximo & remoto vnde quod non possit fieri in instanti oritur extrinsece ex quantitate ipsius corporis & inde deriuatur ad partes motus, non vero ex peculiari aliqua extensione ipsius motus quæ constituat speciem Quantitatis quod euidens est in Angelo qui paulatim & successiue potest adesse spacio sibi adæquato, cum tamen non sit capax quantitatis.

Respon. tertio, Tempus non est propria species Quantitatis ex Aristotele 5. *Met. c.* 13. Vbi dicit tempus esse quantum per accidens scilicet ratione motus qui ipse etiam est quantus per accidens ratione magnitudinis circa quam fit. Probatur quia tempus est tantum duratio motus, atqui nullius rei duratio est Quantitatis eius. Minor probatur quia duratio non est aliquid realiter distinctum ab existentia rei, concipitur autem ab intellectu, vt quædam proprietas. Confirmatur si tempus haberet extensionem & rationem quantitatis id esset ratione successionis continuæ: sed successio continua non est peculiaris extensio vt constat ex præcedente conclusione. Deinde illam habet tempus à motu ergo vt summum habebit quantum per accidens. De his fusius in Physicis.

**
*

QVÆSTIO V.

In quo consistat ratio formalis Quantitatis discretæ & an sit vera species Quantitatis?

ARistoteles definit Quantitatem discretam cuius partes nullo communi termino copulantur, vnde Quantitas discreta nihil est aliud quam quantitas diuisa in plures partes eiusque ratio consistit in positione rerum extra se mutuo sine coniunctione. Vtrum vero sit vera & propria species Quantitatis difficultas est. Pro parte affirmante citantur D. Thomas 1. *parte quæst.* 11. *a.* 1. & 2. & *q.* 30. *a.* 3. Scotus *q. Met.* & multi Thomistæ.

Respon. Quantitas discreta seu numerus non est vera ac propria species quantitatis. Ita Alb. 8. *Met. c.* 8 Soarez *disp.* 41. *sect.* 1. Idem docere videtur D. Thomas. *op.* 48. *c.* 1. & 2. Probatur quia quod non est ens per se non est per se quantitas sed numerus non est ens per se ergo: maior probatur quia entia per accidens excluduntur à prædicamentis. Minor probatur quia ad rationem completam numeri concurrunt duo diuersi ordinis scilicet vnitates reales quæ sunt materiale numeri, & collectio ipsius intellectus quæ est formale sed ex ente reali & rationis conflatur aliquid per accidens & diuersi ordinis. Probatur Quantitates duorum corporum sunt duo accidentia, non vni cum & numerus binarius nihil reale illis duabus addit, est enim sola collectio vel coexistentia vnitatum, ergo in rebus illis nihil est quod vere sit ens aut vnum accidens à parte rei. Confirmatur vnum numero accidens postulat vnum numero subiectum, à quo habet vnitatem: sed numerus etiam minimus, verbi gratia, binarius requirit plura subiecta, ergo non est quid vnum: si dicas habere plura subiecta secundum partes: Contra in nullo istorum subiectorum potest esse vnitas istius numeri cum tamen sit vnus numero, numerus ergo erit aggregatum per accidens ex pluribus vnitatibus.

Probatur tertio non est maior vnio inter accidentia & passiones subiectorum quam inter ipsa subiecta: sed nulla est realis vnio inter

inter subiecta vnitatum, ergo neque inter vnitates quæ sunt veluti passiones subiectorum imo identificantur subiectis: nihil enim tam est intrinsecum rei quàm vnitas illius.

Probatur quarto multitudo transcendens siue aliorum entium notatio est aliquod vnũ per se nec constituit aliquam speciem in entibus, ergo nec multitudo quantitatum. Confirm. De ratione numeri est diuisio & negatio vnionis realis, ergo, si quæ in numero sit vnitas erit ab intellectu.

Obiic. 1. Ens per accidens non est obiectum scientiæ realis sed numerus est obiectum scientiæ realis sc. arithmeticæ ergo.

Respon. Negando vniuersaliter maiorem. Nam si ex tali ente adequate procedat aliqua narrata passio qualiscunque poterit esse obiectum vt patet in scientiis subalternatis de quibus suo loco Respondent alii Arithmeticam esse scientiam realem quatenus opponitur scilic. rationali siue logicæ vel dici realem eo, quod sit de ente fundamentaliter saltem seu materialiter.

Obiic 2. Numerus percipitur sensu hinc ab Aristotele dicitur sensibile, causa est secundo de anima cap. 6. ergo est quid reale nihil enim cadit sub sensum nisi reale.

Numerum esse sensibilem in suo materiali sc. in rebus numerabilibus in quibus videmus & sentimus negationem continuationis. Simili modo tenebræ, silentium, cæcitas sub sensum cadunt, dum sentimus abesse lucem, vocem, visum, illa tamen non sunt entia realia.

Obiic tertio Sine vlla operatione intellectus sunt verbi gratia 300. auditores, 4. elementa, &c. Ergo numerus est aliquid à parte rei.

Resp. Sine operatione intellectus & à parte esse materiale numeri & multa entia quæ in vnum colligi possunt, quæ tamen non habent vnitatem nisi ab intellectu.

Obiic 4. Non erit numerus nisi quando actu numeratur quod videtur falsum, quia numerus non facit numerum sed cognoscit numerum.

Resp. Concedendo illatum, neque hoc est absurdum quia licet numerans faciat numerum formaliter non tamen secundum materiale quæ ex vsu loquendi sæpe solet dici numerus quia à parte rei est quid numerabile in qua numerabilitate & aptitudinali habitudine ad intellectum non pendet ab actuali numeratione & secundum hoc dicitur numerus esse in rebus etiam actu, quando non numeratur, illa tamen habitudo est denominatio quædam ab intellectu potente colligere aut mensurare multitudinem vnitatum. Vnde nõ supponit aut indicat vnitatem aliquam realem inter istas vnitates; quia intellectus potest multa concipere vt vnum & etiam vt multa.

Obiic. 5. Aristoteles *h. c.* & *5. Metaph.* diuidit Quantitatem in continuam & discretam & dicit esse diuisionem generis in species. Confirm. Ratio Quantitatis est extensio partium extra partes. Hæc videtur continuæ Quantitati discretæ. Similiter & proprietates Quantitatis æqualitas vel inæqualitas, esse mensurabile diuisibile, &c.

Resp. Aristotelem recensere numerum inter Quantitatem quia communiter concipitur per modum vnius habentis suam essentiam & proprietates: & quia nunquam commodius de numero agi potest, vnde ex propria sententia & secundum veritatem docet Aristoteles 3. *Phys. c. 7.* numerum esse aliquot vnitates 3. *Met. c. 9.* numerum esse multa vna. Ad confirmationem Respon. Numerum non habere extensionem partium. Singulæ enim vnitates sunt quædam tota. Vnde extensio & proprietates quantitatis tantum proportione quadam reperiuntur in numero, neq; supponunt vnitatem realem inter ea quæ multiplicantur. Extensio enim est ipsa multitudo, diuisibilitas ab intellectu separante vnitates quæ à parte rei non erant quid vnum. Æqualitas & inæqualitas nõ sunt relationes aliquæ quæ in toto numero inueniantur respectu alterius, sed sunt ipsæ multitudines vnitatum prout in vno numero maior est vel minor quam in alio.

Petes an oratio non sit vera Species Quantitatis?

Resp. Negat ex dictis quia si esset Species esset sub Quantitate discreta, sed illa non est vera Quantitas. Ergo.

Nota orationem hic significare quamlibet vocem etiam vnicam, articulatam pluribus syllabis constantem, quarum singulæ continuis quibusdam morulis temporis proferuntur, ita vt licet tota dictio & multo magis plu-

res] dictiones tempore discreto proferuntur ipsæ tamen syllabæ continua quadam successione exprimantur. Oratio igitur nihil est aliud quam numerus huiusmodi Syllabarum sibi mutuo discrete succedentium, & sicut se habet numerus ad vnitates continuas ex quibus componitur, ita oratio se habet ad durationes Syllabarum. Hinc Aristoteles probat orationem esse quantam quia scilicet mensuratur syllaba longa & breui i. e. quia constat durationibus longioribus & breuioribus Syllabarum.

Ex quibus colligitur orationem tantum posse esse quantum per accidens. non enim est quanta ratione significationis: hæc enim est ex instituto hominum, nec ratione vocis. hæc enim est sonus & qualitas, nec ratione animalis in quo formatur: hoc enim est esse quantũ per accidens ratione subiecti, nec ratione motus qui comitatur sonum quia motus ipse nõ est quantitas. Dicitur ergo oratio quanta per accidens ratione motus quia syllaba longior longiorem requirit moram in pronunciatione: breuior breuiorem.

Ex dictis infertur diuisionem Quantitatis in continuam & discretam non esse proprie diuisionem alicuius confusi in distincta. Vnde in hoc genere accidentiũ in rigore & proprie loquendo tantum erit vnum genus sc. Quantitas continua immediate sub se continẽs plures species vltimas sc. lineã superficiẽ & corp⁹.

QVÆSTIO VI.

An in rebus spiritualibus reperiatur Quantitas discreta?

Resp. negatiue vide dicta in textu quia nomine Quantitatis ex vsu omnium Philosophorum intelligitur moles corporea. Ergo multitudo Angelorum ver. gr. non potest dici Quantitas aut Quãtitas discreta quia discreta non est particula alienans, sed habet rationẽ conditionis specificantis. Quod confirmatur, quia vnum transcendens non spectat ad vnũ speciale prædicamentum quia est passio conuertibilis cum ente, ergo nec numerus cõsurgens ex vnitatibus transcendentalibus erit peculiariter in prædicamento Quantitatis sed transcendens, nec refert quod res Spirituales sint diuisæ inter se, & ab intellectu colligi possint. Hoc enim non sufficit ad rationem numeri prædicamentalis, sed requiritur per materiali vera & realis. Quantitas singularum vnitatum. Quare si quis pertinaciter concludat nomine quantitatis discretæ tantum significari quamlibet rerum multitudinem is abutetur voce Quantitatis.

DISPVTATIO SEPTIMA.

DE QVALITATE.

QVÆSTIO I.

Quid sit Qualitas & quomodo diuidatur?

Omissis aliis significationibus qualitatis de quibus Arist. *5. Met. c.* 14. disputatur hic de qualitate quæ constituit prædicamentum.

R. 1. Qualitas est forma accidentalis subiecto intrinsece inhærens à qua simpliciter denominatur quale. Quæ definitio est aliquo modo essentialis quia qualitas definitur post effectum formalem quem confert subiecto. Habet enim essentiã suã in ordine ad illud ab aliis siquidem accidentibus subiectũ siue substantia denominatur v.g. quanta, relata, &c. à Qualitate simpliciter denominatur quale.

Resp. 2. Diuisio Qualitatis in 4. combinationes est diuisio generis in species ita Aristoteles quia cõceptus communis ab his abstractus est genericus & prædicatur de omnibus quidditatiue. Ob. 1 Esse à natura vel exercitio comparari facile vel difficulter amoueri esse causam vel effectum passionis non sunt differentiæ essentiales sed accidentia ergo nõ constituunt diuersas species.

R. Ad antecedẽs illa esse accidentia si significent actum nõ esse vero differentias, si significent aptitudinem radicalem, & sic accipiuntur hoc loco ita solemus essentias nobis ignotas explicare per ordinem ad operationes.

Ob secundo. Nihil potest esse commune vniuocum Qualitati reali Physicæ & figuræ quæ est quarta Species Quantitatis, cum sit modus & quid incompletum ergo non est diuisio generis in species, sed potius analogi.

R. negãdo antecedens quia nihil repugnat in acci-

in accidentibus aliquid esse modum substantiæ aut Quantitatis & simul in se esse completum quid & specificum, figura igitur tantum est in completum quid comparata ad qualitatem cuius est modus.

Ob. tertio. Vni & eidem Qualitati conuenit ratione singularum specierum ergo non sunt distinctæ species. Antecedens probatur, Nam calor si sit diuturnus erit habitus vnde ab Aristotele refertur ad primam speciem si sit transiens erit dispositio si spectetur, vt est virtus naturalis ignis ad agendum est potentia naturalis, si vt causans passionem erit patibilis Qualitas.

Respon. Negando Antecedens ad probationem, Resp calorem proprie pertinere ad octauam speciem. Aristoteles hic passim affert exempla commoda ad rei explicationem licet non sint vera.

Ob. quarto. Diuisio generis in species debet assignari per differentias oppositas sed in his quatuor speciebus nulla reperitur oppositio ergo non sunt veræ species qualitatis.

Respon. ad maiorem non requiri in differentiis veram oppositionem sed sufficere vt sint incompossibiles & tales vt ad duas quasi priuatiue oppositas referri possint, vt videre est in homine equo, leone, boue &c. qui habeat incompossibilitatem nimirum vt eidem speciei conuenire nequeant qui reducuntur ad duas priuatiue oppositas nempe ad rationale & irrationale. Sub secunda comprehenduntur omnes species præter hominem similis oppositio reperitur in his speciebus qualitatis quam quilibet suo arbitrio formare potest.

Obiic. quinto Vna species non est in alia tanquam in subiecto: sed habitus inhæret potentiis ergo non sunt distinctæ species.

Respon. ad maiorem vnam speciem posse esse in altera tanquam in subiecto quo & modo. Sic quantitas est subiectum qualitatis & aliorum accidentium: Item potentia, subiectum habitus, principale vero subiectum est substantia.

***

QVÆSTIO II.

An sufficiens sit diuisio Qualitatis in 4 species?

RESpon. affirmatur quia omnes qualitates commode possunt reuocari ad quatuor illas combinationes. Sufficientiam huius diuisionis probat D. Thom 1.2. q.49.a.2. Vide Toletum *hic q.1.*

Obiic. 1. Pulchritudo quæ est qualitas corporea non videtur posse reduci ad aliquem ex 4. speciebus vti nec ægritudo & sanitas ergo.

Resp. Illæ non esse simplices qualitates sed aggregata & diuersis nimirum pulchritudo ex colore & debita membrorum proportione ęgritudo & sanitas & debita vel indebita temperie, nimirum qualitatum, & hinc fit vt ad vnam simplicem referri non possint.

Obiic. 2. Species sensibiles & intelligibiles quæ imprimuntur ab obiectis verbum mentis habitus supernaturalis & character qui imprimitur per sacramenta non videntur comprehendi his speciebus cum tamē sint qualitates.

Resp. Species reduci posse ad habitum vel dispositionem quia bene disponunt subiectū in ordine ad operationē vel etiam ad naturalē potentiam quia effectiue cōcurrunt cum potentia ad operationē. Idem est de verbo mentis in quo tanquam specie expressa repræsentatur obiectum ita vt disponat ad finem præsentis operationis vt dici possit dispositio non antecedens sed consequens. Habitus supernaturalis reduci potest ad primam vel secundam speciem character ad secundam quia ordinatur ad recipienda sacramenta vel conferenda.

QVÆSTIO III.

An singulæ combinationes constituant vnam speciem?

QVæritur an habitus & dispositio distinguantur specie inter se similiter potentia & impotentia & sic deceter.

Resp. 1. Forma & Figura non distinguuntur specie. Probatur, quia vt summū distinguūtur ratione subiecti naturalis scil. vel artificialis.

Resp. secundo. Patibilis qualitas & passio non distinguuntur specie, probatur quia per qualitates huius combinationis intelliguntur qualitates quę sunt termini alterationum

realium

realium Physicarum & non ordinant ex se subiectum ad operationem. His autem accidentale est facile transire vel non in quo distinguitur patibilis qualitas à Passione.

Resp. tertio. Potentia & Impotentia ex propria sua ratione non distinguuntur specie licet id aliquando contingat. Probatur quia Potentia est facultas ad actum, impotentia vero est debilis potentia & communiter respicit actum contrarium præcedenti. Vnde etiam significatur nomine negatiuo Declaratur exemplo. Durum habet potentiam ad resistendum diuisioni & impotentiam siue diminutam potentiam ad diuisionem: molle è contrario habet potentiam ad diuisionem & impotentiam ad resistendum diuisioni ita vt respectu actuum contrariorum idem sub potentia & impotentia, idem autem non distinguitur specie à se ipso.

Respon. quarto. Habitus & dispositio quæ versantur circa idem obiectum non distinguuntur specie sed tantum substantialiter secundum magis & minus perfectum in eadem specie. Ita Albertus hic & Scotus q. 9.

Probatur qualitas intensa non differt à se ipsa in gradu remisso sed tantum substantialiter ergo nec habitus & Dispositio. Consequentia probatur à Pari. Habet enim se habitus & dispositio sic vt ve. gr. calor vt sex & calor vt vnum & duo.

Probatur secundo virtus temperantiæ v. g. exercitio comparata si facile sit mobilis dicetur dispositio. Quando vero firmius est radicata dicitur habitus atqui vna & eadem temperantia non differt specie à se ipsa ergo.

Obiic. Qualitas ex natura sua difficulter mobilis distinguitur specie ab ea quæ natura sua facile mouetur atqui ita se habent habitus & dispositio. ergo &c. & hoc fundamentum oppositæ sententiæ.

Resp. Negando maiorem quia difficulter vel facile removeri à subiecto potest prouenire præcise ab entitate materiali ita vt eadem qualitas in gradu intenso ex natura sua, id est secundum naturæ conditionem sit difficulter mobilis à subiecto, eadem vero in gradu remisso facile sic calor febrilis lapsu temporis sic radicatur, & quasi in naturam generis videatur concursus, inde tamen non mutat speciem & è contra error, opinio, fides humana vnico demonstrationis vel experientiæ actu euanescunt cum tamen fiat habitus ergo facile vel difficulter remoueri non necessario indicat distinctionem specificam sed de habitu hic paulo plura subiungemus.

QVÆSTIO IV.

Quid sit habitus?

Resp. Habitus est qualitas quædam permanens natura sua stabilis per se primo ordinata ad facilitandam potentiam in operatione vt scientia virtus.

Nota duplicis generis Qualitates concurrere cum potentiis ad operationem primo ex parte obiecti concurrunt species intentionales quæ dicuntur produci vel emanare ab obiectis, & hæ approximant obiectum, secundo ex parte potentiæ concurrunt habitus qui illam veluti corroborant quos experientia docet per frequentationem actuum in potentiis generari, vt potest in exercitiis disputationis & artis neque hæc facilitas referri potest in solas species tum quia illa vnico actu habentur, cum tamen facilitas sensim sumat incrementum tum quia in voluntate nullæ sunt species in qua tamen sunt habitus.

Dicitur Qualitas permanens in quo distinguitur ab actibus qui pluidi sunt & requirunt continuatum potentiæ influxum sicuti lux solis.

Habitus autem etiam est in potentia ociosa vt scientia, ars virtus in dormiente.

Dicitur natura sua stabilis qua parte comprehendi potest supernaturalis fides charitas &c. hi enim licet ob demeritum simul ac committitur peccatum mortale per subtrectioné diuini concursus auferantur, adeoq; non habeant stabilitatem actualem, tamen ex natura sua sunt constantes & debiles.

Dicitur ad facilitantem potentiam quod conuenit habitibus acquisitis & naturalibus. Si enim supponunt potentiam peculiare a. est habitibus infusis & supernaturalibus, non tãtum facilitare potentiam sed conferre primã potestatem operandi nam per habitum supernaturalem fidei intellectus fit potens elicere actum fidei supernaturalis quem se solo elicere non potest.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Quomodo diuidantur Habitus?

RESP. varias esse diuisiones prima sumitur ex parte subiecti & sic diuiduntur in cognoscitiuos & appetitiuos. Cognoscitiui sunt in potentia cognoscente v. g. intellectu vt sapietia, scientia, ars. Appetivi sunt in potentia appetente verb. grat. voluntate vt Virtutes & Vitia.

Secunda diuisio sumitur ex fine operationum & sic alii sunt speculatiui alii practici. Speculatiui dicuntur quorum actus ex natura sua non ordinantur ad aliquid agendum sed ad veritatis cognitionem vt scientia Metaphysices, Mathematices. & Practici quorum actus referuntur ad alias operationes vt artes.

Tertia diuisio sumitur ex parte causæ efficientis & sic alii sunt acquisiti alii infusi. Infusi dicuntur qui immediate à Deo producuntur in potentia, vel quod tales sint vt solus Deus illos effectiue possit producere, & hi dicuntur infusi per se vt fides, Spes, Charitas vel licet acquiri possint actibus nostris: alia tamen de causa vt ex priuilegio, &c. independenter à nostra cooperatione à Deo producuntur, tales fuere scientiæ naturales in Adamo, Salomone, & hi dicuntur infusi per accidens, quia scilicet ex natura sua non requirunt produci immediate à Deo. Acquisiti sunt ad quorum productionem actus nostri effectiue & Physice concurrunt. Dico Physice quia etiam actus nostri concurrunt ad productionem vel saltem intensionem habitus infusi per se, sed tantum moraliter scilicet meritorie.

QVÆSTIO VI.

Quænam potentiæ sint capaces habituum?

EX communi Philosophorum sententia vt aliqua potentia sit capax habitus requiritur vt non sit determinata ad suos actus & vt sit indifferens & indeterminata ad varios actus & ad plura obiecta cum aliqua libertate saltem participata ex hoc fundamento.

Resp. primo. Potentiæ rationales vt intellectus & voluntas in homine & Angelo sunt capaces habituum.

Probatur quia vtraque hæc potentia ratione differentiæ & indeterminationis minus est expedita ad peculiares speciei actiones, vnde facilitari potest per habitum. De voluntate patet, quæ cum formaliter sit libera maxime est indeterminata.

Deinde est generalis appetitus hominis in multa tendens obiecta partialia, tum honesta tum commoda inter quæ aliquando est repugnantia, ex qua oritur difficultas operandi, hæc autem tolli debent per habitus. De intellectu Probatur quia licet sit potentia determinata circa obiectum clare propositum, ita vt necessitetur quoad specificationem, circa res tamen obscuras & deductionem vnius ex alio est indifferens & patitur difficultatem ad quam superandam iuuant habitus.

Resp. secundo Appetitus sensitiuus hominis est capax Habitus v. g. temperantiæ fortitudinis, &c.

Probatur quia propter connexionem cum voluntate habet indifferentiam quandam ad obiecta sensibilia pro quo.

Nota duplicem esse inclinationem in appetitu sensitiuo, vna est propria & intrinseca qua propendet in bonum sensibile & delectabile, quatenus tale & secundum hanc non est capax habitus, sicuti nec voluntas respectu boni in communi, altera est quodammodo extrinseca & prouenit illi ex coniunctione cum potentia rationali qua inclinatur ad sequendum dictamen rectæ rationis & amplectenda ea, quæ intellectus iudicat esse bona hominis vt obiecta fortitudinis, temperãtiæ, iustitiæ, &c. & fugienda qua intellectus iudicat mala homini vt sunt materiæ vitiorum & secundum hanc est capax habitus.

Respondeo tertio Etiam Phantasia hominis videtur capax Habitus. Probatur, quia præter Species intentionales videtur generari in Phantasia quædam habilitas determinate illam inclinans ad certos actus. nam eodem modo participat libertatem quo appetitus sensitiuus scilicet ex connexione cum voluntate.

Respondeo quarto In potentia motiua & membris non reperiuntur veri Habitus. Ita Diuus Thomas 1. 2. quæstion. 50. a. 3. & alii communiter.

Probatur quia Potentiæ quæ ad nutum obediunt voluntati sunt determinatæ ad suos actus si applicentur, ac proinde non sunt capaces habitus sed potentia motiua & membra sunt huiusmodi, ergo.

Obiic. 1. Appetitus sensitiuus etiam subest imperio voluntatis & tamen est capax habitus, ergo.

Resp Appetitum subesse voluntati tantum Politice seu ciuiliter sicut ciues Principi, quia ei possunt aliquando obsistere. Hinc frequenter non accommodat se imperio voluntatis; Potentia vero motiua & membra subsunt voluntati seruiliter vt loquuntur, sicut seruus Domino qui nullo modo possunt resistere, vnde nullam ex se habet ex se determinationem.

Dices Potentia motiua habet indifferentiam ad varios motus similiter digiti pedes.

Resp. Istam indifferentiam esse vere passiuam & quæ in eo consistit, quod voluntate in quamuis partem inflecti possit, ad habitum autem requiritur indifferentia quædam actiua quæ speciem habeat libertatis.

Obiic. secundo. Experimur digitos & pedes expeditiores fieri exercitio ad motus artificiosos vt in vsu instrumentorum Physicorum scriptium tripudiis, ergo erit in illis habitus.

Respondeo Exercitio tantum comparari habitum & artem in intellectu per voluntatem dirigentem huiusmodi motiones in digitis musculis, neruis, &c tantum oritur dispositio quædam materialis scilicet laxatio neruorum propter expulsionem neruorum mollities vel temperies aliqua priorū qualitatum ratione cuius hæ partes magis sunt aptæ ad deseruiendum operationibus animæ & hæc dispositio vocatur à Diuo Thoma aliquid siue habitus.

Respondeo quinto. Potentiæ vegetatiuæ & nutritiuæ & sensus externi non sunt capaces Habitus.

Probatur quia sunt determinatæ ad suas operationes & nullo modo subsunt voluntati saltem immediate.

Obiecto enim debite applicato sequitur nutritio & aliæ operationes animæ vegetatiuæ visio auditus, &c. Confirm. Potentiæ capaces habitus admittunt etiam intensionem eiusdem habitus, sed potentiæ negatiuæ & sensus ex diuturno exercitio non acquirunt maiorem facilitatem. Ergo

Responsio sexta. Nulla potentia in brutis est capax habitus.

Probatur quia bruta posita apprehensione obiecti determinantur ad vnum sicut graue tendit deorsum ita canis, ex apprehensione prædæ determinatur ad cursum ad apprehensionem mali impendentes ad fugam, &c. Vnde quæcunque Elephanti, canes & alia quædam animalia, faciunt quæ speciem habent artis vt saltitare ad modos ad certas voces aliquid facere vel omittere, applaudere nutritoribus, inimicum aggredi, &c. Id totum fit per species sensibiles Phantasiæ impressas quæ in illis sane sunt perfectiores quam in hominibus & frequentatio actuum tantum efficit vt species illæ & phantasmata tenacius inhæreant, ita vt suo tempore offerente se obiecto vel posito iterum signo denuo excitentur & emicent ac determinent animal ad tale opus.

Dices appetitus sensitiuus brutorum vti ex Phantasia sunt eiusdem speciei cum iisdem in homine, ergo erunt capaces habitus.

Respondeo Omisso Antecedente de quo in l. de anima nego consequentiam, quia appetitus hominis saltem ab extrinseco est indeterminatus ratione connexionis cum voluntate cui potest accommodare.

QVÆSTIO VII.

Vtrum habitus concurrant effectiue cum potentia ad actus?

PRænotandum agens plurimis modis posse iuuari ab alio in operato primo ablatione impedimenti sic iuuat potentiam currendi equi, qui aufert onus impositum. secundo si perficiatur dispositio passi vel illud melius applicet sic iuuat actiuitatem ignis, qui ligna prius exiccat & igni propius admouet tertio coadiuuando vim actualem extrinsece. Sic Petrus trahens nauem cum Paulo iuuat tractionem Pauli. Quarto coadiuuando vim actiuam intrinsece afficiendo scilicet ipsam potentiam & hic modus est proprius habitibus, non quasi virtus intrinseca potentiæ au-

geatu

geatur per habitum quia cum potentia non suscipiat magis aut minus & habitus cum potentia non faciunt vnum principium actiuũ intensius. Sed quia habitus concurrit vt causa partialis cooperans intimæ præsens potentiæ.

Respondeo primo. Habitus concurrunt effectiue ad actus. Ita Div. Thom. 1. 2. quæstione 49. a. 3 contra Scotum in prima distinctione 17. quæstione secunda, vbi docet habitum tantum disponere potentiam.

Probatur conclusio quia habitus est perfectio potentiæ secundum propriam rationem potentiæ, sed potentia tota est principium actiuum operationis ergo habitus perficit illã in ratione agendi.

Probatur secundo non concurrunt auferendo impedimentum aut disponendo potentiam, ergo effectiue. Antecedens probatur quia quædam sunt capaces habitus quæ non habent impedimenta, verbi gratia, intellectus in quo nullus est error positiuus sed pura ignorantia priuatiua, similiter sæpe contingit nullas esse in potentia dispositioni contrarias actui producendo vt patet in intellectu cui immediate vnitur actus elicitus neque intelligi potest qualis esset ista dispositio quam habitus introduceret.

Respondeo secundo. Habitus non dant potentiæ vim efficiendi actus intentiores quam ipsæ potentiæ per se solæ sine habitu possunt producere. Probatur quia habitus non sunt potentiæ sed additamenta potentiæ quæ non augent substantialiter ipsam virtutem operandi sed illam tantum perficiunt in ordine ad certos actus. Confirmatur quia alioqui Habitus possent crescere in infinitum. nam si potentia eliciat actus vt octo & per illos generetur habitus vt octo: si iam per potentiam informatam habitu vt octo possit produo actus vt decem, poterit generari habitus vt decem & iterum elici actus vt duodecim & sic deinceps.

Respondeo tertio Habitus non concurrit effectiue ad actus intentiores se secundum gradum in quo actus excedunt habitum verbi gratia si habitus sit intensus vt tria, actus vero elicitus vt quatuor, habitus non attinget quartum gradum sed sola potentia.

Probatur, quia quando agens remissius concurrit tum intentioni ad productionem effectus habentes latitudine graduum cum actio peruenit ad gradum correspondentem intentioni agentis remissioris cessat ipsius influxus ad reliquos gradus, sed illi producuntur ab agente fortiori, vt fieret in duobus subiectis calidis magis vel minus eidem passo applicatis.

Probatur secundo. Quia habitus est vis quædam & impulsus relictus ex vi actuum procedentium, qui non habent vim inclinandi potentiam ad actus potentiores sed vt summum eidem similes.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum habitus concurrant effectiue ad substantiam actus?

RESp. Affirm. & est certum de habitibus infusis hinc non tantum adiuuant potentiam sed dant illi posse producere actum. Vnde dicuntur se habere per modum potentiarum: de acquisitis probatur quia habitus producit aliquid pertinens ad actum, ergo ipsam entitatem & substantiam actus.

Dices concurrit ad modum aliquem actus & non ad substantiam.

Respondeo Eiusmodi modum non esse assignabilem, qui produci possit ad habitus nisi simul attingat ipsam entitatem actus, quia hic modus vel esset intentio actus vel bonitas vel facilitas, vel velocitas, vel delectatio, nihil horum dici potest, quia intentio nihil est aliud quam ipsa intentio actus habentis substantiam integritalem, bonitas est tantum relatio conuenientiæ cum altero & non aliquid superadditum entitati actus vel est quiddam morale non requirens per se causam Physicam. Velocitas nihil superaddit entitati motus siue actionis & impossibile est causam producere velocitatem nisi producendo entitatem motus. Facilitas & delectatio in exercitio operationis non sunt modi ipsius actus sed sunt aliquid in operante, verbi gratia, virtus intensa operandi ratione cuius fit, vt agens non expendat se tantopere in agendo & ab hac virtute denominatur actus facilis aut facile productus denominatione extrinseca; sic delectatio est motus vitalis in

operante consequens apprehensionem operis sub ratione conuenientis.

Dices secundo, Potentia carens habitu se sola producit actum: ergo etiam dum illum habet.

Resp. Negando consequentiam, quia cum habitu non est opus tanto influxu & conatu, quia licet habeat ex se sufficientem virtutem operandi, ita vt non sit necessarius habitus. Potest tamen iuuari ab habitu qui vbi adest non est ociosus.

Dices tertio Ergo habitus erit vera potentia.

Respondeo Negando illatum, alius enim est modus influendi potentiam, alius habitus, nam potentia se ipsam applicat & se sola potest exercere actum & est virtus primaria. Habitus vero applicatur à potentia se sola nihil potest & natura sua est addamentum potētię.

QVÆSTIO IX.

Ad quos actus effectiue concurrat habitus.

RESpondeo 1 Habitus vnius potentiæ non concurrit effectiue & Physice ad actus alterius potentiæ.

Probatur quia habitus tantum efficit actus potentiæ cui inest, & quam in fine afficit. Confirm. Vna potentia non concurrit effectiue ad actus immanentes alterius potentiæ: ergo neque habitus qui est profectio potentiæ vnde si quando Philosophi insinuant virtutem vnius potentiæ elicere actum alterius potentiæ verbi gratia habitum temperantiæ in appetitu sensitiuo elicere actum electionis in voluntate circa materiam temperantiæ, id accipiendum est de concursu morali & in proprio quia sc. appetitus sensitiuus inuitat volūtatem, sic intellectus mouet volūtatem ostendendo conuenientiam obiecti, & voluntas intellectum applicando illum ad considerationem certi alicuius obiecti singularum interim potentiarum actus Physice & totaliter producuntur à propria potentia & ab habitibus illi inexistentibus.

Resp. secundo habitus non coefficit actus omnes potentiæ illius quam inferat v. g. habitus iustitiæ non concurrit ad actus temperantiæ aut fortitudinis. Probatur quia habitus specificantur ab actibus ad quos tāquam ad effectus dicunt ordinem, atqui vna tantū potest esse species cuiusque Habitus, & hinc potentia admittit plures habitus, contingit tantum aliquando propter connexionem aut dependentiam vnius habitus ab alio vel obiecti vnius ab obiecto alterius vt se mutuo per accidens iuuent.

QVÆSTIO X.

Vtrum actus producant habitus?

RESp. Affirm. Ita passim omnes contra Durandum qui docet actus non concurrere effectiue sed tantum disponendo potentiam ad receptionem habitus, quem potentia se sola effectiue producit, sed. Probatur conclusio quia experientia docet per frequentes actus generari facilitatem & inclinationem potentiæ ad productionem similem actuum; ergo actus concurrunt effectiue.

Probatur sequela, quia non possunt dici concurrere dispositiue, cum actus non possit esse dispositio ad introductionem actus quod probatur, quia dispositionis prærequisitæ ad aliquam formam conuenient cum forma in

Dispositiones repugnantes sed actus non remanet cum habitu sed euanescit, vnde neq; impedit dispositiones contrarias. Confirm. quia nulla est dispositio in potentia aut impedimentum quo minus recipiat habitum, præsertim quando potentia naturaliter ex se propendet ad actum & per consequens ad habitum, vt verbi gratia intellectus ad cognitionem Principiorum voluntas ad eas virtutes quarum habet semina sibi indita à natura & misericordia; ergo actus non concurrit vt dispositio.

Obiic. 1. Causa debet esse nobilior effectu sed actus est nobilior habitu ergo effectiue n[on] producit habitum.

Respondeo Negando minorem, quia actus est Vitalis entitas habitus non ita, deinde actus est vltimum potentiæ complementum & finis ad quem habitus ordinatur, denique actus se solo tanquam principium sufficiens efficit habitum, habitus vero efficit actum vt causa minus principalis, concurrens cum potentia quæ est causa magis principalis, vnde vocari solet semen actus & ge[-]

gens partiale ergo actus simpliciter est nobilior habitu.] Ita Scotus *in quarta distinctione 49.* & multi recentiores. Quod autem habitus ad sui conseruationem non indigeat actuali influxu potentiæ sicut actus, sed sit aliquid natura sua permanens & possit concurrere ad plurimos actus, hoc tamen arguit perfectionem quandam accidentalem & secundum quid.

Ex his conciliantur loca quædam Aristotelis & D. Thomæ quibus aliquando maiorem perfectionem tribuunt habitui quam actui.

Dices si habitus sit absolute imperfectior non poterit effectiue producere actum.

Resp Negando sequelam quia non producit se solo sed concurrit cum principio perfecto. causa autem minus principalis coefficiens potest esse imperfectior effectu causæ principalis.

Obiic. secundo Aristoteles 7 *Physic. c. 3.* docet ad habitum non esse motum per se, ergo actus erit tantum dispositio ad resultantiam habitus in potentia.

Resp. Aristotelem ibi loqui de motu alterationis sensibilis & corruptiuæ, id est, tendentis ad corruptionem subiecti.

Petes an ad productionem habitus absolute necessarii plures actus.

Respon. negatur, quia potest dari vnus aliquis actus æquiualens pluribus, vt euidens aliqua demonstratio clare percepta & cum intellectus circa materiam virtutis ostendit voluntati omnes difficultates occurrentes, & voluntas nihilominus fortiter illam amplectitur, negari non potest quod per huiusmodi actus tam bene acquiratur habitus atqui per plures languidiores.

Dices habitus dicitur comparari exercitio consuetudine, quę significant pluralitatem actuum.

Resp. Plerunque requiri plures actus non tamen necessario, & sic vera est sententia D. Thomæ.

QVÆSTIO XI.

Quomodo intendantur habitus?

NOTA primo Habitum dupliciter posse augeri, primo intensiue quando scil. perficitur in ordine ad idem obiectum & inclinat potentiam ad perfectiores actus tendentes in idem obiectum; secundo extensiue, quando scilicet habitus qui est acquisitus circa vnam partem obiecti extenditur ad aliam, vt si quis cognoscens hominem esse admiratiuum incipiat eundem cognoscere esse risibilem & temperantia, verbi gratia, quæ sc. circa cibum moderatum versabatur etiam extendatur ad potum, vnde generatim augmentum intensiuum distinguitur ab extensiuo.

Nota 2. certum esse Habitum augeri per actus, quia eadem res per illa potest perfici, per quæ producitur sed habitus producitur per actus ergo deinde augmentum habitus nihil est aliud quam partialis eius productio. Cum ergo actus possit producere habitum poterit & augeri; sed difficultas, qualis sint actus qui intensione possint augere habitum.

Resp. Primo vt actus intendant habitum debent esse intentiores habitu. Probatur 1. quia sequitur tantum actio à proportione maioris inæqualitatis; ergo si actus non sit intensior non poterit habitum intendere. Confirm. quia quælibet forma operatur vt passim sibi assimile, ergo vbi perfecte secundum intentionis gradum sibi assimilari cessabit actio, vt patet in aliis formis actiuis. posito enim calore vt quatuor in passo cessat actio calefactiui vt quatuor saltem quoad intensionem.

Probatur secundo: Quia si actus remissior vel æqualis potest intendere habitum inclinaret mediate ad producendum alium actu se perfectiorem, verbi gratia, si actus vt quatuor intendat habitum vt quatuor usque ad gradum quintum vel sextum cum ille habitus sit agens naturale, inclinabit potentiam ad actum vt 5. vel vt sex & sic actus prior mediante habitu inclinabit ad actum se perfectiorem & sic quilibet habitus potest crescere in immensum cum tamen omnes qualitates intensibiles habeant summum aliquem gradum vltra quem non fit processus vt experientia docet in primis qualitatibus calore frigore siccitate &c. quæ non excedunt octauum gradum.

Dices primo. Actus est essentialiter perfectior habitu ergo quilibet æqualis vel remissus poterit intendere habitum.

Respon. Negando consequentiam quia actus habet definitam & limitatam virtutem cui respōdet definitus gradus in effectu quem vbi at-

vbi attigerit cessat ipsius actiuitas, gradus autem in habitu hic correspondens actui videtur esse æqualis gradui ipsius actus, vt scilicet actus vt quatuor possint producere habitum & inclinationem vt quatuor.

Obiic. secundo. Actus remissi possunt absolute producere habitum ergo & intendere.

Respon. Negando consequentiam, quia quando producunt habitum nihil præexistit in potentia, vbi vero actus inuenit in potentia habitum sibi proportionatum nihil potest producere.

Obiic. tertio. Saltem plures actus æquales poterunt intendere habitum licet non singuli. Probatur à simili qui duæ candelæ æqualis omnino luminis producunt lumen intensius in aere quam quælibet seorsim sumpta.

Respon. Negando assumptum ad simile. Resp. Duas candelas non producere lumen perfectius sine extensione, magis quam sit lumen singularum, sed tantum producunt lumen ad maiorem distantiam, vel vt summum intensius quam singulæ seorsim producerent in aliqua parte spatii ratione indispositionis aeris propter vapores, nebulas &c. nunquam tamen intensius quam sit ipsum lumen cuiusque & sic effectus non excedit perfectionem causæ.

Respon. secundo. Actus intentiores non intendunt habitus secundum se totos sed vt summum secundum proportionem excessus graduum, quibus habitum superant, verbi gratia, actus vt quatuor non intendit habitum vt duo quatuor gradibus ita vt habitus sit intensus vt sex, sed tantum potest intendere duobus vt habitus sit intensus vt quatuor, sequitur ex dictis in prima conclusione.

Resp. tertio. Intentio Habitus fit per additionem partialis entitatis.

Probatur quia omnis intensio formæ intensibilis fit per intensionem gradus ad gradum, qui substantialiter se mutuo sunt perfectiores nisi enim entitas noua accedat, habitus ab initio omnem suam haberet perfectionem & maior illa radicatio in subiecto in qua quidam ponunt intensionem difficulter intelligi potest sine accessione realis entitatis, de quo fusius in libris de generatione.

Nota quæ in prima conclusione dicta [illegible] restringi debent ad habitus acquisitos quia communis est Theologorum doctrina actus etiam remissiores & æquales habitibus infusis, verbi gratia, actus claritas vel alterius virtutis Christianæ intendere charitatem & habitum, sed id tantum fit meritorie & morali quadam causalitate qua Deus ad præsentiam talium actuum Physice habitum intendit non quasi actus remissiores effectiue & Physice habitum possint intendere.

QVÆSTIO XII.

Quomodo augeatur habitus?

Difficultas est de habitu simplici in essendo an ille possit extendi per simplicem suam entitatem ad plenos actus in vno aliquo conueniente.

Resp. Potest vnus & idem habitus extendi ad diuersa obiecta partialia & inclinare potentiam ad plures actus modo sint similes in ratione formali.

Probatur exemplo. Idem simplicissimus habitus fidei diuinæ & humanæ inclinat ad tradenda quæuis obiecta à Deo reuelata vel ab homine fide digno testata Ratio est quia in his omnibus obiectis siue fidei articulis licet materialiter diuersis est vna ratio formalis assentiendi, nimirum authoritas diuina vel humana, quæ ratio cum rebus creditis tantum sit extrinseca, potest diuersis vniformiter applicari, sic vt non sit necesse ipsam potentiam recipere diuersum habitum. Similiter idem habitus iustitiæ inclinat ad signandum æqualitatem cum quouis homine & in quauis materia ac proinde successiue secundum hanc extensionem generari potest.

Obiic Experientia docet aliquem præditum habitu iustitiæ facilius restituere famam per detractionem ablatam quam pecuniam alios & contra. Deinde quosdam facilius seruare temperantiam in cibo vel in certo genere cibi quam in potu vel alio cibi genere. Ergo ad superandam hanc difficultatem videntur necessarii habitus partiales, ita vt vnus simplex non possit per nudam extensionem inclinari ad obiecta materialia diuersa.

Resp. Negando sequelam quia quod quis circa vnam materiam versetur quam circa aliam

aliam id non oritur necessario quod in potentia non sit habitus essentialiter respiciens illam materiam, sed id oritur aliunde & primo ex parte materiæ vel intellectus: qui enim in determinata aliqua materia frequenter se exercet, illi facilius repręsentatur, conuenientia aut honestas quæ in illa reperitur, vnde etiam fit, vt facilius in illam tendat. Secundo id oriri potest ex maiori vel minori difficultate obiecti, sic facilius est perpeti verbera fortiter etiam cum periculo mortis, quam ipsam mortem subire. tertio oriri potest ex dispositione corporis: Sic præditus habitu pœnitentiæ facilius satisfacit Deo per ieiunia, quam per alias austeritates corporis. Denique id oriri potest quod in appetitu sensitiuo, qui materialis est, & sub materiali ac contracta ratione tendit in sua obiecta generari possint distincti habitus, quorum vnus augetur, dum versamur circa materiam illius vnde fit, vt voluntatem alliciat & illa maiorem experiatur facilitatem.

Resp. secundo. Vnus & idem habitus simplex potest extendi ad varios actus, ita inter se connexos, vt vnus virtualiter contineatur in altero. Declaratur exemplo. Habitus charitatis erga Deum inclinat ad amandum proximum, quam amor Dei continet virtute amorem proximi eo, quod eadem bonitas quæ intrinsece in Deo existens illum nobis reddit amabilem, etiam extrinsece applicetur proximo qui spectatur tanquam aliquid Dei vt imago illius: filius adoptiuus &c. Sic idem simplex habitus potest inclinare voluntatem ad intensionem finis & electionem mediorum, qui eadem bonitas mouet ad vtrumque actum quæ tum fini est intrinseca, medius autem extrinseca.

Respon. tertio. Idem simplex habitus potest extendi ad plures actus differentes inter se ex solo diuersa applicatione obiecti, si vnus nascatur ex alio. Huiusmodi actus sunt amor Dei, qui tendit in Deum absolute, desiderium de eodem Deo absolute gaudium de præsenti, imo etiam odium peccati quod illi repugnat fuga mali & tristitia de illo perpetrato, qui omnes actus ex eodem habitu charitatis profluant. Inde ex quocunque istorum actuum habitus. 1. Inerit productus (loquor hic de amore naturali) extendet se ad alia obiecta materialia vel diuersimode applicata.

Resp. quarto. Augmentum hoc extensionis fit per accessionem realis entitatis & perfectionis, idque per actus non omnino similes. Hi enim tantum sunt nati intendere habitus. sed per actus dissimiles extendentia circa diuersa obiecta partialia vel ex diuerso, modo tendendi in idem obiectum. diuersimode applicatum.

Probatur quia generari in potentia noua inclinatio, ergo aliquid entitatis accedit ad habitum præexistentem.

Cætera quæ de vnitate Habituum disputari possent, dicuntur in liberis posteriorum.

QVÆSTIO XIII.

Quomodo habitus corrumpantur vel diminuantur.

Resp. primo. Cessatio ab actu non est causa per se imminutionis aut corruptionis habitus: est communior sententia D. Thom. 1. 2. q. 53. a. 1. & aliorum.

Probatur quia Habitus non dependet in sui conseruatione ab influxu ipsius actus, sicut tamen solis pendet ab actualis influxu Solis. quia alioqui singulis momentis amitteremus habitus, cum nemo simul & semper possit elicere actus omnium habituum Ergo cessatio non est per se Habitus.

Obiic. Experientia docet sola cessatione ab actu non fieri languidiores alicuius habitus, verbi gratia, scientię vel virtutis moralis, ergo cessatio per se corrumpet habitum.

Resp. Negando consequentiam quia languor ille & tarditas aliunde oriri potest, quam ex imminutione Habitus secundum substantiam scilicet ex impedimento aliquo sese insinuante in corpus aut membra quæ tanquam instrumenta inseruiunt operationib. talis habitus, v. gr. cum diu cessamus ab exercitio scientiæ, obliterantur species, memoria vel imaginatio minus viuaciter repręsentat obiecta, in membris, v gr. digitis exoritur dispositio quędam humorum minus apta ad exercitium artis., sic etiam per actus iustitiæ vindicatiuæ licet non repugnant virtuti mansuetudinis minus expedita fit exercitatio actuum mansuetudinis, eo quod actus iustitiæ cum quadā ebulitione sanguinis circa cor. quæ est impedimentum, aut dispositio opposita mansuetudini, quo fit, vt licet ipsa integra maneat, secundum

cundum substantiam difficilius tamen exit in actum & sic cessatio ab actu non est causa per se imminutionis habitus. Dico non esse causam per se, quia potest esse causa per accidens quatenus scilicet est occasio cur actus aliqui contrarii exerceantur qui sensim effectiue aliquid decerpunt habitui.

Resp. secundo. Habitus corrumpuntur & diminuuntur effectiue per actus contrarios ex Aristotele 2. *Eth.c.3.*

Probatur quia quidquid est causa contraria Habitus effectiue corrumpit habitum præexistentem. Sed actus contrarii sunt causa contrarii habitus, ergo: maior probatur quia id corrumpit aliquid effectiue quod producit formam illi incompossibilem. Vnde habitus per contrarios actus productus formaliter per sui introductionem & immediate expellit habitum. Ex quo commode intelligitur quomodo actus possit expellere habitum licet ei non contrarietur quia scilicet habet vim producendi formam illi incompossibilem.

Respon.tertio. Habitus minui potest per actus contrarios etiam remissiores ipso habitu.

Probatur quia illi actus non inueniunt in potentia effectum, quem possunt producere, ergo illum introducit scilicet habitum contrarium & per consequens qua proportione, hic introducitur præexistens eadem proportione corrumpetur.

Ex quo sequitur Habitus contrarios in gradibus remissiores posse simul consistere in eodem subiecto, nam & hoc cæteris contrariis competit & actus non corrumpit habitum præexistentem, nisi per introductionem habitus contrarii, vnde non plus corrumpitur habitus præexistentes quam succedat de contrario reliquum manet in potentia, quo casu denominatio subiecti sumitur ab habitu prædominante, verbi gratia, præditus habitu temperantiæ vt quinque intemperantiæ vt tria, dicetur temperans si neuter habitus prædominetur, sed vterque insit in æquali gradu, neuter proprie denominabit.

Petes an habitus possit minui, per actus proprios remissiores, verbi gratia, an minuatur habitus temperantiæ, vt sex dum quis elicit actus temperantiæ vt quatuor tria &c.

Respon Negatiue, quia ipsa cessatio ab actibus per se non minuit, ergo multo minus actus remissi: quare si quid simile aliquando inseruiat D.Thom. hoc sensu verum est, quod is qui exercet actus remissos, parum afficiatur ad virtutem & facile induci possit ad eliciendos actus contrarios, qui generent habitus contrarios, & sic actus remissi vt summum sunt causa per accidens diminutioris habitus.

DISPVTATIO OCTAVA.

DE RELATIONE.

QVÆSTIO I.

Quid sit Relatio in genere & quotuplex?

Resp. Primo Relatio in genere est ordo seu respectus vnius ad aliud, siue est ratio qua vnum ordinatur ad aliud. Hinc ad relationem constituendam 4. concurrunt, subiectum relationis siue id quod refertur; secundo terminus siue id ad quod refertur: tertio fundamentum siue causa propter quam refertur. 4. Ipsa relatio qua refertur. Hæc omnia debere concurrere ex eo probatur, Quia quælibet relatio est alicuius subiecti relatio ad alterum terminum, propter specialem aliquam causam, quæ est fundamentum relationis, alioqui si nulla esset relatio, non posset quæuis res ad quamvis aliam referri, quod tamen est falsum nec enim quodlibet est cuilibet simile aut æquale nec quilibet cuiusuis filius.

Respon.secundo. Variæ sunt Relationis diuisiones, prima est in realem & rationis. Relatio realis dicitur quæ existit in rebus independenter ab omni nostra cogitatione seu operatione intellectus scilicet ordo & respe-

ctus qui inter duo extrema nemine cogitante intercedit vt relatio similitudinis &c. Relatio rationis dicitur, quæ non est à parte rei inter duo extrema, sed eis aduenit per operationem intellectus, vt sint secundæ intentiones, relatio quæ concipitur consurgere in obiecto cognito.

Secunda diuisio in transcendentalem & prædicamentalem. Transcendentalis est quæ transcendit & vagatur per plura prædicamenta, qualis est relatio creaturæ ad Deum, accidentium ad substantiam. Prædicamentalis est specialis respectus distinctus ab omni ente absoluto, quæ proinde constituit speciale prædicamentum, qualis est relatio paternitatis similitudinis.

Tertio diuiditur in mutuam & non mutuam. Mutua est quando in termino opposita consurgit relatio, talis est relatio similitudinis per quam, verbi gratia, albedo refertur ad aliam albedinem quæ vicissim refertur ad illam. Non mutua est quando terminus vicissim non refertur vt inter creaturam & Deum, nam creatura realiter refertur ad creatorem non contra, scientia ad scibilem non contra.

Quarto relatio mutua subdiuiditur in relationem æquiparantiæ & disquiparantiæ. Æquiparantiæ dicitur illa quando relatio vtriusque termini eandem sortitur denominationem, vt similitudo æqualitas Nam vtrumque extremum à relatione similitudinis & æqualitatis dicitur simile & æquale. Disquiparantiæ est quando relatio diuersimode denominatur in vtroque termino scilicet propter fundamentum & rationem fundandi diuersam, eiusmodi sunt paternitas & filiatio.

QVÆSTIO II.

Quid sit Relatio prædicamentalis?

RESpon. Relatio prædicamentalis est accidens cuius totum esse est ad aliud esse seu aliud respicere. Ita Aristoteles hic Accidens ponitur loco generis per quod excluduntur relationes diuinæ quæ non sunt accidentales aut accidentia sed subsistentes ac substantiæ.

Secundo excluduntur omnes substantiæ creatę & relationes rationis quę proprie non possunt dici accidentia, quia accidens simpliciter est sub ente reali, reliquæ differentiæ loco ponuntur, & separant hoc prædicamentum à cæteris prædicamentis accidentium quæ sunt absoluta.

Obiic. 1. Tota hæc definitio conuenit relationibus transcendentalibus, quam vere includunt respectu ad aliud.

Resp. Negando assumptum, quia Relatio transcendentalis est ipsa res absoluta vnde non est purus respectus ad aliud, sed quid absolutum in intrinseca ratione includens respectum ad aliud non sub vna ratione termini, sed vt illud exercet aliquod munus circa id quod refertur & à quo in aliquo suo dependet, sunt igitur res quædam ex propria conditione ita imperfectæ & earum essentia intrinsecam proportionem dicat cum aliis ad quas ex natura sua ordinantur, sic accidentia referuntur ad substantiam, Habitus & potentiæ ad obiectū ad quod ita referuntur vt illorum essentia & distinctio omnino intelligi nequeant, ne quidem à Deo & Angelis nisi per actus & obiecta, cum tamen actus ad essentiam potētiæ, nec essentia ad essentiam actus, cum sint res diuersissimę, & hę relationes pertinent ad prædicamentum absoluti quod ita dependet & refertur.

Relatio prædicamentalis est quid accidentale superadditum entitati absolutæ & est ordo ad aliud tanquam ad purum & nudum terminum, cuius officium est ordinare vel referre subiectum vt sic ad aliud. Cum officium relationis transcendentales non referre vt sic sed vnire, affingere vel quid aliud præstare quo fit vt illius terminus non vocetur terminus sed obiectum, subiectum principium vel alio aliquo nomine iuxta diuersam naturam absoluti.

Resp. secundo. Relatio prædicamentalis est accidens ergo totum ipsius esse non potest esse ordo ad aliud. Probatur consequentia quia accidentis est inesse subiecto, id autem quod totum est ad aliud non inest.

Resp. Negando consequentiam, & probationem, quia relatio tota est accidens vnde toto inhæret, sed illud ipsum esse quid habet in se & inhærens non est relatio quatenus inhærens & afficiens subiectum inhærendo & denominando, quod commune est omnibus accidentibus sed referēdo illud ad terminum in qua relatione consistit tota ipsius essentia, Sic similitudo secundum totam suam entita-

tem etiam relatiuam est forma afficiens subiectum, & denominando quod commune est omnibus accidentibus, sed referendo illud ad terminum, in qua relatione consistit tota ipsius essentia, sic similitudo secundum totam suam entitatem etiam relatiuam est forma afficiens subiectum, quod denominat simile, tota tamen illa affectio in eo consistit, quod illud referat ad aliud, vti ad terminum.

Ex quo intelligitur ad solutionem argumenti non esse necesse, nec manere ad distinctionem relationis inesse, in relatione in quo conueniat cum cæteris accidentibus, & inesse ad pertinet ad relationem, quomodo non inhæreat, & sit idem cum esse in, quandoquidem ratio accidens & per consequens, ratio inhærendi intime imbibatur in omnibus differentiis contrahentibus. Deinde non videtur, quomodo hæc duo possunt esse quid actualiter distinctum in relatione.

Nota ex dictis colligi, proprium effectum formalem relationis prædicamentalis non consistere in aptitudine, referendi, nam sic relatio non distingueretur à suo fundamento, neque requiret actualem existentiam termini, sed consistere in actu referre, nec obstat, quod actualis inhærentia non sit de essentia accidentium, quod habet realem Physicam entitatem, quæ potest seorsim existere, saltem diminutius, cum sit de essentia accidentium modalium, actu inhærere, sicut existere: essentialiter enim pendeat à subiecto, sic enim in aliis etiam accidentibus, non potest separari aptitudo ab actu, vt videre est in actione, passione, vbi, non enim potest esse actio in rerum natura, nisi sit actualis egressio ab agente, patiente, &c. Ratio est debilissima, talis entitatis, intime dependens à subiecto tali modo, si sit in rerum natura, actu refert, & effectus eius formalis non consistit in posse, sed in actu.

Colligitur secundo, relationem transcendentalem opponi esse indescendenti, prædicamentalem vero esse absoluto, quia transcendentalis dicit rem absolutam, sed opponitur illi aliud ens, à quo dependet, & quod vicissim ab ipso non dependet: prædicamentalis vero est verus respectus, ac proinde illi opponitur ens absolutum. Relationes prædicamentales vocantur secundum esse, transcendentales secundum dici, quæ denominationes desumptæ sunt ex definitionibus veterum & Aristot. Dicuntur autem transcendentales secundum dic., non quod relatiua transcendunt alia tantummodo dicantur, & reuera non sint ad aliud, sed quia non sunt secundum totum suum esse.

QVÆSTIO III.

An relatio constituat peculiare prædicamentum.

Resp. affirmatiue. Probatur, quia relatio est ens reale, vniuocum, incomplexum, distinctum à parte rei ab aliis accidentibus: ex modo peculiari afficiendi subiectum est diuisibile, in plures species diuersas à speciebus aliorum prædicamentorum, sed hæc sufficiant ad peculiare prædicamentum, Ergo.

Dices, omnia prædicamenta debent habere vnum summum genus, sed relationes non possunt habere vnum summum genus. Ergo minor probatur, quia illud suprémum genus vel erit relatio in abstracto vel relatiuum in concreto, sed neutrum dici potest. Ergo, probatur minor, quia si daretur relatio in communi dari etiam posset relatiuum in communi, ergo. Minor probatur. quia illud relatiuum in communi referretur ad se ipsum, vel ad diuersum non ad seipsum, sic enim esset relatio rationis, & omnia inferiora etiam referrentur ad se ipsa qui participant essentiam summi generis: non etiam ad aliud, quia illud aliud vel est superius vel inferius vel æquale, non superius quia supponitur hoc esse supremum, non inferius quia inferius est de essentia superioris: non æquale quia sic essent duo summa genera relatiuorum.

Respon. Summum genus esse relationem in communi, quia ab omnibus relationibus abstrahi potest ratio aliqua communis. Hæc relatio habet concretum sibi correspondens scilicet relatiuum in communi, quod respicit, aliud, scilicet terminum in communi à quo terminatur in ratione absoluta, vt infra dicemus. Vnde non reciprocatur cum aliquo relatiuo vt tali, neque sequitur esse duo summa genera. Alii aliter respondent, sed responsio iam allata videtur solidior.

QVÆ

QVÆSTIO IV.

De fundamento Relationis.

Nota ex Aristotele 5. *Met. c.* 15. triplex esse fundamentum Relationis primum est vnitas & multitudo siue conuenientia & disconuenientia, quæ vnitas si sit in substantia fundat relationem identitatis, si in qualitate dicitur relatio similitudinis, si in quantitate dicitur relatio æqualitatis, vti explicat Aristoteles his verbis. Eadem sunt quorum substantia est vna, similia quorum qualitas vna, æqualia quorum quantitas vna. Simili modo multitudo seu disconuenientia, si sit in substantia dicitur relatio diuersitatis, in qualitate dissimilitudinis, in quantitate inæqualitatis singulorum: Exempla sunt equus & leo, quatenus conueniunt in quantitate generica animalis dicuntur relatiua relatione identitatis, quatenus sunt specie disiuncta, dicuntur relatiua relatione diuersitatis duo alba propter conuenientiam albedinis, dicuntur similia album & nigrum propter disconuenientiam coloris dissimilia &c Secundum fundamentum est potentia actiua & passiua, q multiplex est, vnde & multiplex specie relatio causæ & effectus consurgit. Tertium fundamentum, est ratio mensurabilis & mensuræ, sic scientia quatenus est mensurabilis ab obiecto, & obiectum mensura ipsius scientiæ, dicuntur ad aliquid hoc tertio genere, pari modo sensus & sensibile, intellectus & intelligibile &c.

Nota secundo, in his relationibus illud esse discrimen quod priora duo genera relationum sint relationes mutuæ, tertium genus sit relationum quæ dicuntur non mutuæ, quia in his relatio formaliter tantum regitur in vno extremo scilicet in mensurabili in alio extremo regitur per solam denominationem extrinsecam, non à relatione in se existente, verbi gratia, scientia tanquam mensurabilis relatione formali intrinseca refertur ad obiectum, obiectum vero dicitur relatiuum non quod relatione formali intrinseca referatur ad scientiam, vel potentiam, sed quia scientia refertur ad illud eo quod obiectum talis sit conditionis vt ab eo potentia & habitus speciem suam sortiantur, & obiectum sit quasi mensura perfectionis, & extensionis potentiæ & scientiæ, nec refert quod scibile intelligibile &c. sint denominationes relatiuæ quia sumuntur ab absoluta natura, non à formali aliqua relatione superaddita.

His positis dubium est an omnes hæ relationes sint prædicamentales.

Resp. Primo. Verisimilius est non tantum relationes fundatas in qualitate & quantitate esse prædicamentales, sed etiam fundatas immediate in substantia videtur expresse Aristoteles *loco citato initio quæst.* & D. Thom. *op.* 48. *tract.* 5. *de prædicamento & aliquid c.* 4. & *à parte q.* 48 *a.* 1. *ad* 2.

Probatur quia conuenientia specifica qualitatis fundat relationem realem similitudinis & disconuenientia relationem dissimilitudinis, ergo. Et conuenientia specifica duorum indiuiduorum substantialium fundat relationem realem identitatis & disconuenientia relationem diuersitatis. Probatur consequentia quia conuenientia qualitatis non est magis realis quam conuenientia substantiæ Confir. Petrus quatenus idem cum Paulo habet totum suum esse ad aliud scil. ad Paulum, ergo realis & relatiua est talis identitas.

Obiic. Vnitas specifica & Generica non est realis sed rationis, ergo non potest esse fundamentum relationis prædicamentalis.

Resp. Vnitatem virtualem seu fundamentalem esse realem licet vnitas vniuersalis formaliter sit rationis.

Dices secundo. Vnitas specifica & generica reperitur in omnibus prædicamentis, ergo vt summum fundat relationes & transcendentales.

Resp. Negando consequentiam, quia secundum omnes relationes fundatæ in quantitate & qualitate sunt. Licet reperiantur in diuersis prædicamentis. Ratio est quia conueniunt determinatis rebus singulorum prædicamentorum, idque sub conceptu & ratione determinata scil. conueniunt, non autem tribui possunt omnibus omnino rebus cuiusuis prædicamenti sub quouis conceptu sicuti prædicamenta vniuersalia, ceu passionis entis.

Resp. secundo. Relationes secundi generis fundatæ in potẽtia actiua & passiua sunt prædicamentales. Est certa. sed difficultas est an potentia se sola sit fundamentum, an actio, an vtrumque simul. Scotus 5. *Met. c.* 15 stat pro potentia Scotus 5 *Phys. q.* 2. *a.* 2. vult esse actionem Sed respondec potentia est fundamentum,

tum, actio est ratio fundandi. Ita Sonsinas 5.*Met.q.* 15.

Probatur quia illud pertinet ad fundamentum quo posito ponitur relatio & quo non posito non consurgit relatio: sed talis est actio: ergo actio pertinet ad fundamentum saltem vt ratio fundandi: vnde Aristoteles pro fundamento assignat potentiam reductam ad actum.

Petes an Potentia remota & radicalis sit fundamentum, an vero potentia proxima & formalis, quæ est accidens superadditum substantiæ.

Resp. Potentiam formalem & proximam esse fundamentum. Probatur quia relationes hæ sunt relationes originis vel processionis vnius ab altero. Sed potentia formalis est proximum principium & fundamentum procedendi vnius ab alio, non autem potentia radicalis, quæ est forma substantialis, ergo.

Dices si potentia formalis sit fundamentum harum relationum, poterit dari relatio sine fundamento, v.gr. in patre extincta aut sublata potentia generandi sed hoc est absurdum, ergo.

Respon. ad minorem nihil esse incommodi admittere relationes secundi generis sine fundamento, quomodo habeant fundamentum inhæsionis, quod in his non est potentia, sed substantiæ, verbi gratia, paternitas proxime inhæret substantiæ hominis generantis, filiatio substantiæ rei genitæ pro quo.

Nota in genere fundamentum relationis dici id mediante, quo fit relatio in subiecto. Vnde ex modo proprio cuiusque relationis, oritur peculiaris illius dependentiæ à fundamento, qualitas & quantitas sunt formæ constituentes extrema in tali commensuratione, quam naturaliter sequitur relatio. Potentia vero non constituit extrema tanquam forma, sed tantum vti principium actiuum ac passiuum illius actionis quam consequitur relatio, ex quo fit vt relationes similitudinis & æqualitatis dependeant in esse & conseruari à suis fundamentis & à rationibus fundandi. Hæ vero relationes tantum pendent à fundamento & ratione fundandi in suo fieri, in conseruari autem tantum pendent à fundamento siue subiecto inhæsionis; quia paternitas, verbi gratia, non fundatur in potentia generatiua tanquam in aliquo formaliter ac permanenter constituente hominem in aliqua conuenientia ex qua consurgat relatio paternitatis. Sed tanquam in principio quod & virtutem producendi, aliud extremum & quo medio vnum extremum accipit esse ab alio per modum causæ efficientis.

Resp. tertio. Relationes tertii generis fundatæ in ratione mensurabilis & mensuræ non sunt prædicamentales. Nota mensuram non significare hic proprietatem quantitatis sed limitatam ac certam perfectionem alicuius rei dependentis ab alia, quomodo obiectum est mensura scientiæ & potentiæ quæ tantam habet perfectionem & non maiorem quanta est obiecti perfectio formalis.

Probatur conclusio, quia relatio prædicamentalis non est de essentia absoluti sed aliquid ei superadditum, sed respectus potentiæ & Habitus ad obiectum sunt de essentia illorum, cum sine illis essentia potentiæ & habituum omnino intelligi non possit ergo confirm. mensurabilitas potentiæ & habitus nihil est aliud quam naturalis proportio & commensuratio cum obiecto, sic dicimus intellectum habere proportionem cum intelligibili & non cum sensibili, sensum cum sensibili & 1. Sed hæc proportio est essentialis, ergo.

Obiic. Obiectum est vera causa scientiæ, sed causa dicitur talis à vera relatione ergo inter scientiam & obiectum intercedit relatio prædicamentalis mutua.

Resp. Relationem illam quam habet obiectum in ratione causæ non esse tertii generis quia non fundatur in mensura sed pertinere ad relationes secundi generis fundatas in actione.

QVÆSTIO V.

An relatio possit esse fundamentum Relationis.

Respon. Affirmatur. Ita Scotus *in secundo dist.* 1 *q.* 4 *&* 5.

Probatur quia proportionalitas est relatio similitudinis fundata in duabus proportionibus quæ sunt relationes fundatæ in quantitate. Confirm. Tam sunt similes duæ paternitates quam duæ albedines ergo poterunt fundare relationem similitudinis.

Obiic. 1. Relatio est ipsa ratio referendi vnum ad aliud, ergo non potest per relationem su-

nem superadditum ordinari ad aliud. Sicut albedo non potest esse alba per aliud sed se ipsa est talis.

Resp. Negando consequentiam quia licet relatio sit ipsa ratio referendi aliquid ad terminum sibi oppositum ve. gr. paternitas ad filium neque ita, vt non requiratur alia relatio ad hunc respectum, non est tamen ratio formalis referendi ad aliam paternitatem vnde superaddi debet relatio verbi gratia similitudinis cuius paternitas est fundamentum & materiale.

Ob. secundo. Hic dabitur processus infinitus vt relationibus. Si enim paternitas fundat relationem similitudinis, similitudo taliter fundabit aliam relationem similitudinis & sic deinceps.

Resp. Negando illatum dabitur enim status in ea relatione cum qua cæteræ quæ conciperentur consurgere conueniunt in ratione fundandi & in ratione referendi v. gr duæ paternitates fundant relationem similitudinis propter conuenientiam qua refertur ad aliam tanquam ad similem, si vlterius pergat, eadem est ratio fundandi scilicet conuenientia & eadem ratio referendi & terminandi. scilicet vt simile.

QVÆSTIO VI.

An & quomodo relatio dependet à termino?

NOta omnibus relationibus hoc esse commune quod habeant terminum qui est id quod respicit relatio ex commensuratione ad quem sumunt suam essentiam & speciem. licet enim relatio constituatur intrinsece per suam propriam differentiam & intrinsecam, dependet tamen à termino vt à re intrinsecea ordinē illum finiente & quasi sigillante, vti fit in actionibus intellectus & voluntatis, &c. sicut enim intellectus producit actum certæ speciei dependenter ab obiecto ita etiam in albedine v. g. resultat relatio similitudinis dependenter ab alia albedine.

Resp. Relatio in essentia sua dependet à termino.

Probatur quia relatio est ordo actualis inter duo extrema, ergo nisi sunt extrema quæ dicuntur termini non potest esse talis ordo, sicuti non potest esse vnio nisi sint partes vnitæ & vno extremorum deficiente euanescit vnio.

Dices terminus nullam exercet causalitatem respectu relationis, ergo aliqua relatio non dependet à termino. Resp. negando antecedens; licet enim non exerceat proprie causalitatem aliquam Physicam, cum ad relationis productionem præcise non requiratur actio & mutatio Physica, exercet tamen causalitatem moralem quia ad eius præsentiam resultet in fundamento. Ita vt terminatiue concurrat tanquam conditio necessaria quæ causalitas reductiue pertinet ad causalitatem formalem vel etiam effectiuam.

Resp secundo. Terminus Relationis prædicamentalis debet esse realis, & actu existens. Probatur quia relatio elicit coexistentiam terminorum quorum est respectu realis, & ita vt in effectu formali includatur terminus actualis. Confirmatur. Relatio est ordo realis vnius extremi ad aliud, ergo terminus debet esse realis natura & non ens in potētia vel ens rationis.

R. tertio. Relationes transcendentales non necessario referuntur ad terminum existentem Ita Gregorius *in primo dist.* 28 *q.* 3 *a.* 1. & insinuat Aristoteles 5. *M. t. c.* 15. Probatur quia potentiæ & habitus relatione transcendentali referuntur ad obiectum non existens vel etiam impossibile vt est ens rationis. Accidens similiter ad subiectum non existens. Ratio est quia tales respectus vel sunt inhærentiæ vel vnionis, siue attingentiæ alicuius absoluti cum re extrinse saltem possibili, sic respectus inhærentiæ accidentis illi essentialis potest conseruari extincto subiecto, scientia similiter extincto obiecto quia non attingit illud secundum actualem eius existentiam, sed secundum essentiam possibilem cuius vlterior ratio est, quia illi respectus pertinent ad essentiam absolutarum imo nihil sunt ab illo distinctum sed absoluta non minus sunt in rerum natura siue terminus ad quem ordinantur actu existat siue sit in potentia tantum.

QVÆSTIO VII.

An terminus formalis sit quid absolutum vel respectiuum?

DVo sunt in relatiuis de quibus disputatur an terminent relationem alterius relatiui scilicet fundamentum & ipsa Relatio. Fundamentum est absolutum, Relatio est quid respectiuum.

Respondeo, Relatio non mutua terminatur ad absolutum. Patet quia alioqui esset mutua non respectiuum vt tale terminans relationem, necessario habet alteram relationem à quo dicitur relatiuum.

Respondeo secundo. Relatio mutua habet terminum absolutum, verbi gratia, filius terminat Paternitatem secundum rationem absolutam suppositi geniti & non secundum filiationem. Ita Scotus *in prima distinct.* 30. *quæstion.*1. Suarez *disp.* 48. *sect.* 17. & communiter moderni.

Probatur quia id est terminus ad quod relatio ordinat subiectum sed relatio ordinat subiectum ad absolutum. Ergo. Minor probatur quia ordinat ad fundamentum relationis oppositæ, verbi gratia, Paternitas ordinat hominem ad hominem qui est filius adeo vt etiamsi auferatur filiatio ab homine genito, adhuc consisteret relatio Paternitatis.

Probatur secundo si de relatione relationis vt sic esset terminus respectiuus non potest dari relatio terminata ab absoluto, quia essentia rei immutare non potest, sed datur terminus absolutus, verbi gratia, in relatione non mutua, ergo. Confirm. quia concipi potest tota essentia relationis, etiamsi non concipiatur relatio in termino Confirmatur secundo ex communi axiomate scilicet posito fundamento & termino consurgit relatio ergo relatio per se non postulat aliam relationem pro termino sed tantum fundamentum absolutum. Confirm. tertio quia alioqui vnum relatiuum esset definiendum per alterum & sic committeretur vitiosus circulus.

Obiic. primo. Hinc sequitur relatiua non esse simul natura & cognitione contra Aristotelem.

Respondeo negando illatum quia Aristoteles nomine relatiuorum intelligit correlatiua siue relatiua mutua formaliter talia quorum si vnum sit aut cognoscatur formaliter vt mutuum & alterum erit & cognoscetur, hoc autem non est contra nos.

Obiic secundo. Relationes diuinæ terminantur ad respectiuum, ergo & prædicamentalis.

Respondeo negando sequelam, dispar enim est ratio quia ad relationem requiritur vt terminus sit distinctus, atqui in diuinis omnia sunt eadem, vbi non obuiat relationum oppositio. Quare vt reperiatur in diuinis terminus distinctus, is debet esse respectiuus. Deinde relationes diuinæ non tantum referunt vnam personam ad aliam, sed etiam constituit personas. Persona autem terminat relationem alterius per id per quod constituitur, in creatis vero relatio non constituit personam sed supponit constitutam, ac proinde distinctam ab opposito relatiuo.

Obiic tertio. Si absolutum terminat relationem cognitio relationis dependebit ex cognitione absoluti, ergo obiectum & Deus verbi gratia, erit cognoscendus in relation non mutua vt cognoscatur habitus qui circ illum versatur.

Respondeo ad hoc sufficere confusam ali quam cognitionem obiecti, quod extrinsec tantum pertinet ad essentiam habitus no autem requiri distinctam.

QVÆSTIO VIII.

An Relatiuum vnica relatione recipiat plures terminos.

REspondeo affirm. Ita D. Thom. *tertia pa te quæst.* 3. *a* 5 contra Scotum *tertio sent tiarum distinct.* 8. 9. Vnica qui censet multip catis terminis numero etiam multiplicari lationes. Probatur Conclusio quia effect formalis relationis secundæ iam positus per primam, ergo frustra assignatur secun Antecedens probatur quia effectus ille e constituere hunc patrem, sed sufficienter c stituitur hic Pater per vnam relationem ternitatis, ergo. Confirm. Etiamsi habeat p res filios est vnicus tantum Pater & in ord ad secundum tertium quartum, &c. Fili

est idem numero Pater ergo per eandem numero relationem. Probatur secundo quia alioqui in eodem subiecto inuenirentur plura accidentia solo numero distincta quod solet negari à Philosophis. Confirm. quia alioqui infinitæ propemodum essent relationes, similitudinis æqualitatis, identitatis specificæ. Probatur tertio Filius per vnicam numero relationem filiationis respicit duos terminos specie distinctos se patrem & matrem, si mater non concurrit actiue ad generationem, vel si vterque parens actiue concurrit (vt verisimilius est) respicit duos terminos numero distinctos. Confirm. multiplicatis terminis non multiplicantur omnino requisita ad Relationem, quia non multiplicatur fundamentum ergo neque relatio.

Obiic. 1 Primus terminus verbi gratia primogenitus filius est causa relationis, ergo & secundus & tertius.

Respondeo negando sequelam, quia secundus inuenit relationem paternitatis in extremo.

Vnde non est causa nouæ relationis, sed præexistentem extendit, prius itaque ponit relationem entitatiue & substantialiter, cæteri subsequentes termini positam extendunt de nouo sicuti conclusiones subordinatæ eiusdem scientiæ non multiplicant habitum scientiæ per præexistentem eundem numero extendunt.

Hinc omnes termini simul constituunt vnum terminum adæquatum, ita vt singulis verbi gratia filiis de mortuis pereat tantum relatio secundum quandam extensionem, sicuti dum quis amittet habitum scientiæ circa commotionem scientificam, omnibus vero filiis demortuis perit relatio.

Dices secundo Si primo genitus esset mortuus priusquam secundus ederetur consurgeret noua relatio Ergo. Et priore viuo: quid enim ille impedit qui forte est in India.

Respondeo negando sequelam, ratio patet ex solutione præcedentis argumenti.

Obiicies tertio. Ergo crescente numero filiorum vel terminorum, saltem erit magis pater vel magis simile: quod videtur falsum, quia relatio non admittit magis & minus.

Respondeo negando illatum, quia tantum erit pluribus pater aut pluribus simile, quia augmentum illud est extensiuum. Sicut visio se extendens ad plures homines occurrentes crescit quodammodo extensione non intensione, ita vt dici debeat magis visio.

Obiicies quarto. Relatiua non erunt simul natura & cognitione quia se mutuo non ponent & tollent.

Quod probatur, quia Pater erit prior tempore filio, verbi gratia, secundo, quia primogenitus est causa relationis. Deinde vnico filio & relatiuo mortuo non tollitur Pater.

Respondeo negando. Antecedens ad probationem dico relatiua esse simul natura secundum exigentium terminorum, nam Pater est simul natura & cognitione cum filio primo genito, secundum substantiam relationis, cum cæteris vero secundum extensionem, non poterit autem pater nisi vltimo filio pereunte, quia singulæ eorum valent per se conseruare substantiam relationis, & sic via generationis relatio suo modo producitur à primo filio, via corruptionis ab vltimo conseruatur.

Pari modo cognoscitur Pater cognito vno filio secundum perfectionem essentialem relationis non secundum accidentalem extensiuam.

Obiic. 5. non minus concurrit ratio fundandi ad relationem quam fundamentum, sed cum multiplicatione termuorum multiplicantur rationes fundandi, verbi gratia in patre actus generationis ergo multiplicatur relatio.

Respondeo negando illatum, quia licet ratio fundandi concurrat ad relationem nulla præexistente in fundamento se sola, tamen non est sufficiens sed per accidens impeditur illius effectus, sicuti licet singuli assensus possint inducere nouum habitum, si tamen in potentia sit habitus priorem tantū extendunt.

Ex dictis patet relationes in singulis terminis esse quodammodo partiales, sicuti multi trahentes nauē eadem ac completa relatione

partia-

partiatur fine singulis ordinantur ad effectū eo quod concurrant vt principia partialia in eodem genere causæ idem sit modus concurrendi cum mutua dependentia. Sic enim diuinis personis non multiplicantur relationes propter eundum modum concurrendi sed eodem relatio actiuæ spirationis Patre & Filio quod intellige de relatione fundata in potentia actiua. Alioqui relationes potentiæ passiuæ v.g effectus filiationis multiplicantur numero cum subiectis quæ omnes censentur terminus adæquatus vnius relationis in causa totali. Quod si vero causa totalis constituatur ex duabus partialibus, vt fit in patre & matre mortuo vno parente non perit relatio in filio, quia vterque parens ita est causa totalis, vt tamen singulis seorsim totus tribuatur effectus, quia concurrunt partialiter cum dependentia tantum mutua, & non ita vt singulis singulæ partes respondeant in filio & ideo filius adhuc refertur ad alterum parentem superstitem, cuius vero est filius & à quo simpliciter est productus, licet cum dependentia ab altero, & vno parente mortuo, deficit quidem terminus adæquatus sicuti deficit causa adæquata secundum ordinem dependentiæ non tamen deficit terminus simpliciter.

QVÆSTIO IX.

Vtrum Relationes prædicamentales distinguantur à suo fundamento?

NEgant Nominales & docent relationes esse ipsum fundamentum, per se ipsum aliud respiciens & non per relationem illi superadditam & ex natura rei distinctam. In quam sententiam propendet *Suarez*.

Resp. Relationes distinguuntur à fundamento à parte rei est Diui Thomæ Scoti & communis Philosophorum & Theologorum.

Prob. 1. Relationes prædicamentales continentur sub ente reali quod diuiditur in 10. summa genera, quorum vnum est relatio, ergo relatio est quid reale à parte rei distinctum ab aliis, quia distinctio rationes non sufficit ad distinctionem prædicamentorum, nam alioqui longe plura deberent constitui.

Prob 3. Nullo intellectu operante homo qui genuit est Pater, & is qui genitus est, est filius, similiter album est alteri albo simile, &c. Ergo. Enim his subiectis est forma aliqua realis à qua desumuntur hæ denominationes intrinsecæ.

Prob. 4. Relationes in diuinis sunt reales, ergo & in creaturis. Probatur consequentia, quia omnia attributa Deo & creaturis communia, si enim Deo sunt realia, etiam in creaturis: Patet id inductione de ratione substantiæ, sapientiæ, &c. Confirm. Si Relationes non distinguerentur à fundamento ex natura rei, sed sola ratione nulla esset ratio negandi relationes reales à Deo ad creaturas, quia tantum essent ipse Deus habens creaturas sibi coexistentes; vnde non inferrent realem aliquam compositionem concreti accidentalis. Sed Theologi constanter negant relationes reales in Deo ad creaturas, & quod repugnent simplicitati diuinæ. Confirm. secundo quia alioqui nullæ essent relationes non mutuæ.

Obiic. 1. Relatio aduenit subiecto sine vlla subiecti immutatione. Similiter euanescit sine vlla subiecti mutatione, ergo non est aliquid reale subiecto superadditum, quia reale adueniens necessario mutat: Antecedens probatur: Similitudo aduenit vno v g. Duacensi di perducitur ouum in India & illo sublato tollitur similitudo oui Duacensis, sed ouum indicum non habet vim producendi aliquid reale in subiecto tam remoto neque illi etiam aliquid auferendi ergo.

Resp. Negando Antecedens quia per relationem subiectum se aliter habet quam ante & sic mutatur mutatione communi & lat accepta quæ nihil est aliud quam aliter se habere nunc & prius: de qua intelligendus Aristoteles 11. *Met. c.* 4 vbi dicit tot esse speci mutationis quot entis non oritur autem i subiecto per mutationem propriam & Phy cam de qua Aristoteles 5. *Phy.* vbi negat rel tionem produci per veram mutationem Ph sicam, quæ terminatur per se ad tria tantu prædicamenta quantitatem sc. Relationem vbi, etsi sit substantanea ad substantiam vt generatio. Relatio autem fit sine tali mut tione nec intenditur ab agente per se sed mnino per accidens ad mutationem Phy cam alterius extremi pro quo Nota ex Di Thom. 5. *Phys. t.* 10. productionem relatio

considerari posse dupliciter primo formaliter secundo radicaliter, productio formalis relationis est, quando actui complete posito termino resultat in subiecto, quæ resultantia est productio peculiaris modorum & entium modalium qualis est relatio, cuius origo non meretur nomen veræ productionis neq; mutatio nomen veræ mutationis quia productio & mutatio proprie dicuntur de iis quæ primario & per se intenduntur, & non de iis quæ tantum fiunt per resultantiam aut consequentiam naturalem sed adi productionem aliorum entium realium resiliunt.

Radicalis productio relationis est quando actu producitur id quod est radix & fundamentum & veluti semen relationis futuræ & quod in potentia continet relationes formaliter. Vnde quando extra causas ponitur vnum extremum verbi gratia ouum Duacense tunc ponitur fundamentum & relationis radix scilicet similitudinis siue ponitur relatio radicalis & in oriente.

Quando vero etiam ponitur alterum extremum verbi gratia ouum in India tunc oritur relatio formalis quæ incipit esse non per actionem aliquam Physicam vnius oui in aliud, sed resultat in ouis ad ipsorum productionem, & consecutiue producitur à gallina, quæ edit oua; vnde non est hic actio per se & effectus per se directe impressus qui requirat. Passum propinquum & vim actiuam, pari ratione tenendum de corruptione seu dispositione relationis.

Obiic. secundo. Filius respicit patrem per suam substantiam & naturam suam habet à Patre ergo se ipso & per nihil illi superadditum idem dicendum de albo, &c.

Respon. Filium respicere Patrem per suam substantiam fundamentaliter formaliter vero per relationem substantiæ superadditam & aduenientem sicuti substantia per suam Physicam realem entitatem subsistit fundamentaliter, formaliter per subsistentiam & modum distinctum.

Obiic. tertio. Præcise per intellectum aut etiam realiter diuina potentia omni modo distincto ab entitate reali duorum alborum adhuc erunt illa similia se ipsis ergo modo sunt seipso talia, quorsum enim multiplicamus entia sine necessitate.

Respondeo tali statu erunt similia fundamentaliter. Vnde si intellectus concipiat illa esse formaliter similia tamen erit relatio rationis. Neque difficilis est intelligere illa fore similia fundamentaliter tantum & non formaliter quam substantiam sublata subsistentia nō esse formaliter subsistentem, non enim magis sensibus obuia subsistentia quam relatio.

Petes, An requiratur dependentia aliqua in fieri vnius extremi ab alio vt relatio censeatur realis, verbi gratia an calidum per calorem sit simile cuiuis calido an verò calido à se producto.

Respondeo Hanc dependentiam tantum requiri in relationibus fundatis in actione & passione in aliis frustra requiritur. Vnde calidum relatione reali similitudinis refertur ad quoduis calidum insuper autem relatione calidi ad calidum à se productum, alioqui dicendum esset solas relationes fundatas in actione esse reales cum tamen idem sit iudicium de omnibus, neque illi qui hanc dependentiam requirunt euadunt incommoda verbi gratia multitudinem illam Relationem quæ alioqui admittenda est in quouis subiecto quia saltem sol pro varietate effectuum in hisce sublunaribus acquiret & amittet singulis momentis plurimas relationes & modos reales: quare non est, quod vereamur multiplicationem eiusmodi relationum quæ nihil grauant: sunt enim omnes inclusę in vna simplici finita entitate.

Ex dictis infertur, relationem distingui à fundamento modaliter siue vt modi à re, qui modus est res prædicamentalis in suis speciebus composita ex genere & differentia. Div. Thom. autem docet illas realiter distingui à fundamento per distinctionem realem intelligit actualem siue ex natura rei, & excludit distinctionem rationis.

**
*

S DISPV-

DISPVTATIO NONA.

De reliquis sex Prædicamentis.

QVÆSTIO I.

Quæ sit natura horum prædicamentorum?

Scotus *in 3. dist.1.q.1.* & *alibi* docet esse relationes extrinsecus aduenientes, quas distinguit à prædicamentalibus, vtpote quæ adueniant intrinsecus.

Fonseca *5. Met. cap. 15. qu. 7. sect. 3.* & alii volunt esse denominationes extrinsecas subiecti.

Resp. sex vltima prædicamenta sunt modi intrinseci absoluti resultantes in subiecto ex adiacentia alicuius extrinseci est multorum recentiorum sententia.

Probatur secundo impugnatione aliarum sententiarum. Si hæc prædicamenta essent relationes extrinsecus aduenientes, constituerent vnum prædicamentum tantum, sicut relationes aduenientes intrinsecus vnico comprehenduntur prædicamento, & sic tantum 5. essent prædicamenta: Deinde hæ relationes non essent minus intrinseca qua prædicamẽtales, ergo ab iis non distinguerentur prædicamento. Antecedens probatur, Quia ideo vocantur extrinsecæ à Scoto, quia resultat ex coniunctione rerum extrinsecarum, ver. gr ex coniunctione loci cum locato resultat vbi: sed idem est in relationibus intrinsecis: ideo enim resultat relatio similitudinis in albo, quia datur aliud album illi coexistens & coextrinsecum. Confirm. Essentia relationis prædicamentalis est esse ordinem ad terminum: sed tales sunt hæ relationes Scoti, quia ab extrinseco vel intrinseco principio oriri non mutat essentiam huius ordinis ergo non constituerent diuersa prædicamenta. Confirm. secundo. Quia saltem vbi non potest esse relatio, quia est terminus motus aut mutationis per se sed tantum consecutiue.

Ex secunda sententia sequitur hæc prædicamenta non distingui inter se essentialiter à parte rei sed sola ratione, immo non esse prædicamenta eorum quorum sunt denominationes extrinsecæ.

Obiic. D. Thom. aliquot locis à Fonseca citatis appellat hæc prædicamenta formas extrinsecas.

Resp. Subiectum horum modorum dupliciter posse denominari primo intrinsece à modo illo absoluto intrinseco; secundo extrinsece à corpore adiacente, & quia modus ille intrinsecus minus est euidens quam extrinsecum adiacens, hinc solent sæpe vocari hæc prædicamenta denominationes extrinsecæ; quod dum fit, non negatur ab authoribus esse in subiecto modos intrinsecos, à quibus intrinsece possit denominari.

Declaratur conclusio in singulis: pro actione Nota illam dupliciter posse considerari, primo Physice, secundo Metaphysice; si spectetur Physice nihil est aliud quã forma fluens ab agente & sic est in passo & hoc modo consideratur ab Aristotele tertio Physicorum c. 3. & alibi vbi dicit actionem esse in passo: si actio spectetur Metaphysice est modus realis absolutus resultans ab agente ex adiacentia formę productæ in passo à quo agens intrinsece denominatur agens, & sic constituit prædicamentum actionis. Neq; hinc sequitur omnes actiones fore immanẽtes, quia actiones trãseuntes Physice spectatæ non sunt in agente.

Passio est modus absolutus resultans in passo ex adiacentia agentis formam producentis à quo subiectum dicitur pati.

Vbi est modus intrinsecus absolutus resultans in corpore quanto ex adiacentia corporis ambientis, à quo denominatur res esse hic vel alibi quia determinat illam ad certam spacii partem.

Quando est modus absolutus resultans in re subiecta tempori, quod illi quodammodo adiacet à quo denominatur res esse hodie, fuisse heri.

Situs est modus resultans in partibus situalis corporis, quanti ex adiacẽtia partium loci

Habere

Habere est modus resultans in corpore ex accommodatione & adiacentia alicuius rei habitæ. Vt vestimenti armorum. Qui modus licet difficulter explicatur, eiusdem tamen est rationis cum cæteris. Hinc Aristoteles 5. *Met. cap.* 20. docet, sicut inter causam & effectum est aliquid medium, scil. actio: ita inter vestem & hominem vestitum esse aliquid medium sc. actum habendi seu habitionem, & addit hunc actum non haberi alio habitu, ne in infinitum procedatur, sed haberi se ipso. Hoc enim proprium est modorum omnium qui se ipsis vniuntur subiectis quare licet vestes nihil reale imprimant homini à quo denominetur vestitus, dum tamen veste induitur, resultat in illo modus actualis cuiusdam adaptationis, sicuti dum homo sese accommodat loco sedendo vel stando, resultat in ipso situs.

Hæc vero breuius hic dicuntur, quia continent fere, difficultates in Physicas examinandas.

Disputationum in Categorias Aristotelis

FINIS.

COMMENTARIVS IN LIBRVM ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ ARISTOTELIS.

Explicata in Categoriis rerum ac vocum simplicium natura, quantum Logico sufficit, alteram Logicæ partem prosequitur, Aristoteles hoc libro quem de interpretatione inscripsit. Interpretatio idem est, quod explicatio aut declaratio. Dicitur igitur hoc opus de interpretatione, quia agit de enuntiatione, & secunda operatione intellectus, quatenus voce ac verbis exprimitur & declaratur.

Obiectum formale est secunda operatio intellectus, & dirigibiles per habitum docentem regulas formandi enuntiationes.

Conditio cum qua consideratur, est verbis declarari, quia cum hac conditione nobis est notior. Vnde quæ in decursu huius operis orationi est enuntiationi vocali tribuuntur, etiam conueniunt suo modo mentali. Nomen & verbum sunt materia enuntiationis, oratio est genus; affirmatio & negatio sunt species; oppositio veritas & falsitas sunt passiones.

CAPVT I.

Tres hoc caput assignat hypotheses, prima quæ sunt in voce notionum, animæ sunt notæ, & ea quæ scribuntur eorum quæ sunt in voce. Sensus est. Voces humanæ ex instituto significantes sunt signa conceptuum, intellectus & scripturæ sunt signa vocum. Excluduntur hic voces inarticulatæ materialiter significantes, vt gemitus, latratus, rugitus: Secundo voces articulatæ psitacorum, vel picarum, quia non significant conceptus proferentes.

Nota hic signum in genere esse rem, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus aliquid aliud facit, in cognitionem venire. Ita definit D. Augustinus: Signum reale quod habet vim significandi aliquid à natura, vt fumus est signum naturale ignis latentis, gemitus signum doloris &c. Signum ex instituto, siue voluntarium est, quod habet vim significandi ab in-

ab institutione aut deputatione hominum, vt hedra, scopæ, stramen, significant vinum, ceruisiam aut rem aliam esse venalem, sonus campanæ signum ientaculi, aut lectionis inchoandæ, aut fiendi celebritatis, instantis, nũdinarum, supplicii. Huiusmodi etiam sunt voces articulatæ.

Ex hypothesi colligitur voces immediate significare conceptus intellectus, licet principaliter ex intentione proferentis significent res conceptus, similiter scripturæ immediate significant voces. Nam quia vocem mittere non possumus ad posteros, aut locum dissitum substituimus scripturam, licet principaliter etiam significent conceptus & res.

Secunda hypothesis, vt non omnibus eædem sunt literæ, sic nec eædem voces, quarum vero primum notæ sunt, eædem omnibus notiones animi & quarum hæ similitudines, res etiam eædem. Sensus est sicut non omnes nationes easdem habent literas, sic nec easdem voces, habent tamen eosdem conceptus, & easdem res significatas Ratio est euidens, qua res naturales non pendent ab arbitrio aut voluntate hominum, vti nec conceptus, qui sunt naturales imagines rerum, literæ autem & voces pendent ab hominum voluntate. Hinc apud varias nationes sunt variæ, vt quod homo est Latinis Græcis est ἄνθρωπος Flandris man vel mens.

Tertia Hypoth. Vt in anima interdum notio est expers veri aut falsi, interdum vt cui necesse est alterum necesse, sic & in voce. Sensus est sicut quidam conceptus rei simplicis non sunt veri aut falsi, ita aliquæ voces non significant verum aut falsum, vt dictiones singulæ seorsum & sicut aliqui conceptus sunt veri aut falsi, scilicet iudicia vel enuntiationes mentales, ita etiam voces seu enuntiationes vocales.

CAPVT II.

De Nomine.

DEfinit nomen his verbis.

Nomen est vox ex instituto significans sine tempore, cuius nulla pars significat separata per vocem scilicet articulatam hominis, excluduntur primo voces Brutorum & hominis naturaliter significantes. Secundo excluduntur signa & pronomina, vt omnis nullus &c. quæ sola non significant sed tantum consignificant, dum significationem nominis varie limitant. tertio casus obliqui nominum, quia non habent vim significandi nisi cum aliis nominibus à quibus reguntur.

Additur significans sine tempore vt excludantur verba & participia quæ significant cum tempore, id est, connotant certam temporis differentiam, scilicet præsens præteritum aut futurum: Nomen autem non connotat secundario aliquam temporis differentiam. Dico secundario quia voces significantes ipsum tempus vt hora, dies, tempus significant tempus primario & sine differentia.

Cuius nulla pars significat separata excluditur oratio cuius partes significant separata, vt homo est albus. Si quis obiiciat partes huius vocis compositæ (respublica) aut etiam simplicis, verbi gratia, dominus separata significaret. Respondet Aristoteles illas seorsim non habere eandem significationem, quam habent in voce cuius sunt partes, partes autem orationis seorsim idem significant quod in ratione.

Excludit etiam Aristoteles nomina infinita vt non homo, quia non significant aliquid certi & determinati, sed in confuso quicquid non est homo. Nomen autem debet inducere in cognitionem rei certæ cuius est signum ex instituto, definit nomen infinitum quod æque in re quauis dicitur quæ est, & non est, id est, quod potest prædicari de omni re tam existente quam non existente vera, ficta, possibili, impossibili, præterquam de illa cui inest forma negata, per nomen cui negatio est præfixa vt non homo prædicari potest de omni re imaginabili præterquam de homine, nam quicquid est distinctum ab homine est non homo, etiam chymera est non homo.

Nota si res vel forma negata per particulam non infinitantem ita late pateat, vt sese extendat ad omne ens, huiusmodi sunt transcendentia, ens, verum, bonum. Hinc nomen infinitum tantum prædicabitur de eo, quod non est, verbi gratia, non ens tantum dici potest de chymera & similibus fictitiis aut possibilibus tantum. Econtra vero si nomen cui præfigitur particula non infinitans tantum, significet non ens, tunc nomen infinitum tantum.

tantum poterit dici de eo quod est, vt non chymera tantum dici potest de ente, & huiusmodi nomina infinita in rigore non comprehenduntur definitione nominis infiniti ab Aristotele allata. Vnde si quis persistat in definitione Aristotelis, dicit nomina transcendentia non posse infinitari, si vero per nomen infinitum quis intelligat id quod habet modum negandi peculiarem scilicet connotando & ponendo aliud, dicet nomina transcendentia posse esse infinita vbi.

Nota particulam negantem non 3. modis posse addi nomini aliquid significanti, primo vt ita neget formam, & connotet subiectum formæ negatæ, vt in hac propositione, homo est non videns, particula non negat hic visum, & connotat oculum, qui subiectum cæcitatis, seu priuationis visus, & hæc negatio dicitur priuatiua; secundo ita vt neget simpliciter nominis significationem, cui præponitur nihil connotando, vt hic homo non est lapis, talis negatio dicitur negatiua. Tertio ita vt neget formam significatam per nomen, & supponat pro omni alia re in confuso & indeterminate, vti hac propositione homo est non lapis, & hæc negatio dicitur infinitans, & multum distinguitur à negatione negante, quia alius est sensus huius propositionis, homo non est brutum, in priori siquidem propositione nihil affirmatur de homine, sed simpliciter aliquid negatur, in posteriori vero affirmatur, quod indeterminate significatur per non brutum, quicquid scilicet affirmari potest cum negatione bruti, verbi gratia, esse substantiam, esse corpus viuens. &c.

Ex dictis colligitur completa nominis descriptio scilicet vox ex instituto significans sine tempore, cuius nulla pars significat separata finita, & recta, vox in hac descriptione ponitur loco generis, vt est quid commune, significans sonum procedentem ore animalis, & sic est quid vniuersalius nomine alioqui vt significat seipsam, siue singularem hunc sonum qui editur, quando pronunciatur hoc monasyllabum vox cum sua significatione, sic est quid inferius nomine. & couenit illi descriptio nominis.

**
*

CAPVT III.

De Verbo.

Definit verbum hoc modo, verbum est quod tempus adsignificat, cuius nulla pars significat separata, ac semper est eorum quæ de altero dicuntur: nota, verbi gratia, curro, scribo, præter cursum & scriptionem quæ primario significant, adsignificant etiam, id est, secundario significat differentiam temporis scilicet præsentis quo cursus vel scriptio exercetur, hora, dies, annus non adsignificant tempus, sed primario significant (& semper est nota) & id est, semper significant coniunctionem præteriti cum subiecto, & quidem si sit verbum adiectiuum significat ipsum præteritum, & simul coniunctioni præteriti cum subiecto, vt Petrus currit, idem est ac si dicas, Petrus est currens, si verbum sit substantiuum vt sum existo significat præteritum, & est ipsa copula, vt homo est, quod resolui potest hoc modo, homo est existens. A definitione verbi excludit verba infinita, vt non currit, non ægrotat, sicut de nominibus infinitis superius dictum est.

CAPVT IV.

De Oratione.

Explicatis orationis partibus, naturæ ordine progreditur ad orationem, quam sic definit.

Oratio est vox significatiua cuius aliqua pars significat separata, vt dictio non vt affirmatio vt homo currit, vbi.

Nota primo non necessario omnes partes orationis separatas significare, vt dictiones, id est, vt verba aut nomina simplicia, sed sufficere, vt aliquæ partes separatæ significent, hinc omnis homo est animal, est oratio, licet omnis sit signum & non significent seorsim vt signum Secundo, In orationibus compositis, verbi gratia, Iohannes est homo, & Petrus est Philosophus, proximæ partes significant vt affirmatio Vnde definitio tantum negat requiri ad rationem orationis, vt pars orationis sit affirmatio, sed sufficere vt sit dictio ac proinde etiam esse orationem duarum dictionum.

Subiungit duas diuisiones orationis prima est, Oratio alia est perfecta, alia imperfecta.

Perfecta est, quæ generat perfectum sensum in animo audientis, vt homo est animal, imperfecta quæ non generat plenum sensum, vt homo animal. Secunda diuisione subdiuiditur oratio perfecta in enuntiatiuam, & non enuntiatiuam. Enuntiatiua est in qua verum est aut falsum, vt homo currit. Non enuntiatiua est, in qua non est verum vel falsum. Huius 4. sunt species scilicet vocatiua, imperatiua, optatiua, interrogatiua: siue enim homo veniat, qui vocatur, vel obediat cui aliquid præcipitur, siue non semper est oratio.

Quatuor deinde alias, deinde significat diuisiones, prima, oratio alia est vera, alia falsa vera dicitur, quæ est conformis obiecto & quæ enuntiat, rem esse sicuti est. Falsa dicitur quæ est deformis suo obiecto, siue rei significatæ, & quæ enuntiat rem aliter quam est.

Secunda diuisio. Oratio alia est affirmatiua, alia negatiua. Affirmatiua est, quæ affirmat aliquid de aliquo. Negatiua quæ negat aliquid de aliquo scilicet remouendo, præteritum à subiecto, quod fit quando in propositione particula negans cadit super copulam principalem, quæ se habet ex parte præteriti. Nam si cadat super copulam minus principalem, quæ se habet ex parte subiecti, propositio non erit negatiua, sed affirmatiua, vt in hoc exemplo: Aristoteles qui non est beatus, est Philosophus, prius illud est, ante beatus dicitur minus principalis, quia integrat tantum, alterum propositionis extremum, scilicet subiectum, quod hic est Aristoteles qui non est beatus.

Tertia. Oratio alia est vna, alia plures. Enuntiatio vna est quæ vnum significat, vel quæ coniunctione est vna: significatione vna est quæ vnum, id est, rem vnius naturæ de vno significat, vt homo est animal coniunctione, vna est cuius partes aliqua coniunctione copulantur, siue sit vna propositio, vt equus & leo sunt animalia, equus est animal, & corpus vbi subiectum aut prædicatum, constat pluribus partibus copulatis, siue sint plures propositiones, vt equus est animal, & leo est substantia, vbi duo sunt subiecta, & duo prædicata. Enuntiatio plures est, quæ multa significat, vel inconiunctæ, sic duplex etiam est enuntiatio plures: Primo significatione qualis est amphibologica, vt virgo mouetur: Nam de homine & signo cœlesti potest intelligi. Secunda defectu coniunctionis copulantis, vt equus est animal, leo est substantia, vbi sunt plures enuntiationes. Quod si plura subiecta, vel prædicata illam inter se habeant connexionem, vt non indigeant coniunctione, eo quod naturaliter se mutuo afficiant, cuiusmodi sunt nomina substantiua, & adiectiua adiectiue sumpta, tunc non sunt plures enuntiationes sed vna, quia non est defectus coniunctionis, vbi non requiritur, vt hic Aristoteles Philosophus est homo dictus.

Quarta diuisio. Enuntiatio alia est Categorica siue simplex, alia hypothetica, seu composita, enuntiatio categorica est, quæ significat de aliqua, quod sit, vel non sit, id est, est oratio affirmatiua, vel negatiua, constans vno subiecto, & vno prædicato, vt homo est animal, homo non est lapis. Hypothetica est quæ constat ex simplicibus combinatis inter se particula aliqua copulatiua, disiunctiua, conditionali, vel causali &c. vt si sol ortus est, dies est, vel dies est, vel nox est, equus non est rationalis, quia non est homo. His addi solent aliæ diuisiones scil. in absolutam, siue de inesse quæ tribuit præteritum subiecto absolute nullo addito modo, vt homo est animal. Et in modalem quæ modum adsignificat, vt necesse est, hominem esse animal, secundo ratione quantitatis, siue variæ extensionis subiecti pro iis, pro quibus supponitur, diuiditur in vniuersalem particularem indefinitam & singularem, de quibus vide dicta *l. 1. priorum.* Tertio. Ratione qualitatis diuiditur in affirmatiuam & negatiuam veram ac falsam supra explicatis. Quarto. Ratione materiæ diuiditur in necessariam contingentem, & impossibilem. Necessaria est, quæ constat terminis habentibus inter se necessariam connexionem, vt sunt propositiones in quibus superiora prædicantur de inferioribus, vt homo est animal, contingens est, cuius termini contingenter inter se coniunguntur, vt Petrus est Musicus. Impossibilis est, cuius termini omnino contingi non possunt, vt homo est lapis. Denique alia est finita, quæ constat terminis finitis: vt homo est animal. Alia infinita quæ constat altero, vel vtroque tantum infinito, vt homo est non lapis.

CAPVT

CAPVT V.

De oppositione enuntiationum.

PRobat initio capitis omni affirmationi posse dari oppositam negationem & econtra. Quia quadrupliciter fit enuntiatio, quod est non esse vt homo est arbor. Tertio quod est esse vt homo est animal. Quarto quod non est non esse, vt homo non est lapis. Enunciare esse significat affirmare. Enunciare non esse significat negare. Primus modus continet enuntiationes negatiuas falsas: Secundus affirmatiuas falsas, tertius affirmatiuas veras, quartus negatiuas veras.

Oppositæ negationes sunt Affirmatio & Negatio eiusdem, de eodem non ambiguæ, id idem secundum. Idem similiter & in eodem tempore, pleræque huius descriptionis particulæ pendent, ex explicatione Elenchi. Excluduntur primo enuntiationes subalternæ, de quibus paulo post, quia affirmatio & negatio, secundo sub contrariæ, quia non sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem, saltem determinato, & secundum rem licet, secundum vocem sint de eodem, vt aliquis homo est Logicus, aliquis homo non est Logicus, tertio excluduntur enuntiationes amphibologicæ, in quibus termini possunt varie accipi, item illæ in quibus mutatur suppositio locis, vt omnia elementa sunt quatuor, si vox elementa sumatur copulatim pro omnibus simul sumptis, non opponitur huic, nulla elementa sunt quatuor, vbi elementa accipitur distributiue, vt sensus sit nullum elementum seorsim, per se est quatuor, quia vtraque est vera. Idem est de aliis, in quibus simplex acceptio mutatur in personalem formalis in materialem &c. aut econtra.

Enuntiationum aliæ sunt contrariæ, aliæ contradictoriæ, aliæ subcontrariæ, aliæ subalternæ.

Contraria sunt quarum vna enuntiat de vniuersali, quod sit & altera, quod non sit, id est, sunt vniuersalis affirmatio & negatio eiusdem de eodem, vt omnis homo est animal, nullus homo est animal. Pro his assignatur hæc lex: contrariæ non possunt simul esse veræ. Ratio est quia alioqui contradictoriæ possent essent simul veræ, quod repugnat, declaratur exemplo si, verbi gratia, istæ duæ omnis homo est animal, & nullus homo est animal essent veræ, etiam hæ duæ essent veræ omnis homo est animal, & aliquis homo non est animal, nam ex vniuersali negatiua vera nullus homo est, animal potest inferri particularis negans, aliquis homo non est animal. Possunt tamen simul esse falsæ, in materia contingenti, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus. Hinc enim non sequitur, idem incommodum quia ex falsitate propositionis vniuersalis, non recte infertur falsitas particularis, verbi gratia, ex hac falsa omnis homo est iustus, non sequitur hanc esse falsam, aliquis homo est iustus, ratio est quia prædicatum contingens potest conuenire vni ex inferioribus subiecti, licet non omnibus. Dixi in materiali contingenti, quia in necessaria vel impossibili non possunt simul esse falsæ, quia in his prædicatum necessario conuenit omnibus inferioribus aut nulli.

Contradictoriæ sunt affirmatio & negatio oppositæ, quarum vna enuntiat omnes in altera non vniuersim, id est, sunt affirmatio vniuersalis cum negatione particulari, vel negatio vniuersalis cum affirmatione particulari, vt omnis homo est animal, aliquis homo non est animal, vel nullus homo est lapis, aliquis homo est lapis. Affirmatio & negatio de subiecto singulari, sunt etiam contradictoriæ, vt Iohannes scribit, Iohannes non scribit. Lex contradictoriarum est: Non possunt simul veræ esse, aut simul falsæ, sed semper vna est vera, altera falsa.

Quod probatur principio lumine naturæ, nota impossibile est, simul idem esse & non esse, quare etiam impossibile idem vere affirmari & negari de altero, sed vna contradictio negat, quod altera affirmat, ergo si vna vere negat, altera falso affirmat, vel si altera vere affirmat, prior falso negat.

Sub contrariæ sunt affirmatio & negatio in quibus non vniuersum enuntiatur de vno quod sit vel non sit, id est, sunt duæ propositiones particulares de subiecto communi, vt aliquis homo est Logicus, aliquis homo nō est Logicus. Lex subcontrariorum est, possunt subcontrariæ simul esse veræ, in materia contingenti, patet in exēplis allatis, ratio est quia.

quia idem prædicatum non affirmatur & negatur de eodem subiecto determinato. Non possunt tamen simul esse falsæ, ratio est quia alioqui sequeretur contradictorias simul esse falsas, nam ex falsitate propositionis particularis recte infertur falsitas vniuersalis, verbi gratia, si hæc sit falsa aliquis homo est Logicus, quia si prædicatum remouetur ab aliquo inferiori subiecti non conuenit illi subiecto vniuersaliter, sumpto ergo ex his duabus sub contrariis, aliquis homo est Logicus, aliquis homo non est Logicus, inferrentur hæ contradictoriæ simul falsa, omnis homo est Logicus, & aliquis homo non est Logicus.

Subalternæ sunt propositiones vniuersalis & particularis eiusdem qualitatis, vt vniuersalis affirmatiua, cum particulari affirmatiua, omnis homo est animal, aliquis homo est animal, vel vniuersalis negatiua cum particulari negatiua, nullus homo est lapis, aliquis homo non est lapis. Lex subalternatum est, si vniuersalis sit vera particularis, etiam erit vera non tamen è conuerso. Ratio est quia ex vniuersali vera potest inferri particularis, ex particulari vera non potest inferri vniuersalis, quia si prædicatum, conuenit omnibus inferioribus subiecti, conuenit etiam alicui ex inferioribus, non tamen contra, si alicui non omnibus. Deinde si particularis sit falsa, etiam vniuersalis erit falsa, non tamen è conuerso. Ratio est quia si prædicatum remouetur ab aliquo ex inferioribus non conuenit omnibus, non tamen si remouetur ab omnibus simul sumptis, ideo remouetur ab aliquo determinato exempla sunt clara.

Determinationes harum enunciationum vniuersaliter desumptæ, ex situ quem habent in schemate quo proponi solent, quod est tale.

De propositionibus æquipollentibus.

PRopositiones æquipollentes sunt quæ constant eodem subiecto & prædicato & solis signis, atque negationibus ita differunt, vt idem valeant. Ad dignoscendam æquipollentiam assignantur. 3. regulæ quæ continentur hoc versu.

Præ contradic. Post contra præ postque sub alter præ contradic significat primam regulam scilicet. Quod Negatio præposita subiecto propositionis & illius signo faciat illam æquipollentem suæ contradictoriæ, vt hæc, omnis homo est iustus, sit æquipollens huic, aliquis homo non est iustus, si præponas non & dicas, non omnis homo est iustus. Et si huic propositioni aliquis homo non est iustus præponas non dicendo, non aliquis homo non est iustus æquipollebit suæ contradictoriæ quæ est, omnis homo est iustus.

Post contra continet secundam regulam scilicet quod Negatio post posita subiecti vniuersalis facit illam æquipollentem suæ contrariæ scilicet omnis homo est animal, sit æquipollens huic, nullus homo est animal si post pono interferas negationem dicendo omnis homo non est animal, idem enim est ac si dicas nullus homo est animal.

Præ postque sub alter significant quod Negatio præposita & postposita subiecto enuntiationis faciat illam æquipollere subalternæ, vt omnis homo est albus, sit æquipollens huic, aliquis homo est albus.

CAPVT VI.

HOc capite videtur docere propositiones contradictorias de futuro contingenti in quibus scilicet enuntiatur aliquis effectus contingens futurus, non esse determinate veras, aut determinate falsas, sed indeterminate veras vel falsas, de quo in disp. 10. post.

CAPVT VII.

HOc capite à quo Latini incipiunt *l. 2.* explicat quomodo multiplicentur & opponantur proprios habentes terminos finitos, & quomodo in iis valeat consequentia. Ostendit id primo in propositione de verbo est, secundo adiacente sine signo vt homo est, homo non est, quæ propositiones sunt finitæ, non homo est, non homo non est, quæ sunt infinitæ, quia constat subiecto infinito. Idem ostendit in propositionibus de verbo est, secundo adiacente cum signo, vt omnis homo est &c. & de verbo, est tertio adiacente sine signo, & cum signo vt homo est iustus &c. omnis homo est iustus &c. quæ satis clara sunt in textu.

Docet secundo in propositione vniuersali de subiecto infinito negationem infinitam

esse præponendam ipsi subiecto, & post ponendam signo, v.g. dicendum esse, omnis non homo est iustus &c. Ratio est quia signum non significat rem, quæ debet affici negatione infinitanter, sed tantum significat rem illam sumi pro omnibus inferioribus.

Docet tertio, propositiones de verbo est secundo adiacente, vt homo est & de verbo adiectiuo, vt homo currit posse etiam ex parte prædicati infinitari, resoluendo scilicet prędicatum in verbum est, & participium inclusum & præponendo negationem infinitantem hoc modo homo est, homo est non existens, homo currit, homo non est currens.

Docet quarto, inter responsionem factam ad interrogationem vniuersalem, & ad singularem hoc esse discrimen, quod ex responsione ad singularem possint referri duæ propositiones, vna negans, altera affirmans, infinita ex parte prædicati, hoc modo si interroganti estne Aristoteles Philosophus, respondeas non potest inferri primo, ergo Aristoteles non est Philosophus; secundo Aristoteles est non Philosophus. Ex responsione ad vniuersale tantum potest inferri vna proposito. Si enim interroganti est ne omnis homo iustus respondeas, non potest inferri, ergo non omnis homo est iustus: non autem potest inferri, ergo omnis homo est non iustus, quod est falsum, æquiualet enim huic, nullus homo est iustus, quæ est propositio contraria primæ illi vniuersali affirmatiuæ, ex cuius negatione non potest inferri vniuersalis negans.

Docet quinto. Nomina & verba transposita, in oratione & mutata quoad situm tantum & materialiter nomen significare & non variare propositionem, verbi gratia, hæ censentur eædem Iohannes est homo iustus, & Iohannes est iustus homo: aliud est si transponantur formaliter secundum subiectionem & prædicationem, tunc enim censentur duæ propositiones, vt Iohannes est iustus, iustus est Iohannes.

Docet sexto, duas regulas consequentiarum ex propositionibus finitis ad infinitas, & contra ex infinitis ad finitas. Prior est. Ab affirmatiua finita patet consequentia ad negatiuam infinitam & è contra: vt homo est iustus, ergo homo non est non iustus, & homo non est non iustus, ergo homo est iustus.

Posterior regula est à Negatiua finita valet consequentia ad affirmatiuam infinitam & econtra, vt Iohannes non est iustus, ergo Iohannes est non iustus &c.

CAPVT VIII.

Docet duabus regulis quando liceat coniungere prædicata plurium enuntiationum de eodem subiecto.

Prima est quæ sibi mutuo & subiecto accidunt non possunt coniungi, scilicet vt fiant prædicatum vnius naturæ. Hinc non sequitur Iohannes est magnus, Iohannes est Philosophus, ergo est magnus Philosophus, quia magnitudo & Philosophia accidunt Iohanni & sibi mutuo. Non enim in eodem semper sunt subiecto Philosophia & magnitudo.

Secunda illa prædicata non coniunguntur in vnum, quorum posterius actu continetur in priori. Hinc non recte dicitur, Petrus est homo, Petrus est animal, quia animal actu continetur in homine. Ratio est quia sic committeretur nugatio. Ad vitandam tamen æquiuocationem, subinde hoc fieri potest, vt Italia non vidit lupum, piscem. Si autem prædicatum prius contineatur in posteriori, vel si posterius sola potentia contineatur in priori, vt differentiæ diuisiuæ in genere poterunt coniungi sine nugatione, vt Petrus est animal homo, & homo est animal rationale.

Duabus aliis Regulis ostendit quæ prædicatæ coniuncta non possint diuidi. Prima est. Prædicata composita ex partibus quæ seorsim sumptæ repugnant non possunt diuidi, verbi gratia, cadauer est homo mortuus, non licet hoc prædicatum, prædicatũ diuidere & inferre, ergo cadauer est homo, & cadauer est mortuũ, imago est homo pictus, ergo est homo &c. Ratio est quia partes prædicati separatim habent propriam suam significationem à qua in coniunctione alienantur, ita vt, possint coniunctæ tribui subiectis quibus in propria significatione non possunt tribui. Hæc regula etiam locum habet quando termini distrahuntur aut diminuuntur, vt Antichristus est in potentia non sequitur, ergo est, æthiops est albus secundum dentes, non sequitur, ergo est albus,

Secunda attributa quorum alterum inest, subiecto ratione alterius non possunt diuidi,

vt non sequitur Iohannes est bonus Philosophus, ergo est bonus, quia bonitas non dicitur per se de Iohanne, sed tantum prout est affectio Philosophiæ, cuius significat peritiam, similiter non sequitur Aristoteles est Philosophus, ergo Aristoteles est, quia (est) non dicitur per se de Aristotele, quasi Aristoteles existat, sed tantum dicitur ratione Philosophiæ, cuius significat connexionem cum Aristotele. Hæc regula procedit de attributis quæ coniuncta aliam habent significationem quam diuisa, vt patet in exemplis allatis, non autem quando est eadem, significatio est modus significandi, siue coniunctim, siue diuisim sumantur: vnde sequitur, Petrus est albus, similis ergo Petrus est albus, & Petrus est similis, licet similitudo insit Petro ratione albedinis. Quare vt regula sit vniuersalis, sic debet restringi. A coniunctis ad diuisa argumentari non licet, quando in diuisione anotatur acceptio vocum vel appellatio, si non mutetur, licet. Reliqua sunt facilia in textu.

CAPVT IX.

De propositionibus Modalibus.

PRopositiones modales dicuntur, quæ enuntiant prædicatum inesse subiecto, certo aliquo modo qui modi sunt 4. Necessarium impossibile contingens, possibile. Ex quibus quadruplices fiunt propositiones modales, vt necessarium est hominum esse animal. Impossibile est, hominem esse equum, contingens est hominem esse doctum, possibile est hominem esse iustum. Hi modi determinant materiam enuntiationis. Possent etiam assignari alii modi significantes habitudinem prædicamenti ad subiectum, vel absolute simpliciter ex suppositione. Sed hi nihil habent peculiare à prædictis, vnde ab Aristotele omittuntur.

Nota primo modum dupliciter posse addi enuntiationi, primo per nomen, vt hominem esse album est necessarium, secundo per aduerbium, vt homo est necessario animal, in quibus hoc est discrimen quod in modalibus, de aduerbio modus tantum fit affectio copulæ est, in modalibus vero de nomine modus est prædicamentum, vt patet in exemplo. Deinde in modalibus, de aduerbio est, tantum vnum subiectum, & vnum prædicatum, in modalibus vero de nomine duplex est subiectum & prædicatum: habent enim huiusmodi propositiones duas partes principales, quarum vna vocatur dictum, vt in exemplo allato est hominem esse animal: altera pars est ipse modus scilicet necessarium, prior pars siue dictum est subiectum principale, enuntiationis modus est principale prædicatum. Dictum vero etiam habet subiectum & prædicatum, vt in exemplo sunt, homo & animal, sed hæc dicuntur minus principalia quo fit vt affirmatio vel negatio, veritas vel falsitas in propositionibus modalibus de nomine accipi debent, ex modo affirmato vel negato veræ vel falsæ. Ita scilicet vt illa sit enuntiatio affirmatiua, in qua modus affirmatur, illa negatiua, in qua modus negatur, nulla habita ratione dicti. Hinc hominem esse equum, nō est necessarium.

Nota licet modus sit prædicatum, & proinde postponi deberet, ex vsu tamen loquendi communiter in enuntiatione præponitur, vt necessarium est, hominem esse animal.

Nota secundo, eadem esse genera propositionum in his propositionibus modalibus quæ in absolutis. Modi necesse & impossibile sunt modi vniuersales, & contrarii respondentes his signis vniuersalibus, omnis & nullus, contingens & possibile, sunt modi particulares & contrarii, ex quibus fiunt variæ oppositiones, sicut cap. 5. ostendimus de absolutis. Fiunt etiam modales æquipollentes seruata regula assignata pro absolutis quæ videri possunt in textu c. 9 & 10. quæ plus habet molestiæ quam vtilitatis.

Quæritur an affirmationi magis opponatur negatio eiusdem prædicati, an vero affirmatio eiusdem prædicati: Respondet magis opponi affirmationem eiusdem prædicati, verbi gratia, huic propositioni Iohannes est Iustus, magis opponitur hæc, Iohannes non est Iustus, in qua negatur prius prædicatum quam hæc, Iohannes est iniustus, in qua affirmatur contrarium. Ratio est quia affirmatio & negatio eiusdem contrariantur per se.

DISP

DISPVTATIO X. LOGICA.

RESPONDENS LIBRIS DE INTERPRETATIONE ARISTOTELIS.

QVÆSTIO est de vocibus articulatis, quæ ab homine proferuntur ad aliquid significandum, aliæ enim voces inarticulatæ tum hominis, tum cæterorum animalium naturaliter significant.

Respon. primo: Voces sunt signa naturalia, proferentis, quem repræsentant, quia sunt illius effectus, sic voces articulatæ, indicant hominem, sicut mugitus bouem, rugitus leonem.

Respon. secundo: Voces omnes articulatæ non habent ex natura, quod significent res, aut rerum conceptus, sed tantum ex instituto. Est omnium communis, contra quosdam Platonicos. Probatur, quia alioqui ab omnibus omnes linguæ intelligerentur, sicuti alia signa, quæ naturaliter significant, & eædem voces apud omnes idem significarent, sicuti omnibus eadem est natura, quod tamen est aperte falsum. Deinde signum naturale significat tantum rem aliquam, determinatam, eadem vox sæpe significat multa, imo etiam opposita, maxime apud Hebræos. Confirmatur primo: Signum naturale non patitur mutationem, ex vsu, vel consuetudine, sed est independens ab hominum voluntate. Voces autem indies mutantur. Confirm. secundo, quia alioquin quia natiuitate sunt surdi, loqui possent, etiamsi nullum loquentem audiuissent: si à natura voces nobis inessent, vt signa naturalia rerum significandarum.

Ob. primo: Vox taratantara, bombus, sibilus, tinnitus, &c. non videntur naturaliter significare sonum illum, ad quem significandum illis vtimur, ergo non omnes ex instituto significant.

Respon. Negando consequentiam, quia in vocum institutione potuit haberi ratio naturæ rei, & soni significandi, vt vox traheretur à re significata, quod in sono est peculiare, quia est eiusdem rationis, cum signo & voce, qua significatur, quod autem non habeant hanc significationem ex natura, inde patet, quod multi illas non intelligant, & voces valde affines longe aliud significent: neque aliud probant argumenta Nisidii, apud A. Gellium, *l.* 10. *c.* 4. quam quod in impositione nominis aliquando habeatur ratio naturæ, & essentiæ rei, quando periti rerum æstimatores nomina indunt.

Dices secundo, quædam voces idem significant apud plerasque nationes, ergo illæ saltem habent vim significandi naturaliter. Antecedens probatur in voce saccus, quæ cum exigua mutatione idem significat apud plurimas nationes.

Respon. quidam ad probationem antecedentis, vocem illam origine esse Hebræam, & habere vim significandi ex instituto saltem Dei, à quo prima illa lingua instituta est, & eandem & repertam fuisse in dispersione ædificantium turrim Babylon, de qua *Gen.* 10 eo quod in diuisione linguarum à Deo facta, cum discedendum esset, singuli ex nimio affectu erga res, quæ in saccis reconduntur, hanc vocem expresserint, & postmodum retinuerunt, sed hoc friuolum est, primo, quia ita Deus sustulit quibusdam species linguæ prioris, vt nullam illius possent habere vsum, secundo, alioqui & alias voces reseruassent, quibus scilicet significantur res chariores, vel quę tum temporis affectus magis excitabant, vt sunt liberi, parentes, iter, locus, quo tendere vellent, &c.

Respon Igitur, nulla peculiari de causa vocem illam à multis vsurpari, sicuti neque vinum naturaliter significat, ex eo, quod multæ nationes exigua commutatione illa voce vtantur.

Obiic. tertio Lingua Phrygarum videtur naturaliter significare ex celebri illa historia apud Herodotum, *l.* 2. de infantibus enutritis cum pecoribus, qui post biennium dimissi

panem petierunt voce beccor, quæ est Phrygarum, quam à nemine audiuerant.

Respon. Infantes illa voce non petiuisse panem, quem nunquam viderant, sed temere illam pronuntiarunt, quàm à capris, à quibus enutriti erant, didicerant.

QVÆSTIO II.

An insit vocibus vis naturalis ad certos effectus.

Experientia docet, multos vti vocibus ad vulnera, vel morbos sanandos, vel noxas alias depellendas, & apud veteres refertur de virgine Vestali, quæ aquam cribro precario ferebat, & de aliis, quæ mancipia fugitiua nondum egressa vrbe verbis & precatione retinebant in loco. Cæsar item post ancipitem vehiculi casum solebat carmine ter repetito securitatem stipulari, cum primum curru consedisset: Hinc quidam Platonici, Magi, Cabalistæ existimarunt vim aliquam hisce vocibus à natura inesse.

Respon. Nulla vocabula habent vim naturalem alicuius peculiaris effectus. Probat. quia non habent vim ratione materiæ, quæ est spiritus ex pectore per asperam arteriam emissas, qui non habet aliam vim, quam cæteri halitus, nostri corporis, per poros dimissi, nec ratione formæ, quæ artificialis est. Ergo. Secundo, vox nihil potest, nisi per accidens, ratione sonis vel significationis verborum, quibus mediante apprehensione immutare potest audientem lætitia, mœrore, timore, ergo ex se non habent vim peculiarem alicuius effectus, vt curandi vulnera, &c. hinc commenta magorum sunt, asserere voces Hebræas, & dignioris idiomatis, ex quibus res sanctiores significantur maioris esse efficaciæ, quam alias. Obiiciunt tamen literis & syllabis quendam esse sympathiam, cum corporibus cœlestibus, & Angelis. Resp. Id non posse probari. Obiic. Secundo, musicam sua harmonia & sonorum proportione sanare morbos, sedare furibundos. Respon. Id fieri per accidens, dum enim suauitate concentus animus distrahitur, à doloris cogitatione, & prouocatur ad lætitiam, fit, vt humores ad bonam temperiem perducantur, sed nihil simile reperitur in barbaris, istis & absonis magorum vocibus. Obiic. tertio: Reperiri verba, quæ si in aurem tauri insusurres, prosternetur, aliis prolatis reuiuiscet. Accedunt, experientiæ initio allatæ. Resp. Hæc artificio dæmonis fieri, non naturali verborum facultate, quod de vocibus hic dicitur, idem de characteribus dicendum est, de quibus vide Mart. Delrio *lib. 1. disquis. Mag. c. 4. q. 1. & 3.* Vales. *de sacr. Philosoph. c. 3.* & Leonh. Varum. *lib. 2. de fascino.*

QVÆSTIO III.

De Nomine.

Dubitari potest primo, an voces æquiuocæ sint nomina. Respon. Negatiue, quia vox æquiuoca excluditur à definitione nominis, per primam illam particulam, scilicet nomen est vox, quia non tam est vox, quam voces, licet enim materialiter, & quoad sonum tantum sit vna vox, formaliter secundum significationem sunt plures, quia plura & diuersa significat. Erit autem nomen si in ordine ad vnum significatum accipiatur, sic enim non est æquiuocum.

Dubitatur secundo: Quid in definitione nominis ponatur loco generis. Respon. Vox ex instituto significans est genus nominis, quia idem est, quod signum vocale, signum autem in genere est verum genus ad signum naturale, sub quo continentur etiam conceptus mentis, & ad signum ex instituto, sub quo continentur nomen, verbum, oratio, ergo proximum genus nominis & verbi erit signum vocale, siue vox ex instituto significant.

Dubitatur tertio. An vero dicat Aristot. partes nominis separatas nihil significare. Respon. Affirmatiue, quia sensus est non significare iuxta significationem totius. Pro quo nota, ex D. Thom. hic significationem nominis compositi, verbi gratia, respubl. ad cuius scilicet compositionem concurrunt partes diuersæ rationis, vt sunt viuentia separata à toto non habent formam totius, imo in illis, dum in toto sunt, non est forma totius adæquata: ita significatio nominis compositi non conseruatur in partibus separatis.

Dubitatur quarto An casus obliqui sint vera nomina? Respon. Negatiue, quia nihil significant, nisi dependenter à recto, à quo deriuatur.

riuatur, deinde nomen ex intrinseca sua conditione per se est pars enuntiationis, casus autem obliqui per se non constituunt enuntiationem, cum verbo, vt Petri currit, &c. Dico per se, quia si id aliquando contingat, est per accidens, scil propter rectum, in quem resolui possunt, vel propter imperfectionem verbi, quod talem modum significandi ex parte nominis postulat, vt Socratem pœnitet, & in aliis verbis personalibus contingit.

Dubitatur quinto: An nomen infinitum recte excludatur à definitione nominis, Resp. affirm. Quia nomen & verbum ordinantur ad propositiones scientificas, quibus mediis acquiruntur scientiæ. Sed huiusmodi propositiones versantur circa res determinatas, de quibus doctrina, scientia, vel opinio potest acquiri, ergo debent componi ex nominibus & verbis, quę aliquid determinate significant. Nomina autem infinita nihil significant determinato, vnde non sunt proprie signa, imo formaliter nihil significant positiuum, nam licet vox non homo dicatur, de equo, &c. non significat tamen naturam equi positiuam, vt talem, seu quia equus est, sed quia non est homo, & quia includit negationem hominis, ac proinde formaliter est pura negatio determinatæ naturæ, licet materialiter positiue significet inconfuse quicquid non est forma negata.

Dubitatur sexto: An sicut in vocibus sunt nomina, ita etiam in conceptibus. Resp. negatiue, quia nomen proprie est id, quo rem aliquam significamus, iuxta conceptum mentis, quem de eo formauimus, adeo vt nominis vsus omnino cessaret, si non oporteret conceptus nostro, aliis exterius aperire, & hinc quando deficiunt vocabula imposita ad rem aliquam significandam, dicimus rem aliquam innominatam, licet proprium eius conceptum habeamus in intellectu.

QVÆSTIO IV.

De Verbo.

QVæritur, an in enuntiatione vocali verbum sit semper prædicatum, aut pars prædicati, certum autem est verba adiectiua semper esse vel ipsa prædicata, vel partes prædicati, vt Petrus scribit, Petrus habet librum secundo certum est, verbum substantiuum esse prædicatum in enuntiatione, de secundo adiacenti, id est, in qua ipsum est nihil sequitur, vt homo est.

Dubitatur vero, an quando verbum substantiuum est ponitur in propositione de tertio adiacente, id est, in qua aliud prædicatum subsequitur, vt hic homo est animal, an sit illius prædicati pars.

Resp. negatiue, Probat. quia est vnio & connexio prædicati, cum subiecto, vnio autem non est pars rei, sed est modus vtrique parti vnitæ communis, vt patet in vnione animæ, cum corpore. Confirm. quia si esset prædicatum, homo est ens, animal, quod (est) iterum includit (est ens) si tamen per prædicatum quis intelligat non ipsam formam, subiecto attributam, sed omne id, quod quouis modo subiecto conuenit, sic est pars prædicati, quia significat modum distinctum à subiecto.

Obiicies Aristoteles docet verbum est prædicari per accidens, ergo saltem est prædicatum.

Respondeo negando consequentiam, quia Aristotel. tantum insinuat est non prædicari per se, tanquam formam aliquam, sed tanquam id, quo forma vnitur & copulatur cum subiecto.

Nota pro varietate habitudinis & connexionis prædicati cum subiecto verbum est variam significare vnionem, quia accommodat se externis, verbi gratia homo est animal, hic est, significat essentialem connexionem, homo est albus accidentalem, Chimæra est figmentum.

Petes, An verbum semper vniat extrema, pro illa temporis differentia, quam significat.

Resp. negat. tria enim conueniunt verbo, scil. significari cum tempore, significare actionem, vel etiam actum essendi, per modum actionis, cuius propria conditio est mensurari tempore: Secundum, vnire extrema, tertium vnire pro differentia temporis, consignificata. Duo priora sunt verbo essentialia, tertium est accidentale, & tantum conuenit illi, si natura extremorum id requirat, alias non, hinc propositiones æternæ veritatis, siue per se dicuntur, absolui si tempore, quia cum extrema naturalem habeant connexionem, exigunt vniri simpliciter & absolute, & non pro tempore aliquo determinato.

QVÆSTIO V.

Quid sit enuntio mentalis?

RESP. est actus intellectus, quo indicat duo extrema sibi esse connexa, vel non esse connexa, est iudicium positiuum mentis, quo mens componit, vel vnit duo extrema inter se, vel à se seiungit, vbi

Nota primo, hoc iudicium licet versetur circa obiectum compositum, vel saltem circa varia extrema, ita vt materia, in quam tendit habeat partes, ipsum tamen iudicium, seu secunda mentis operatio est simplex actus, & qualitas intellectui inhærens, non habens partes integrantes. Licet enim in intellectu plures sint apprehensiones simplices respondentes singulis extremis, illæ tamen non efficiunt iudicium, quæ est secunda operatio; nisi quatenus applicant materiam scilic. extrema, quæ intellectus formaliter inter se coniungit, in qua formali coniunctione consistit ratio iudicii mentalis. Dico connexione formali, quia connexio naturalis potest esse sine iudicio, vt fit, quando integra propositio solum apprehenditur sine iudicio, verbi causa, dum quis propositionem enuntiat, de cuius veritate dubitat, vel cum disputandi gratia hæreticam, vel falsam enuntiationem assumit, cui non assentitur. Hic enim tantum est simplex, est apprehensio propositionis.

Nota secundo: Apprehensiones simplices extremorum non componere extrinsece mentalem enuntiationem, vtpote quæ consistit in sola vnione, & respicit extrema, tanquam obiectum & terminum.

Quod ex eo etiam confirmatur, quia apprehensiones istæ præcedunt iudicium, natura & tempore, & perseuerantibus iisdem potest mutari iudicium ex affirmatiuo in negatiuum, & contra.

Dices, Aristoteles vocat secundam operationem intellectus compositionem, ergo ipsa intrinsece erit composita.

Resp. Negando consequentiam, quia dicitur compositio ex eo, quod fit formalis vnio, & compositio rerum apprehensarum, quæ compositio est simplex qualitas, eique in vocibus respondet copula.

Ex quo sequitur, nullam omnino dari enuntiationem compositam mentalem, quia iudicium copulæ respondens semper est simplex qualitas, scilicet vnio aut disiunctio extremorum. Vocatur tamen enuntiatio simplex illa, cuius extrema sunt simplicia, composita cuius extrema sunt complexa, in qua tamen tantum spectatur copula principalis, ex cuius affirmatione, vel negatione tota propositio dicitur affirmatiua, vel negatiua, licet simpliciter enuntiationes, quæ sunt extrema inter se, sint dissimiles, quia illis non respondent iudicia, sed simplices enuntiationes complexæ.

QVÆSTIO VI.

De diuisionibus Enuntiationum.

RESPONDEO primo: Diuisionem enuntiationis in vnam & plures est analogia. Probatur, quia enuntiatio plures non est tam enuntiatio simpliciter, quam enuntiationes.

Respondeo secundo: Diuisio enuntiationis in simplicem & hypotheticam, seu compositam, quæ scilicet constat pluribus enuntiationibus coniunctione vnitis est analogica, Probatur, quia enuntiatio talis hypothetica est plures enuntiationes, simplices vnitæ, & veritas ipsius pendet à veritate duarum enuntiationum, & in intellectu sunt plura iudicia, licet enuntiationes vocales copulentur.

Resp. tertio: Diuisio enuntiatio est generis in species, vniuoca: vide *dicta libr. 1. Prior.* & Tolet *hic*.

Respondeo quarto. Diuisio enuntiationis in vniuersalem & particularem & indefinitam, licet probabiliter dici possit subiecti diuisio in accidentia, verius tamen videtur, generis in species.

Prior pars probatur, quia quantitas est accidens, & affectio quædam subiecti, homine enim verbi gratia in hac propositione, aliquis homo est animal, accidit sumi pro quibusdam & non pro omnibus inferioribus. Posterior pars probatur: Quia iudicium mentale seu propositio mentalis est qualitas quædam simplex, spirituali intellectui inhærens, quæ intrinsece non est vniuersalis, &c. sed dicitur talis, quia versatur circa tale, vel tale obiectū attribuendo scilicet prædicatum omnibus subiectis inferioribus, vel aliquibus tantum

videlicet

videlicet subiecto, prout est à parte rei, accidat sumi pro omnibus, aut quibusdam, indicio tamen illud est intrinsecum & essentiale, quod confirmatur, quia hæ propositiones sæpe contrarias habent proprietates, vna est, falsa, altera vera, vna generat opinionem, altera errorem, & syllogismi sunt intrinsece diuersi, ex eo solo, quod differant propositionibus vniuersalibus, vel non vniuersalibus.

QVÆSTIO VII.

Quæ sint enuntiationes oppositæ.

NOta, non esse dubium de enuntiationibus contrariis, & contradictoriis, quin proprie sint oppositæ, cum sint affirmationes & negationes de eodem subiecto determinato, sed dubium est de subcontrariis.

Respon. Enuntiationes subcontrariæ, licet secundum voces sint oppositæ, quoad rem, tamen secundum naturam non opponuntur.

Probat. quia verum non opponitur vero, sæpe autem vtraque subcontraria possunt esse vera Confirm Oppositio enuntiationum oritur ex oppositione rerum enuntiatarum, atqui sæpe idem prædicatum inest subiecto partialiter sumpto, & non inest, sine vlla repugnantia, ergo non enuntiationes, quibus hic indicatur, nullam habent oppositionem.

Obiic. Sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem.

Respon. Esse tantum de eodem secundum vocem, secundum rem enim diuersum est subiectum determinatum in affirmante, & diuersum in negante, licet vtraque enuntiatio qua talis, respiciat idem subiectum, vniuersale in confuso, & determinate, in propositionibus autem repugnantibus, seu oppositis requiritur, vt vtrobique sit idem determinate, vel saltem in vna enuntiatione, ita accipiatur, vt pro eodem determinate supponat, de quo altera enuntiat in confuso, quod fit in contradictoriis, vniuersalis indeterminate negat, vel affirmat, de quo particularis in confuso affirmat, vel negat, vt nullus homo est iustus, aliquis homo est iustus.

Obiic. secundo: Aristoteles agnoscit quatuor species enuntiationum oppositarum.

Respon. Oppositionem aliquando latius sumi, pro quauis repugnantia, siue in qualitate, siue in quantitate: & sic sunt quatuor species, quæ vulgo numerantur, proprio tamen est repugnantia in qualitate, siue est affirmatio & negatio, idque eiusdem prædicati de eodem subiecto determinato: cuiusmodi reperitur in contrariis, & contradictoriis, non autem in subcontrariis, vt iam diximus, neque etiam in subalternis, quæ sunt eiusdem qualitatis.

QVÆSTIO VIII.

Quid sit veritas & falsitas enuntiationis.

NOta, triplicem esse veritatem, prima in rebus ipsis, quæ dicitur veritas in essendo, secunda in cognitione, quæ dicitur veritas in repræsentando, vel in cognoscendo, tertia in vocibus, vel scripturis, quæ dicitur veritas in significando. Quæstio hic est, de veritate cognitionis, quę sola formalis veritas dicitur, quia veritas aut rerum dicitur obiectiua, vel causalis.

Nota secundo: Quæstionem esse cognitione speculatiua, quæ versatur circa rem, tanquam circa obiectum suum, ac mensurā, quale iudicium est, quo quis iudicat hominem esse animal, non vero de cognitione practica, quæ est conceptus operis faciendi, v. gr. fabricandæ domus, huiusmodi enim cognitio se habet, vt regula, & causa alterius, opus vero se tanquam effectus.

Resp. Veritas enuntiationis est conformitas ipsius cum obiecto, tanquam cum mensura, ita vt illa enuntiatio sit vera, quæ est conformis suo obiecto, siue, qua rei cognitæ tribuit, quod ei conuenit, & ab ea separat quod à parte rei semouetur.

Probatur, ex communi modo loquendi, quia conceptus dicitur verus, quia repræsentat rem, prout in se est, falsus qui repræsentat rem aliter, quam se habet, ergo veritas est illa conformitas cognitionis, cum obiecto, quæ veritas est in intellectu, sicut & ipsa cognitio, à qua intellectus dicitur verus, tanquam ab accidente sibi inhærente.

Petes, an veritas seu cōformitas illa superaddat aliqd ētitati enūtiationis, siue cognitiōis.

Ratio

Ratio dubitandi est, quod communiter dici solet, veritatem, vel falsitatem esse proprietatem enunciationis.

Resp. veritatem non esse aliquid reale absolutum in cognitione ex natura rei ab ipsa distinctum, quia non potest intelligi quid illud sit, neque est relatio realis, prædicamentalis ipsius cognitionis, ad obiectum superaddita entitati actus, quia in multis huiusmodi relatio est impossibilis, verb. gr. in cognitione entium rationis quæ non habet terminum realem, & in cognitione Dei, in qua est perfectissima veritas sine relatione, neque veritas est actualis relatio rationis, quia cognitio est vera nullo intellectu actu illam referente ad obiectum. Veritas igitur præter entitatem ipsius actus dicit connotationem obiecti, ita se habentis, sicut per actum repræsentatur: siue veritas est denominatio consurgens ex connexione talis actus, & obiecti, quæ denominatio non est omnino intrinseca, quia partim sumitur à forma intrinseca, scil entitate actus, partim connotat coexistentiam obiectiuam, siue concomitantiam obiecti, ita se habentis, sicut per cognitionem iudicatur. Et sic commode explicatur, quomodo ipsa cognitio in se inuariata possit mutari, ex vera in falsam, & è conuerso, per mutationem intrinsecam obiecti, quia scil. tollitur concomitantia obiecti, vt videtur docere Aristotel. *c. de sub-stant.* hinc colligitur quid sit falsitas, nimirum deformitas ab obiecto, seu cognitio aliter repræsentans obiectum, quam sit, quæ deformitas & falsitas est ipsa entitas actus, connotans concomitantiam obiecti, aliter se habentis, quam per cognitionem iudicatur.

Ex dictis colligitur, quo sensu verum sit, quod communiter dici solet, veritatem & falsitatem seorsim esse accidentia, communia cognitionis, quia scil. concomitantia obiecti potest abesse & adesse, & quomodo totum illud disiunctum scilic. veritas vel falsitas sit proprietas cognitionis, quia scilic. necessario concomitatur cognitionem, res ita se habens, sicuti iudicatur, vel aliter se habens, sunt igitur accidentia, & proprietates, impropriæ, propter analogiam, quam habent cum veris accidentibus, & proprietatibus.

Petes secundo: quomodo veritas consignificet obiectum, ita se habens, sicut per cognitionem repræsentatur, cum hinc videatur sequi cognitionem confusam, non esse veram: similiter huiusmodi propositiones. Deus est iustus, est sapiens, homo est animal, in quibus intellectus, prædicatum componit cum subiecto, cum tamen vtrunq; sit vna res simplex.

Resp. Dupliciter rem posse concipi, vel intelligi, aliter, quam est, scil. positiue & negatiue, positiue, quando illi attribuitur conceptus alienus, vel ab eo remouetur conceptus proprius, per compositionem, aut diuisionem falsam, negatiue, quando intellectus non intelligit rem eo modo, quo se habet, sed alio sibi proportionato, non tamen iudicat rei conuenire illum modum, sub quo rem intelligit, & sic modus concipiendi rem aliter, quam est, reperitur in cognitione confusa, & aliis allatis, qui non sufficit ad falsitatem, quæ non tribuit rei, quod ei non conuenit, sed tantum imperfecte illam cognoscit, & tota illa confusio & imperfectio se tenet ex parte potentiæ, siue intellectus, quæ quia non concipit res immediate, & imperfecte, illas intelligit, vt merito dixerit Aristotel. sicut oculus noctuæ se habet ad lumen solis, ita se habet mens nostra ad manifestissima naturæ.

QVÆSTIO VLT.

Qualis sit veritas, vel falsitas in propositionibus singularibus, de futuro contingenti.

CVm docuisset Aristotel. *cap. 5.* ex duabus propositionibus contradictoriis semper vnam esse determinate, siue distincte veram alteram determinate falsam, subiungit hoc non habere locum, in propositionibus contradictoriis singularibus, de futuro contingente, sed vtramque esse indeterminate, siu confuse veram, vel falsam, ita vt non sit verum dicere, hæc propositio, verbi gratia, Petrus cras curret, est vera, sed tantum sit verum dicere, sub distinctione, hæc propositio e. vera, vel falsa. Pro quo

Nota primo, effectum contingentem proprie dici, qui procedit à causa libera habente dominium secundum actus, & ad neutram partem ex naturali necessitate determinat: quæque positis omnibus ad agendum prærequisitis agere possit, vel non agere pro sua libertat

bertate, huiusmodi effecta sunt actiones humanæ, & de his fiunt propositiones, de quibus est quæstio.

Nota secundo, dupliciter dici posse aliquẽ effectum determinate futurum, primo, vt illud determinate cadat supra causam, & idem sit, quod necessarium, quia scilicet effectus est impedibilis ab alia causa, vt eclipsis Solis, & hęc determinatio non tantum dicit effectum habiturum existentiam, sed etiam significat modum, quo effectus procedit à causa, & talis determinatæ futuritionis causa adæquata est ipsa determinatio causæ, & naturalis necessitas producendi effectum. Secundo, vt determinate cadat supra effectum, & idem sit, quod distincte, & huius determinatæ futuritionis est ipsa causa libere sese determinans, tempore adsignificato in propositione.

Nota tertio: Quæstionem ab Aristot. proponi de propositionibus singularibus, quia vniuersales & indefinitæ extra controuersiam sunt determinate veræ, vel falsæ, vniuersales scilicet tam affirmatiuæ, quam negatiuæ, in quibus prædicatum contingens affirmatur, vel negatur de cunctis inferioribus subiecti, sunt determinate falsæ, verbi gratia, omnis homo cras curret, nullus homo cras curret, particulares vero vel indefinitæ, quarum veritas ab vno, vel altero tantum dependet, fere sunt determinate veræ, ve. gr. aliquis homo cras curret.

Nota quarto: certum esse nullam oriri necessitatem, in actu libero, ratione suæ futuritionis, id est, ratione eius, quod antequam fiat, sit futurum, quia futuritio est quodammodo posterior ipsa præsentia actus, & prius natura est actum esse in suo tempore præsentem, quam esse futurum, quia præsentia est causa futuritionis, & futuritio dependet ab actu, vt suo tempore, quæ suo tempore fuit præsens, quo fit, vt futuritio omnino non mutet naturam actus, & si actus in se sit liber, quatenus est præsens, non fit necessario ex futuritione, & licet bene sequatur, effectus est futurus, ergo suo tempore erit determinatio, hæc tamen non est necessitas consequentis, hoc est, non propterea est necessaria determinatio, quia futuritio non est causa effectus futuri, sed potius contra, sed tantum est necessitas consequentiæ: id est, ex futuritione bene & legitime infertur rem suo tempore habituram existentiam, non tamen sequitur habituram necessario existentiam, ita vt causa intrinsece sit determinata ad suum effectum.

Respondeo, Propositiones singulares de futuro contingente sunt determinate siue distincte veræ, aut determinate falsæ, oppositum scilicet propositiones huiusmodi esse determinate veras, vel falsas, est damnatum à Sixto IV. Pontifice, contra Petrum Arin. quæ censura manuscripta asseruatur in Academia Louaniensi, ratio est, quia videtur euertere Dei præscientiam, & pugnare cum fide, & lumine naturæ. Probatur Conclusio: Ex duabus hisce propositionibus Petrus cras curret, Petrus cras nõ curret. Deus scit distincte, quæ nam sit distincte, & determinate vera, & quæ determinate falsa, & hoc ipsum potest nobis reuelare, ergo propositiones in se sunt indeterminate veræ, vel falsæ. Consequentia probatur, quia scientia Dei non facit illas esse distincte veras, sed supponit illas, vt obiectum scientiæ, quæ tendit in res, vti sunt.

Probatur secundo: Deus determinate præscit futura contingentia, quia per infinitam vim sui intellectus videt intuitiue, & cum omnibus circumstantiis omnia quæ in omni æternitate sunt futura, vt obiectiue sibi præsentia: & sic potest enuntiare illa, vt determinate futura, sicut per Prophetas multa prædixit, & Christus Dominus Petro prædixit, Ter me negabis, de quibus Prophetiis & prædictionibus non licet dubitare, ergo etiam respectu nostri propositiones hæ sunt determinate veræ, vel falsæ, quod enim nos ignoramus, quæ nam sit determinate vera, nõ mutat naturam propositionis.

Probatur tertio: Huiusmodi propositiones sunt determinate conformes suo obiecto, & rei significatæ, vel sunt determinate deformes, ergo sunt determinate veræ vel falsæ, consequentia est vera. Antecedens probatur, quia enuntiant rem fore, sicuti erit, vel non fore, atqui impossibile est, vt alterum non sit in tempore adsignificato, ergo propositio enuntians affirmans illam partem, quæ determinate erit, quamque Deus nouit, est conformis rei significatæ, negans est deformis, & falsa.

Probatur quarto: Propositiones vniuersales, particulares & indefinitæ de futuro contingente

tingente sunt determinate veræ, vel falsæ, ergo & propositiones singulares Consequentia probatur, quia omnium est eadem ratio, vbique enim est eadem habitudo effectus ad causam.

Probatur quinto: Propositiones de præterito & præsenti sunt determinate veræ, vel falsæ, verbi gratia, Pontifex heri scripsit, vel iam scribit, licet nobis sit ignota veritas, vel falsitas, ergo etiam de futuro. Consequentia probatur, quia priores sunt ideo determinate veræ, vel falsæ, quia enuntiant prædicatum inesse subiecto, pro differentia temporis significata in propositione, sicuti est, vel sicuti non est, atqui eodem modo propositiones de futuro, ergo.

Probatur sexto: Propositiones de futuro necessario sunt distinctæ, veræ vel falsæ, ergo, & de futuro contingente. Consequentia probatur, quia adæquata ratio, cur propositiones de futuro necessario sunt determinatæ veritatis, vel falsitatis, est, quia enuntiant distincte futurum id, quod est futurum, idem autem est de propositionibus de contingenti, ergo, &c. quia vtræque propositiones sunt simplices, & de inesse, non autem propositio de futuro contingente enuntiat effectum necessario fore, sed simpliciter, & sine vllo modo, ad significato, significat fore, alioquin enim essent determinate falsæ, & propositio de inesse de futuro necessario tantum significat effectum habiturum existentiam, sine vllo modo contingenti, necessario, vel possibili.

Dices, ex dictis tantum videtur sequi, propositiones has esse veras, ex suppositione, quod causa libera se determinauit, sicuti propositiones de præterito & præsenti, sunt determinate veræ, vel falsæ, quia supponunt determinationem causæ.

Resp. Illam suppositionem necessario includi in propositione de futuro contingente, sicut includitur in propositione de præterito & præsenti, vnde simpliciter sine additamento propositio de futuro debet dici determinatæ esse veritatis, vel falsitatis, sicut propositio de præterito & præsenti.

Dices, effectus contingens futurus potest comparari cum causa, indeterminata, & pendente in æquilibrio, & sic est indeterminatus, & propositio, quæ illam enuntiat de causa, ita indeterminate erit indeterminatæ veritatis vel falsitatis.

Respondeo, Si ita computetur effectus contingens cum sua natura, poterit dici propositio, quæ de illo fit, esse indeterminate vera, vel falsa, & hoc sensu, siue cum hoc additamento toleratur sententia quorundam, hic tamen sensus videtur excogitatus in gratiam Aristotelis, quia non est conformis propositioni de futuro, facit enim propositionem esse de præsenti, quia Petrus cras curret, habebit hunc sensum, Petrus nunc habet potestatem liberam cras currendi, vel non currendi. Quod confirmatur, quia verbum in propositione de futuro consignificat latitudinem temporum, in qua effectus libere procedet à causa, & in quo causa erit determinata ad alterutrum. Licet enim dum profertur propositio, causa pendeat adhuc in æquilibrio, & possit se in vtramuis partem inclinare, sicut & quouis alio momento præcedente ipsam determinationem: tamen illud tempus non connotatur, sed illud, in quo causa sese determinauit, sicuti propositio de præterito non consignificat moram illam temporis præteriti, in qua causa adhuc erat indeterminata, sed illam, in qua se determinauit, ergo, sicuti effectui non comparatur ad causam pendentem in æquilibrio, in propositionibus de præterito, quæ propterea non possunt dici esse determinate veræ, vel falsæ, ita neque in propositionibus de futuro. Vnde alii aliter saluant dictum Aristotelis, & explicant veritatem determinatam, hic dici, quæ intellectum illam enuntiantem ita reddit verum, vt possit determinate dicere, hæc propositio est vera, indeterminatam vero vocant, de qua intellectus non est certus, sed solum potest dicere hæc propositio est vera, vel falsa, & hoc est verum de propositionibus his, vt subsunt naturali nostræ cognitioni, solus enim Deus determinate præscit futura contingentia.

Obiic. quart. Si hodie est determinate verum, Petrus cras curret, ergo ab æterno fuit verum, probatur consequentia, quia non est ratio, cur hodie magis incipiet esse verum quam alio quouis tempore, ergo Petrus necessario curret, Probatur illatum, quia quod ab æterno fuit verum, non potuit non esse verum, & consequenter res signatæ necessario erit & non contingenter: hoc videtur argumentum Aristotelis.

Res

Respondeo, negando consequentiam: ad probationem respon. quod ab æterno fuit æternum, non potuit non esse verum, ex suppositione, quod ab æterno fuerit verum, & in sensu composito, non autem absolute, & in sensu diuiso, sicuti necessarium est non scribere, dum scribo; in sensu composito, & ex suppositione, quod scribam, vnde ex illa æterna veritate tantum infertur, necessitas ex suppositione, quæ non facit rem, sed consequitur rem ipsam, siue effectum ipsum, qui dicitur necessarius, quando est suppositio quod sit, & hac necessitate dicor necessario loqui, dum loquor.

Petes, quo modo cum præscientia Dei ab æterno consistet libertas ab æterno, si enim Deus videt ab æterno, me hodie peccaturum, necessario peccabo, quia si possem non peccare, posset etiam falli Dei præscientia, dum non posset euenire quod præscit; hoc autem est impium.

Respondeo solutionem colligi ex solutione præcedentis argumenti, alterius dico præscientia Dei non affert necessitatem voluntati liberæ, quia non est causa, cur aliquis effectus fiat à voluntate, ita vt nos operemur, quia Deus scit, sed potius Deus præscit, quia nos eramus operaturi, ita vt præscientia Dei nostro modo intelligendi sit posterior effectu libero, prius enim est in ratione obiecti, effectum libere fieri, & esse, quam à Deo præsciri, ita enim se habet intellectus diuinus ad futura contingentia, sicuti oculus noster ad præsentia; vnde sicuti scriptio, quam modo exerceo, prior est in ratione obiecti, quam mea visio, qua video te scribentem, cum omne obiectum prius sit actu tendente in obiectum, ita & actiones nostræ liberæ priores sunt præscientia Dei, & sicut visio mea non infert necessitatem tuæ scriptioni, ita nec Dei præscientia nostris operibus, quia licet præscientia prior sit tempore, in ratione tamen obiecti opera nostra præcedunt, adeo, vt præscientia Dei se habeat consecutiue ad nostra opera, sicuti visio mea se habet consecutiue ad tuam scriptionem, & sicuti ex suppositione, quod te videam scribentem, necessarium est, te scribere, absolute tamen potest quouis momento non scribere, ita etiam ex suppositione, quod Deus præsciat nos operaturos hoc vel illo modo, necessarium est nos sic operari, licet absolute possimus non operari: neque hinc sequitur, posse falli Dei præscientiam, quia falleretur, si non eueniret, quod præsciat, hoc est in virtute, si non eueniret, quod euenit, hoc autem implicat, sicuti visio mea non potest falli, si non scribat, non erit visio, ita si non opereris, non erit præscientia. Deinde, si præscientia imponeret necessitatem actionibus nostris etiam imponeret actionibus diuinis, cum non minus ab æterno Deus fuerit præscius eorum, quæ ipsemet in tempore erat producturus, quam eorum, quæ à nobis erant producenda.

De his fusius Theologi 1. *l. p. quæstion.* 14. *a.* 13. vbi etiam explicant, quomodo æternum pendere possit à re futura, tam in actibus diuini intellectus, quam diuinæ voluntatis.

**
*

Finis Disputationis in librum de Interpretatione.

BERNHARDI MORISANI PHILOSOPHI ACVTISSIMI COMMENTARIVS IN LIBROS PRIORVM ANALYTICORVM ARISTOTELIS.

PRÆFATIO.

SVperioribus libris actum est ab Aristotele de duabus primis operationibus intellectus, apprehensione nimirum simplici & compositione. Nunc his libris ad tertiam intellectus operationem, discursum scilicet transit quæ præcipua est, & cui priores deseruiunt: omnis enim ratiocinatio propositionibus & terminis tanquam partibus materialibus constat. Est a. discursus seu ratiocinatio mentis operatio quo aliquid ignotũ ex alio notiore infertur, & deducitur. In quo tria veniunt consideranda. Primo notum aliquid vnde aliud ignotius deducatur, & hoc vocatur antecedens Secundo ignotum aliquid quod ex notiore infertur, quod vocatur consequens. Tertio illatio siue deductio ignotioris ex notiore, & hæc consequentia vel sequela dicitur explicaturque hisce particulis ergo vel igitur. Complectitur autem hæc tertia mentis operatio, quæ nunc argumentatio nunc discursus, nunc ratiocinatio dicitur 4. Species primarias Syllogismũ, Inductionem, Enthymema & Exemplum; de quibus agit hisce libris Aristoteles, sed præcipue de syllogismo tanquã primaria & magis vsurpata inter argumẽtãdũ specie de cæteris in ordine ad syllogismũ & quatenus ad illũ reduci possit.

Petes primo cur hi libri vocentur analytici siue Resolutorii Resp. quia Aristoteles his libris docet resoluere syllogismum in sua princia propositiones scil & terminos. Resoluere enim iuxta Themistium est argumentatione facta expositiones ex quibus confecta sit exquirere: Nam sicuti domus ædificata potest resolui, & resoluẽdo examinari potest vtrum vere ædificata fuerit; Ita resoluendo syllogismum in partes ex quibus componitur examinatur, num bene compositus fuerit.

Petes secundo cur non potius inscripserit libros suos compositorios, cũ non tantũ agat hic de resolutione syllogismorũ, sed etiam de eorundem compositione? R. quia in resolutione maior est difficultas quam in cõpositione. qui n. nouit resoluere, nouit & cõponere non contra vt frequenter contingit imperitis qui etiam nihil cogitantes ratiocinantur & syllogismos conficiunt, quos tamen resoluere non possunt.

Ii vero

Ii vero qui Dialecticam callent, quemadmodum ex arte norunt syllogismum in suas partes resoluere & examinare, ita postea re probe cognita denuo eundem possunt retexere. Accedit resolutionem supponere compositionem, vnde & vtrumque vno verbo comprehenderet Resolutorios nominauit.

Dices primo compositio natura & dignitate est prior resolutione, à priori autem & nobiliori sumenda est denominatio: ergo compositorii debuerunt nominari non Resolutorii. Probatur maior pro priori parte, quia resolutio supponit compositionem secunda pars probatur, quia finis est præstantior mediis, sed compositio est finis resolutionis: ideo enim discimus resoluere vt melius componamus: ergo &c.

Respon. Admittendo priorem partem maioris, non tamen necessario sumendum esse denominationem ab eo quod est prius natura, si sint aliæ causæ potiores cur posterius det suam denominationem: Vt quia difficilius nobilius &c. Adde in his omnibus potius spectandam esse authoris intentionem, quam aliud: vnde quia Aristotelis intentio fuit docere modum componendi syllogismum, sed via quadam singulari & facili scilicet per resolutionem non obstantibus cæteris resolutorios inscripsit. Secunda vero pars maioris simpliciter neganda: etsi enim compositio ea ratione dignior sit resolutione, quod resolutio ad compositionem tanquam ad finem ordinetur: tamen quia resolutio ad maiorem requirit artem quam compositio; ideo resolutio simpliciter compositione censenda est nobilior.

Dices secundo, facilius est resoluere quam componere, vt patet in eo qui dissoluit domum eam tamen nequit componere.

Respon 1. Etsi hoc verum esset in rebus istis materialibus, longe tamen aliter rem habere se in actibus intellectus, vbi ratio maiorem inuenit difficultatem in bene resoluendo, quam componendo. Respon secundo, domum & res istiusmodi facile destrui, non autem resolui. Resoluere enim est ordinare dissoluere per singulas partes procedendo & quidem sic vt ex illa resolutione perfecte cognosci possit natura rei & modus illam retexendi.

Petes tertio. Cur hi libri vocentur priores. Respondeo quia in his agitur de resolutione syllogismi in genere, at in duabus sequentibus de resolutione syllogismi in specie, de demonstratione scilicet. Porro cognitio rei in genere, prior natura est cognitione rei in specie.

Petes quarto, quodnam sit horum librorum obiectum. Respon. Esse syllogismum in genere ad nullam certam materiam accommadatum, quod patet ex 1 & capite horum librorum, aliisque locis & probatur quia omnia quæ his libris tractantur ad syllogismum referuntur: illud autem est libri alicuius, vel operis obiectum, ad quod cetera spectent. ergo. Vbi nota dici syllogismum abstractum à ma-

teria, qui neque materiæ necessariæ, neque probabili neque erroneæ est applicatus, sed est quid omnibus commune, adeo vt quæ de syllogismo hoc modo abstracto dicuntur æque conueniant syllogismo applicato materiæ probabili, aut erroneæ quam syllogismo applicato materiæ necessariæ Tunc vero syllogismus dicitur applicatus certæ materiæ, quando vel materiæ necessariæ vel probabili vel erroneæ est applicatus. Hinc facile est intelligere cur Aristoteles in his libris semper loco terminorum substituat literas a, b, c. quia nimirum de syllogismo ab omni materia abstracto agit.

Dices nullum dari talem syllogismum abstractum ab omni materia, sed videri imaginarium. Respon. nullum dari talem à parte rei, quia nulli materiæ sit applicatus, posse tamen abstrahi ab aliis speciebus syllogismorum rationem aliquam communem: sicuti ab homine & bestiis abstrahitur ratio animalis communis, & de ratione illa syllogismi sic contexta præcepta assignari communia omnibus syllogismis. Proprietates item quasdam communes de illa demonstrari: & sicuti ratio animalis sic abstracta non censetur pure imaginaria aut fictitia quia habet fundamentum in re intellectus cur ita concipiat, ita etiam ratio syllogismi communis sit præcisa non debet censeri imaginaria aut fictitia.

Dices secundo. horum librorum obiectum est Demonstratio, ergo non syllogismus in genere Antecedens probatur auctoritate Aristotelis cap. 1. horum librorum. Cuius initio dicit sibi agendum esse de demonstratione, Secundo probatur quia tractatio de syllogismo in communi ad demonstrationem refertur illud autem est obiectum ad quod cætera referuntur, ergo demonstratio est obiectum non syllogismus.

Respon. negando antecedens, neque enim demonstratio abstrahit à materia sicuti Syllogismus de quo hic tractatur. Ad primam probationem antecedentis.

Respon. cum Alexandro eam esse Aristotelis consuetudinem vt opera aliquaqua affinitatem quandam & subordinationem inter se habeant conscripturus initio proponat intentionem suam primariam, quo etiam cætera referat, i cum intenderet agere de demonstratione præmittenda, tamen necessaria fort tractatio de syllogismo in genere, vbi de syllogismo agere incipit, dicit sibi de demonstratione agendum Quanquam igitur præcipue intenderit Aristoteles analyticis tractare de demonstratione, non tamen inde fit horum librorum priorum obiectum esse demonstrationem, in quo nihil tractat de demonstratione.

Ad secundam probationem dico inde non sequi demonstrationem
hor

horum librorum obiectum, sed bene omnium analyticorum. Sicuti nec Politica sunt obiectum Ethicorum, licet Ethica ad Politica referantur, vt ait Aristoteles c.2.l.1 &c.

Diuiduntur priora analytica in duos libros quorum 1. tractatur de ipso syllogismo diuiditurque in tres partes. In prima agitur de partibus materialibus & formalibus syllogismi cæterisque principiis tum dirigentibus tum perficientibus. in secunda de inuentione medii: in tertia de modo reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos. In secundo libro de quibusdam proprietatibus seu affectionibus syllogismorum. Sub finem de enthymemate inductione & exemplo, quatenus ad syllogismum reduci possunt & per eum probari.

CAPVT I.

Aristoteles hoc capite proposita primum intentione sua generali in hisce omnibus Analyticorum libris, qua sibi de demonstratione ac scientia quæ per demonstrationem gignitur agendum esse dicit, Particularem deinde suam in hoc primo capite intentionem exponit, cum ait sibi de propositione, termino, & syllogismo & cæteris agendum. Itaque hoc capite priusquam quid sit syllogismus explicet, primum principia illius materialia propositiones scilicet & terminos (quorum hi remota sunt principia, illæ proxima) explicat ac definit.

Propositio est oratio affirmatiua aut negatiua alicuius de aliquo. Definitur propositio simplex, quia hypothetica seu composita non est alicuius de aliquo pluribus enim subiectis & prædicatis constat neque illius est vsus in syllogismo simplici. Duobus modis intelligi potest hæc definitio. Primus vt sit tantum descriptio per species seu partes subiectas. Secundus vt sit vera definitio & genus quidem definiti sit oratio: Differentia vero alicuius de aliquo, quod tam late accipiendum est vt comprehendat etiam alicuius ab aliquo. Verba vero illa interiecta affirmatiua aut negatiua non censeantur pars ipsius definitionis, sed addita sint maioris explicationis gratia, & ad insinuandam primam diuisionem propositionis secundum qualitatem essentialem in negatiuam & affirmatiuam.

Petes cur prius definierit propositionem quam vel terminum vel syllogismum. Ratio dubii est, quia procedendum fuit via resolutoria, id est, à compositis ad simplicia procedendo vel via compositoria, id est, à simplicioribus ad magis composita. Priori modo definiri oportebat primo syllogismum; deinde propositionem ac demum terminum: Posteriore vero terminus primo loco erit definiendus, inde propositio, demum syllogismus. Respon. cum Philopono Aristotelem ordinem doctrinæ seruasse, semper enim illa per quæ aliud definitur notiora esse debent definitis. Cum autem terminus & syllogismus necessaria definienda essent per propositionem non autem contra, ideo definitio propositionis necessario debet excedere.

Nota primo hæc 5. Propositionem, Problema, instantiam, conclusionem & enuntiationem reipsa idem esse, sola vero ratione & habitudine differre Eadem enim oratio, si ad syllogismum adsumatur conficiendum dicetur propositio. Si vt demonstretur proponatur Proplema: vt si dicas, proba mihi animam hominis esse immortalem. Si ad euertendam aliam propositionem afferatur instantia dicitur. Si ex præmissis inferatur Conclusio: si simpliciter vnum de alio enuntietur, enuntiatio dicitur.

Nota secundo triplicem hic assignari ab Aristotele diuisionem propositionis: prima est illa in affirmatiuam & negatiuam.

Petes qualis sit ista diuisio? Respon. esse generis in species. Probo primo, quia vniuoce conueniunt in nomine & relatione communi propositionis; tam enim negatio est propositio quam affirmatio, nec vni conuenit ratione alterius: Secundo probo, propriæ passiones enuntiationis æqualiter vtrique conueniunt, vt veritas & falsitas, ergo & ipsa

ratio

ratio enuntiationis: Tertio probo, sicut se habent fuga & persecutio in appetitu, ita se habent affirmatio & negatio in intellectu: sed illa differunt specie, ergo & hæc, maior est Aristotelis *6 Eth. c. 2.*

Dices primo genus non potest definiri per species, sed definitio propositionis data est per affirmationem & negationem, ergo affirmatio & negatio non sunt species: secundo affirmatio est prior negatione & simplicior, ergo. Probatur prior pars ex Aristotele primo posteriorum *c. 17.* Affirmatio inquit negatione prior est & notior: negatio enim ex affirmatione cognoscitur, priorque est affirmatio, vt etiam quam non esse &c. Altera pars probatur, quia negatio continet affirmationem & aliquid vlterius. Tertio affirmatio, primo est habitus, negatio est priuatio, sed habitus & priuatio non possunt habere vnum genus commune, ergo affirmatio & negatio non sunt species. Quarto, vna species non potest componi ex alia, affirmatio autem est pars negationis, ergo. Pro solutione nota secundam operationem intellectus proprie positam, esse in interiori iudicio, quo iudicamus aliqua inter se esse connexa, aut ab inuicem disiuncta, atque adeo non esse attendendam vocalem illam, atque externam enuntiationem, quæ tantum analogice est enuntiatio, vbi de propositionum natura quæritur, sed attendendum quale sit illud iudicium intellectus, quo res inter se componimus vel diuidimus. Quapropter cum diuerso modo intellectus procedat in affirmatione & negatione, eo fit vt affirmatio nunquam possit fieri negatio, aut pars illius componens licet eadem oratio vocalis apposita negatione ex affirmatiua fiat negatiua. Ad primum igitur argumentum. Respon. vt supra, vel non definiri propositionem per suas species, vel sane tantum esse descriptionem non veram definitionem: Descriptio autem per species fieri potest maxime vbi species notiores sunt. Ad secundum negatur assumptum. Ad authoritatem Aristotelis pro priore parte. Resp. affirmationem posse dici priorem negatione, primo dignitate, secundo cognitione, quod soleant res cognoscere, prius per affirmationes quibus prædicata enuntialia, & proprias passiones rebus tribuimus, quam per negationem quibus remouemus ea quæ rebus non conueniunt, cum omnis negatio vt dicunt Philosophi in aliquo positiuo fundetur. Sed huiusmodi prioritas non impedit vniuocationem, verum illa tantum prioritas, in qua ratio communis prius inest vni, alteri vero non nisi cum ordine & habitudine ad prius, vt sanum respectu animalis medicinæ, vrinæ: adde Aristotelem nihil aliud ibi velle, quam ostendere affirmationem maiorem habere vim ad demonstrandum quam negationem, quod verum est. Ad probationem posterioris partis dico negationem, siue dissensum intellectus tam esse simplex iudicium quam affirmationem, neque dissensus ille continet vllo modo affirmationem, siue assensum, licet vocalis propositio contineat affirmationem, & vlterius particulam negantem. Ad tertium negandum ait. Falsum enim est negationem, siue dissensum intellectus esse priuationem, tamen est positiuum iudicium, quam affirmatio. Ad quartum patet ex dictis.

Secunda diuisio propositionis, alia est vniuersalis, alia particularis, alia indefinita. Sumitur hæc diuisio secundum quantitatem, seu variam subiecti extensionem, vniuersalis est quæ omni aut nulli inesse significat, id est, in qua prędicatum significatur inesse, vel non inesse subiecto vniuersaliter sumpto, siue habenti signum vniuersale, vt omnis homo est animal, nullus homo est lapis, Particularis est quæ alicui aut non alicui, aut non omni inesse significat, id est, quæ significat prædicatum conuenire subiecto particulariter sumpto vel ab eo particulariter sumpto remouerit. Quod fit cum additur signum particulare, aliquis homo est animal, aliquis homo non est albus, illud (non alicui) capiendum est pro alicui non, nam alias æquiualeret nulli. Indefinita est quæ inesse aut non inesse, siue signo vniuersali aut particulari significat, vt homo est animal. Inesse scilicet subiecto communi. Vnde excluditur propositio singularis quæ nimirum habet subiectum singulare, quam non definit Aristoteles, quia tantum instituerat eas propositiones pertractare, quæ ratione subiecti aliquam habebant latitudinem. Sunt & aliæ propositiones mixtæ quantitatis, quarum subiectum partim est vniuersale, partim particulare. Secundum diuersas subiecti partes vt cuiusuis hominis alter oculus est dexter, non est: censendæ autem sunt hæ vni-

uersales aut particulares, prout sub dictione vniuersali vel particulari subsumetur, vt si in propositione assignata sub voce homo subsumatur, sed Petrus est homo, erit vniuersalis: si sub voce oculus erit particularis.

Tertia diuisio quæ à materia sumitur. Alia apodictica, alia dialectica Quæ inter se differunt quod apodictica ob necessariam & euidentem terminorum connexionem talis sit natura sua, vt non postulato assensu respondentis, altera contradictionis pars quæ vera fuerit assumatur, vt omnis homo est animal rationale. Eiusmodi sunt principia scientiarum & propositiones iam demonstratæ. Dialecticæ autem propter incertitudinem solebat apud antiquos interrogari, vt vtrauis parte concessa deduceretur aduersarius in inconueniens, hoc tempore autem breuitatis causa non interrogatur, vt omnis mater diligit filium. Nota hic etsi Dialecticus aliquando tantum interroget vnam partem contradictionis formaliter, virtute tamen semper interrogat vtramque, quod patet ex eo quod respondens semper respondeat interrogationi, quæ actu non interrogatur, vt si quis roget, est ne omnis anima immortalis respondebit alter, non. quo fit vt Aristoteles *in lib. de interp.* Dialecticam alteram contradictionis partem interrogare, hic vero dicit totam contradictionem. Petes sub quo membro contineantur propositiones sophisticæ. Resp. sub nullo, quia tantum deseruiunt deceptioni, non autem cognitioni vel scientiæ. Atqui tamen ad Dialecticā referuntur, quia habent probabilitatem apparentem.

Terminus est in quem retexitur propositio vt attributum, & id cui fit attributum adiuncto vel separato esse vel non esse. Tota definitio est hæc. Terminus est in quē retexitur propositio vt notat Aristoteles: Cætera adduntur explicationis causa. Sensus est, extremum propositionis in quod tanquam in partem materialem vltimo resoluitur, vt prædicatum & subiectum adiuncto vel separato esse vel non esse, id est, quæ extrema solent vniri per copulam affirmantem aut negantem.

Subiectum & prædicatum vocantur termini, vel quia sunt extrema propositionis & eas vtrinque terminant, vt puncta lineam, vel quia terminant & concludunt resolutionem propositionis, non enim vlterior fieri potest resolutio. Copula non est terminus quia non est extremum vnitum, sed ipsa extremorum vnio quæ nunquam manet, si extrema vnionis dissoluantur. Idem tamen verbum aliquando non tantum est copula, sed etiam terminus ratione sui materialis significati, vt in hac propositione Petrus studet, illud studet, idem valet ac si dicas est studens: vnde simul est copula & prædicatum Eodem modo se res habet in propositionibus de 2. adiacēte, vt Iohannes est. Signa item sunt categorematica. Cum per se nihil significent, non possunt dici termini, aut in illa resolui propositio. Coniunctio (&) in definitione ponitur per vel.

Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis aliquid à positis diuersum necessario efficitur eo quod hæc sunt. Etsi hæc definitio possit conuenire syllogismo hypotetico qui constat compositis enuntiationibus, communiter tamen dicitur definiri syllogismus simplex & categoricus qui constat vtraque præmissa categoria quæ magis Aristotelis proposito seruit. Oratio est genus remotum per quod tamen bene assignatur definitio si per appositas differentias sufficienter limitetur Proximum genus esset argumentatio. Illud in qua significat præmissas esse in syllogismo tanquam partes in toto primo modo inexistendi (quibusdam) id est, duabus præmissis (positis) id est, concessis vel in modo & figura dispositis (aliquid à positis diuersum) id est, conclusio quæ semper debet esse diuersa à præmissis quia alioquin syllogismus esset inutilis & peteretur principium nihil enim seipsum probat: Syllogismus aut est instrumentum quo aliquid ignotum ex noto deducitur (necessario efficitur) per necessariam consequentiam infertur. Vnde necessario non significat necessitatem consequentis: quasi consequens in omni syllogismo debet esse necessario, cum esse possit contingens vel falsum: sed tantum necessitatem consequentiæ, vt ex præmissis necessaria inferatur conclusio etiamsi illa non sit necessario. (eo quod hæc sunt) propter præmissas concessas, vel in modo & figura dispositas quod Philosophi vocant ex vi formæ concludere. Hanc postremam particulam vlterius explicat Aristoteles, cum ait: Dico eo quod hæc

sunt propter hæc effici, id est, propter connexionem terminorum factam in præmissis & mox propter hæc effici est nullo termino extrinsecus indigere vt fiat necessarium, id est, tunc conclusio infertur propter præmissas quando nullus terminus extrinsecus est assumendus in syllogismo vt syllogismus bene concludat.

Per has postremas particulas excluduntur à definitione syllogismi omnes argumentationes materiales quæ tantum concludunt ratione materiæ non ratione formæ. Item excluduntur omnes aliæ argumentationes. Inductio, enthymema exemplum tum quia non necessario inferunt conclusionem nisi quatenus virtute includunt syllogismum & eius necessitatem: tum quia non efficiunt eo quod hæc sunt virtute præmissarum & nisi addatur vel intelligatur.

Petes an definiatur syllogismus hic expositiuus. Respon. Aristotelis mentionem forte non fuisse illum hac definitione complecti. Sicut nec in diuisione propositionis illam fecit mentionem singularis propositionis: nihil tamen refert quo minus hac definitione includatur.

Syllogismus alius perfectus, alius imperfectus, perfectus syllogismus est, qui præter sumpta nullo indiget vt appareat necessario, id est, qui ita euidenter concludit ut ad sui euidentiam nihil requirat, adeo vt nemo sanæ mentis visis præmissis non possit statim inferre conclusionem vel illatæ assentire. Imperfectus est qui indiget aut vno aut pluribus præter ea quæ sumpta sunt, quæ sunt quidem necessaria quantum ad perfectos terminos; non autem sumpta in propositionibus. (Indiget vno aut pluribus) principiis nimirum perficientibus conuersione scilicet aut transpositione præmissarum aut vtroque. aut saltem reductione per impossibile de quibus infra. (præterea quę sumpta sunt) pręter principia materialia formaliā & dirigentia (quæ sint quidem necessaria) id est, quæ principia perficientia sunt quidem necessaria ad ipsam terminorum dispositionem (non tamen sumpta in propositionibus) non tamen sunt intrinseca & essentialia syllogismo. quasi dicat, licet non sunt intrinseca syllogismo & extrinsecus assumantur, tamen ad syllogismi perfectionem sunt necessaria. Sensus ergo totius definitionis est, Imperfectus syllogismus est qui ita non est euidens, quin per aliquid eius euidentia manifestari debeat. Vnde patet aliter syllogismum dici hic imperfectum, aliter cum enthymema dicitur imperfectus syllogismus. Enthymema enim dicitur syllogismus imperfectus quia ei deest pars intrinseca & essentialis necessaria ad syllogismum; hic vero imperfectus syllogismus dicitur, non cui pars aliqua necessaria deest, sed cui aliquid euidentiæ deest vt iudicetur euidenter concludere. Imperfecti syllogismi sunt omnes præter quatuor primos primæ figuræ directe concludentes.

Petes 4. quomodo syllogismus imperfectus per illa principia perficientia perficiatur. Respon. perfici accidentaliter & extrinsece. est enim essentialiter perfectus. Quando autem consequentia fit euidentiæ accidentaliter & extrinsece perficitur, sicuti maior vel minor euidentia bonæ consequentiæ, sunt extrinseca & accidentalia syllogismi.

Post diuisionem & definitionem syllogismi tradit Aristoteles duo principia dirigentia, dici de omni & dici de nullo. De omni dici est cum nihil è subiecto sumi potest, de quo alterum non dicatur, id est, dici de omni est prædicari de omnibus inferioribus subiecti: vnde dici de omni & propositio vniuersalis non differunt. Dici de nullo est cum nihil è subiecto sumi potest de quo alterum non negetur, id est, cum de omnibus inferioribus subiecti negatur. Vnde cum propositione vniuersale negante coincidit. Hinc sumuntur duo principia directiua siue regulæ quibus diriguntur syllogismi: vna affirmatiuos dirigit altera negatiuos. Prima Quicquid dicitur de aliquo vniuersim sumpto dicitur de omni contento sub illo: Secunda, Quicquid negatur de aliquo vniuersim sumpto, negatur & de omni contento sub illo. Prior regula dirigit duos syllogismos perfectos affirmatiuos Barbara & Darii. Posterior duos perfectos negatiuos Celarent & Ferio. Cæteri etiam diriguntur hisce principiis sed mediantibus illis perfectis vnde dicuntur perfici seu reduci ad perfectos.

Nota ad perfectiorem intelligentiam huius cap. & sequẽtium quadruplicia esse initia syllogismi. Primo materialia, propositiones scilicet & terminos. Secundo formalia modum sci-

dum scilicet & figuram. Tertio, Dirigentia dici de omni & dici de nullo. Quarto, perficientia conuersionem & transpositionem præmissarum. Hoc capite absoluit materialia & dirigentia: Formalia & perficientia deinceps explicantur antequam ad sequentium capitum explicationē aggrediamur proponenda sunt aliqua dubia.

D V B I V M I.

In quo posita sit ratio formalis discursus siue essentia.

SVppono 1. ex dictis supra discursum esse operationem mentis qua ignotum aliquid ex notiore deducimus & inferimus: Ex qua definitione colligi possunt conditiones tres boni discursus. Prima vt sint distinctæ conditiones antecedentis & consequentis. Secunda vt cognitio antecedentis sit prior, si non tempore, natura saltem cognitione consequentis. Qua de causa dicunt aliqui Angelos non discurrere, quod simul videant causam & effectum in causa. Ego tamen puto Angelos vere discurrere & cognitionem causæ in illis natura saltem esse priorem cognitione effectus. Tertia vt cognitio antecedentis sit causa cognitionis consequentis vt ex vi cognitionis vnius veniat intellectus in cognitionem alterius. Quare non bene Gregorius Ariminensis, qui vult discursum esse cognitionem vnius post aliud, vel cognitionem vnius per alium, vtrunque enim ad discursum requiritur, vt sit cognitio vnius post aliud & per aliud.

Suppono secundo 3. in omni discursu iudicia, iudicium scil. antecedentis, iudicium consequentis & iudicium bonæ consequentiæ. Quarto iudico consequēs bene inferri ex illo antecedente & de his tribus est difficultas, in quo ex illis posita sit ratio formalis discursus.

Dico ratio formalis discursus est posita in illo postremo iudicio illatiuo quo iudico terminos quæstionis esse connexos propter connexionem quam habent in antecedente cum medio. Probatur primo, quia iudiciū antecedentis & iudicium consequentis pertinent ad secundam operationem intellectus, ergo non in illis, sed in illo 3 iudicio est tertia operatio. Probatur secundo quia sine illo iudicio illatiuo non potest concipi ratio discursus, vnde & Aristoteles per illud syllogismum definiuit.

Dices modus & figura sunt principia formalia syllogismi, ergo formalis ratio discursus syllogistici in iis est posita non in illo iudicio Respon. Vocati principia formalia, non quod in illis sit forma, sed quod aliqua ratione ad formam pertinēt, quia nimirum sine illis non potest esse bona forma discursus aut bonum iudicium illatiuum. Ex illa vero bona terminorum ac propositionum dispositione oritur quod iudicium illatiuum sit bonum.

Nota vero tertiam operationem habere magnam analogiam & similitudinem cum secunda. Vt enim se habent in secunda operatione plures conceptus, ita plures propositiones in tertia: vtque conceptus ac termini illi per verbum copulati propositionem efficiūt, ita debitæ connexæ propositiones discursum efficiunt, utque se habet copula ad propositionem, ita proportione quadam se habet ad discursum particula illatiua, & vt ratio secundæ operationis consistit in iudicio quod prædicatum insit subiecto: ita tertiæ in iudicio quod consequens sequetur ex antecedente. In eo tamen differunt quod secunda operatio sit iudicium nunc affirmatiuum nunc negatiuum, tertia vero semper sit iudiciū quodammodo affirmatiuum.

Petes primo quibus principiis nitatur omnis discursus. Resp. Hisce duobus naturæ lumine notis, quæ sunt eadem vni tertio eadem sunt inter se, & quorum vnum est idem, cum tertio alterum non est idem, non possunt esse eadem inter se. Igitur proposita quæstione, v. g. an anima sit immortalis, vt cognoscam an termini illi inter se connexi nec ne, vnum terminum 1. considero & animaduerto quas habeat proprietates, quaue prædicata intrinseca, & reperio animam, v. gr esse incorpoream: Exquiro deinde, an incorporeum connexionem etiam habeat cum immortali, repertoque, ita etiam recte infero, illos duos terminos quandoquidem sint coniuncti cum hoc tertio incorporeo scil. & inter se esse coniunctos. Sin vero inuenirem incorporeum cum immortali non posse connecti, concluderem negatiue etiam animam cum immortali non esse connexam quandoquidem incorporeum quod coniungitur cum anima non coniungatur cum immortali.

Petes secundo, quo modo differant discursus materialis & formalis Respon. discursum materialem esse cum bene infertur

consequens ex antecedente ratione ipsius materiæ non vi alicuius præuiæ dispositionis terminorum. Sunt enim res aliquando ita coniunctæ vt vna cognita statim & alia cognoscatur vt in hoc discursu. Sol ortus est ergo dies est, quia enim dies tantam habet connexionem cum ortu solis, vt sole orto necessario sit dies & fit vt cognito ortu solis mox inferamus diem esse. Formalis autem est cum ita sunt in antecedente dispositi termini, vt & vi illius dispositionis necessario aliud sequatur, etsi materia non esset nota, talis discursus formalis est in omni bono syllogismo, quo fit vt in syllogismo nunquam negari possit consequentia, nisi peccet in forma. In omni vero enthymemate & discursu materiali possit negari, quia conclusio non infertur ex vi dispositionis terminorum. Porrò formalis discursus cognoscitur si in omni materia eodem modo dispositis terminis bene sequatur conclusio. Materialis vero si in alia materia eodem modo dispositis terminis non sequatur.

Petes vltimo an discursus dicatur vniuoce de syllogismo, inductione enthymemate & exemplo. Item de materiali & formali, de vero & falso, de illatiuo & probatiuo Resp. duobus modis tertiam operationem considerati posse, primo secundum essentiam prout illatiuum est quoddam iudicium vnius ex alio, siue verum inferatur siue falsum, siue necessarium, siue contingens. Secundo, prout est quædam veritatis inuestigatio, primo modo de his omnibus æqualiter & vniuoce (excepto illatiuo & probatiuo, analogice enim & impropriè tantum dicitur de illatiuo, quia non fit per medium, vnde non est cognitio vnius ex alio,) omnes enim continent totam rationem tertiæ operationis. Posteriore modo de discursu vero & falso dicitur analogice aut æquiuoce, item de materiali & formali dicitur analogice, formalis enim propriè veritatis inuestigatio est. Vi enim sua infert ignotum ex noto. Materialis autem vi sua non infert, sed tantum ex connexione materiæ vt si materia non sit euidenter connexa, nullam habeat vim inferendi. Hinc constat analogice etiam dici discursum secundo sumptum de syllogismo enthymemate & exemplo. Priora enim duo formales videntur argumentationes alia vero materiales. Licet nonnulli dubitent an Inductio sit formalis de qua infra.

DVBIVM II.

Vtrum antecedens sit pars discursus?

Ratio dubii esse potest quia cum ratio formalis discursus sit iudicium illud illatiuum, assensus vero præmissarum illud iudicium præcedat existimare quis posset in ipsa illatione præcise esse discursum: antecedens vero requiri duntaxat ad syllogismum tanquam quid præuium, non tanquam partem syllogismi. Deinde cum discursus sit tanquam modus intellectus ab vna cognitione in alium, videtur cognitio illa prior se habere per modum termini à quo ac proinde esse extrinseca illi motui, dico tamē antecedens esse partem discursus. probatur, quia ex essentia sua: discursus est cognitio vnius per aliud, ergo ex essentia sua & intrinsece includit vtriusque cognitionem. Secundo sic se habent propositiones in syllogismo sicut termini in propositione, sed vnus terminus non facit propositionem, ergo nec vna propositio discursum. Item quemadmodum copula in propositione coniungit plures terminos, vt ex illis componatur vna propositio ita in discursu particula illatiua connectit plures propositiones, vt ex illis componatur vnus discursus, tertio probatur alioqui syllogismus non erit discursus, cum constet præmissis & conclusione. Ad responsionem dubii priorem dico etiamsi præmissæ sint priores conclusione, & completo iudicio illatiuo, ipsum tamen iudicium illatiuum inchoari in ipsis præmissis & esse veluti formam totius discursus. Ad responsionum posteriorem Respon. cognitionem antecedentis non se habere per modum termini à quo, sed potius per modum viæ. Adde discursum impropriè & metaphorice vocari motum, vnde non esse ei tribuenda ea quæ vero motui conueniunt.

Dices, ergo discursus erit compositum per accidens ex diuersis propositionibus Respon. nego consequentiam, quia propositiones illæ possunt inter se componi & vniri ad vnum discursum conflandum, sicuti duo termini vniuntur ad vnam propositionem constituendam.

DVBIVM III.

An conclusio sit pars intrinseca syllogismi.

DVæ sunt sententiæ. Albertus, Nifus. Aquilinus ad quod videtur etiam accedere ucrioes voluit non esse partem syllogismi, d tantum eius effectum & terminum. pro-itur Authoritate Aristotelis 1. priorum c. 1. vbi ipse docet syllogismum constare tri-is terminis & duabus tantum propositioni-is Item secundo priorum c 1. docet ex vno llogismo multas conclusiones posse inferri: conclusio autem esset intrinseca syllogis-oid fieri non posse, quia mutata conclusio-e non esset idem syllogismus. Secundo pro-atur ratione quia syllogismus est instrumen-im sciendi per quod venitur in cognitio-em conclusionis. Ergo conclusio est effectus llogismi effectus autem nunquam est pars strumenti vel causæ suæ. Tertio syllogismus emonstratiuus generat scientiam, id est, i sam cognitionem conclusionis teste Aristo-ele. Ergo conclusio siue scientia quam parti yllogismus debet ab ipso syllogismo distin-uitur. quarto inferre conclusionem est passio uædam Syllogismi ideo enim docet Aristo-eles in definitione allata Syllogismum esse latiuum conclusionis ergo conclusio non st intrinseca ratione Syllogismi, sed aliquid psi extrinsecum. quinto omnis discursus est notus quidam ex præmissis in conclusionem erminus autem ad quem non est de essentia notus. Ergo. Sexto & postremo Quæstio non st de essentia Syllogismi ergo nec Conclusio probatur consequentia quia quæstio & Con lusio à parte rei sunt idem.

Altera sententia est Buranæ Philoponi & liorum qui censent Conclusionem esse par-tem essentialem & intrinsecam Syllogismi.

Nota primo quod hic quæritur de Syllo-gismo, pari modo quæri de omni argumen-tatione.

Nota secundo præmissas vere esse causam conclusionis & conclusionem illarum esse effectum, quia nimirum præmissæ continent in se virtute conclusionem seu connexionem extremorum inter se, & vi illarum infertur Conclusio. Quo fit vt quod parti conuenit toti Syllogismo frequenter tribuatur: Quem-admodum homo dicitur ratiocinari intelli-gere cuius anima ratiocinatur & intelligit, eoque hic magis quod præmissæ sint Syllogis-mus potentia & in iis quodammodo lateat Conclusio.

Dico Conclusio est pars intrinseca Syllo-gismi, Probatur primo iisdem fere rationibus quibus probata est Conclusio præcedentis dubii. Secundo ex Aristotele 1. de anima tex-tu 8. qui ait demonstrationem incipere à præmissis, finiri vero in Conclusione. Ergo Conclusio est aliquid ipsius. Tertio tertia mē-tis operatio ex essentia sua est illatio & Iudi-cium illatiuum, sed illatio intrinsece includit tanquam materiam intrinsecam inferens & illatam, id est, antecedens & consequens, er-go, qua ratione includit antecedens, vt etiam fatentur aduersarii pari ratione concludit cō-sequens. quarto Conclusio ponitur in defini-tione Syllogismi ergo est aliquid ipsius quin-to Conclusio variat modum Syllogismi. Nam Barbara & Paralipton sola conclusione diffe-runt Ergo. Sexto docent Philosophi Syllo-gismi formam esse Conclusionis, sed forma est pars essentialis & intrinseca ergo Conclusio est pars essentialis & intrinseca Syllogismi. Vbi tamen nota, non ita hæc esse intelligenda, vt Conclusio sit vere forma Syllogismi, est e-nim vna cum præmissis materia iudicii illati-ui, quæ est vera forma Syllogismi, sed quia Conclusio, respectu præmissarum, aliquo modo imitatur formam, præmissæ vero ma-teriam. Nam quemadmodum materia virtute continet formam, & ex illa educitur forma, ita antecedens virtute continet conclusionē, ex eoque Conclusio, tanquam in illis latens, educitur. Et quemadmodum materia plures formas potentia continet, & à forma adue-niente determinatur, ita eędem pręmissæ pos-sunt inferre plures Conclusiones, Conclusio autem, quæ infertur, præmissas quodammo-do determinat. Adde Conclusionem vocari formam, quia Iudicium illatiuum, quæ est forma Syllogismi, in Conclusione comple-tur.

Ad argumenta & 1. ad authoritatem Ari-stotelis priorem, respondeo, per duas propo-sitiones intelligi ibi duas præmissas, & sic idē: Syllogismus constat duabus propositioni-bus, & Syllogismus constat duabus præmis-sis. Patet ex textu, vbi totus est vt doceat in

 ante-

antecedente omnia præter duas præmissas esse tollenda.

Ad alteram resp. 1. eandem esse aduersariis difficultatem, si enim variatur conclusio variatur etiam Syllogismus secundum ipsos, licet iuxta illorum opinionem conclusio nam sit pars Syllogismi, ordo tamen & relatio præmissarum ad conclusionem, est Syllogismo essentialis, quæ relatio mutato termino mutatur.

Respondeo secundo cum Philopono, non esse eundem Syllogismum, sed similem si conclusio mutetur.

Respondeo tertio, Diuersas conclusiones ex iisdem præmissis illatas forte non mutare syllogismum essentialiter, forte bene accidentaliter. Adde Aristotelem nihil aliud intendere, quam docere syllogismo in genere hoc esse proprium, vt ex iisdem præmissis inferre possit conclusiones plures.

Ad secundam respondeo primo, præmissas non incommode posse dici instrumentum sciendi, per illas enim venit intellectus in cognitionem conclusionis, idque syllogismo ratione præmissarum iuxta secundum notabile tribui.

Respondeo secundo, ipsummet syllogismum ac demonstrationem, seu potius cognitionem conficiendi syllogismum, posse dici instrumentum sciendi, si sumatur in communi, vtque est iudicium de materia aliqua in confuso, non de hac aut illa determinate, in particulari, vt vero applicatum est certæ alicui materiæ, esse scientiam ac cognitionem conclusionis. Sic definitio & propositio, quæ aliquo modo sunt instrumenta sciendi, & nihil aliud sunt, quam prima & secunda operatio, vt applicari possint huic, vel illi materiæ: atque ita intellectus cognitionem parere; Posset etiam dici improprie capi instrumentum, quia aliquo modo per suas præmissas manifestet alteram sui partem, scilicet conclusionem. Sicuti si aliquod corpus media sui parte lucidum illuminaret alteram partem obscuram, pars illa lucida aliquo modo posset dici instrumentum illustrationis alterius partis, imo totum corpus dici posset instrumentum, quo altera illa pars illustraretur.

Ad tertium respondeo, syllogismum parere scientiam, vel improprie, quia secum adfert scientiam, vel syllogismo hoc tribui, ratioı præmissarum.

Ad quartum respondeo, non esse tantu propriam passionem syllogismi, inferre coı clusionem, sed esse ipsius intrinsecam esseı tiam.

Ad quintum respondeo, discursum di motum intellectus (vt *supra*) improprie & m taphorice, atque adeo non esse illi tribuei dum, quod vero motui tribuitur.

Ad sextum respondeo, quæstionem re qu dem esse idem cum conclusione, ratione t men distingui, quia antequam fiat syllog mus, dicitur quæstio, quoad illationem coı clusio, vnde formaliter sumpta quæstio nc potest dici pars syllogismi, bene tamen m terialiter.

DVBIVM IV.

An illatiuus æque, ac probatiuus sy logismus contineatur definitione syllogismi.

NOta primum illatiuum vocari à quibu dam, qui formam habet syllogistican id est, debitam figuram, & modum, non t men est applicatus materiæ alicui connex sed disparatæ, hoc est, vel falsæ, vel nihil sign ficanti, vel elementis literarum Probatiuuı autem dici, qui non tantum legitimam habe formam, sed applicatur materiæ connexæ, omnes eius propositiones sint veræ.

Nota secundo, cum ratio formalis secuı dæ operationis posita sit in illo iudicio, qu alterum iudicamus inesse alteri, vel non iı esse, & sine iudicio illo stare non possit secuı da operatio.

Consequens est, tale iudicium esse nc posse, si sit affirmatiuum, nisi materia aliqu modo sit connexa, saltem apparenter: rep gnat enim, me iudicare aliqua esse connex nisi mihi videantur connexa: Similiter n iudicium negatiuum, nisi termini à par rei, vel saltem secundum apparentiam, sint paratι. Non obstantibus his, tamen pote propositio per primam operationem appr hendi, non secus, ac si vere fieret, quamu formaliter non fiat: Haud aliter, quam ali res, quæ licet vere, & formaliter non sin possuı

ſſunt tamen per intellectum apprehendi, dicantur habere quoddam eſſe cognitum, obiectiuum, non tamen reale, ac pro- um, quæ omnia experientia patent expe- iur enim, nos poſſe hanc propoſitionem ellectu comprehendere, licet non facia- s iudicium ita eſſe: imo iudicamus contra- m.

Vlterius hæc Propoſitio apprehenſa po- t voce explicari, non ſecus, ac ſi vere fieret, iſſentiretur intellectus, iisdemque verbis plicabitur, quibus ipſa formalis efferetur nciatio.

Sed in ipſa mentis operatione magnum t diſcrimen, ſi enim iudico hominem, ver- gratia, eſſe rationalem, eſt vera enunciatio, ceſque illæ, homo eſt rationalis, primario, vt, quod, ſiue, vt Philoſophi dicunt, in actu nato ſignificant hominem eſſe rationa- n: Secundario vero &, vt, quo, ac, vt dicunt actu exercito, ſignificant ipſum iudicium, vt meam apprehenſionem explicem, dico minem eſſe rationalem, voces illæ eædem nt, quæ prius, illæ tamen nec quidem ſe- ndario, & actu exercito vllum repræſen- nt iudicium, cum à parte rei nullum ſit, niſi eſſe obiectiuo, ſed tantum ſimplicem ap- ehenſionem.

Nota tertio, quod de ſecunda operatione ximus, pari ratione locum habere in ter- a, neque poſſe tertiam operationem conſi- ere, niſi ſit iudicium illatiuum, quæ eſt for- alis ratio huius operationis. Et quemad- odum ſecunda operatio nequit eſſe ſine rminis, quos connectat, ita tertia operatio equit eſſe ſine propoſitionibus, ſeu iudi- is enunciatiuis, cum ſit propria ipſius ma- ria, neque enim poteſt concipi eſſe illatio, iſi ſit alicuius rei, ex altera re, ſiue ſine, infe- nte, & illato.

Poteſt tamen tertia operatio non ſecus at- ue ſecunda per primam operationem appre- endi, & voce explicari: ſed & in illa appre- enſione non eſt tertia operatio, niſi in eſſe biectiuo.

Dico primo, diſcurſus Syllogiſticus ap- licatus materiæ euidenter falſæ, aut quam utet quis falſam, non eſt verus Syllogiſ- ius, nec hic definitur.

Probatur: non poteſt eſſe iudicium illati- uum, vbi non eſt quod inferat, neque quod inferatur.

In tali diſcurſu neutrum eſt: ergo non eſt iudicium illatiuum.

Probatur minor, quia non poteſt eſſe pro- poſitio, niſi adſit aſſenſus ac iudicium, quo iudicet alterum alteri conuenire. Non poteſt autem quid aſſentiri materiæ, quam videt euidenter, aut putat, falſam: ergo.

Confirmatur, quia deeſt in hoc caſu vera materia, ad ſyllogiſmum conficien- dum.

Dico ſecundo: Diſcurſus Syllogiſticus in materia nihil ſignificante, aut elementis li- terarum, non eſt ſyllogiſmus, neque hic de- finitur.

Probatur, quia termini huius diſcurſus non poſſunt formaliter accipi, cum nullam habeant ſignificationem. Ergo materialiter. Materialiter autem ſumuntur falſæ propo- ſitiones, ergo. Ob eandem rationem nullus fiet in tali materia ſyllogiſmus, ob quam non fieret in materia falſa. Hinc infertur, male vocatos hos Syllogiſmos, illatiuos, cum nihil inferatur, neque procedat aſſen- ſus præmiſſarum ex quibus Concluſio infe- ratur.

Dico tertio, non tantum ſyllogiſmus pro- batiuus ſupra definitus, ſed quilibet applica- tus materiæ, aliquo modo connexæ, ſiue re- uera, ſiue apparenter, eſt ſyllogiſmus, & hic definitus.

Probatur: Quia Ariſtoteles definit ſyllo- giſmum, communem demonſtratiuum topi- co & Sophiſtico, quod patet.

Vbi eandem habet definitionem, & vult eſſe communem his tribus generibus, & ex 1. *c. Elench.*

Probatur ſecundo: Quia Syllogiſmus in materia diſparata, quæ tamen appareat ra- tiocinanti, connexa habet aſſenſum præmiſ- ſarum, & iudicium illatiuum: ergo eſt verus ſyllogiſmus.

Hinc infertur primo, nullum ſyllogiſ- mum vere dicendum, qui non ſit probatiuus, nec contra. Quia vbicunque infertur bo- na Concluſio, ex præmiſſis, etiamſi mate- ria ſit diſparata, putatur tamen connexa vereq;

vere probatur ratiocinanti conclusio. Contra vero, vbicunque probatur, vere etiam infertur, quia probatio non fit sine iudicio illatiuo. Secundo infertur syllogismum illatiuum, & probatiuum, vt initio definiti sunt, non esse, nisi æquiuoce, aut analogice syllogismos. Tertio infertur, vniuoce conuenire rationem syllogismi, demonstratiuo, Dialectico, & Sophistico, non peccanti in forma.

Dices 1. Definitur etiam hic syllogismus ex falsis constans, is autem non est probatiuus, sed illatiuus. Ergo.

Maior patet, tum ex *secundo priorum c.2.* vbi dicitur in syllogismo ex falsis posse concludi verum, tum quia *top.1.c.1.* docet, syllogismos peccantes in materia, esse vere syllogismos, quamuis non sint veri syllogismi, qui in forma peccant, tum quia syllogismus ducens ad impossibile, habet vnam falsam præmissam, & tamen est verus syllogismus. Confirmatur: Quia Aristoteles fere format syllogismos in elementis, & terminis, non significantibus, talis autem non potest esse probatiuus, sed tantum illatiuus: ergo. Resp. fere patere ex dictis. dico tamen definiri istum syllogismum, posito assensu præmissarum: Itaque Sophisticus peccans in materia non est syllogismus, nisi illi, qui materiam putat esse connexam. Similiter dico de syllogismo ad impossibile, illum esse syllogismum, quia accipimus præmissam ab aduersario concessam. Quare non iudicamus verum esse simpliciter, sed secundum adversarios. Ad confirmationem dico, Aristotelem vti his literis, seu elementis, non quod velit syllogismum ex elementis confectum, esse vere syllogismum, sed vt ostendat, se non agere de syllogismo applicato certæ materiæ.

Dices secundo: si formem huiusmodi syllogismum, omne animal est lapis, omnis homo est animal, ergo omnis homo est lapis suspenso assensu præmissarum possum iudicare consequentiam esse bonam, siue consequens illud bene sequi, ex præmissis. Ergo vere erit syllogismus, in materia euidenter disparata. Confirm. 1. quia in iudicio de consequentia consistit ratio formalis syllogismi. Confirm. quia illud iudicium, quod intellectus hic format, est operatio intellectus, non prima, nec secunda: ergo tertia. Respon. suspenso assensu præmissarum, me non posse iudicare, consequentiam esse bonam, siue consequens illu[d] bene sequi ex præmissis, eo modo, quo iudi[c]andum est, in vero discursu, quia non pos[s]um iudicare, consequens esse verum, propte[r] veritatem præmissarum, siue assentiri conclu[si]onibus, quia assentior præmissis: neque quod idem est, iudicare terminos esse conne[x]os: propter eorum connexionem cum me[di]o, quod est de ratione tertiæ operationis possum tamen formare iudicium quoddam ex hypothesi, si præmissæ essent veræ, fo[re] etiam vt conclusio propter præmissas ess[et] vera: siue, si ego assentirer præmissis, assent[i]rer etiam conclusioni: vnde aliquo modo po[t]est vocari discursus, ac syllogismus, ex hypo[the]si, non autem verus syllogismus: sicut non vere iudico, per secundam operationem hominem esse lapidem, si dicam, si viderer hominem esse lapidem, assentirer huic pro[po]sitioni, homo est lapis.

Ad primam confirmationem patet.

Ad secundam respon. hoc iudicium pr[o]prie esse secundam operationem, ac iudiciu[m] enuntiatiuum hypotheticum, stricte sum[]ptum: sicuti cum dicimus, si sol esset ortu[s] dies esset, est verum iudicium secundæ op[e]rationis, includitur tamen quoddam iud[i]cium perfectæ consequentiæ, quo iudic[a]mus bene sequi, quando oritur sol, diem es[se]. Quarta, hic tale iudicium est, si veræ esse[nt] præmissæ, vera esset conclusio. Sed ad veru[m] discursum requiritur absolutus & positiu[us] assensus præmissarum, & conclusionis, no[n] autem ex hypothesi, nam assentiri propo[si]tioni, posita aliqua hypothesi, reuera non e[st] assentiri.

DVBIVM V.

An syllogismus hic definitus poss[it] constare vna propositione singulari.

RESpondeo posse. Probatur ex Aristote[le] *1. Posteri. c. 1.* vbi talem facit syllogismu[m] 1. Omne triangulum habet tres angulos, du[o]bus rectis æquales, hoc quod est in semicirc[u]lo, est triangulum, ergo habet tres angul[os] duobus rectis æquales. Secundo probat[ur] quia ipse Aristoteles videtur facere demo[n]strationem quandam singularem *1. Post. c.*

Qu[a]

Quanquam particularem ipse appellet, ex exemplo vero satis constat, cum de singulari loqui, docet demonstrationem illam ea continere particularia, quæ sub sensum cadunt, ita autem sunt singularia. Probatur tertio. Multa de singulari ignorantur, quæ sunt ignota, neque per alias argumentationes possunt cognosci: ergo possunt illi per syllogismum inquiri. Probatur quarto, inductio & exemplum possunt ad syllogismum reduci, sed illa constant propositionibus singularibus ergo.

Dices primo: Aristoteles non definit propositionem singularem: ergo non ingreditur syllogismum. Respondeo non definire, tum quia singularis propositionis in syllogismo, qui dirigitur per dictum de omni, eadem est ratio cum particulari, tum, quia ea, quæ his libris tractat, fere ordinat ad demonstrationem, cui singularis propositio non seruit.

Dices secundo: Intellectus ex Aristotele *secundo de anima tex.* 60. non cognoscit singularia: ergo singulare non ingreditur syllogismum. Respondeo. Falsum esse antecedens: Aristotelis autem intentio est, dare discrimen inter sensum & intellectum, & sensum quidem tantū posse cognoscere singularia, quæque sub sensum cadunt, intellectum vero posse etiam vniuersalia considerare.

Dices tertio, talis syllogismus esset invtilis: ergo. Probatur antecedens, tum quia nihil conducit ad scientiam. Scientia enim est vniuersalis, tum, quia non potest reduci ad quatuor modos perfectos primæ figuræ: Respondeo nego antecedens: Ad probationem dico, Primo fore vtilem ad cognitionem eorum, quæ ipsi singulari conueniunt. Secundo ad scientiam conducere saltem mediate, & remote, quia singularium cognitio ad vniuersalium cognitionem iuuat. Quod autem dicitur, non posse reduci ad 4. modos. Respondeo posse reduci saltem ad Darii & Ferio licet non ad alios duos.

Dices quarto, quod conuenit generi, conuenit etiam speciei: ergo si syllogismus in genere potest habere singularem, etiam demonstratio potest vnam habere singularem, hoc autem est falsum: ergo. Respond. Quod conuenit generi intrinsece, & positiue, hoc etiam cuiuis speciei conuenit, sed quod conuenit generi tantum negatiue, per non repugnantiam, non est necesse conuenire cuilibet speciei, sicut rationale, animali conuenit, non tamen omne animal est rationale.

DVBIVM VI.

Vtrum posito assensu præmissarum, necessario intellectus assentiatur conclusioni.

Dico primo, si præmissæ sint necessariæ, & euidentes, posito illarum assensu, ac apprehensione bonæ consequentiæ, potest intellectus suspendere actum suum: Est tamen necessitatis, quoad speciem actus, id est, vt si velit operari, necessario eliciat conclusionis assensum, si præmissæ requirant assensum, vel dissensum, necessario eliciat, si præmissæ exigant dissensum.

Probatur prior pars, quia experimur nos ad hoc non necessario impelli, & voluntatis imperio nos continere assensum. Confirmatur, quia non est maior necessitas in tertia illa operatione, quam in secunda, posita euidenti apprehensione connexionis terminorum. Sed in secunda operatione, apprehensa niue & albedine, eorumque connexione, non necessario iudico, niuem esse albam: ergo nec in tertia.

Probatur pars posterior, quia alioqui posset ferri intellectus extra obiectum. Posset enim assentiri propositioni à parte falsæ, quod est impossibile. Neque obstat, quod admissis præmissis, nonnunquam negetur consequentia; hoc enim fit vel tantum voce, non animo, vel quia non satis aduertitur necessitas consequentiæ.

Dico secundo; si rationes sint tantum probabiles, & euidens consequentia, potest intellectus suspendere actum suum, circa conclusionem, tum etiam necessitatur quoad speciem actus.

Probatur prior pars; quia intellectus non conuincitur per præmissas tantum probabiles: & si in priore casu potest, longe hic potiori ratione.

Probatur pars posterior: quia suppono intellectum non habere rationes in contrario: non potest autem intellectus assentiri illi propositioni, ad quam nullam habet rationem

 inducti-

inductiuam, sed tantum illi, quæ est euidenter vera, vel habet apparentiam veri: ergo si habent rationem probabilem, ad assensum, v.g. non poterit dissentire.

Dices contra primam conclusionem: ergo non aliter necessitatur intellectus per præmissas, euidenter necessarias, quam per probabiles. Respondeo longe aliter necessitari per præmissas euidentes, id est, nisi voluntas suspendat actum, vbi naturaliter, & necessario feretur in actum: non item, si sint tantum probabiles. Quia etsi voluntas non suspendat, non tamen necessitatur per præmissas probabiles, quia non conuincitur. Deinde, per præmissas euidenter necessarias, & ita determinatas, ad speciem actus, vt nunquam possit alterum speciei actum elicere, qui tantum habet probabiles potest postea inuenire probabiliores in alteram partem, & sic determinari in illam, ac resilire à priore illa necessitate intellectus.

Dices secundo, causa naturalis etiam necessaria, necessario agit, positis omnibus ad agendum necessariis, sed causa naturalis non liberat: ergo positis euidentibus præmissis, & concessis, apprehensaque bonitate consequentiæ, necessario feretur ad assensum conclusionis. Respondeo ad maiorem, causam necessariam necessario agere, positis omnibus ad agendum necessariis, nisi impediatur: sicut ignis necessario agit, approximato obiecto, nisi interponatur impedimentum, vel sane dicendum non omnia esse posita ad agendum necessaria, requiri etiam vt voluntas non suspendat actum.

Dices tertio: Sicut se habet voluntas, respectu medii necessarii, posita efficaci intentione finis, sic se habet intellectus ad assensum conclusionis, posita, necessitate præmissarum, & consequentiæ, sed voluntas non potest non eligere medium necessarium, posita efficaci intentione finis: ergo intellectus non potest, non assentiri conclusioni, posita necessitate præmissarum, & consequentiæ.

Respondeo, Istas potentias partim eodem modo se habere, partim diuerso, eodem modo se habet, in eo, quod quemadmodum voluntas est determinata ad electionem medii necessarii, posita intentione finis, ita etiam in prædicto casu intellectus necessitatur, etiam quoad exercitium, si sibi relinquatur nec impediatur: diuerso respectu se habent, quod voluntas, cum sit potentia libera, vt possit mutare intentionem, ita & electionem. Deinde quod illa à nulla re possit impediri vnde necessario sequitur electio, posita intentione finis. Intellectus vero, licet ex se feratur in actum, tamen potest impediri à voluntate suspendente actum: quia voluntas actus intellectus imperare potest, au coercere.

Petes primo Quid si occurrant ratione æque probabiles in vtramque partem, au in vnam partem probabiliorem, poterit n intellectus assentiri vni parti, æque probabili.

Respondeo non posse. Quia tota ratio assentiendi, est ista rationum probabilitas, qu cum æqualis vtrinque appareat, non pote in vnam partem me magis rapere, quam i alteram, nec mihi videri pars illa probab lior.

Et quamuis vtraque pars sigillatim sum pta, habet aliquam speciem veri, tamen com parata ad alteram, in qua æqualis, vel maic est similitudo veri, non habet.

Petes secundo: Quomodo præmiss sint causa conclusionis, & in intellectum i fluant.

Respondeo non effectiue, vt plerique cen sent, sed obiectiue tantum, intellectum n mirum determinando ad assensum concl sionis, per propositionem obiecti, siue co nexionis terminorum inter se, ratione m dii, in quo connectuntur. Ratio, quia vn actus intellectus non influit in alterum i tellectus actum: actus enim etsi habitu producat, non tamen alterum actum pr ducit, maxime in hoc casu, vbi assens præmissarum sæpe est alterius speciei cu assensu conclusionis. Deinde sæpe assens præmissarum non est, quando infertur co clusio. Quod autem non est, non potest e fectiue, & Physice influere in alterius eff ctum.

Petes tertio: Vtrum cum assentior pr missis, non assentiar eodem actu conclusio

Respondeo assentiri implicite, quia co clusio virtute continetur in præmissis, n autem expresse, nisi dum infertur conclusi

Petes quarto: Vtrum iudicium illatiuu

cons

consequentiæ, & iudicium enunciatiuum consequentis, sint idem iudicium? (Non petimus hic vtrum diuersi sint specie actus, hoc enim constat: sed vtrum hæc duo diuersa specie iudicia in eundem numero actum confluant.)

Respondeo videri verisimile, in eundem numero actum coire, qui tamen ratione in duo possit distingui.

CAPVT II.

De Propositionum Conuersione.

HOc capite explicat vnum ex principiis perfectiuis, quibus Syllogismi imperfecti ad perfectos reducuntur. Alterum transpositionem scilicet præmissarum omittit: quia manifestior erat, quam vt explicatione egeret. Conuersio hic est commutatio partium enunciationis, cum subiectum fit prædicatum, & contra, eadem qualitate seruata: vnde duas exigit propositiones conuersio, quarum prior conuersa, altera conuertens dicitur.

Conuersio propositionum in genere est duplex, vna in oppositam qualitatem, cum non mutato ordine extremorum ex affirmatiua fit negatiua, aut contra: vt, contingit omnem hominem currere, ergo contingit nullum hominem currere: quæ conuersio propria est propositionibus de contingenti, de qua latius *capite octauo*, sed hæc conuersio potius est illatio contrariæ, quam conuersio, excluditurque à definitione conuersionis, *supra* dict. quod non commutet terminos Altera conuersio est in terminis supra definita, quæque eandem propositionum qualitatem retinet. Hæc iterum duplex, vna seruatis iisdem omnino terminis: altera mutatis terminis finitis in infinitos, aut contra, vocaturque conuersio per contrapositionem, qualis est hæc: Omnis homo est animal: Ergo omne non animal est non homo. Conuersio in terminis iterum duplex, materialis & formalis: Materialis, quæ tantum est bona, ratione materiæ. Vnde in aliis terminis non esset bona conuersio, Omnis homo est rationalis; ergo omne rationale est homo.

Formalis est, quæ est bona, ratione formæ, nec in vllis terminis datur, antecedens verum, consequente falso, & de hac agimus. Hæc autem formalis rursum est duplex, simplex nimirum, quam Aristoteles vocat in terminis, in qua mutatis terminis seruatur eadem quantitas, & qualitas, vt nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo. Sic vniuersalis negans, & particularis affirmans, conuertitur.

Altera per accidens, in qua mutatur quantitas, seruata qualitate: Ita conuertitur vniuersalis affirmans, & si cui lubeat, etiam vniuersalis negans. Prior dicitur simplex, quia terminos duntaxat commutat. Per accidens altera, quia præterea mutat quantitatem, quæ est accidens propositionum.

Priusquam doceat Aristoteles, qua ratione propositiones singulæ sint conuertendæ, diuidit eas in propositiones de inesse, quæ significant tantum prædicatum inesse subiecto, non autem modum, quo insit, & modales, quibus adhibeatur modus etiam quo insit, easque duplices, de necessario & contingenti, vt, necesse est hominem esse animal, & contingit hominem currere, quibus adiungi possunt propositiones de possibili, & impossibili, ex *libro de Interpret.* aliæ diuisiones propositionis, quas hic adfert *ex* 1.*c.* sunt manifestæ.

Post has diuisiones regulas assignat conuersionum, ac primo propositionum de inesse.

Prima Regula. Eam quæ inesse significat negationem vniuersalem, terminis conuerti necesse est, id est, vniuersalis negans de inesse conuertitur simpliciter in vniuersalem negantem, vt nulla voluptas est bonum: Ergo nullum bonum est voluptas.

Secunda. Affirmationem quidem conuerti necesse est, non tamen in vniuersalem, sed in particularem, id est, vniuersalis affirmatiua conuertitur per accidens in particularem affirmatiuam. Vt omnis voluptas est

bonum: ergo aliquod bonum est voluptas: Ratio, cur non conuertatur, in vniuersalem negantem, est, quia procederetur à non distributo ad distributum, ex parte prædicati.

Tertia. Ex particularibus aiens, ex parte necessarii conuertitur, id est, particularis affirmans conuertitur simpliciter in particularem affirmantem, vt aliqua voluptas est bona: ergo aliquod bonum est voluptas: Eodem modo conuertuntur indefinita, & singularis propositio.

Quarta, particularis negans non necessario conuertitur, id est, particularis negans non potest conuerti. Ratio, quia procederetur à non distributo ad distributum, ex parte subiecti. vt non sequitur: Aliquod animal non est homo: ergo aliquis homo non est animal. Dicit porro non necessario conuertitur, quia aliquãdo sequitur ratione materiæ: vt aliquis homo non est equus, ergo aliquis equus non est homo. Probat deinde singulas deducendo ad impossibile. Prima, quia si verbi gratia, non sequitur, nullus equus est homo, ergo nullus homo est equus, sitque conuersa vera, conuertens falsa: ergo contradictoria illius erit vera: detur, ille homo qui est equus sitque, verbi gratia, Socrates, tunc sic argumentor per syllogismum expositorium.

Socrates est homo, & Socrates est equus, ergo aliquis equus est homo: hæc autem est contradictoria conuersæ, quæ dicebatur vera, igitur duæ contradictoriæ sunt simul veræ. Secundam probat, per primam, quia alioqui sequeretur, duo contraria simul esse vera, si enim non sequitur, omnis homo est animal: Ergo aliquod animal est homo, ergo hæc vera, nullum animal est homo. Hæc autem per primam conuertitur in hanc, nullus homo est animal: quia est contraria conuersæ, omnis homo est animal. Tertiam eodem modo probat, quo præcedentem, nisi quod hic inferatur, duas contradictorias simul esse veras, ibi duas contrarias: quartam exemplo demonstrat.

Conuersio modalium.

NOta, cum in modalibus duplex sit prædicatum, & duplex subiectum: vnum præcipuum, quod ipsius modalis dicitur, alterum secundarium, quod dicitur dicti, istarum propositionum conuersionem faciendam esse, secundum dicta, commutando ipsius extrema, modo semper manente prædicato primario, siue præmittatur dicto, siue postponatur, & seruata qualitate dicti, ac veritate totius modalis. vt huius propositionis, hominem esse animal, est necesse primarium subiectum, est totum illud, hominem esse animal, quod & dictum vocatur: prædicatum vero primarium necesse, qui dicitur modus: Secundarium vero subiectum, se ipsius dicti est homo, prædicatum animal. Tota igitur conuersio facienda est, circa illud, hominem esse animal, modo, seu prædicato primario inuariato. Vnde & vniuersalitas, & qualitas modalium in ordine ad conuersionem est sumenda.

1. Regula, Propositiones de necesse eodem modo conuertuntur, quo propositiones de inesse.

2. Regula, Propositiones de contingenti generaliter accepto, conuertuntur vt propositiones de inesse, vt contingens est, omnem hominem esse animal: ergo contingens est, aliquod animal esse hominem. Similiter propositiones de possibili conuertuntur. Pro quo nota, contingens dupliciter accipi posse. Primo, generaliter, & minus proprie, prout commune est ad necessarium & contingens, specialiter sumptum, & significat rem tantum posse esse, siue simul possit non esse, siue non possit non esse, idemque valet, quod possibile, secundo specialiter significatque rem posse esse, & non esse, eo pacto nullum necessarium est contingens.

Tertia Regula. Propositiones affirmatiuæ de contingenti specialiter accepto, tam vniuersales, quam particulares conuertuntur, vt propositiones de inesse: vt contingit omnem hominem esse album: ergo contingit aliquod album esse hominem.

Quarta Regula, Propositiones negatiuæ vniuersales de contingenti, specialiter sumpto, non conuertuntur simpliciter, particulares tamen negatiuæ conuertuntur simpliciter, quæ regulæ vtrum sint veræ, *paulo post* examinabimus. Propositiones de impossibili eodem modo conuertuntur, quo propositiones de necesse, quibus æquiualent, de quibus possunt assignari hæ regulæ.

Prim

Prima, Vniuersalis affirmans de impossibili non conuertitur, quia æquiualet negatiuæ particulari, de necesse: vt impossibile est omne animal esse hominem, æquiualet huic, necesse est aliquod animal non esse hominem.

Secunda, Vniuersalis negans de impossibili, eodem modo conuertitur, quo particularis affirmans de necesse, quia illi æquiualet: vt impossibile est nullum animal esse hominem, respondet huic, necesse est aliquod animal esse hominem.

Tertia, Particularis affirmans de impossibili conuertitur simpliciter, quia æquiualet vniuersali, neganti de necesse: vt impossibile est, aliquem hominem esse equum: huic respondet, necesse est nullum hominem esse equum.

Quarta, Particularis negantis de impossibili eadem est ratio, cum vniuersali affirmatiua, de necesse, quæ illi æquiualet, vt impossibile est aliquem hominem non esse animal, huic æquiualet, necesse est omnem hominem esse animal.

Conuersio per contrapositionem, non tractatur ab Aristotele quia non seruit syllogismis reducendis. Conuertitur autem per contrapositionem, sola vniuersalis affirmans, in vniuersalem affirmantem, & particularis negans in particularem negantem, pro quibus conuersionibus hoc est carmen

Ecce tibi simp. armigeros ac arma bono con.

a significat vniuersalem affirmantem, e vniuersalem negantem, i particularem affirmantem, o particularem negantem, vnde carmen

Asserit a, negat e, sunt vniuersaliter ambæ.
Asserit i, negat o, sunt particulariter ambæ.

Deinde simp. significat conuersionem simplicem, ac. per accidens, con. per contrapositionem.

Porro ad omnem bonam conuersionem notanda sunt quædam. Primo, vt totum attributum mutetur in totum subiectum, & contra. Hinc non sequitur, tortor suspendit latronem: Ergo latro suspendit tortorem. Secundo, vt non mutetur suppositio, seu acceptio vocis. vnde non sequitur. Homo est nomen, ergo nomen est homo. Tertio, vt non mutetur ampliatio, appellatio, alienatio, &c. Hinc non sequitur, senex fuit puer: ergo puer fuit senex. Sed hoc modo, qui fuit puer, est, vel fuit senex. Quarto, seruandus est idem sensus compositus, & diuisus. Hinc non sequitur, impossibile aliquem sedentem (quamdiu sedet scilicet), stare: ergo impossibile est aliquem stantem (postquam stetit scilicet) esse sedentem, quia in priori est sensus compositus, in posteriori sensus diuisus.

DVBIVM I.

Vtrum Aristotelis regulæ, assignatæ de conuersione modalium, sint vniuersim veræ.

NOta primo, multos circa has regulas fuisse hallucinatos, & conatos explicare Aristotelem, neque tamen potuisse, sed potius nouas tricas inuexisse. Ratio autem videtur illa fuisse, quod Aristoteles, cui superstruxerunt, videtur aliquid humani passus, maxime circa regulas de contingenti specialiter sumpto, vt multorum est sententia.

Nota secundo, cum veritas propositionum modalium pendeat ex modo, quo terminus aliquis conueniat alteri, an videlicet necessario, contingenter, &c. multum referre considerare diuersitatem terminorum, & aliquando vnumquod alteri insit, secundum exigentiam cuiusque. Sciendum igitur primo quosdam terminos esse necessario inter se connexos, & reciprocari, vt rationabile, risibile, homo, secundo alios vtrinque inter se connexos necessario, nec tamen reciprocari, quia vnum licet ex necessitate insit alteri, non tamen soli, vt homo, animal. Tertio, quosdam ita inter se componi, vt vnus terminus necessario cum altero sit connexus, non tamen contra, sed alter tantum contingenter accidat alteri, vt loquens & homo: etsi enim loquens necessario sit homo, non tamen necessario homo loquens, & ita se habet omne proprium, primo modo cum suo subiecto compositum, quod toti, licet non soli, aut semper accidit. Quarto, quosdam esse qui necessariam inter se habent connexionem, licet cum aliis contingentem, vt calidum cum igne necessariam, cum aqua contingentem. Quinto, alios esse, qui pure contingant, & se habent inter se. Sexto, deniq; aliquos esse, qui necessario à se inuicem remoueantur, vt lapis & homo.

Nota tertio, cum contingens specialiter sumptum, vt diximus, significet posse esse, & posse non esse, duo sibi habere contradictoria, scilicet necesse & impossibile, sub disiunctione, vnde huic contingit hominem esse album, vtraque illa contradicit, necesse est hominem esse album, & impossibile est hominem esse album.

Dico 1. affirmatiuas de necesse non vniuersaliter conuerti, vt propositiones de inesse, quod est contra primam regulam modalium, patet ex secundo notabili in terminis. Tertii generis, vbi datur antecedens verum, consequente falso: vt non sequitur, necesse est omnem Philosophum esse hominem: ergo necesse est aliquem hominem esse Philosophum: eodem modo se res habet in particulari affirmatiua: in his enim conuersæ sunt veræ, conuertentes falsæ. neque potest hic dici, mutari ampliationem, quia æque inepte sequitur, si termini capiantur pro rebus existentibus, idem erit dicendum de propositionibus, ex impossibili æquiualentibus propositionibus affirmatiuis de necesse.

Dico secundo, Propositiones affirmatiuas de contingenti specialiter sumpto, siue vniuersales, siue particulares, non necessario conuerti, quod est contra tertiam regulam Aristotelis. Probatur, in iisdem terminis tertii generis: vt contingit, Deum creare, ergo contingit creantem esse Deum: contingit omnem hominem ridere, ergo contingit aliquod ridens esse hominem. In quibus antecedens, seu conuersa est vera, conuertens falsa.

Dico tertio, Propositiones particulares negatiuæ de contingenti specialiter sumpto, non conuertuntur. Patet primo, in iisdem terminis tertii generis; vt contingit aliquem hominem non esse grammaticum, ergo contingit grammaticum non esse hominem. Item in aliis terminis, pure contingentibus: vt contingit aliquem hominem non esse album, ergo contingit aliquod album non esse hominem conuertens enim hic est falsa, quia cum illud (album) determinate accipitur, videtur illud verificari de aliquo albo determinate, quod non sit homo, sitque verbi gratia nix, falsum autem est, contingere niuem non esse hominem, quia est necesse.

Dico quarto, Propositiones vniuersales negatiuæ de contingenti specialiter accepto, non conuertuntur per accidens, quod etsi Aristoteles expresse non asserat, ex eius tamen rationibus sequitur. Probatur in terminis tertii generis: non enim sequitur, contingit nullum canem latrare: ergo contingit aliquod latrans non esse canem. Item in terminis quinti generis, seu pure contingentibus: vt contingit nullum hominem esse album: ergo contingit aliquod album non esse hominem, vbi conuertens est falsa, ob rationem assignatam præcedenti conclusione.

Nota tamen, Aristotelis regulas fere ordinarie esse veras, ratione materiæ, si demus propositiones de contingenti, specialiter sumpto, negatiuas, vbi non sequitur: vnde etsi non sint formales, sunt tamen materiales consequentiæ.

DVBIVM II.

Vtrum conuersio sit argumentatio.

Dico primo, conuersio est consequentia necessaria, & formalis. Probatur prior pars, quia illa est consequentia necessaria, in qua ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis, id autem accidit in hisce conuersionibus, ergo. Probatur pars posterior, quia illa est consequentia formalis, in qua non datur antecedens verum, consequente falso, talis est hæc, ergo. Secundo patet ex discrimine consequentiæ materialis, & formalis.

Dico secundo, conuersio non est argumentatio: Probatur primo, quia conuersio nihil probat. secundo, quia non fit per medium, seu tertium terminum.

Tertio, quia nec est syllogismus, nec inductio, nec enthymema, nec exemplum, Quarto, quia etsi conuertens, & conuersa non sunt plane identicæ, tamen non differunt, nisi quod vna sit directa & naturalis enuntiatio, altera indirecta, & minus naturalis, in qua subiicitur id, quod naturaliter postulat de altero prædicari.

Dices primo, omnis consequentia bona est argumentatio: ergo. Respon. consequentiam etiam formalem, latius patere, quam argumen-

argumentationem, vel discursum, vt recte Fonseca *l.6.c.1.* Argumentatio enim dicitur ab argumento, seu medio, per quod infertur aliorum duorum terminorum connexio potest tamen analogice talis consequentia vocari discursus, vt *superius* diximus, de discursu illatiuo. Omnis enim consequentia bona quæ nihil probat, potest vocari discursus illatiuus.

Dices secundo, conuersio videtur habere speciem Enthymematis, ergo. Respon. Etsi aliquibus possit videri, non tamen esse, quia caret tertio termino, & satis patet, quia reduci non potest ad syllogismum, nisi nugatorium, & petentem principium, vt si dicas, nullus lapis est homo, ergo nullus homo est lapis.

CAPVT III.

De prima figura.

AGgreditur tractare hoc capite, & sequentibus deinceps capitibus, principia formalia syllogismorum, modum scilicet & figuram. Dicitur autem figura, forma remota, quia respondet materiæ proximæ, propositionibus, scilicet, vt patebit ex illorum definitionibus.

Termini porro in syllogismo sunt tres, is quibus ponitur ante conclusionem, nec illam ingreditur, medium vocatur, qui cum medio in maiori propositione ponitur, vocatur maior extremitas, estque in omni directa conclusione prædicatum, qui autem in minore cum medio, dicitur minor extremitas, estque in conclusione directa subiectum. Maior propositio autem ea dicitur, quæ naturaliter, & secundum optimum syllogismi dispositionem, ponitur primo loco, minor autem, quæ secundo.

Figura est dispositio trium terminorum in antecedente syllogismi, secundum subiectionem & prædicationem. Est autem figura triplex: secundum triplicem dispositionem medii, prima est, in qua medium semel subiicitur, & semel prædicatur: Secunda, in qua medium bis prædicatur, Tertia in qua medium bis subiicitur.

Modus est, certa quædam dispositio propositionum syllogismi, secundum quantitatem, & qualitatem.

Modus multipliciter diuiditur, primo modorum alii vtiles, alii inutiles, Secundo alii directe concludunt, alii indirecte: Tertio alii perfecti, alii imperfecti. Quarto alii affirmatiui, qui scilicet habent conclusionem affirmatiuam, alii negatiui, qui conclusionem habent negatiuam: Quinto alii vniuersales, alii particulares. Vniuersales aliqui vocant qui habent conclusionem vniuersalem, alii vero eos, qui habent duas præmissas vniuersales.

Regulæ omnibus figuris communes sunt hæ:

Prima, ex puris particularibus nihil sequitur, in illa figura patet, quia talis syllogismus non potest dirigi dicto de omni, aut de nullo.

Secunda, ex puris negatiuis nihil sequitur, ratio, quia non ideo aliqua remouentur à se inuicem, quia remota sunt à tertio.

Tertia conclusio sequitur debiliorem partem antecedentis: vt si aliqua præmissarum sit particularis, necessario conclusio erit particularis, si aliqua illarum negatiua, necessario conclusio negatiua.

Quarta, medium nunquam potest ingredi conclusionem.

Quinta, medium dicitur semel, saltem in antecedente distribui, id est, vniuersim capi, pro omnibus inferioribus.

Sexta, Nunquam procedendum pro parte alterius extremi à non distributo in antecedente, ad distributum in consequente.

Modi vtiles in vniuersum sunt 19. his versibus comprehensi

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralip-ton
Celantes, Dabitis, Phapesmo Frisesо-moron
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti
Phelatton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferizon.

Quorum nouem primi duobus primis versibus comprehensi, seruiunt primæ figuræ, ex quibus quatuor primi directe concludunt, alii indirecte. Quatuor sequentes sunt pro secunda figura, sex postremi pro tertia figura. Cæteræ combinationes quæ fieri possunt, modos inutiles conficiunt. Aristoteles igitur *hoc capite* primam figuram explicat, & modos vtiles ab inutilibus discernit.

Cum igi-

Cũ igitur tres termini, &c. describit primã figuram, cum medium semel subiicitur, & semel prædicatur, & duos modos vtiles vniuersales assignat Barbara & Celarent.

Si vero primam, ex omni medio, &c. reiicit duos modos inutiles, vniuersales, vnum ex maiori vniuersali affirmatiua, minori vniuersali negatiua, alterum ex vtraque, vniuersali negatiua. Nota Aristotelem passim regula quadam vti, ad secernendum modos vtiles ab inutilibus, hoc nimirum quod ii sint inutiles, in quibus dari possunt termini, in quibus omni, & in quibus nulli. Termini in quibus omni, sunt tres termini, ex quibus fieri possunt duæ præmissæ veræ, cum quibus in veritate consentit vniuersalis affirmatio maioris extremitatis, de minori. Termini vero in quibus nulli sunt tres termini, ex quibus fieri possunt duæ permissæ veræ, cum quibus in veritate consentit, vniuersalis negatio maioris extremitatis de minori. Illi ergo modi sunt inutiles, in quibus seruara eadem dispositione præmissarum potest dari propositio vniuersalis affirmans, & vniuersalis negans, in diuersa materia, & terminis, qui essent ponendi in conclusione.

Ratio facilior est hæc, illum modum esse inutilem, in quo potest dari antecedens verum consequente falso, Nota ergo, quotiescunque ab Aristotele assignantur tres termini, in quibus omni, & in quibus nulli, primum terminum esse maiorem extremitatem, secundum medium, tertium minorem extremitatem.

Si vero terminorum alter &c. Præscribit duos modos particulares, vtiles, & perfectos, Darii & Ferio.

Sed si vniuersale &c. reliqua parte capitis reiicit ceteros modos, inutiles, quos similiter probat per terminos, in quibus omni, & in quibus nulli, Nota in omnibus figuris sedecim combinationes propositionum fieri posse, quo fit, vt in prima, cum sint tantum quatuor modi, vtiles, cæteræ 12. combinationes scilicet a, e, ee, ao, eo, ia, ie, ii, io, oa, oe, oi, oo, sint inutiles.

Constat quoque omnes &c. Concludit primam figuram, esse perfectissimam, quod omnis generis conclusiones vniuersales & particulares affirmatiuæ, & negatiuæ per eam colliguntur, & quod in se clarissime expressum habeat dictum de omni, & de nullo.

Regulæ seruientes modis specialiter primę figuræ colliguntur duæ, prima, ex minore negatiua, in prima figura nihil sequitur. Ratio, quia procederetur à non distributo ad distributum, ex parte maioris extremi.

Secunda, Ex maiore particulari nihil sequitur. Ratio, quia medium nunquam distribueretur, neque talis syllogismus dirigeretur principiis dirigentibus: Dici de omni, & dici de nullo, ratione quorum in minore subsumendum est sub toto medio, vnde in maiore debet distribui.

Intellige has regulas de modis directe concludentibus de quibus tantum Aristoteles.

CAPVT IV.

De secunda Figura.

CVm autem idem, &c. describit secundam figuram, cum medium bis prædicatur.

Ac vniuersæ quidem, &c. duos modos vniuersales vtiles assignat, Cesare & Camestres.

Dicatur enim, &c. Probat hos modos redeundo ostensiue Cum vero M. de omni N, &c. describit modos vniuersales inutiles, ex vtraque vniuersali, vel affirmatiua, vel negatiua, quos probat per terminos in quibus omni, & in quibus nulli.

Nota vero, cum assignat Aristoteles, in hac figura terminos, in quibus omni, & in quibus nulli, primum omne medium, secum maius extremum, tertium minus extremum.

Cum vero medium vniuersim, &c. Describit modos particulares vtiles, Festino & Baroco.

Si enim M. nulli N, &c. probat hos modo priorem quidem per ostensionem reducendo alterum per impossibile.

Cum autem de omni o &c. ostendit modos inutiles particulares, quos probat per terminos, in quibus omni, & in quibus null Hinc colligimus 12. esse combinationes, inutiles, in secunda figura.

Perspicuum etiam omnes, &c. Conclud syllogismos secundæ figuræ esse imperfecto & conclusiones solum negatiuas inferi posse.

Regulæ speciales secundæ figuræ duæ.

Prim

Prima, maior non debet esse particularis. Ratio, quia procederetur à non distributo ad distributum, ex parte maioris extremi, hoc incommodum vitari potest, concludendo indirecte.

Secunda. Ex puris affirmatiuis nihil sequitur Ratio, quia medium nunquam distribueretur.

C A P. V.

De tertia Figura.

SI vero eidem &c. describit tertiam figuram cum medium bis subiicitur.

Vniuerse igitur &c. Modos vtiles vniuersales proponit Darapti & Felapton. quos & probat reductione ostensiua, reductione per impossibile, & per expositionem seu per expositorium syllogismum, de quibus infra.

Cum autem Resp. nulli &c. Modos vniuersales inutiles assignat, probatque per terminos, in quibus omni & in quibus nulli.

Nota vero hos terminos hoc ordine statui, maiorem extremitatem primo loco, secundo minorem extremitatē, tertio medium.

Cum autem negatur &c Modos particulares vtiles proponit, quos vt superiores probat, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferizon.

Cum autem maior affirmatur &c. Modos particulares inutiles reprobat. Ex quibus colligas, sex esse tantum modos vtiles, huius figuræ, cæteras 10. combinationes esse inutiles.

Illud etiam perspicuum est &c. Concludit tertiam figuram non esse perfectam, & in ea non inferri conclusionem vniuersalem, sed particularem tantum affirmatiuam & negatiuam.

Duæ sunt regulæ speciales huius figuræ. Prima: Minor non potest esse negans: Ratio, quia procederetur à non distributo ad distributum ex parte maioris extremi. Secunda: Conclusio non potest esse vniuersalis. Ratio, quia procederetur à non distributo ad distributum ex parte minoris extremi.

C A P V T VI.

Regulæ omnibus figuris communes.

ADfert hoc capite aliquas regulas omnibus figuris communes.

Prima: Ex puris particularib. nihil sequitur.

Secunda, Ex puris negatiuis nihil sequitur nulla figura.

Tertia, In omni figura ex maiore vniuersali, vel particulari, affirmatiua, & minore vniuersali negatiua, fit bonus syllogismus indirecte concludens.

Hi duo modi sunt Phaphesmo & Phrizeso qui non tantum in prima figura, sed & in reliquis sunt vtiles. Cæterorum modorum indirecte concludentium non meminit, quia præmissis non differunt à modis perfectis. Illos vero postea addidit Theophrastus ex Aristotele *l. 2. Prior. c.* 1. vbi illos innuit.

Quarta, indefinita propositio æquiualet particulari in syllogismo.

Quinta, omnes syllogismi imperfecti perficiuntur per primam.

Sexta, omnes syllogismi possunt reduci ad vniuersales primæ, non quidem immediate, sed mediate, vt Darii mediante Camestres: Ferio mediante Cæsare, ad quos reducuntur per impossibile, reducuntur deinde ostensiue ad Celarent.

De Reductione ostensiua.

DVplex est syllogismorum imperfectorum ad perfectos reductio, prior dicitur ostēsiua, altera per impossibile.

Reductio ostensiua est, quando modi imperfecti ad perfectos reducuntur, videlicet per solam conuersionem, vel conuersionem simul & contrapositionem præmissarum.

Notandæ sunt primo initiales singulorum modorum literæ, reducuntur enim ostensiue illi syllogismi ad modum primæ figuræ, qui ab eadem litera incipit, vt Baralip ad Barbara Celantes ad Celarent.

Notandę secundo 4 alię consonantes, quę in medio vel fine nominis singulorum modorum reperiuntur, vt S. P M C quorum significatio his duobus versibus exponitur

S vult simpliciter ver ti, P vero per acci,
M vult transponi, C per impossib le duci,

Hoc est S indicat propositionem illam debere conuerti simpliciter, vt maior in Cæsare. P indicat propositionem illam debere conuerti per accidens, vt minor in Darapti. M præmissas debere transponi. C modos illos non posse reduci ostensiue, sed per impossibile tantum, sunt etiam tales duo Baroco & Bocardo. Vis huius conclusionis nititur regula generali, quicquid sequitur ex consequenti bonæ consequentiæ, sequitur etiam ex antecedente

cedente; cum ergo sit bona consequentia à conuersa ad conuertentem, quicquid sequitur ex conuertente, & sequitur ex conuersa: talis autem conclusio sequitur ex conuertente, vt patet in syllogismo perfecto, ergo eadem conclusio inferebatur ex conuersa, quia bene erat præmissa syllogismi imperfecti.

Nota ob similem etiam causam in syllogismo perfecto, non semper inferre eandem omnino conclusionem, quæ fuerat in imperfecto, sed conuersam illius: vt in Camestres; sed ea conuersa possit inferre conuertentes, sufficienter hoc modo conclusio imperfecti syllogismi probatur.

Petes, quo modo Baralip reducatur ad Barbara, per conuersionem conclusionis, per accidens, cum particularis affirmans non conuertatur per accidens in vniuersalem: Et efficacia præmissarum quæ eadem sunt in Barbara & Baralip, & ex se sunt aptæ inferre conclusionem vniuersalem, directe concludentem, quæ vniuersalis conclusio cum conuertatur per accidens, ex iisdem præmissis sequitur inferri conclusionem in Baralip.

De Reductione per impossibile.

Reductio per impossibile est, quando ex contradictorio conclusionis negatæ in syllogismo imperfecto, cum altera præmissarum semel concessa infertur contrarium, vel contradictorium alterius præmissæ, semel concessæ, atque adeo duas contrarias, vel duas contradictorias simul esse veras. Vtimur hac reductione, sicut & priore, contra eos, qui negant consequentiam concessis præmissis. Hac reductione reducuntur omnes modi imperfecti: particulariter tamen Baroco & Bocardo, vt diximus, qui per ostensionem reduci non possunt. Cum enim altera præmissarum in illis sit particularis negans, quæ conuerti non potest, & altera vniuersalis affirmans, quæ tantum conuertitur per accidens, fieret syllogismus ex puris particularibus, si reduceretur ostensiue. Per impossibile autem sic reduci possunt. Sit, verbi gratia, syllogismus in Baroco: omnis homo est animal, aliquis lapis non est animal: ergo aliquis lapis non est homo Si non sequitur, datur antecedens verum consequente falso. Sit ergo ista conclusio falsa. Aliquis lapis non est homo: eius contradictoria erit vera. Omnis lapis est homo. Cum qua & maiore præcedentis conclusionis hic conficitur syllogismus in Barbara, omnis homo est animal, omnis lapis est homo: ergo omnis lapis est animal: Sed hæc est contradictoria minoris syllogismi in Baroco iam concessæ: duo autem contradictoria non possunt simul esse vera: ergo si minor illa vera fuit, hæc conclusio falsa est: ergo necesse est falsam esse aliquam præmissarum, non maiorem, quia eadem seruata est in vtroque syllogismo: ergo minorem, & consequenter eius contradictoria, quæ erat conclusio in Baroco, erat vera Vt autem sciatur, ad quem modum quisque syllogismus debeat reduci per impossibile, non est habenda ratio initialium literarum, vt in superiori reductione, se[d] obseruandum hoc carmen

Phœbifer axis obit terras æthramque quotānis

Duo prima vocabula seruiant 5. modis im[-] perfectis primæ figuræ, duo sequentia modi[s] secundæ figuræ, duo postrema modis terti[æ] figuræ: ita vt vnaquæque syllaba ordine si[n]gulis modis respondeat: Vocalis autem cuiu[s]que syllabæ designat cōclusionem modi pe[r]fecti, ad quem imperfectus est reuocandus, quia prima syllaba respondet Baralip, & ha[-] bet e vocalem, quæ designat conclusione[m] Celarent, Baralip reuocādus est ad Celaren[t] sed Celantes ad Darii, & ita consequent[er]. Vt autem sciatur quomodo hoc debeat fie[ri] obseruanda hæc carmina, quorum duo pri[ma] seruiunt primæ figuræ

Maior sit minor sit contradictio maior,
Dempto Celantes in quo conuertitur ordo
Seruat maiorem variatque secunda minore[m]
Tertia maiorem variat seruatque minorem.

Vbi variare maiorem, vel minorem, est lo[co] maioris, vel minoris substituere contradic[to]riam conclusionis imperfecti syllogismi.

De syllogismo expositorio.

Quoniam Aristoteles probat etiam c[on]sequentiam syllogismorum tertiæ fi[gu]ræ per expositionem, seu syllogismum exp[osi]torium, dicendum etiam de illo paucis. [Est] autem syllogismus expositorius, qui con[stat] medio singulari. vnde quia naturalissim[um] est termino singulari subiici: tertia figur[a] syllogismos expositorios est aptissima, it[a]que ad probationem per expositionem. [Pro]batur autem cōsequentia, per exposition[em],

sub

sub medio communi sumitur, terminus singularis, cui vtrumque extremum tribuitur, indeque elicitur eadem conclusio, quæ erat in syllogismo, ex medio communi, vt verbi gratia, in hoc syllogismo in Darapti, quia non est euidens consequentia.

Si quis eam negaret: Omnis homo est animal, omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale est animal: sumo aliquod singulare sub homine, hoc modo: Si omnis homo est animal. Socrates est animal: Si omnis homo est rationalis, Socrates est rationalis: tunc argumentor, Socrates est animal, Socrates est rationalis: ergo aliquod rationale est animal. Nunc quia quicquid sequitur ex consequente, etiam sequitur ex antecedente, cum conclusio bene sequatur ex propositionibus singularibus, quæ inferebantur ex præmissis vniuersalibus, sequitur eandem conclusionem bene illatam fuisse, ex præmissis vniuersalibus. Et hæc est ratio, cur vocetur hæc probatio expositio, quia ostenditur valere consequentia, quodammodo ad sensum, quia sub medio sumitur singulare simile, ex quo colligitur conclusio patere sensui.

Nota primo syllogismum expositorium non posse fieri, in vllis modis assignatis ab Aristotele, præterquam in modis secundæ figuræ: in aliis vero figuris posse quidem fieri, sed in aliis modis, quorum maxime vsitati sunt duo modi tertiæ figuræ, ex vtraque affirmatiua, vel maiore negatiua, minore affirmatiua: ceteros modos vide apud Fonsecam *lib. 6.*

Nota secundo, hos syllogismos valere tantum in terminis singularibus creatis, non in diuinis, quia ibi vna essentia diuina pluribus rebus singularibus identificatur. Vnde non sequitur, essentia diuina est pater, essentia diuina est filius: ergo filius est pater.

DVBIVM I.

Vtrum in quauis figura sint modi indirecte concludentes?

SVnt qui negent, quia in secunda figura assignantur, indirecte concludentes transpositis præmissis in alio modo directe concludunt. Secundo quia videtur esse contra Aristotelem qui dicit in secunda figura maius extremum esse, quod prope medium situm est, id est, quod est similius medio, quia semel prædicatur: Et in tertia dicit, maius extremum esse quod à medio longius distat, quia semper prædicatur: hæc autem falsa essent in modis indirecte concludentibus. Licet hæc quæstio videatur magis esse de nomine, quam de re, dico tamen eos melius loqui, & conformius Aristoteli, qui dicunt, in secunda & tertia figura dari syllogismos indirecte concludentes.

Probatur primo, quia Aristoteles aperte dicit *hoc c. 16.* ex maiori vniuersali affirmatiua & minore vniuersali negatiua confici syllogismum in omni figura indirecte concludentem. Probatur secundo, Quicquid per bonam consequentiam infertur, ex consequente bonæ consequentiæ, infertur etiam ex antecedente: ergo ex præmissis in Cæsare, Campestres, Darapti, Disamis, Datisi, potest inferri conuertens conclusionis, quæ erit conclusio indirecta.

Ad primam aliorum rationem respon. hoc nihil obstare. Cum enim in secunda figura medium semper prædicetur, in tertia semper subiiciatur, existimandum esse maiorem quæ priori loco constituitur, minorem quæ posteriori, atque ita diuersos modos effici.

Ad secundam resp. Aristotelem tantum loqui de maiore extremo in modis directe concludentibus, sicuti maius extremum dicitur in prima figura, primum propositione, quia semper prædicatur, quod tamen est falsum in modis indirecte concludentibus.

DVBIVM II.

Quinam syllogismi ac modi distinguantur specie?

NOta vt suo modo syllogismus constat sua materia, & forma, ita specificam syllogismorum, distinctionem ex vtraque posse sumi.

Dico primo, syllogismi affirmatiui & negatiui etiam eiusdem figuræ distinguantur specie. Probatur primo. Quia constant materia diuersæ speciei, propositionibus nimirum affirmatiuis, & negatiuis, quæ sunt essentialiter diuersæ. Probatur secundo, quia in illis est essentialiter diuersa habitudo medii ad extrema.

Dico secundo, probabile est syllogismos vnius figuræ à syllogismis alterius distingui specie, & affirmatiuos ab affirmatiuis, & negatiuos à negatiuis, nisi forte in diuersis figuris eodem modo se habeat medium ad extrema. Ratio quia vis inferendi & iudicium illatiuum in diuersis figuris videtur esse diuersæ speciei, & licet suspicari quis posset, totam illorum distinctionem positam esse in maiori, vel minori euidentia illationis, quæ est accidentalis: tamen cum hæc maior, vel minor euidentia nascatur ex alia atque alia habitudine medii, ad extremitates, probabilius etiam videtur, vim inferendi esse essentialiter diuersum, & ex hac, tanquam proprietate, nasci istam maiorem, vel minorem euidentiam.

Dixi, nisi forte in diuersis figuris, eodem modo se habet medium, ad extrema, quia Cæsare & Festino, qui sunt secundæ figuræ, non videntur multũ distingui essentialiter, à celarent, & Ferio, quia medium eodem modo se habeat ad extrema: est enim consequens subiecti, & extremum prædicati, & in negatiua vniuersali: perinde se habet si dicas: Nullus homo est lapis, vel nullus lapis est homo.

Dico tertio, neque affirmatiui ab affirmatiuis, neque negatiui à negatiuis eiusdem figuræ sunt diuersæ speciei essentialis, nisi diuersa sit habitudo medii ad extremitates. Probatur, quia neque materiam, neque formam habent diuersæ speciei.

Dixi, nisi diuersa sit habitudo medii, ad extremitates, quia si illa varietur, etiam in eadem figura, nascitur etiam iudicium illatiuum diuersæ speciei, vnde Phaphesino & Phriseso, puto essentialiter distingui ab aliis modis primæ figuræ, negatiuis, cum in aliis minor non possit esse negans. Item Camestres & Barroco ab aliis duobus modis secundæ figuræ probabile est specie differre.

Dico quarto, modi indirecti non distinguuntur specie à directis, qui fiunt per solam conuersionem conclusionis. Patet, quia conuertens, & conuersa, non sunt essentiater diuersæ propositiones.

**
*

CAPVT VI.

De necessariis tum simplicibus, tum mixtis.

REpetita breuiter diuisione propositionis, quam habet principio *cap.* 2. subiungit aliter confici syllogismos ex propositionibus de inesse, & aliter ex modalibus, siue simplicibus, siue mixtis. Modales simplices dicuntur, quando vtraque est modalis, ex eodem modo. Modales mixtæ, quando vna præmissarum est modalis, altera de inesse, vel vna de necesse, altera de contingenti.

Ac in necessariis &c. Regulam dat, pro syllogismis de necesse simplicibus: Eadem est ratio syllogismorum, qui constant vtraq; præmissa de necesse, atque eorum, qui de inesse. Quia similiter conuertuntur, & in vtrisque similiter valet dictum de omni, & similiter probatur: præterquam, quod syllogismus de necesse in Barroco, & Bocardo, vti & aliis non possunt reduci eodem modo per impossibile, quia alia est ratio oppositionum in modalibus, atque in propositionibus de inesse: neque enim in illis oppositio sumitur ex solo dicto, vt dicitur in *lib. de Interpretatione*, sed vel maxime ex modo: vnde si sumenda sit contradictoria huius, in Barroco, omnem hominem esse rationalem est necesse, aliquod animal non esse rationale est necesse: ergo aliquod animal non esse hominem est necesse: Non sumitur hæc, omne animal esse hominem est necesse, cum nonnunquam possunt simul esse falsa, sed hæc erit contradictoria, aliquod animal non esse hominem non est necesse, ex qua propositione non potest fieri syllogismus in Barbara, ad quem reducitur Baroco, per impossibile, cum sit particularis negans, sed si reducendus sit, ille syllogismus ad Barbara, sumi potest contradictoria de contingenti, vniuersalis affirmatiua, quæ cum maiore in Barroco efficiet conclusionem de contingenti contradictoriam, alterius præmissæ: vel sane vt dicit Aristoteles, vtendum est aliqua expositione, si velimus hunc syllogismum probare, sumendo nimirum sub subiecto in minore, equum, verbi gratia, hoc modo: omnem hominem esse animal est necesse: nullum equum esse animal est necesse: ergo nullum equum esse hominem

est en.

t necesse, quod si nullum equum, etiam aliuod animal erit necesse non esse hominem. Fit etiam vt altera, &c. tradit regulas pro llogismis mixtis.

Prima. In prima figura maiore de necesse, minore de inesse, sequitur conclusio de nesse. Non item si sola minor sit de necesse.

Secunda. In secunda figura, si propositio gans sit de necesse, etiam conclusio erit. on item si affirmatiua. Ratio, quia in reduone propositio negatiua fit maior in prima gura, subdit hanc regulam, verum esse, præquam in Baroco, quem Aristoteles osten, non posse vllo modo concludere conclunem de necesse.

Tertia. In modis affirmatiuis tertiæ figuræ, traque sit vniuersalis, alterutra existente necesse, sequitur conclusio de necesse, si v. tantum sit vniuersalis illa si sit de necesse, nclusio erit de necesse. In modis vero netiuis, conclusio erit de necesse, si vniuersanegatiua sit de necesse: Bocardo vero nullo do habere cõclusionem de necesse potest.

Petes, an hæ regulæ sint veræ? Respondeo llas esse vniuersim veras, nisi propositio æ est de inesse sit necessaria; vnde, quando ne concludunt, tantum ratione materiæ ncludunt. Simili modo, quando non bene ncludunt, defectu sit materiæ, quia in maia necessaria bene concluderent. Hinc in ma figura non bene concludit hic syllogisus: Omne quod currit, moueri necesse est: quis homo currit, ergo aliquem hominem oueri necesse est. Contra vero, si minor sit necesse, maior vero de inesse, necessaria etn sequetur conclusio de necesse, vt omne imal est corpus, omnem hominem esse amal est necesse: ergo omnem hominem esse rpus est necesse, licet in materia contingen non sequeretur. Sic ex huiusmodi terminis ntingentibus in secunda non sequitur, nuln album esse nigrum est necesse, omnis æiops est niger, ergo nullum æthiopem esse um necesse est. Pari modo & in tertia: One quod currit moueri est necesse, omne od currit, est animal, ergo aliquot animal oueri necesse est In Barroco item & Bocar, eodem modo sequetur, in materia necessaria, vt clarum erit consideranti, licet in terminis sequentibus non sequatur.

CAPVT VIII.

De contingenti.

Dat primam definitionem contingentis specialiter sumpti. Voco, inquit, contingens quod cum sit necessarium, posito quod sit nihil, ob hoc sequitur impossibile. Postea agit de conuersione propositionis de contingenti, in oppositam qualitatem, qua affirmatiuæ in negatiuis, aut contra, conuertuntur: vt contingens est omnem hominem currere, de eius concursione non nulla diximus, supra c. 2. hæc conuersio tota se tenet, ex parte dicti, non ex parte modi. Nam modus vtrobique affirmatur vel negatur, sed dictum in vna affirmatur, in altera negatur. Ratio autem, cur hæc conuersio sit bona, est, quia propositio de contingenti, siue sit affirmatiua siue negatiua, virtute includit vtrunque & affirmationem & negationem: nam contingens est hominem currere, significat posse esse & posse non esse, vt homo currat.

Nota tamen ex Aristotele, vt hæc conuersio sit bona, debere modum affirmare, quia si negetur secundum sensum est de impossibili, aut necessario.

In fine capitis diuidit contingens in contingens plerunque, vt senem canescere, & contingens indefinitum, seu ad vtrumlibet, quod tam potest esse, quam non esse. Prioris dicit frequentem esse vsum, in scientia, & demonstrationibus. Posteriorum nullum, quia medium est inordinatum, id est varium & inconstans: sed scientiam hic late accipit, quia scientia proprie dicta tantum versatur circa necessaria.

CAPVT IX.

De contingentibus tum simplicibus, tum mixtis.

Prima Regula. In prima figura ex ambabus de contingenti, siue affirmatiuæ, siue negatiuæ fuerint, aut altera tantum negatiua, seu maiore, seu minore, sequitur conclusio de contingenti.

Ratio, cur ex puris negatiuis, aut minore negatiua, bona sequatur conclusio, est, quia propositiones contingentes habent sensum

affirmatiuum, & negatiuum: Quia tamen ex vtraque negatiua, aut etiam minore tantum negatiua, consequentia est obscurior, conuerti debet altera, vel vtraque in oppositam qualitatem, vt euidentior appareat: videtur tamen aliquando hæc regula fallere, nec enim videtur vniuersaliter verum, si maior extremitas contingenter coniungatur cum medio & medium cum minore extremo: contingenter etiam coniunctum iri maius extremum, cum minore, vt apparet in hoc syllogismo. Contingens est omne quod currit, esse disgregatiuum visus: contingens est aliquod album currere, ergo contingens est, aliquod album esse disgregatiuum visus.

Secunda regula, pro mixtis. In prima figura, si maior est de contingenti, minor de inesse, aut necesse, conclusio erit de contingenti specialiter sumpto. Si maior sit de inesse, aut necesse, minor de contingenti, sequetur conclusio de cōtingenti generaliter accepto, si minor sit negatiua, de inesse, aut necesse, aut maior particularis, nullus efficietur syllogismus.

Tertia, In tertia figura ex vtraque de contingenti nullus fit syllogismus. Ratio, quia is syllogismus virtute est ex puris affirmatiuis, & medium in eo non distribueretur. Deinde non posset perfici reductione, ad primam figuram, quia nulla ex præmissis potest conuerti, vt *supra* docuimus.

In mixtis vero, ex vna de inesse, & necesse, & altera de contingenti, si ea, quæ est de inesse, vel necesse, sit vniuersalis negans, sequitur conclusio de contingenti generaliter accepto, vel de inesse Si vero affirmatiua fuerit de necesse, aut inesse, & negans de contingenti, nulla sequetur conclusio. Ratio, quia virtute est ex puris negatiuis, nec possit reduci ad primam.

Quarta. In tertia figura ex vtraque de contingenti, siue vtraque sit affirmans, siue negans, sequitur conclusio de contingenti.

In mixtis quoque ex vna de necesse, vel inesse, & altera de contingenti. Videtur etiam hæc regula fallere, in quibusdam, vt monuimus in prima regula vt non sequitur, contingit omnem hominem esse disgregatiuum visus, contingit omnem hominem esse album, ergo contingit aliquid album esse disgregatiuum visus.

CAPVT X.

PRobat omnem syllogismum fieri in ali qua ex tribus prædictis figuris, idque à sufficienti partium enumeratione: omni enim syllogismus aut est directus, aut hypo theticus, at isti fiunt per prædictas figuras ergo omnis syllogismus. Directus hic alite accipitur, ac supra, cum opponebatur indire cto: Directus enim hic dicitur, qui probat, & infert, nulla facta hypothesi. Hypotheticu autem dicitur, qui non infert conclusionen immediate, sed tantum virtute hypothese positæ. Huius tres assignantur species, du cens ad impossibile, metalepticus, seu trans sumptiuus, & qui dicitur æqualium termino rum. Ducens ad impossibile est cum quid e contradictoria propositionis veræ, cum ali manifesta vera, infert conclusionem apert falsam, & inde regreditur arguendo illar fuisse veram, ex cuius contradictoria sequ tur conclusio falsa. Metalepticus est, qui no concludit illud, quod quæritur, sed suppos to, quod de duobus idem sit iudicium, prob to vno, infert alterum, tanquam iam prob tum, vt posito, quod eodem modo, quo se h beat hinnibile ad equum, quo risibile ad h minem, probato per syllogismum, homine esse risibilem, & probauero equum esse hi nibilem. Syllogismus æqualium termin rum est, qui in tertia figura infert conclusi nem vniuersalem, eo, quod positum sit m dium cum munere extremo reciprocare, s hoc prouenit ex materia, quare merito ei non meminit Aristoteles.

Vnde hunc syllogismum merito voca possimus materialem, qui bene infert, non formæ, sed facta hypothesi de reciprocatio terminorum, quod non tantum est verum tertia figura, sed etiam in multis aliis mod alioqui inutil bus. Vti in prima ex maiori niuersali affirmatiua & minori vniuersali n gatiua, vel particulari: in secunda ex puris affirmatiuis vniuersalibus.

**
*

DVBIV

DVBIVM III.

An Aristoteles sufficienter assignarit tres figuras.

Galenus vt refert Auerroes *libr.* 1. *priorum cap.* 8. putauit addendam quartam, in qua medium prædicaretur de maiori, & subiiceretur minori.

Probatur primo, Figuræ constituuntur iuxta variam dispositionem medii, sed quatuor modis potest medium disponi: ergo quatuor erunt figuræ.

Probatur secundo. Tales syllogismi concludunt necessario, & vniformiter, in omni materia, & ei syllogismi definitio ab Aristotele tradita conuenit, ergo illis assignanda est sua figura.

Probatur tertio, si reiicienda esset hæc figura, vel ideo id fieret, quia est inutilis, cum omnia possint probari per primam, quæ per hanc probarentur, vel quia facile reuocari potest, ad primam, vel quia infert conclusionem non naturalem, nihil istarum dici potest, ergo.

Probatur minor, non 1. quia eodem modo secunda & tertia essent reiiciendi, cum omnis conclusio, quæ per illas probari potest, possit etiam per primam probari, non secundam, quia hic syllogismus, verbi gratia, Omnis homo est animal, nullum animal est lapis: Ergo nullus lapis est homo. In figura Galeni valet: nec tamen ad Aristotelis figuram reduci potest, cum minor in secunda non possit esse negans. Quod si dicas transpositis præmissis reduci, ob eandem causam secunda vel tertia essent reiiciendæ, cum & illæ hoc modo reducantur ad primam. Deinde fieri potest in figura Galeni Syllogismus, ex minori particulari, negatiua, qui tamen ad primam Aristotelis figuram reduci non poterit: illa enim propositio neque maior esse poterit, cum maior esse non possit particularis, neque minor, cum non possit esse negatiua, non denique propter tertiam est reiicienda, quia naturalis propositio ea dicitur, in qua id subiicitur, quod naturaliter postulat subiici, & prædicatur id, quod naturaliter prædicari postulat, Talis autem conclusio in figura Galeni, optime deduci potest, vt patet in hoc syllogismo, aliquod animal est rationale, omne rationale est homo, ergo aliquis homo est animal Hic enim inferius subiicitur, & superius prædicatur, quod naturale est. Hæc Medici pro Galeno.

Dico tantum tres esse figuras, & quartam Galeni esse superfluam.

Probatur primo, authoritate Aristotelis qui tantum tres recensuit, & *hoc cap.* probat, omnem syllogismum in aliqua trium istarum figurarum, confici, qui tamen ipsemet sæpe transponit præmissas, vt syllogismus magis conformetur primæ regulæ anteprædicamentali. Vbi tamen nulla ratione dicendus est voluisse ponere exempla quartæ figuræ, quam ipse non agnouit.

Probatur secundo. Quia figura Galeni nullam habet vim inferendi diuersam à prima, & hoc conuerso fere infert conuertentem, sicuti fit in modis indirectis, secundæ figuræ, ergo fit vt modi figuræ Galeni plane coincidant cum modis indirectis primæ, si modo transponantur præmissæ.

Probatur tertio, quia hæc figura non est naturalis, neque conclusionem infert naturalem.

Pro quo nota duobus modis conclusionem dici naturalem, primo secundum se, quatenus propositio est, quia prædicatur, quod naturaliter prædicari debet, subiicitur, quod est subiiciendum, secundo, quatenus conclusio est respectu nimirum antecedentis, ex quo infertur quarta propositio quę secũdũ se naturalis esse potest, quæ tamen, vt conclusio, & respectu antecedentis, ex quo infertur, non fit naturalis, & econtra, vt in hoc, verbi gratia syllogismo, omne rationale est homo, aliquod animal est rationale, ergo aliquod animal est homo: huius vero conclusio respectu præmissarum est naturalis, quia id in conclusione prædicatur, quod ratione antecedentis prædicandum est, id subiicitur, quod subiiciendum est, est autem subiiciendum, quod in præmissis subiiciebatur, de medio prædicandum, quod de medio prædicabatur, vti hic fit, quamuis hæc conclusio secundum se non sit naturalis. Eadem conclusio si conuertatur, referetur in Dabitis, eritque naturalis secundum se,

non

non naturalis, respectu præmissarum. Galeni ergo figura conclusionem semper, ratione præmissarum, infert, non naturalem, licet aliquando conclusio possit esse naturalis, secundum se, vnde si superiores illæ præmissæ transponantur, eadem conclusio naturaliter respectu præmissarum inferetur, quæ ibi inferebatur. Non naturaliter vero ea, quam infert. Confirmatur, quia nemo naturaliter discurrendo vtitur illa Galeni dispositione, neque naturaliter ita concludit, cum naturaliter concludamus, illum terminum inesse alteri, quem iudicabamus in antecedente inesse medio.

Ad primum argumentum pro sententia Galeni, Respon. non ideo præcise tantum esse tres figuras, quod triplex sit tantum medii dispositio, sed quia triplex est tantum dispositio naturalis, & vtilis ad inferendam conclusionem naturalem, habensque distinctam vim inferendi à reliquis.

Ad secundum respon. necessario quidem concludere, & vi formæ istos syllogismos, neque hac consideratione esse inutiles, sed quod non naturaliter, & vi propria, sed vi primæ figuræ concludant.

Ad tertium dico, reiici ob rationes allatas. & quoad primam partem, iam diximus, quomodo sint inutiles adde aliqua media esse, quæ naturalius prædicantur, alia quæ subiiciantur, alia quæ medio modo se habeant, prima conueniunt secundæ figuræ, secunda tertiæ, postrema primæ Hinc non reiicitur secunda, & tertia. Reiicitur vero figura Galeni, vt inutilis, quia medium in illa eodem modo se habet ad extrema, quo in prima, Quoad secundam partem concedo, non ob eam rationem reiici, sed ob rationes factas. Deinde, falsum aliquem syllogismum esse in illa figura, qui non possit reuocari ad perfectos primæ, cum omnes syllogismi, qui in ea fiunt, coincidant cum indirectis primæ, vnde syllogismus factus est in Cælantes, transpositis præmissis. Item falsum est, dari in illa syllogismum ex minore negatiua, nam tunc medium non distribueretur. Vnde non sequitur, omne rationale est homo, aliquis homo non est Æthiops, ergo aliquis Æthiops non est rationalis. Respon. ad tertiam partem, dico merito reiici vt dictum est.

Dices Cæsare & Camestres conficiunt diuersos modos, sola transpositione præmissarum, ergo etiam illi modi primæ figu[ræ] sola transpositione præmissarum constitue[nt] diuersos modos, non primæ figuræ, e[t] quartæ.

Respon. Cæsare & Camestres non con[sti]tuere diuersos modos, sola transpositio[ne] præmissarum, sed quia alia & alia est habi[tu]do medii ad extremitates, quo fit, vt quod Cæsare subiiciebatur, in conclusione præ[di]cetur, in Camestres, si transponantur p[ræ]missæ. In his vero est semper eadem habi[tu]do medii ad extrema, quomodocunq[ue] transponantur præmissæ. Adde vtrunque [il]lorum æque naturaliter concludere, & [...] modum directum, independentem vn[um] ab altero, Hi vero non naturaliter c[on]cludunt.

CAPVT XI.

Tradit primo quædam axiomata com[-]munia omnibus figuris.

OMnis syllogismus debet constare p[ro]positione aliqua vniuersali, & aliqua [af]firmatiua, vniuersalis conclusio requiri[t v]tramque præmissam vniuersalem, partic[ula]ris alteram tantum.

Altera præmissa semper non solum in [af]firmatione, aut negatione, sed etiam in quod necessaria sit de inesse, vel conting[ens] conclusioni debet esse similis.

Omnis syllogismus constat tribus ter[mi]nis tantum, & duabus præmissis.

Docet deinde, quæ quæstio, seu conc[lu]sio sit facilior probatu, quæ difficilior. [In] genere illa est facilior, quæ pluribus fi[gu]ris, & modis concluditur, difficilior, [quæ] paucioribus Vnde particularis negans f[aci]lime probatur, vniuersalis affirmans dif[fici]lime, & in vniuersum vniuersales faciliu[s re]felluntur, difficilius probantur, particul[ares] contra.

CAPVT XII.

De inuentione medii.

POstquam totum syllogismi artificiu[m &] constructionem exposuit, tradit dei[nde] modum facile inueniendi medium in si[ngu]lis figuris ac modis, ac primo quidem affi[...]

ger[...]

generalem hanc regulam, vt accipiantur definitiones, proprietates, antecedentia, consequentia, & extranea, seu repugnantia terminorum. Antecedens porro hic dicitur ille terminus, de quo alter vniuersaliter prædicatur, vt sunt omnia inferiora. Consequens vero id, quod de altero prædicatur, vt superiora, itemque definitiones, ac proprietates. Extraneum, seu repugnans, quod de altero vniuerse negatur.

Nota, cum sint habitudines tertii medii ad aliquod extremum, consequens nimirum, antecedens, & extremum, nouem modis hæc posse inter se combinari, quorum sex duntaxat sunt vtiles, tres alii inutiles: vtiles hisce regulis assignauit Aristoteles, quas interpres etiam schemate expressit.

Prima regula modi affirmatiui primæ figuræ directi medium postulant, quod sit consequens subiecti, & antecedens prædicati indirecti, contra antecedens subiecti, & consequens prædicati, ob conuersionem conclusionis.

Secunda affirmatiui in tertia medium exigunt, quod sit vtriusque extremi antecedens.

Tertia modi negatiui directi, in prima, vt negatiui in secunda, ex maiore negatiua medium habet quod sit consequens subiecti, & extraneum prædicati, indirecti vero vniuersales in prima, & negatiui in secunda ex maiore affirmatiua, extraneum subiecti, & consequens prædicati.

Quarta particulares negatiui in tertia & indirecti in prima requirunt pro medio antecedens subiecti, & extraneum prædicati.

CAPVT XIII.

Docet hanc methodum inueniendi medium omnibus syllogismis conuenire, monetque maxime sumenda esse antecedentia, & consequentia vt pluribus mediis abundemus. Reiicit deinde tres inutiles modos inueniendi medii. Primus, Consequens vtriusque extremi, esset enim ex puris affirmatiuis in secunda. Secundus extraneus vtriusque extremi, quia esset ex puris negatiuis: Tertius, antecedens prædicati, & extraneum subiecti, quia esset in prima vel tertia ex minore negatiua: veteres deinde arguit, qui ad negatiuam conclusionem probandam, iuxta medium assumebant.

CAPVT XIV.

Reprehendit veteres, qui medium inuestigabant per diuisionem generis in species, quia petitur principium, vt si quis velit probare hominem esse rationalem, per diuisionem progrediendum erit duplici discursu hoc modo: Omne animal est vel rationale, vel irrationale, omnis homo est animal, ergo omnis homo est vel rationalis, vel irrationalis, tunc subsumendo hoc modo: nullus homo est irrationalis, ergo omnis homo est rationalis. In posteriori discursu petitur principium, cum per ignotius, vel æque ignotum proceditur.

CAPVT XV.

De Resolutione Syllogismorum.

Agit hic de Analysi, seu resolutione Syllogismorum, quæ est præcipua illius in his libris intentio, vt per illam certo intelligamus tertiam operationem rectam esse. Resoluere autem syllogismum, vt diximus, est ostendere, in eo seruari materiam & formam debitam.

Quatuor autem assignat bonæ resolutionis præcepta, 1 vt prius syllogismum in propositiones, quam in terminos resoluamus. Facilius enim est in maiora, quam in minora partiri, & contrario modo in resolutione procedendum, atque in compositione. Secundo, vt spectetur quantitas, & qualitas propositionum: Tertio, si quid desit, vt in Enthymemate suppleatur, si quid redundat, tollatur. Quarto post propositiones spectandi termini, & medius maxime, ex cuius dispositione figura dignoscitur. Docet etiam tria subrepere vitia, interdum in compositione syllogismi quæ retexione facilime deprehendantur. Primum est, cum non apparet, an aliquod deest, quia conclusio videtur bene sequi ex præmissis, non sunt tamen præmissæ in forma dispositæ, vt in hoc discursu: Substantia non sublata non tollitur substantia, sed sublatis partibus substantiæ, non tollitur substantia, ergo

partes substantiæ, sunt substantia, maior est negans, cum conclusio sit affirmatiua: debuerat autem hæc esse maior, vt legitimam haberet formam, illa, quibus sublatis aufertur substantia, sicut substantia, sed sublatis, &c. Secundum vitium est cum medium capax distributionis non distribuitur. Probat hoc exemplo, Aristomenes intelligibilis semper est, Aristomenes est Aristomenes intelligibilis, ergo Aristomenes semper est, vbi medium (Aristomenes intelligibiles scilicet) cum habeat significatum materiale & formale, deberet distribui in maiora. Quicquid est Aristomenes intelligibilis, semper est, quæ est falsa. Facilius hic dici potest non sequi, quia mutatur appellatio, semper est enim in maiore appellatio subiectũ secundum significatum formale, Aristomenem intelligibilem secundum intelligibilitatem, in conclusione appellat significatum materiale: tertium vitium oritur ex eo, quod termini non apte collocentur, sed concreti pro abstractis, & contra, non recte permisceantur, vt nullam ægritudinem contingit esse sanitatem, sed contingit omnem hominem esse ægrum, ergo non contingit vllum hominem esse sanum.

CAPVT XVI.

Retectio obliquorum & reduplicatiuorum.

AGit hoc cap. de retexione syllogismorum ex obliquis, & reduplicatiuis. Est autem syllogismus ex obliquis, qui constat altera vel vtraque præmissa habente terminum in casu aliquo: de huius compositione in singulis figuris paucula præmittit Aristoteles priusquam doceat quomodo resoluendus atque examinandus sit. In prima, si ambæ propositiones constent casu aliquo, conclusio potest esse recta, si altera præmissarum tantum est obliqua, conclusio erit obliqua.

In secunda & tertia conclusio sequi potest obliqua, si altera vel vtraque præmissa sit obliqua. Vide plura de hoc syllogismo apud Fonsecam *libro sexto, capite* 30. Post hæc Aristoteles docet, optimum modum resoluendi & examinandi hunc syllogismum esse, si propositiones ex obliquis reuocentur ad alias ex rectis, quæ eundem sensum efficiunt. Si enim ex præmissis rectis idem significantib cum obliquis sequatur conclusio in rect idem significans, cum conclusione ex ob quo, sequetur bonum fuisse syllogismu ex obliquis, si non sequatur fuisse vitiosum.

Docet deinde modum examinandi syll gismum reduplicatiuum. Est autem syllog mus reduplicatiuus, in quo ponitur redup catio. Reduplicatio autem est repetitio ei dem vocis per particulam reduplicatiuam, quatenus vel similem, qua significatur rat formalis, vel modus, quo prædicatum in subiecto. Hanc vero reduplicationem mer vt locum habeat, in conclusione, ostendit: hibendam Aristoteles maiori extremo, h modo, omnis boni est scientia, quatet bonum, sed iustitia est bonum, ergo iusti est scientia, quatenus bonum. Si vero ad tur medio in minori, erit reduplicatio fal & minime intelligibilis, vt si dicatur in nori, iustitia est bonum, quatenus bonu minor erit falsa, quia nihil est causa ipsius.

CAPVT XVII.

ALia quædam retexendi syllogismi p cepta colligit, vt nomina nominib & orationes orationibus licere commu re, perspicuitatis causa, dummodo idem gnificent, quoad sensum vero & signifi tionem nihil esse immutandum, & nonn la alia.

CAPVT XVIII.

VT perfectius resolutionis oratio inte gatur, docet, quomodo tres figuræ a inuicem reduci possint, reductione ostens Nota vero hanc reductionem non fieri, perficiantur syllogismi, sed vt ostendat quam habeant inter se figuræ affinitatem quomodo eadem figura in diuersis fig possit concludi, prima figura fit secunda c uersione maioris, secunda in primam c conuersione illius, quæ in prima debet maior, prima fit tertia conuersione mi ris: Tertia fit prima conuersione eius, c in prima figura debet esse minor, ex sec da fit tertia, & contra, conuersione vtr que.

Fieri autem hæc transitio ab vna figura ad [.]iam tantum potest, in iis modis, qui simi-n conclusionem colligunt. Vnde Barbara [n]on potest transire in secundam vel tertiam, [ne]que Celarent in tertiam, Barroco item [Bo]cardo in aliam figuram transire non pos-[su]nt, quia non admittunt conuersionem [p]remissarum.

CAPVT XIX.

VLtimum hoc caput seruit compositioni & resolutioni syllogismorum, ex propo-[si]tionibus constantibus terminis infinitis, d[i]cet autem negationem finitam non differ-r[e a]b affirmatione infinita, quod probat pri-m[o], quia non habet easdem contradictorias, s[ec]undo quia non habet easdem consequen-ti[as], tertio, quia attributo affirmationis infi-n[itæ] aliquid reale debet subiici, non item ne-g[at]ioni finitæ.

Vnde hæc affirmatio est falsa, Chymæra est non alba, illa vera Chymæra non est alba.

Harum consequentiam duabus regulis explicat, prior ex affirmatione infinita recte sequitur, negatio finita, vt lignum est non homo, ergo lignum non est homo. Secunda ad affirmationem finitam sequitur, negatio infinita, vt Petrus est homo, ergo Petrus non est non homo.

Ex fine capitis colliguntur quattæ regulæ consequentiarum prima, si ad antecedens adhibeatur consequens ad oppositum consequentis, sequetur oppositum antecedentis, vt quia sequitur, quia est homo ergo est animal.

* *
*

Finis Libri primi Analyticorum priorum.

LIBER SECVNDVS PRIORVM.

DIVISIO LIBRI.

PRiore libro Syllogismi essentiam exposuit Aristoteles: hoc vero, eiu accidentia explicat. sex primis capitibus 6. syllogismorum potestates tribus deinde sequentibus, tres illorum defectus, reliquis capitibus re liquas argumentationis species exequitur.

CAPVT I.

De prima potestate syllogismi concludendi plura.

PRima syllogismi potestas est, plura concludere, quatuor modis in vniuersum syllogismus plura concludit: Primus, quem Aristoteles omisit, quia nimis erat manifestus, est loco vniuersalis inferendo particularem. Secundus per conuersionem conclusionis: Tertius per subsumptionem sub subiecto conclusionis. Quartus per subsumptionem sub medio Pro his tribus posterioribus 4. regulas seu. propositiones assignat.

Prima, Omnes syllogismi inferunt plura per conuersionem conclusionis, quorum cõclusiones possunt conuerti. Hic modus soli particulari neganti non conuenit, quæ sola non conuertitur. Fundamentum huius regulæ est Quicquid sequitur ex consequenti bonæ consequentiæ, etiam sequitur ex antecedenti: quod fundamentum etiam locum habet, cum syllogismus concludit plura per subsumtionem sub subiecto conclusionis.

Secunda, Syllogismi concludunt plura per subsumptionem sub medio, vel sub subiecto conclusionis. Subsumi autem tantum potest sub termino distributo, quo fit, vt si conclusio sit particularis, non possit syllogismus cõcludere plura per subsumptionem sub subiecto conclusionis: sub medio vero subsumendum in ea propositione, in qua distribuitur. Sit e: empli causa, hic factus syllogismus, omne an mal est corpus, omnis homo est animal, erg omnis homo est corpus. Sub medio cõclud plura retenta eadem maiore, & accipiendo lium minorem terminum, hoc modo, omi equus, vel omnis bos est animal, ergo omi equus, vel omnis bos est corpus: Sub subiec vero conclusionis idem syllogismus cõclu plura, si ponitur conclusio loco maioris, h modo, omnis homo est corpus, omnis æthic est homo, ergo omnis æthiops est corpus. \ nota, quando subsumitur sub medio man eandem maiorẽ propositionis, vel si subsun tur sub minore minorem, fieri maiorem: r nere vero idem mediũ. Quando vero sub s iecto conclusionis subsumitur, non mai eandem maiorem, sed vt dixi conclusioi loco maioris constitui, neque etiam mai idem medium, nisi virtute, quatenus sc. su ctum, quod virtute continebatur in mi prioris syllogismi, fit medium huius.

Tertia. In secunda figura tantum licet, cludere plura subsumendo sub subiecto c clusionis, non sub medio. Ratio, quia ol re concluderentur plura, cur subsumen sit sub prædicato minus autem natura subsumi sub prædicato quam sub subie Alioqui si subsumatur sub prædicato, c per subsumptionẽ sub medio, in secũda f concludi possunt plura, vel sane dicei

vt alii explicant, & insinuat Aristoteles, tantum posse in secunda figura sub conclusione tanquam propositione iam per præcedentem syllogismum probata; propositio autem illa, in qua sub medio subsumeretur, est sumpta non probata, sed hoc æque habet locum in prima & tertia figura atque in secunda.

Quarta. Syllogismi particulares non concludunt plura per subsumtionem sub subiecto conclusionis: ratio quia non distribuitur: possunt tamen illi concludere plura per subsumtionem sub medio, quia medium saltem semel debet distribui.

Petes an sit idem numero syllogismus, qui concludit plura? Respon. in primo & secundo modo concludendi plura esse primo eundem numero cum præmissis. Secundo integrum esse eundem virtute, quia particularis virtute continetur in vniuersali, & conuertens in conuersa. Tertio eundem esse essentialiter, licet accidentaliter diuersum: Particularis enim propositio, & conuertens tantum accidentaliter ratione quantitatis, vel minus naturalis prædicationis mutat syllogismum. Tertius vero modus retinet vnam præmissam eandem numero, quæ virtute etiam varias conclusiones continet, sed tantum mutatur syllogismus etiam essentialiter, cum materia terminus vnus scilicet mutetur: Quartus vero modus totum syllogismum mutat, nec idem habet medium, virtute tamen totus continetur in præcedenti syllogismo atque adeo virtute est idem.

CAPVT II.

De secunda potestate concludendi, ex falsis verum, non contra.

SEcunda potestas syllogismorum est concludere ex falsis verum, non contra, ac primo quidem probat non posse ex veris falsum colligi, deductione ad impossibile, quia sequeretur duas contradictorias simul esse veras, si enim non sequitur, omnis homo est animal, Socrates est homo, ergo Socrates est animal, & conclusio hic sit falsa, ergo vera erit eius contradictoria, Socrates non est animal: sed ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, igitur si Socrates non est animal, etiam non est homo, quod contradicit minori.

Deinde fuse probat, ex falsis concludi verum in omni figura, quæ omnia duabus regulis breuiter complectemur.

Prima regula. In prima figura ex vtraque præmissa siue ex parte, siue in totum falsa, aut ex altera præmissa ex parte tantum falsa, altera vera, aut ex maiore vera, minore vero in totum falsa, potest sequi conclusio vera, non autem ex maiore in totum falsa, & minore vera. Ratio huius posterioris partis tota nititur. Dicto de omni, & de nullo: si enim maius extremum falso dicitur de toto medio, etiam dicitur falso de omni sub illo contento. Nota tamen hoc non esse verum in particularibus modis, nisi sub medio sumamus illius inferius, quod proprie est subsumere. Si autem non proprie sumatur, sed capiatur superius potest ex maiore in totum falsa & minore vera sequi conclusio falsa, vt in hoc syllogismo: Omnis homo est equus, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal est equus.

Secunda regula. In secundæ & tertiæ figuræ modis omnibus potest ex falsis sequi verum, siue vtraque sit falsa, siue altera tantum, idque siue in totum, siue in parte.

Nota primo illam propositionem dici in totum falsam quæ in nullo singulari est vera. Ex parte vero falsa quæ in aliquo singulari est vera in aliquo falsa.

Nota secundo Aristotelem hic dicere, verum ex vero colligi syllogismo, cur sit, ex falsis vero quod sit, id est, ex vero ita colligi verum, vt præmissæ veræ sint causa veritatis conclusionis: Ex falsis vero ita inferri conclusionem veram, vt tamen præmissæ falsæ non sint causa conclusionis, cum falsum non possit esse causa veri, neque ideo termini sint a parte rei connexi, quia sunt connexi cum illo medio, sed quia putantur connexi cum medio, ideo etiam putantur inter se connexi: vnde præmissæ sunt quidem causa illationis, non tamen rei illatæ, siue sunt causa, cur iudicet is, qui putat eas esse veras, esse etiam veram conclusionem, non tamen sunt causa, cur ita se res habeat à parte rei. Dices falsum nihil est, ergo nullius potest esse causa, ergo ne quidem illationis. Respon. 1. falsum quod idem est quod non ens, opponitur veritati

entis, nullius potest esse causa: Repugnat enim quod non est, esse veram causam, falsum vero quod opponitur veritati formali, cum tam sit reale, quam verum posse esse alicuius rei etiam effectiue causam, vt assensus falsus est causa erroris siue habitus remanētis. Resp. quemadmodum falsum quod est nō ens, potest esse obiectiue causa cognitionis, ita assensus falsus potest esse causa obiectiue saltem secundum nostram imaginationem assensus veri. Resp. tertio assensus falsus præcise qua falsus, non est causa cur assentiar conclusioni veræ, sed potius qua verus secundum imaginationem meam, cum non sim illationem facturus, nisi præmissas falsas comprehendam tanquam veras, & illis assentiar tanquam veris.

Petes, quare non sequitur etiam ex veris falsum, sicuti ex falsis verum? Respon. quia veritas præmissarum non tantum est causa bonæ illationis, sed etiam est causa, cur ita se res habeat à parte rei, siue quod conclusio sit vera, aut saltem eius rei signum est: est enim natura boni discursus, vt si veri sint termini connexi, cum medio etiam à parte rei ipsi inter se sint connexi, si autem à parte rei non sint connexi cum medio, quia non debitum medium assignatur, non sequitur statim inter se non esse connexos.

Ex dictis infert Aristoteles, *in fine capitis*, quod si conclusio sit vera, præmissæ possint esse veræ, vel falsæ si conclusio sit falsa, præmissæ tantum possint esse falsæ. Item si præmissæ sint veræ, conclusio tantum possit esse vera: si falsæ, conclusio possit esse vera vel falsa.

CAPVT III.

De tertia potestate concludendi in orbem.

TErtia potestas syllogismi est probatio circularis, seu conclusio in orbem, quæ tum fit, quando ex conclusione præcedentis syllogismi & conuertente alterius præmissarum infertur altera præmissa: quod si vtraque præmissa hoc modo probetur, dicetur circulus perfectus, sin altera tantum, imperfectus.

Nota primo hanc operationem tantum posse fieri in terminis conuertibilibus, cum terminus vterque vniuersaliter affirmatur, aut negatur, de altero, vt rationale, risibile, homo: particulares tamen propositiones non necessario constant terminis conuertibilibus.

Nota secundo conclusionem, quæ probatur debere poni loco præmissæ, quæ infertur, alteram vero præmissam, quæ conuertitur, manere suo loco. Ex Aristotele tres colligi possunt regulæ, huic probationi seruientes.

Prima: In quauis figura & quouis modo quæuis præmissa eiusdem qualitatis & quantitatis cum conclusione in orbem concludi potest, ex eadem conclusione, & conuertente alterius præmissæ. Excipe maiorem in Cæsare, & minorem in Datisi, in quibus tantum infertur virtute cōuertentis maioris, vel minoris, idque in prima figura.

Secunda regula. In syllogismis negatiuis præmissa affirmans non potest circulariter probari. Ratio, quia ex duabus negatiuis non potest sequi affirmatio. Inuenit tamen modum quendam Aristoteles, quo id fieri possit, nimirum resoluendo propositionem negatiuam categoricam, in hypotheticam affirmatiuam: quæ resolutio à quibusdam assumptio dicitur, vt sit hic syllogismus in Celarēt. Nullus homo est irrationalis, omne risibile est homo, ergo nullū risibile est irrationale: minor sic inferetur in orbem, si maior conuertatur in hanc hypotheticam affirmatiuam, cuicunque nō inest rationale, illi omni inest homo, sed nullum risibile est irrationale, ergo omne risibile est homo.

Tertia regula. Præmissa vniuersalis non potest inferri in orbem, si conclusio sit particularis. Ratio, quia particularis non infert vniuersalem. Ex his regulis facile est colligere, quæ præmissæ in singulis modis possint probari in orbem: Barbara vtramque potest probare, Celarent maiorem, Darii minorem, Ferio neutrum, Cęsare maiorem, Camestres minorem, Festino neutrum, Baroco minorem, Darapti & Phelatton neutrum, Disamis maiorem, Datisi minorem, Bocardo maiorem, Pherizon neutrum.

Petes, quis vsus huius probationis circularis? Respon. locum habere in regressu demonstratiuo, cum à notioribus nobis progredimur ad notiora natura, & inde regredimur ad nobis notiora: Si vero in altero syllogismo præmissæ nullo modo sint notiores conclusione, erit petitio principii.

CAPVT IV.

De quarta potestate syllogismorum concludendi conuersiue.

QVarta potestas est concludere per conuersionem conuertere autem est sumpto contradictorio vel contrario conclusionis,& altera præmissarum concludere contradictorium, vel contrarium alterius præmissæ, quæ euersa, vel interempta dicitur.

Nota primo syllogismum posteriorem, qui interimens dicitur semper esse alterius figuræ, quam sit prior, cuius præmissa euertitur, eo quod necessario mutatur dispositio medii, ratione contrariæ vel cõtradictoriæ conclusionis, quæ in alterius præmissæ locum succedit.

Nota secundo, oppositum conclusionis, seu contradictorium, seu contrarium succedere debere loco propositionis interimendæ, nisi quod in interimenda minore tertiæ figuræ debeant transponi loco premissæ quod etiam fit in interemptione maioris in Camestres & Baroco. Sit, v.gr. syllogismus in Barbara, omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis, maior syllogismo cõuersiuo sic euertitur in Phelatton. Nullus homo est risibilis, omnis homo est rationalis, ergo aliquod rationale nõ est risibile, quæ conclusio est contradictoria maioris prioris syllogismi, similiter minor eiusdem syllogismi euertetur per Camestres. In qua autem figura quæuis præmissa cuiusque modi euertatur, docent sequentes regulæ.

Prima regula. Maior primæ figuræ euertitur per tertiam, minor vero per secundam. Ratio prioris partis, quia oppositum conclusionis, quod debet esse maior & minor conueniunt in subiecto, atq; adeo medium bis subiicitur. Ratio posterioris partis, quia oppositum conclusionis, & maior conueniunt in prædicato, atque ita medium bis prædicatur. Nota vero illos modos, qui habent conclusionem vniuersalẽ, posse euerti sumpta contraria, vel cõtradictoria conclusionis, qui vero habent particularem, sumpta tantum contradictoria. Itaq; in Barbara maior euertitur per Phelattõ, aut Bocardo, minor per Camestres & Baroco: maior in Celarẽt, per Darapti vel Disamis, minor p Cæsare vel Festino. Maior in Darii, per Pherison, minor p Camestres. Maior in Ferio per Datisi, minor per Cæsare.

Secunda Regula. In secunda figura maior euertitur per tertiam, minor per primam. Maior in Cæsare euertitur per Darapti, vel Disamis indirecte, vel Darapti & Datisi transpositis præmissis per Phelatton vel Pherison: minor per Barbara vel Darii: Maior in Festino per Datisi: minor per Celarent. Maior in Baroco per Bocardo transpositis præmissis. Minor per Barbara.

Tertia Regula. In tertia figura maior euertitur per primam, minor per secundam. Maior in Phelatton per Barbara: minor per Camestres, transpositis præmissis, vel indirecte in Cæsare Minor in Darapti, per Celarent: minor per Cæsare transpositis præmissis. Maior in Disamis, per Celarent, minor per Festino, transpositis præmissis Maior in Datisi per Ferio, minor per Cæsare transpositis præmissis. Maior in Bocardo per Barbara. Minor per Baroco transpositis præmissis. Maior in Ferison, per Darii, minor per Camestres transpositis præmissis.

Nota hanc potestatem magnam habere affinitatem cum reductione ad impossibile, nisi quod hic sumi possit contrarium vel contradictorium conclusionis, ibi vero tantum contradictorium. Secundo, quod hæc magis ab Aristotele videtur proposita exercitationis gratia, quam vt per illam agatur contra peruicaces tertiæ. Quod fiat syllogismus conuersiuus per omnem figuram, reducuntur vero tantum imperfecti ad primam.

CAPVT V.

De quinta potestate concludendi per impossibile.

QVinta potestas est concludere per impossibile, concludere autem per impossibile, est quando ex contradictoria propositionis vere negatæ cum altera propositione manifeste vera, infertur conclusio manifeste falsa, à qua deinde fit regressus ad probationem propositionis veræ, prius negatæ. Vt si neges omnem hominem esse risibilem; Tunc sic argumentor ab impossibili, sumpta hac propositione manifeste vera, pro maiori: Omne animal rationale est risibile, aliquis homo est risibilis, ergo aliqs homo non est animal rationale, conclusio est apte falsa, ergo aliqua præmissarum, non maior, ergo minor, ergo eius contradictoria prius negata erat vera.

Nota

Nota vero primo vniuersalem affirmatiuam non posse hoc modo probari in prima figura, quia cum eius contradictoria sit particularis negans illa neque potest esse maior, quia maior in prima figura non potest esse particularis, neque minor, quia minor non potest esse negans.

Nota secundo, differre syllogismum per impossibile à syllogismo conuersiuo, quod illi præsupponatur, syllogismus factus, hic vero non. Deinde in syllogismo conuersiuo possunt sumi contraria, vel contradictoria Hic tantum contradictoria, quia contrariæ simul possunt esse falsæ.

Nota tertio, differre syllogismum per impossibile à reductione per impossibile, quod ibi etiam reponatur syllogismus prius factus. Deinde reductio eo spectat, vt probet consequentiam syllogismi esse bonam: hic vero syllogismus, vt probet veritatem alicuius propositionis.

Nota quarto. Hunc syllogismum differre ab ostensiuo, seu recto, quod ostensiuus constet veris propositionibus, hic vero vnam habeat aperte falsam.

Illa ex præmissis recta progreditur ad conclusionem & ibi sistit. hic ex conclusione regreditur ad præmissas: Ibi vnicus est tantum discursus hic fere 4. includuntur.

Nota quinto. Hunc syllogismum pro varietate propositionum probandarum posse fieri in quauis figura.

CAPVT VI.

De sexta potestate concludendi ex oppositis.

SExta potestas est concludere ex oppositis, quod fit, cum ex duabus præmissis contrariis, vel contradictoriis, infertur conclusio, qua idem de se ipso negetur, vt nulla virtus est honesta, ergo nulla virtus est virtus.

Oppositas hic definit Aristoteles, quæ eidem idem tribuunt & auferunt, id est, affirmationem & negationem, in quibus idem prorsus affirmatur & negatur de altero. Vnde tantum contrariæ & contradictoriæ censentur oppositæ, subcontrariæ vero non, quia non plane ide eodem prædicatum affirmatur, & negatur, cum subiectum propositionis particularis determinate supponere possit, pro diuersis, atque adeo vtraque possit esse vera, vt aliquis homo est albus, & aliquis homo non est albus, oppositarum propositionum, aliæ sunt actu & formaliter tales, aliæ tantum virtute, & omnis virtus est honesta, & nulla Iustitia est honesta.

Nota hunc syllogismum non esse vere syllogismum, sed apparentem tantum, quia sunt duo tantum termini, Vnus quidem, qui se habet per modum medii: Alter vero qui vim vtriusque extremi. Et quamuis sit aliquis discursus illatiuus, ex suppositione concessarum præmissarum, non tamen habet vim directe probandi conclusionem. Vtimur tamen illo ad probandum alterum, male admisisse contraria, vel contradictoria.

Nota secundo: nullum dari syllogismum ex oppositis actu in prima figura, non in modis affirmatiuis, quia syllogismus ex oppositis vnam necessario habet negatiuam, non in negatiuis, quia in hoc syllogismo terminus, qui se habet, per modum medii semper subiicitur, vel prædicatur, vnde necessario vel est secundæ, vel tertiæ figuræ, potest tamen in prima figura fieri syllogismus ex virtualiter oppositis. vt nullum honestum est virtus, omnis virtus est honesta, ergo nulla virtus est virtus. In secunda vero figura in omnibus modis possunt fieri syllogismi ex oppositis In tertia autem tantum in negatiuis, ob rationem paulo ante assignatam.

Nota tertio, in hoc syllogismo maiorem secundæ figuræ posse esse particularem, & minorem in tertia negantem, quod est contra generales regulas. Ratio, quia non committitur hic ille processus à non distributo ad distributum. Cum enim idem sit maior & minor extremitas, perinde est, siue minorem, siue maiorem extremitatem de se ipso negaueris. Petes cum in his syllogismis tantum sint duo termini, quorum vnus in vtraque præmissa bis subiicitur, & alter bis prædicatur quomodo constare potest, an in secunda an in tertia fiat syllogismus. Respon. colligi ex conclusione: si enim terminus, qui in conclusione non ponitur bis in antecedente subiiciatur erit in tertia, si bis prædicetur erit in secunda figura.

CAPVT VII.

De petitione principii.

TRadit hoc cap. & duobus sequentibus, tres syllogismorum defectus, quorum primus est petitio principii.

Petere principium est, non probare propositum, id est, conclusionem, seu quæstionem, quæ proponitur syllogismo probanda. Fit autem 4. modis. Primo cum idem probatur per idem. Secundo cum per ignotius. Tertio cum per æque ignotum. Quarto cum posterius assumitur ad probandum prius, quod est verum, si posterius illud, seu effectus non sit nobis notius. Nam effectus licet sit posterior natura, si tamen sit nobis notius, potest assumi ad probandum causam, vt fit in demonstratione Quia.

CAPVT VIII.

SEcundus defectus est, ob hoc non effici falsum, cui contingit cum falsitas conclusionis tribuitur alicui hypothesi falsæ, cui non est tribuenda, qua hypothesi sublata, adhuc sequetur conclusio falsa, quod maxime contingit, vt ait Aristoteles in syllogismis ad impossibile, vt si neges omnem coruum esse nigrum, inferetur, ergo aliquis coruus non est niger, tunc si quis sic ratiocinetur, omnis auis est alba, omnis coruus est auis, ergo omnis coruus est albus, conclusio est falsa, ergo hypothesis facta, quod aliquis couus non sit niger, est falsa.

Respondebit defendens, non ob hoc, id est, ob hypothesin factam, sequi falsum, sed quia vna præmissarum est falsa, vnde æque conclusio esset falsa, si tolleretur ista hypothesis.

Hic defectus cōmittitur dupliciter, quando hypothesis facta conuenit cum syllogismo in aliquo termino, vt in exemplo allato, & coincidit cum fallacia secundum non causam vt causam. Secundo, quando hypothesis in nullo termino cum syllogismo conuenit, vt si inferas, Petrum non esse Philosophum, quia luna patitur eclypsin.

Sub finem capitis definit, Elenchum esse syllogismum contradictionis, id est, quia concludit contradictorium conclusionis ab aduersario assertæ, de quo in Elenchis.

CAPVT IX.

De errore opinionis.

TErtius defectus est, error opinionis, cum ob ignorantiam mediorum simul assentimur duobus contrariis, aut contradictoriis, quæ sunt conclusiones duorum syllogismorum. Ignorantia mediorum in eo posita est, quod existimemus falso maiorem extremitatem affirmari vniuersaliter de vno medio termino, & negari vniuersaliter de alio medio termino, in alio syllogismo, quod tamen est falsum, & hæc falsa opinio vocatur error opinionis. Monet autem hic defectus, ne temerarii simus in concedendis propositionibus vniuersalibus, antequam expenderimus, quid ex iis sequatur.

Duobus modis potest hic defectus contingere, primo, si alteri vniuersaliter, seu virtualiter assentiamur, & alteri particulariter, seu in propriis terminis. Secundo vtrique vniuersaliter seu virtualiter. Assentiri in vniuersali, seu virtualiter, est assentiri propositioni non secundum se propriis terminis expresse, sed quatenus in alia continetur, vt si quis assentiatur his. Omne animal est corpus, & nullum album est corpus virtute, & in vniuersali assentitur his contrariis, omnis cignus est corpus, & nullus cignus est corpus. Similiter, si quis assentiatur his, nullum album est corpus, & omnis cignus est corpus: in particulari quidem assentitur, omnem cignum esse corpus, in vniuersali vero nullum cignum esse corpus, quæ sunt contraria. Nullus autem dicitur assensus vtriusque in particulari, & in propria forma, eo quod lumine naturæ statim appareat alterius propositionis falsitas.

CAPVT X.

De conuersionibus primæ figuræ.

TRadit hic regulas quasdam de conuersione & reciprocatione terminorum, quas vide in textu.

CAPVT XI.

De Inductione.

SEquitur tertia pars libri, in qua de Inductione, & reliquis argumentationis spe-

 ciebus

ciebus agit: Docens quomodo illæ ad ſyllogiſmum reuocentur.

Inductio eſt quæ alterum extremum de medio, per reliquum concludit, id eſt. Inductio eſt argumentatio, qua ſumimus pro medio illum terminum, qui in ſyllogiſmo perfecto debuerat eſſe minus extremum, & per illum concludimus illud, quod in ſyllogiſmo debuerat naturaliter eſſe maius extremum ineſſe medio.

Communior eſt alia definitio quæ peti ſolet ex primo topicorum *cap. tertio*.

Inductio eſt à ſingularibus ad vniuerſalia progreſſio. per ſingularia hic intellige, quælibet minus vniuerſalia. Sed vtraque definitio eodem recidit. Nam ſingularia naturaliter deſiderant ſubiici, ac proinde eſſe minus extremum in ſyllogiſmo, quæ ex vniuerſali ad ſingularia procedit, vt patet hoc ſyllogiſmo. Omnis homo eſt bipes, Petrus & Paulus ſunt homines, ergo Petrus & Paulus ſunt bipedes. Contrarium fit in inductione.

Dubium vtrum inductio ſit argumentatio formalis.

Nota tribus modis accipi inductionem etiam ſecundum Ariſtotelem, cum numerantur aliqua ſingularia, non tamen omnia, & ex illis infertur concluſio vniuerſalis: ſed hæc dicitur Inductio imperfecta, ſecundo cum per ſimplicem quandam deductionem ex vna præmiſſa, quæ omnia ſingularia complectatur, vel expreſſe, quia ſunt pauca, quæ facile enumerari poſſunt, vel quia nimis multa ſunt, vt nō poſſint ſigillatim enumerari, addendo poſtꝙ aliqua ſingularia recenſuerint, (& ita de reliquis) inferimus concluſionem vniuerſalem per inductionem, intelligimus argumentationem aliquam, quæ conſtat ex duabus præmiſſis, & concluſione, qua probemus paſſionem aliquam conuenire vniuerſali, quia conuenit omnibus illius inferioribus, modo hoc capite explicato, quæ argumentatio eſt inductio reuocata ad ſyllogiſmum.

Nota ſecundo, ſyllogiſmum etiam duobus modis accipi, ample nimirum & ſtricte, Ample capitur pro quauis argumentatione, quæ ex duabus præmiſſis neceſſario infert concluſionem: ſed hoc modo nō excludit inductionem tertio modo acceptam: ſecundo pro illo ſolo, qui ex ſuperiori infert, quod eſt inferius, & ea ratione ab inductione etiam tertio modo accepta, diſtinguitur.

Dico primo, Inductio primo modo ſeu imperfecta non eſt argumentatio formalis: patet quia non neceſſario infertur vniuerſale recenſitis aliquot tantum ſingularibus.

Dico ſecundo, Inductio ſecundo modo, q̄ habet vnam tantum præmiſſam, nō eſt argumentatio formalis, ſed materialis tantū Probatur, quia in præmiſſis non connectitur medius terminus cum vtraque extremitate, ergo non neceſſario poteſt cōcludere vi formæ eandē extremitatem cōnexionē inter ſe Probatur ſecundo, quia eadē forma inductioni alteri materiæ applicata nō bene infert, ergo

Dico tertio, Inductio tertio modo accepta eſt argumentatio formalis, & neceſſario infert Probatur primo, ex definitione argumentationis formalis: Probatur ſecundo, ex Ariſtotele, qui inductionem ſæpe numerat inter inſtrumenta ſciendi. Item hoc c. & alibi, vult nos per inductionē cognoſcere principii demonſtrationes. Sed hæc Inductio, vt dixi, non differt à ſyllogiſmo, ample ſumpto. Vnde hoc capite Ariſtoteles eam vocat ex inductione ſyllogiſmum.

Dices Ariſtoteles 2. *poſteri.* dicit inducentem non demonſtrare ergo non neceſſario infert nec eſt inſtrumentum ſciendi.

Reſp. primo. Neque omnis, qui ſyllogiſmo vtitur, demonſtrat.

Reſp. ſecundo. Si illud Ariſtotelis hunc ſenſum habeat, non demonſtrare, hoc eſt, non probare per veriſſimam ac proprie dictam demonſtrationem, concedimus: non tamē inde ſequitur, ꝙ non demōſtrat minus proprie, eſt, quod non neceſſario probet, & inferat.

Reſp. tertio Ibi Ariſtotelem loqui de Inductione imperfecta.

CAPVT XII.

De Exemplo.

Exemplum eſt, cum medio extremum eſſe probatur per ſimile tertio. Putant nonnulli definiri exemplum improprie dictum in quo ex vno ſingulari vniuerſalis concluſio colligatur: Exemplum vero proprie dictum definiri *in fine cap. tit.* Sed veriſimilius eſt Ariſtotelem non intendiſſe definire, niſi exemplum verum, ac proprie dictum, neque ali

agno

agnouisse. Aliter definiri solet exemplum, quod ab vno singulari ad aliud singulare ignotum procedit, ob aliquam inter se similitudinem. Quod & Aristoteles *in fine capitis*, indicat cum ait. Exemplum esse neque vt totum ad partem, neque vt pars ad totum, sed vt pars ad partem, vt Thebanis bellum gerere cum Phocensibus fuit malum, ergo malum erit Atheniensibus bellum gerere cum Thebanis. Sed quia exemplum sæpe fallit, & tamē habet vim probandi, ratione propositionis, vniuersalis, & termini communis, (ꝙ medium Aristoteles vocat) in quo hæc singularia continentur, & cui primo tribuatur maius extremum, ideo Arist non tam definiuit hic exemplum proprie, q̄ id ꝙ necessariū est, vt exemplū bene probet, & reuocetur ad syllogismū.

Pro quo Nota, in exemplo duos quodammodo discursus, saltē virtute, contineri Prior est, Inductio imperfecta, qua probatur maius extremum de medio per simile tertio, vt Aristoteles dicit in definitione exempli: primo, quia infertur conclusio vniuersalis, ex vna propositione singulari hoc modo, Thebanis contra Phocenses bellum gerere malum fuit, ergo vniuersaliter bellum gerere contra finitimos est malum. Alter discursus est syllogismus primæ figuræ, sumpta hac conclusione vniuersali, Inductionis imperfectæ, pro maiore, hoc modo, bellum gerere contra finitimos, semper est malum, Athenienses contra Thebanos bellum gerere, est bellum gerere contra finitimos, ergo Athenienses contra Thebanos bellum gerere est malum. Tandem à primo ad vltimum probamus singulare, per aliud singulare, seu tertium per simile tertio, quod est proprie exemplum, vt ante dixi. Quia vero tota vis exempli nititur probatione istius maioris vniuersalis, ideo exemplum, definiuit esse cum maior probatur. Exemplum in fine distinguit Aristoteles ab aliis argumentationibus, nam in syllogismo ex toto pars infertur, in Inductione totum ex parte, in exemplo pars ex parte. Differt præterea ab inductione exemplum, quod in illa sumantur omnia singularia, in exemplo vnum tantum: Item inductionis finis est cognoscere vniuersale, ibiq; sistit. Exempli vero cognoscere singulare ignotum, ad quod dirigit ipsam cognitionem vniuersalis, ꝙ Aristoteles vocat cōiungere syllogismū cū extremo.

CAPVT XIII.

De Apagoge & instantia.

APagoge est, cum perspicuum est primum medio conuenire, postremum autem medium incertum quidem, æque tamen aut magis probabile, quam conclusio, id est, cum maior syllogismi est clara, minor vero indiget probatione: vnde & abductio dicitur, quia abducitur argumentans à proposita quæstione ad probationem minoris, quod duobus modis accidit, vel cum minor probabilior est cōclusione, & paucioribus mediis probanda, vel si minor sit æque, aut magis etiā obscura, quam conclusio, & æque multis mediis probanda. Posterius vitiosum est, non item prius.

Instantia est propositio propositioni contraria, id est, contrarie, vel contradictorie opposita. Vtimur hac ad impediendam conclusionem syllogismi alioqui inferendam. Vt autem instantia maiorem habeat vim, proponenda est in forma syllogistica: idque in duabus figuris prima aut tertia, & quidem si vniuersalis sit in prima, si particularis in tertia: In secunda figura fieret obscurius, ideo omisit Aristoteles.

CAPVT XIV.

De verisimili & signo & enthymemate.

DEfinit primo Aristoteles, quid sit verisimile, & signum, quia per ea definiturus erat enthymema.

Verisimile est, propositio probabilis, cui communiter assentimur, etsi non certo.

Signum est propositio apta ad probandū, siue necessaria, siue probabilis. Vnde patet latiūs patere signum quam verisimile.

Enthymema est imperfectus syllogismus, ex verisimilibus & signis. Imperfectus est, quia deest illi altera præmissa, quæ velut tota præmittitur. Verisimile vel signū est propositio, quæ exprimitur. Si vero addatur omissa propositio, reuocabitur enthymema ad syllogismum, quod fieri potest in quauis figura.

Fiunt autem Enthymemata in omnibus figuris, sed cum hoc discrimine. Enthymema in prima figura si legitime fiat, indissolubile est, vel certe difficulter solui potest. In secunda figura probabile est Enthymema, & facile potest solui. In tertia autem figura apparens est, & semper solutu facile.

Eius vsus non tantum est in Ethicis, & Politicis, sed Physicis etiam, præsertim Astrologicis, Physiognomicis, vt Achilles habet magna extrema. Ergo est fortis. Est argumentatio Physiognomica, cui deest maior, videlicet: Quicunque habet magnas extremitates est fortis, vt patet etiam in Leone, Vrso; & 2. *Prior. cap. vlt.*

Finis librorum Priorum Analyticorum.

COMMENTARIVS IN LIBRVM PRIMVM POSTERIORVM ARISTOTELIS.

CVM *Aristoteles duobus* libris posteriorum *egisset de syllogismo in genere, recte ad eius præcipuam speciem descendit scilicet ad Demonstrationem, quæ est obiectum huius operis. Posterioristice vt conuincitur ex* c. 1. l. 1. priorum: *& hinc vocantur* posteriores, *quod consideratio syllogismi in genere prior sit, quam consideratio demonstrationis, seu syllogismi in specie. Dicuntur* Analytici, *quia docent præcipue resoluere conclusionem in sua principia. Agitur autem* secundo libro *de Definitione, sed non per se, ac proinde non est obiectum, sed tantum vt est medium Demonstrationis.*

CAPVT I.

AD Demonstrationis naturam cognoscendam 4. hoc capite adfert hypotheses.

Prima, omnis doctrina, & omnis disciplina, quæ ad rationem & intelligentiam pertinet, ex antecedente fit cognitione. Sensus Aristotelis videtur esse, omnis cognitio discursu acquisita, fit ex præexistente cognitione, potest tamen extendi ad omnem cognitionem intellectiuam, siue illa sit simplex, siue discursiua, quia oritur saltem ex antecedente cognitione sensus. Vnde illud axioma. Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Probat Aristoteles allatam hypothesin, duplici inductione. Prior est, Mathematicæ disciplinæ, similiter & aliæ scientiæ, sunt ex antecedente cognitione, ergo. Posterior est. Conclusio syllogistica vel inductionis exempli, scilicet & Enthymematis oritur ex præcedente cognitione.

Secunda, duobus modis necesse est præ[nosse]: de quibusdam enim quod sit prius, e[st] accipiendum in aliis, quod dicitur intellige[n]dum in aliis vtrumque. Sensus est priusqua[m] concludatur necessariæ sunt duæ cognitio[nes] scilicet quod sint, id est, an sint, siue ex[i]stant, si sint res incomplexæ, vel an sint vera si sint complexæ, vt principia scientiarum: s[e]cundo quid sint, siue quid significent. Ex h[is] vniuersaliter colliguntur, tria principia scil[i]cet subiectum quæstionis prædicatum [&] principia, quæ explicantur exemplo, in ha[c] Demonstratione, omne animal rationale e[st] risibile, omnis homo est animal rationale, e[r]go omnis homo est risibilis. De principiis, s[e]u præmissis prænoscendum est, an sint vera qui

quia nisi cognoscātur veræ, non possunt esse causa cur sint cōclusiones veræ: de prædicato & passione, scilicet risibili, prænoscendum quid sit, id est, quid significet: De subiecto an sit, saltem confuse, scilicet vel secundum esse existentiæ vel essentiæ, deinde etiam quid sit.

Tertia, cognoscere vero licet, aliqua quidem quæ prius cognoueris, alia quorum cognitionem simul accipias: sensus est. Præmissæ aliquando cognoscuntur vt propositiones vniuersales, aliquando vero cognoscuntur simul in ipso discursu, saltem tempore, licet prius natura ante conclusionem cognoscantur, vt præmissæ singulares, quæ communiter sensu cognoscuntur in ipso discursu, cum quis dicit, omne risibile est rationale. Ioannes est risibilis, ergo

Quarta, priusquam quis inducat, aut syllogismum sumat, modo forte dicendum est scire, alio modo nescire, conclusio quæ discursu infertur, ex præmissis scitur aliquo modo, scilicet in vniuersali in ipsis præmissis, aliquo vero modo nescitur, scilicet in se, & in particulari, ex quo respondet, argumento Platonis, quo contendebat Plato, non dari scientiam de nouo, sed omnem scientiam esse meram reminiscentiam, argumentum est tale Priusquam syllogistice conclusionem inferas, aut eam scis, aut non scis, si prius, ergo non acquiris de nouo scientiam, si posterius, frustra inquiris, quia inuentam conclusionem non dignosces. Respondet, conclusionem sciri ante illationem in vniuersali, cum propter bonam consequentiam infertur cognosci in particulari Deinde soluit quendam quillum Sophistarum, de quo vide textum..

CAPVT II.

Acturus de scientia & Demonstratione, per quam scientia acquiritur, hoc modo definit scire. Scire est causam nosse, propter quam res est, quoniam eius est causa, nec contingit se aliter habere. Genus definiti est nosse, reliqua ponuntur loco differentiæ. Per hæc verba (nosse causam propter quam res est) excluditur primo cognitio primorum principiorum, quæ causam non habent. Secundo cognitio quæ oritur ex cognitione effectus & à posteriori, Tertio opiniones quæ acquiruntur medio probabili, quia tale medium non est causa rei, si quæ vero detur opinio, quæ generetur ex medio, quod est causa rei, & non cognoscitur vt causa, excluditur à definitione per particulam seq. (quoniam eius est causa,) quia non sufficit medium esse causam passionis, sed vt talis debet cognosci. Causa hæc debet esse Physica, vel Metaphysica. Causa Physica est, in hoc discursu, quidquid constat, ex contrariis est corruptibile, corpus humanum constat ex contrariis, ergo est corruptibile. Causa Metaphysica est, in hoc discursu, omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo, &c. (Nec contingit se aliter habere) id est, id quod scitur, debet esse necessarium, siue necessario procedere à tali causa, excluduntur conditiones rerum contingentium, quæ se aliter possunt habere, vt homo est albus, &c. in quibus prædicatum accidentalem habet connexionem cum subiecto, vbi. nota, non requiri, vt causa per quam aliquid demonstratur, de subiecto, distinguatur à parte rei, siue distinctione aliqua actuali ab effectu, siue ab eo, quod demonstratur. Sufficit enim distinctio rationis ratiocinatæ, sic de Deo vnum attributum demonstratur per aliud, quod apprehenditur, quod prius est, vt ratio alterius, eo quod in se spectatum, & vt abstrahit à Deo & creaturis habeat aliquam rationem prioritatis, vel præsuppositionis, sic immutabilitas ostenditur è priori per actum purum &c.

Subiungit duas definitiones demonstrationis. Prior est. Demonstratio est syllogismus scientiæ, id est, est syllogismus, cuius præmissæ generant cognitionem scientificam conclusionis, quæ inter cognitiones est perfectissima..

Posterior est. Demonstratio est syllogismus ex veris primis, & immediatis notioribus, & prioribus, & causis conclusionis.

Definitur sic demonstratio propter quid, siue potissima, & explicatur, quales debeant esse illius præmissæ, debent esse veræ, quia alioquin non sequeretur conclusio vera, cur sit & p̄missæ non essent causa probatiua conclusionis. secundo debent esse primæ, & immediatæ, quibus scilicet non dentur aliæ natura priores, per quas illarum veritas possit demonstrari. Primæ & immediatæ, sola ratione & habitudine differunt. dicuntur primæ

quatenus non habent priores, dicuntur immediatæ, quatenus non habent medium, quo prædicatum demonstretur de subiecto Vbi Nota, Aristotelem non negare posse esse demonstrationem ex præmissis, seu propositionibus quæ demonstrari possint, sed tantum requirit, vt demonstratio constituens illas possit reducere ad primas indemonstrabiles, alioqui inquit non sciet. Tertio debent esse causæ in essendo, quod probat ex communi modo loquendi: tunc enim dicimur scire, quando rem per causam cognoscimus. Hac particula excluditur demonstratio Quia. Quarto debent esse priores & notiores se natura, ita vt naturæ ordine postulent prius cognosci, quia sunt causæ, & eiusmodi à quibus dependet id, quod infertur.

Subiungit definitiones seu explicationes terminorum.

PRincipium demonstrationis est, propositio immediata, vt omne animal rationale, est risibile, hic definitur principium complexum: principium enim complexum est ipsa causa passionis, quæ communiter est definitio subiecti, de quo demonstratur passio, vt animal rationale, propositio immediata est, qua non est altera prior, scil. natura, per quam ostendatur ex priori, quia multæ sunt propositiones immediatæ, vt principia scientiarum particularium, quibus dantur aliæ priores, nimirum principia generalia, & communia scientiarum, quia tamen per illas, tanquam per causas principia particularia non demonstrantur, cum non sint subordinata, non desinunt esse propositiones immediatæ.

Propositio est enunciationis altera pars, quæ vnum de altero enunciat, pars scil. subiectiua, id est, species enunciationis, affirmatio sc. vel negatio.

Propositio Dialectica est, quæ similiter sumit vtramlibet partem, sc. contradictionis, id est, quæ proposita liberum relinquit respondenti exigere contradictionis partem, quam velit, eo quod vtraq; sit probabilis, vt omnis mater diligit filium, nec ne.

Propositio Apodictica est, quæ definite sumit alteram partem, quia scil. non est dubia, sed certa, vt omnis homo est animal.

Enunciatio est contradictionis pars, sc. integralis, quia cõtraductio includit duas e ciationes, affirmatiuam sc & negatiuam.

Contradictio est oppositio, cuius nor medium, secundum seipsam, id est, sunt p positiones oppositæ, quarum vna necess est vera, altera falsa, idque ex vi & ratione p priæ oppositionis, quod additur, vt exclud tur quædam propositiones contrariæ, qu altera quidem est vera, altera falsa: sed id i oritur ex propria & peculiari oppositione p positionũ cõtrariorum, sed tantũ ratione teriæ necessariæ, vt omnis homo est ani nullus homo est animal, principiorũ aliud Thesis, seu positio, aliud axioma, seu digni

Thesis est propositio, quam non licet p bare, neque necesse est eam habere, qui q piam discit, id est, est propositio, quæ nor test demonstrari à priori, in scientia, cuiu principium, quam non debet præhaberi qui incipit dare operam tali scientiæ, eo q in illa, scientia explicetur.

Axioma est principium indemonstra quod necesse est eum habere, qui quiduis cit, id est, est principium, quod absolut quit demonstrari, & debet præhaberi al discente quamuis scientiam, quia scilice turali lumine cognoscitur, adeo vt qui i ignoraret, tanquam ineptus reiiciendus à disciplina Huiusmodi sunt: Omne to est maius sua parte: Quodlibet est, vel no Hinc apparet distinctio inter thesin, & a ma. Thesis diuiditur in hypothesin, & de tionem Hypothesis est, quæ assumit vtra bet partem enunciationis, id est, vtramq affirmatiuam, vel negatiuam.

Definitio est, quæ non sumit alteram tem contraductionis, vt animal ratio quod est definitio hominis, cum autem nitio non sit propositio, non potest ess sis, nisi materialiter.

Sub finem capitis confirmat, præmiss bere esse notiores ipsa conclusione, quia pter quod vnumquodque tale, & illud m atqui propter præmissas cognoscitur clusio, ergo, quod axioma Aristotelis e monstratiuum, & probabile, vix enim ita limitari, vt sit vniuersaliter verum, camus omnem causam esse saltem not modo talem, qualis est effectus, quia s est causa, & effectum continet formalit eminenter.

CA

CAPVT III.

QVidam docebant, nullius rei esse scientiam, hoc argumento, si detur scientia, procedit ex principiis cognitis, idque per alia principia cognita, & illa rursum per alia, sic in infinitum, sed definitum non potest transire, ita vt ad primum perueniatur, ergo nulla dabitur scientia. Resp. Aristoteles dari statim in principiis nunc naturæ notis. Alii docebant, omnium rerum esse scientiam, quia ex causis probantur effectus: ita vicissim ex effectibus probantur causæ per circulum, ergo omnium est demonstratio. Respondet Aristoteles, negando sequelam, quia effectus quidam demonstrantur per causam, causa vero non demonstratur per effectus, à priori, & demonstratione potissima, quia hæc procedit ex causis.

CAPVT IV.

COnfirmat præmissas demonstrationes debere esse necessarias, quia conclusio, quæ est effectus præmissarum, est necessario, ergo & ipsæ præmissæ sunt tales, quia causa necessarii non potest esse nisi necessaria. Et quia ad necessariam propositionem requiritur, vt prædicatum sit de omni & per se, & vniuersale, singula explicat. Dictum de omni, est quod non in aliquo est, in aliquo autem non est, neque quod modo est, modo non est, sed quod omni & semper inest. Sensus est: Est prædicatum, quod inest omnibus inferioribus subiecti, & semper, quæ tamen vniuersalitas subiecti, & temporis non necessario debet significari in propositione, sicut in *libris Priorum*: vnde dictum de omni, hoc loco, & dictum de omni Prioristicum, habet se vt excedentia, & excessa, quia vt. gr. homo est animal, est hic dictum de omni, non autem in libro Priorum, & contra: Omnis homo est albus, est ibi dictum de omni, non hic.

Explicat 4. modos dicendi per se. Primus modus per se est. Quando prædicatum pertinet ad essentiam subiecti. Quia vel est eius definitio, vel pars definitionis: vt homo est animal rationale, homo est rationalis, vel aliquo modo pertineat ad definitionem, quo modo punctum dicitur de linea, quia saltem oblique ingreditur definitionem lineæ. Secundus modus per se est, quando subiecta ingrediuntur definitionem prædicati, vt homo est risibilis, linea est curua, quia risibile definitur homo aptus ad ridendum, curuũ linea sic se habens, sic quælibet passio definitur per subiectum. Vnde propositiones, in quibus passio enunciatur de subiecto, pertinent ad hunc secundum modum per se. Tertium modum per se constituit substantia, quia illa per se subsistit, & non est in alio, tanquam in subiecto inhæsionis. Quartus modus per se est: Quando subiectum est causa per se, prędicati, vt hic iugulatus interiit, iugulatio est causa interitus, animal rationale est risibile, &c. Dicitur causa per se, quia aliquando effectus sequitur ex causa per accidens, vt inuentio thesauri ex fossione.

Ex his quatuor modis primus vocatur modus per se prædicandi, secundus per se inhærendi, qui etiam ab aliis vocatur prædicandi: tertius per se existẽdi: quartus per se causandi.

Definit vniuersale hoc modo, vniuersale est, quod de omni & per se, & quatenus ipsum esse dicitur. Talis est passio propria respectu subiecti, vt risibile respectu hominis. Tres a. requiruntur conditiones ad hoc vniuersale. Prima, vt sit dictum de omni: Secunda vt sit per se, vel secundo modo: Tertia vt conueniat subiecto, quatenus ipsum est, id est immediate, ratione ipsius subiecti, cuius defectu homo est sensibilis, non est prædicatum vniuersale, quia sensibile non inest homini immediate, sed mediante animali, cui inest immediate, tanquam subiecto, primo & immediato.

CAPVT V. VI. & VII.

CVm capite 5. ostẽdisset, tribus modis posse committi errorem circa vniuersale, pergit cap. 6. probare demonstrationem constare ex propositionibus per se, hoc Syllogismo. Omnia necessaria sunt per se, sed demõstratio est ex necessariis, ergo ex propositionibus per se. Minorem alibi probatam cõfirmat, hic ex incommodo, quia alioqui omnibus ad confirmandam scientiam requisitis saluis manẽtibus posset perire scientia sc. si sciens viuat, si obiectum non pereat, neque etiam ratio per quam quis sciebat. Denique si nihil tradatur obliuioni, quãdo igitur habetur sciẽtia ex medio cõtingenti, vt v. g. si quis cognoscat hominem esse animal tantũ ex ambulatione, hoc modo,

modo, omne ambulans est animal, omnis homo est ambulans, ergo omnis homo est animal, hic cessante ambulatione, sciente & obiecto saluis, nulla interueniente obliuione amittitur scientia, ergo cognitio acquisita non fuit vere scientia, ergo demonstratio procedit ex necessariis. Subiungit c. 7. principia, demonstrationis debere esse syngenia subiecto, id est, proprias causas, cur passiones subiectis insint, & quidem immediate.

CAPVT VIII.

AGit iterum de Principiis scientiarum, sunt autem principia, quæ quod sunt, non contingit demonstrare, id est, quæ non demonstrantur à priore, saltem in scientia, cuius sunt principia. Diuidit primo principia in communia omnibus scientiis, & in particularia, siue propria cuilibet scientiæ. Secundo diuidit in complexa, vt sunt propositiones immediatæ, & in incomplexa, vt sunt termini propositionum immediatarum. Tertio in axiomata, hypotheses, postulata & definitiones. Axioma est principium omnium per se notum: Hypothesis est propositio demonstrabilis saltem à posteriori quæ supponitur vera à respondente, eo, quod sit ipsi nota. Postulatum est, propositio demonstrabilis, quæ non est nota respondenti, sed postulatur vt illam admittat. Definitio est principium incomplexum, quia neque dicit esse, neque non esse.

Docet deinde esse duo principia vniuersalissima scienriarum, quibus cætera innituntur, vnum affirmatiuum, de quolibet verum est affirmare, vel negare, alterum negatiuum, scilicet de nullo verum est simul affirmare & negare.

Concludit, Dialecticam probare principia scientiarum, mediis probabilibus: metaphysicam vero mediis tertiis, & variis:

CAPVT IX.

PRobat primo in quauis scientia proprias esse interrogationes, ex quibus concessis conficitur syllogismus scientiæ, secundo in disputationibus Dialecticis facilius committi æquiuocationem, quam in aliis. Tertio instantiam demonstratiuam debere esse vniuersalem, quia debet esse præmissa Demonstrationis. Instantiam vero Dialecticam posse[...] se partem. de quibus & aliis similibus vi[...] textum.

CAPVT X.

DOcet duplicem esse Demonstrationem scil. propter quid, siue cur sit, & quia, si quod sit. Demonstratio propter quid est, q[...] procedit ex causa immediata, ex qua se om[...] & sola procedit effectus, ita vt non & ali[...] quæ non sit subordinata. Vt omne animal [...]tionale est risibile, omnis homo est animal [...]tionale, ergo omnis homo est risibilis. D[...]monstratio quia est, quæ procedit ab effect[...] vel à signo vel à causa remota: ab effectu, [...] hæc, quæ non scintillant, prope sunt, Com[...]tæ non scintillant. ergo prope sunt. A signo[...] hæc. Quicquid circulariter illuminatur, [...] rotundum. Luna circulariter illuminatur, [...]go est rotunda. A causa remota est hæc, om[...] respirans est animal, sed nullus lapis est res[...]rans, ergo nullus lapis est animal, animal [...]nim est causa remota respirationis, cum de[...]tur animalia v gr. pisces, quæ non respira[...] defectu pulmonis: Proxima enim causa res[...]rationis est, habere pulmones. hæc demo[...]stratio à causa remota, aptissime fit in secu[...]da figura. Ostendit deinde Demonstratione[...] Quia, posse fieri demonstrationem prop[...] quid scil. quando causa est conuertibilis c[...] effectu, non aliter, & si tunc sumatur ca[...] pro medio, hoc modo, Quæ prope sunt, n[...] scintillant, Planetæ prope sunt, ergo n[...] scintillant.

CAPVT XI.

PRobat primam figuram esse maxime [...] commodatam demonstrationibus p[...]pter quid. Primo quia clare concludit, & d[...]ciplinæ Mathematicæ, imo omnes aliæ scie[...]tiæ illa fere vtuntur. Secundo, quia in D[...]monstrationibus propter quid, conclusio vniuersalis affirmans, quæ infertur in pri[...] figura. Demonstratio tamen negatiua co[...]mode fit in secunda figura.

Diuidit propositiones immediatas in af[...]matas & negatiuas: Affirmatiuæ sunt, q[...] non habent medium, quare prædicatum i[...] subiec[...]

subiecto, vt homo est rationalis: negatiuæ sunt, in quibus non datur medium, cur prædicatum moueatur à subiecto, vt sunt, verbi gratia, quantitas non est qualitas, & aliæ similes, in quibus vnum generalissimum negatur de alio. Ex quo intelligitur mediatas propositiones dici, quæ habent medium, per quod termini sibi coniunguntur.

CAPVT XII.

Scientiæ opponitur ignorantiæ, quæ duplex est, scilicet ignorantia puræ negationis, quæ est priuantia & carentia puræ scientiæ, & ignorantia prauæ dispositionis, quæ est positiua ac praua mentis affectio, quo opinamur oppositum veritatis, & vocatur error. Hæc ignorantia cõparari potest syllogismo, et cum quis assentitur falsæ conclusioni vel etiam apprehensioni, vt si quis iudicet solem esse planum, & bipedalem, quod ita sensui videatur, &c.

CAPVT XIII.

Docet causam ignorantiæ negatiuæ interdum esse defectum alicuius sensus à natiuitate, quo fit, vt cæcus à natura non possit habere propriam ac perfectam scientiam, de obiecto proprio visus, vt de colore, neque surdus de sono. Dico defectus à natiuitate, quia si aliquando istum sensum quis habuerit, licet casu aliquo postmodum amittat, potest retinere scientiam semel acquisitam. Dico non posse habere scientiam propriam, & perfectam, quia potest habere impropriam & imperfectam, seu generalem, vt verbi gratia, quot colores consurgant ex mixtione varia primarum qualitatum, quas tactu percipit, vel ex similitudine & analogia, cum cæteris rebus. Probat hanc doctrinam Aristoteles, hoc modo, omnis scientia acquiritur inductione, vel demonstratione, sed inductio & demonstratio dependent ex sensu, ergo deficiente aliquo sensu, deficit scientia obiecti illius sensus. Minorem probat, quia inductio est ex singularibus sensu perceptis: Demonstratio ex vniuersalibus, quæ cognoscuntur per singularia, sensu prius cognita. Hinc desumitur illud vulgatum axioma, nihil est in intellectu, quod prius non fuerit aliquo modo in sensu. Dico aliquo modo, quia non requiritur, vt res secundum seipsum sensu percipiatur, sed sufficit, vt per suos effectus sit. Deus cognoscitur vel per simile, vt Petrus absens, per Paulum præsentem, vel per partes, quas intellectus potest coniungere, quomodo is, qui vidit montem & aurum potest cognoscere montem aureum, &c.

CAPVT XIV, XV. & XVI.

His capitibus probat, in Resolutione præmissarum Demonstrationis non esse progressum in infinitum, sed prædicata tam essentialia, quàm accidentalia esse finita, quia Categoriæ, ex quibus desumuntur sunt finito numero, & in singulis genera, & gradus intermedii, vsque ad indiuidua, etiam finita, ita vt nec sursum, nec deorsum procedatur in infinitum.

CAPVT XVII.

Docet primo, Demonstrationem vniuersalem, id est, quæ demonstrat passionem de primo, & adæquato subiecto, verbi gratia, risibile de homine, esse nobilorem particulari, seu ea quæ probat passionem de subiecto inadæquato, vt verbi gratia esse mobile, de animali, quod probat primo, quia subiectum est vniuersalius, & plurium generat scientiam. Secundo magis docet cur sit, quia demonstrat passionem de subiecto, per causam adæquatam, & immediatam. Docet secundo demonstrationem affirmatiuam esse nobiliorem negatiua, quia affirmatio est prior, & nobilior negatione.

Docet tertio demonstrationem ostensiuam esse præstantiorem ea, quæ ducit ad impossibile, quia directa ex prioribus probat posteriora. Ducens ad impossibile ex posterioribus, probat priora, quia scilicet ex falsa propositione probat veram esse propositionem negatam.

CAPVT XVIII.

Quatuor hoc capite habet documenta, primum est vnam scientiam esse altera certiorem, tribus modis, prima scientia, quæ

docet quod res sit, & cur sit, siue quæ docet veritatem & causam veritatis, vt est demonstratio propter quid, certior est ea quæ solum docet, quod sit, vt Demonstratio Quia. Secundo illa scientia est certior, quæ abstrahit à materia sensibili, quam sit ea quę non abstrahit, sic certiores sunt disciplinæ mathematicæ, quam naturalis Philosophia. Tertio sciētia, quæ versatur circa obiectum simplicius, certior est ea, quæ versatur circa obiectum ex additione, siue magis compositum: Sic Arithmetica certior est, quam Musica, quia illa cōsiderat numeros simpliciter, Musica vero numerus sonorum.

Secundum, vnam scientiam dici illam, quę vnius est generis, siue quæ habet obiectum vnum, genere saltem analogo, diuersas vero esse scientias, quæ habent diuersa omnino principia, quæ scilicet neque ex iisdem dependent, neque alia ex aliis, vt Arithmetica, & Geometria. De his fusius in Disputationibus.

Tertium, Fortuitorum non esse scientiam, cum semper non eueniant, Demonstratio autem sit de necessariis.

Quartum cognitionem per sensum, non esse scientiam, quia sensus est singularium: Scientia autem est vniuersalium, quę sensibus non percipiuntur; an vero singularium etiam sit scientia, dicemus in quæstionibus.

CAPVT XIX.

Repetit quædam *supra* dicta, & ostendit, non omnium syllogismorum eadem esse principia, verorum enim principia sunt vera, qui autem falsa concludunt, habent falsa principia, quod si ex falsis contingat concludi verum, id tantum fit illatiue.

CAPVT XX.

Assignat discrimen inter scientiam, & opinionem, ex parte obiecti, quod sciētia sit de necessario, quod non potest se aliter habere. Hinc dicimus, nos scire, quando existimamus rem aliter se habere, non posse, opinari vero, cum putamus rem aliter se posse habere. Addit tamen, idem posse esse scibile, & opinabile, scilicet diuersa ratione, siue secundum diuersa prædicata, sic homo est scibilis, secundum risibilitatem, opinabilis, secundum iustitiam, imo & de eodem potest esse omnino vera, & falsa.

Docet secundo, vnum & eundem non posse simul habere scientiam & opinionem eiusdem rei, quia repugnat simul existimare rem aliter se posse habere, & non posse se aliter habere, quod examinabitur in quæstionibus.

Concludit definitione solertiæ, quæ est medii extemporalis coniectatio, vel facilis ex aliquo illatio, dum scilicet prompte quis inuenit medium, ad aliquid probandum, vel facile inuenit, ex aliquo medio, vt si quis videns lunam semper lucere, ea parte, qua spectat solem statim intelligat, causam esse, quia illuminatur à sole. Intendit hic Aristoteles definiri solertiam habitualem, acquisitam potest tamen definitio accommodari actuali & naturali.

**
*

Libri primi Finis.

BERN

BERNARDI MORISANI PHILOSOPHI COMMENTARII IN ARISTOTELIS LIBRVM SECVNDVM POSTERIORVM ANALYTICORVM.

CAPVT I.

DOcet quatuor genera quæstionum de re aliqua posse institui, in quibus enumerandis, Aristoteles sequitur ordinem, qui nobis solet occurrere, alioqui naturæ ordine hac serie proponūtur. Prima quæstio est, an res sit, vt an sit homo, id est, an habeat aliquid esse, siue actuale, siue possibile essentiæ, vel existentiæ. Secūda quæstio est quid sit, id est, quid in particulari sit illud esse, quod habet, tertia quæstio est quale sit, id est, quænam proprietas illi insit, quarta est, cur sit, id est, quænam sit causa, propter quam proprietas talis illi insit. Peculiare igitur est, quæstioni quartæ expresse quærere medium, in demonstratione, ceteræ enim quæstiones secundum Aristotel. quærunt etiam causam, & medium, sed tantum implicite, & virtualiter.

CAPVT II.

TRes proponit quæstiones, ex quibus apparet discrimen inter demonstrationem, & definitionem, prima est, an omne demonstrabile sit definibile, id est, an id, quod demonstratione cognoscitur, etiam cognoscatur definitione. Respon. negatiue, quia definitio explicat rei essentiam, & semper est vniuersalis, & affirmatiua, scilicet si sumatur in propositione, cum definito, vt homo est animal rationale. Demonstratio vero neque semper est affirmatiua, vt quæ in 2. figura concluditur, neque semper vniuersalis, vt quæ in 3. figura concluditur. Secunda quæstio est, an omne definibile sit demonstrabile. Respondet negatiu. quia alioqui potest haberi scientia demonstrabilis, sine demonstratione, scilic. per definitionem, quod fieri non potest, nam vnius rei vna tantum est scientia, scilicet aut per definitionem, aut per demonstrationem. Deinde principiorum sunt definitiones, non tamen demonstrationes, alioqui enim daretur processus in infinitum, si principia per alia principia demonstrentur. Tertia quæstio est, an saltem aliquod definibile sit demonstrabile, Resp. negatiue, quia definitio explicat rei essentiam, & quidditatem, neque per se quicquam affirmat, aut negat Demonstratio vero supponit quidditatem & essentiam, & probat tantum passionem, & aliquid affirmat, deinde per definitionem respondeo ad quæstionem, quid sit res, per demonstrationem, ad quæstionem qualis sit.

CAPVT III.

SOluit quæstionem, an scilicet definitio probari possit de definito, & respondet negatiue, probatque primo, non posse probari syllogismo duplante, seu reduplicatiuo, in quo scilicet quicquid est, sæpius ponitur Ratio est, quia in huiusmodi syllogismo committitur petitio principii, quia idem probatur per idem, medium enim quod assumitur ad probandū, debet esse definitio. Secundo ostendit, non posse probari methodo diuisiua, quæ familiaris erat Platonicis, quia in illa aliquid debet cōcedi ab aduersario, ita vt cōclusio nō sequatur necessario ex præmissis, vt hic, omne animal est rationale, vel irrationale, omnis

homo est animal, ergo, vel est rationalis, vel irrationalis. Sed non est irrationalis, ergo rationalis, hæc propositio non est irrationalis, debet concedi ab aduersario, vt inferatur hęc, ergo est rationalis. Deinde in minori supponitur, animal esse genus, quod erat probandum, tertio ostendit, non posse probari, ex hypothesi, supponendo scil. definitionem esse orationem, quæ soli inest, & in quid prædicatur, quia & hoc modo petitur principium, v. g. oratio, quæ soli inest, & in quid prædicatur, est definitio, sed animal rationale est talis oratio, respectu hominis, ergo est definitio hominis, vbi minor assumitur, sine probatione, & supponitur id, quod petitur. Quarto, ostendit, non probari per definitionem contrarii vt ver. gr. albedo est qualitas disgregans visum, ergo nigredo est qualitas congregans visum: vbi supponitur definitio vnius contrarii, & sic petitur principium, duci tamen potest argumentum probabile à contrario, quando scilic. vnum contrarium nobis est notius. Quinto ostendit definitionem non posse probari definitione, idem enim non potest probari pro seipsum. Denique non posse probari inductione, neque etiam demonstrando sensu, quia hoc est singulorum sensibilium, quorum non est propria definitio.

CAPVT IV.

Cum definitio demonstrari nequeat de definito, per causam intrinsecam, & formalem, superest alius modus, vt assignetur, quo illa nobis innotescat scilic. per causam aliam diuersam à causa formali, nimirum per efficientem, vel materialem sic probatur iram esse appetitum vindictæ, quia est efferuescētia sanguinis circa cor, quæ est causa efficiēs, vel materialis, & huiusmodi probationes sunt bona, quia definitio in vno genere causæ potest esse effectus alterius, vnde quatenus talis, probatur de tertio, & per accidens est, quod sit definitio illius tertii, vbi. Nota demōstrari posse definitionē de eo, de quo ipsum definitum demonstratur, sic enim definitiones illarum rerum quæ causas habent demonstrātur de subiecto, per causam, vt aptitudo ad ridendum, qua est definitio risibilitatis, probatur de homine per animal rationale, deinde docet definitionem generaliter sumptam esse rationem explicantem quid est, & ostēdit, quomodo referatur ad demonstrationem.

CAPVT V.

Docuerat medium demonstrationis esse causam, sed ex quonam genere causarum desumeretur, nō explicuerat. proposita igitur hic causarum diuisione docet, ex omni genere posse sumi medium demonstrationis, vnde demonstratio, cuius medium est causa materialis passionis, dicitur demonstratio à causa materiali, vt hic, quidquid habet materiam porosam, transmittit lumen, sed lucerna est talis, ergo transmittit lumen. Demonstratio à causa formali, est hæc, quicquid est præditum anima rationali, est discursiuum, homo est præditus anima rationali, ergo est discursiuus, talis etiam est illa communis demonstratio, omne animal est risibile, &c. Demonstratio à causa efficiente, est hæc, quæcunq; constant ex contrariis, sunt corruptibilia, sed omnia mixta constant ex contrariis, ergo sunt corruptibilia. Demonstratio à causa finali est hæc, Quicunque sanari vult, consulit medicum, sed omnis prudens æger vult sanari, ergo consulit medicum. In his propositiones continentes causam efficientem & finalem pertinent ad primum modum, per se, quia quælibet causa in suo genere est causa vera sui effectus.

Ostendit eandem etiam passionem posse demonstrari, per diuersa genera causarum, verbi gratia, transmittere lumen, quod *init. cap.* per causam materialem probatur, potest demonstrari per causam finalem, hoc modo, quicquid fit, ne offendamur in tenebris, transmittit lumen, sed lucerna fit, ne offendamus in tenebris, ergo.

CAPVT VI.

Docet in causis, quæ tempore antecedunt suos effectus, non posse fieri, demonstrationem à priori, quia posita tali causa non necessario ponitur effectus, posse tamen fieri à posteriori ab effectu ad causam, quia ex effectu recte infertur causa, verbi gratia non sequitur, est ædificata, ergo est domus, sequitur tamen est domus, ergo est vel fuit ædificata. Vbi Aristotel. accipit causam & effectum materialiter scilicet pro rebus, quæ sunt causa & effectus. Sic enim non sunt semper simul tempore, est enim homo, qui est Pater ante filium, formaliter enim & causa & effectus sunt simul.

Circa *fin. cap.* docet, posse dari aliquas de-onstrationes circulares, in causis & effecti-is, in quibus admittitur circulus, eo quod se utuò generent, ita vt verbi gratia, possit in-rri, terra est madefacta, ergo erit madida, ia ex terra madefacta fit vapor, ex vapore bes, ex nube pluuia, ex pluuia terræ made-ctio, hinc iterum vapor, &c. quæ demon-ationes non sunt potissimæ, quia non con-nt terminis conuertibilibus, neque causæ it per se, nec effectus necessarii, cum variis odis possit impediri, non sunt tamen vitio-, quia licet videatur committi circulus, em negat Aristot. *l.b.1.c.3.* quia tamen per culare hunc progressum non reditur ad m numero, sed ad idem specie tantum, non-c improbandus.

CAPVT VII.

Dinuestigandam definitionem essentia-lem, quæ est principium & medium de-nstrationis, docet tribus modis posse pro-i, primò si species debeat definiri, cuius ferentia ignoretur, talia sunt sumenda præ-data, quæ licet singula seorsim excedant speciem definiendam, omnia tamen simul sumpta cum ea conuertuntur, sic numerus ternarius definitur numerus primus impar. primum conuenit etiam binario, esse im-pem conuenit etiam ternario: vtrumque vero simul conuenit soli ternario. Secundus modus est per diuisionem, sumendo scilicet genus rei definiendæ, idque diuidendo per differentias, quarum altera reiiciatur, altera tribuatur, quod si genus & differentia ista-ndum conuertantur cum definito, vlterius diuisio facienda est, donec ad differentiam conuertibilem perueniatur, & hac methodo facilius est definire magis vniuersale, quam minus vniuersale, quia magis vniuersale pau-ciora in essentia includit, à quibus in cogni-tione à priori dependet. Tertius modus est per compositionem, sumendo scilicet infe-riora rei definiendæ, & in his notandum, in-quo essentialiter conueniant, & illud erit de-finitio quæsita. Hac methodo facilius defi-niuntur minus vniuersalia, quæ Aristotel. *hic* vocat singularia, quam magis vniuersalia, quæ à posteriori, aut à paucioribus depen-dent in sui cognitione.

CAPVT VIII.

Tradit alias vias inueniendi medium de-monstrationis, primo, si communis ali-qua passio demonstranda sit de pluribus spe-ciebus, pro medio sumi debet genus, cui pas-sio illa immediate conuenit, verbi gratia, qui volet demonstrare de homine & equo, quod sint sensibiles, sumet pro medio animal, cui primo conuenit esse sensibile, inferioribus vero vt homini, & equo, ratione animalis. Secundo si proprietas conueniat alicui gra-dui innominato, videndum an ista proprietas habeat alteram annexam, quo casu poterit vna proprietas demonstrari per aliam, verbi gratia, esse cornigerum conuenit certo gra-dui generico animalis, cui tamen non est im-positum nomen proprium, hanc proprieta-tem comitatur alia, scilicet non habere den-tes in superiori mandibula, quare si quis velit probare bouem non habere dentes in supe-riori mandibula, sumet pro medio priorem illam proprietatem, scilicet esse cornigerum, hoc modo, omne cornigerum caret dentibus in superiori mandibula, sed bos, &c. Tertio, si proprietas conueniat pluribus analogice, pro medio accipiendum est superius analo-gum, verbi gratia, sustentare partes corporis analogice conuenit ossi & spinæ, quod vt probetur, sumi debet pro medio solidum, vel durum, cui hoc primo conuenit, dicendo quicquid in homine est solidum, sustentat partes hominis, sed ossa sunt solida, &c.

Sub *finem cap.* docet eadem specie proble-mata dici, quæ idem specie habent medium, siue eandem specie causam, ita vt vna respon-sio iis conueniat, huiusmodi sunt cur putei hyeme sint calidiores, cur ignis dum gelat, sit viuacior, cur hyeme melior fiat concoctio, in ventriculo animalium, &c Respondetur e-nim ad omnia causam esse antiperistasin, siue obiectionem contrarii. Eadem genere pro-blemata dicuntur, quæ specie diuersas habent causas, licet sint genera eadem, huiusmodi sunt, cur quibusdam in locis resonet Echo, cur Iris appareat in nubibus, cur imago vi-deatur in speculo, respondetur enim causam esse reflexionem in genere, in singulis ta-men specie diuersam in Echo est reflexio soni, in Iride & similibus est reflexio radio-

rum solarium, in imagine est reflexio specierum.

CAPVT IX.

SVpra examinauerat, an sicuti ex causa colligitur effectus, ita ex effectu colligatur causa, idipsum fusius multis allatis exemplis hic disputat, & respondet, duplicem esse causam, & effectum, scil. quidam effectus duplicem habet causam, à qua indifferenter prodire potest, hic effectus cum neutra per se reciprocatur, vt v.g. vituperabile sequitur ex prodigalitate, & ex auaritia, & ex vtroque hoc vitio, tanquam ex causa infertur vituperabile, tanquam effectus, non tamen contra, non enim sequitur, est vituperabilis, ergo prodigus, potest enim esse auarus, alius est effectus, qui procedit ab vna causa vniuersali, adæquata, & hic reciprocatur cum sua causa, huiusmodi est eclipsis quæ oritur ex interpositione terræ, inter Solem & Lunam, & rectè sequitur, est interpositio terræ inter solem & terram, ergo est eclipsis, & contra, est eclipsis, ergo interpositio terræ inter Solem & Lunam.

In *fine cap.* ponit epilogum respondentem prologo, priorum Analyticorum.

CAPVT X.

AD complementum tractatus de Demonstratione agit, hoc enim cap. de cognitione primorum principiorum, Et quærit primo, an cognitio principiorum sit scientia, an alius habitus, Resp. non esse scientiam, vel o[pi]nionem, sed habitum, qui dicitur intellec[tus] principiorum, qui nobilior est, quam sci[en]tia, Ratio est, quia scientia per causas, pri[nci]pia vero siue immediata non habent cau[sas] ergo eorum cognitio non est scientia. D[ein]de cognitio principiorum est omnino ce[rta], opinio autem non est certa, ergo cogn[itio] principiorum non est opinio, quare pri[nci]pium ex quo pendent conclusiones, tribu[itur] principio, siue primario habitui, ex quo [cæ]teri dependent Quærit ergo an habitus p[rin]cipiorum nobis insit à natura, & in nobi[s la]teat. Respon. negando, contra Platonem [æ]stimantem omnes habitus esse animæ [con]genitos, sed in ea latere, donec exercita[ti]o euigilent, quod absurdum esse docet, cum [sci]entia scientem non lateat, multo minu[s co]gnitio principiorum, quæ certior est: Qu[ærit] tertio, quomodo acquiratur intellectus [prin]cipiorum, Resp. & obiecta sensibilia, per [sen]sus percipi, ex sensu fieri imaginationem [&] phantasmata, ex quibus efficitur memor[ia re]rum perceptarum, & multis memoriis [expe]rientia ab experientia plurium singula[rium] colligit intellectus vniuersalem, propo[sitio]nem, cui vi luminis naturalis clarum, & [cer]tum præbet assensum, qui dicitur ass[ensus] principiorum, & in hoc principio acqu[iescit] intellectus, non procedēs vlterius, sed p[ost] regrediens & colligens ex eo conclusion[es].

DISPVTATIO XI. LOGICA.

AD LIBROS POSTERIORVM Analyticorum Aristotelis.

De Demonstratione.

PROOEMIVM.

CVM *Demonstratio sit causa scientiæ, primo dicemus, de ipsa demonstratione, & requisitis ad illam, tum de natura scientiæ.*

QVÆSTIO I.

Quid sit præcognitio & quotuplex.

REspon. primo, præcognitio in genere est, quæ aliam cognitionem præcedit, vnde connotat cognitio subsequentem, si [præ]tamen sumpta, dicitur ea cognitio, q[uæ] præcedit, vt ad aliam comparandam [ne]cessaria, idque non tantum vt cognitio, [sed] iam vt causa saltem moralis,

Respon. secundo: Præcognitio in genere st duplex, scilicet an sit, & quid sit. Præcognitio an sit, alia est rerum incomplexarum, ua præcognoscimus an res habeat aliquod sse, seu essentiæ, seu existentiæ, alia est complexarum, seu propositionum qua præcognoscimus, an propositiones, quæ sunt præmissæ, in syllogismo sint veræ. Præcognitio uid sit similiter subdiuiditur in præcognitionem, quid nominis, & quid rei. Præcognitio quid nominis, & qua cognoscimus significationem termini. Præcognitio quid rei t, qua cognoscimus quid res sit, quæ si sit lis, vt per eam rei essentia in se clare cognoscatur; dicitur distincta, siue vero rudis & obscurior, dicitur confusa.

QVÆSTIO II.

An omnis cognitio ex antecedente fiat cognitione.

QVæstio est, de cognitione intellectiua, humana, quia certum est cognitionem nitiuam exteriorem, non fieri ex alia, alioui res abiret in infinitum. Cognitio etiam ngelica, non fit ex præcognitione, Angeli nim simplici intuitu siue discursu in obiecta runtur.

Respon. Omnis cognitio intellectiua ex atecedente fit cognitione, vt Aristot. hic *c.* 1. ui licet secundum veriorem sententiam de ola discursiua loquatur, probatur tamen e omnibus, primo simplex rei apprehensio ntellectiuæ prærequitit cognitionem sensus, qui enim nunquam vidit leonem, neque e eo quidquam audiuit, non potest oancisci liquam cognitionem intellectus de illo, seundum iudicium prærequirit cognitionem ensus, & apprehensionem intellectus. Tero, discursus prærequirit cognitionem sensus pprehensionem, & iudicium.

Obiic. dantur principia quædam communissima, lumine naturæ ita nota, vt non videantur prærequirere aliquam cognitionem, t quodlibet esse, vel non esse, similiter quid t totum, quid pars, priusquam formetur idicium, omne totum est maius sua parte.

Petes, ergo non concurrant cognitiones præmissarum, siue præcognitiones complexæ, ad assensum complexionis.

Respon. certum est primo concurrere dispositiue, facilitando scilicet intellectum ad assensum conclusionis, quem virtute continent. Secundo, obiectiue, quia per connexionem extremorum cum modus sufficienter applicatur intellectui obiectiue connexio extremorum inter se. An vero concurrant etiam effectiue, disputatur vtrinque probabiliter. Vide dicta *in lib. prior.*

ARTICVLVS PRIMVS.

An, & quomdo præcognoscantur principia.

NOta, duplicem esse scientiam, vnam totalem, alteram partialem. Totalis est, quæ constat multis scientiis & demonstrationibus, particularibus, verbi gratia, tota Physica, tota Logica. Partialis est, quælibet demonstratio.

Dico primo principia communissima, quæ non ingrediuntur demonstrationes, plus debent esse præcognita, vt quodlibet est, vel non est, similiter principia dirigentia syllogismorum, quibus syllogismus nititur, qui enim scientiam tradit, non solet in singulis hæc explicare. Probatur, quia non potest præteritum coniungi cum subiecto, in conclusione: nisi sciamus illa coniungi cum medio in antecedente, & simul esse euidentem consequentiam.

Dico secundo, in scientiis totalibus non necessario præcognoscuntur principia particularia, illius scientiæ, quia in illa scientiæ solent explicari priusquam fiant demonstrationes.

Dico tertio: præmissæ demonstrationes communiter præcognoscuntur ante ipsam demonstrationem. Probatur, quia intellectus propter suam imbecillitatem commode nequit in ipsa demonstratione assentiri præmissis, ita clare, & certo, sicuti necessarium est, ad inferendam conclusionem, ergo debent prænosci, quod si interdum coniungat aliquam propositionem singularem, in ipso discursu sensu percipi, & consequenter intellectum, illa tamen semper prius natura erit nota, quam conclusio, & erit præcognitio respectu conclusionis demonstratiuæ.

Etin

Et in his omnibus debet esse præcognitio, saltem confusa rerum, ex quibus præmissæ componuntur, quia intellectus non potest rem rei tribuere, nisi saltem confuse non erit vtrumq; extremum, deinde de principiis debet prænosci, an sint, seu an sint vera, quia veritas principiorum est causa veritatis conclusionis.

Respon. 4. medium demonstrationis, quod est principium incomplexum, debet prænosci præcognitione, an sit. Ratio est, quia duo extrema debent coniungi cum illo, in antecedente, quod fieri nequit, nisi sciamus an habeat aliquod esse, & eandem causam debet præcognosci præcognitione quid sit.

Petes, an conclusio prænoscatur in præmissis, vt videtur insinuare Aristotel. *in 4. hypothes. c. 1.*

Respon. negatiua, quia conclusio in præmissis tantum scitur in vniuersali, & in potentia, noscitur vero in se, & in particuli, vnde qui habet cognitionem præmissarum, habet cognitionem conclusionum, in radice, & in potentia remota. Præcognitum autem debet præcognosci in se, & in propriis terminis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An & quomodo subiectum demonstrationis præcognoscatur.

Respon. primo de subiecto cognosci debet, quid sit, & an sit. Ratio, quia alioqui non potest prædicatum subiecto attribui: non quod necesse sit scire subiectum existere in rerum natura, sed quod prænoscendum sit, illud habere aliquod esse pro exigentia & conditione prædicati.

Respon secundo: Communiter supponitur actualis existentia, de subiecto totali, vel partiali, alicuius scientiæ. Probatur, quia scientiæ nostræ hauriuntur à sensibus, qui non percipiunt nisi res existentes, non est tamen necesse, vt subiectum semper existat, sed sufficit, vt in aliqua temporis differentia, aut tempore à natura determinato, sic habetur scientia de floribus, de eclipsi, de tonitruo, & similibus etiam quando non sunt.

Resp. tertio. Licet subiectum scientiæ communiter in scientiis sit nōtum, probari ta[...] interdum potest à posteriori, per effect[...] nunquam tamen à priori. Prior pars pro[...]tur, quia sic Theologia probat Deum e[...] creatione, à conseruatione, à rerum ord[...] & sic in libris de Cœlo, & de variis moti[...] probatur dari quintum corpus simplex [...]cet cœlum. Posterior pars probatur, quia [...]stentia subiecti non potest à priori dem[...]strari, nam si sit increatum, non habet [...]sam, per quam possit demonstrari, cum [...]stentia sit omnino idem cum essentia, qu[...] infinitæ perfectionis, in ente increato, q[...] est à se, & non ab alio, tanquam à causa, [...] creatum, pendet à libera Dei voluntate, v[...] causa illius non est necessaria.

Obiic. subiectum potest habere veras [...]sas, v. gr. corpus naturale habet materia[...] formam, ergo à priori debet demonstrari [...]stentia subiecti.

Respon. negando consequentiam, qu[...]cet per causas existentes probari possit à p[...]ri, subiectum existere, non tamen per dem[...]stratione, quia cum causa illæ sunt incre[...] non necessario existunt. Vnde non infe[...] effectum, nisi ex suppositione, quod exist[...] demonstratio autem non procedit ex sup[...]sitione.

Dices, risibilitas demonstratur de hom[...] per animal rationale, quod etiam non e[...] necessario, ergo non requiritur necess[...] existentia causæ.

Respon. ad antecedens, per illam dem[...]strationem non demonstrari actualem [...]stentiam risibilitatis, sed tantum necessa[...] eius connexionem, & conuenientiam [...] homine, vnde negatur consequentia.

QVÆSTIO III.

An & quomodo debeat præcognosci passio.

Respon. primo, Passio debet prænosc[...] cognitione quid sit, Est communi[...]tentia, Probatur, quia non potest intell[...] illam tribuere causæ in antecedente, & [...]cto, in consequente, nisi confusam salt[...] lius habeat notitiam.

Respon. secundo: Passio debet præcog[...] præcognitione an sit, siue an habeat al[...]

[...] est

esse. Est contra multos, qui existimant hoc repugnare Aristoteli. Probatur, quia de subiecto debet præcognosci, an sit, eo, quod nemo possit attributum subiecto tribuere, nisi sciat illud esse iuxta exigentiam prædicati. ergo, vt passionem, quæ est prædicatum in consequente tribuamus subiecto, præcognosci debet illam habere aliquod esse. Probatur secundo, Medium debet præcognosci an sit, eo quod sit causa connexionis extremorum inter se, sed passio, seu prædicatũ in antecedente positũ, sibi est causa, cur in conclusione coniungatur subiecto, ergo etiã debet præcognosci an sit, nec præcognosci possunt ꝓmissæ habere vim inferẽdi conclusionẽ, nisi ꝓnoscatur terminos, ex quib. constant, habere aliq̃ esse.

Obiic. in demonstratione passio demonstratur inesse subiecto, & illius esse est inesse, ergo non debet prænosci.

Resp. probari passionem inesse subiecto, sed poni esse, siue habere aliquod esse, quod esse non est idem, cum inesse actuali.

Obiic. secundo, Aristot. *c.* 1. docet, de principiis prænoscendum, an sint, & de passione quid sit, de subiecto vtrumque, ergo non est prænoscẽdum de passione an sit, q̃ est contra hunc articulum, neq; etiam de medio, & præmissis, quid sint cõtra præcedentes articulos.

Resp. negando consequentiã, Aristot. enim non negat debere prænosci, de singulis an sit, & quid sit, sed tantum insinuat, quid supponi soleat, ab his, qui tradunt disciplinas, ita vt in iis explicandis non immorentur, ex quo tamen non sequitur, de quibusdam nõ esse plura prænoscenda, vt colligitur *ex c.* 2. vbi Arist. dicit, præcognita non altero tantum, sed vtroque modo prænosci.

QVÆSTIO IV.

Quid sit demonstratio propter Quid.

Resp. cum Aristot. Demõstratio est syllogismus procedens ex veris primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis. Particula, ex, significat habitudinem causæ materialis, ex qua constat, requiritur autem, vt procedat ex veris præmissis, quia sunt causæ probatiuæ conclusionis, falsum autem non potest inferre verum, tanquam causa secunda debet esse primo, & immediate, scil. quæ non habet alias propositiones, priores, per quas demonstrari posset, prædicatum conuenire subiecto, vnde etiam dicuntur indemonstrabiles, idem enim est, esse primam, esse immediatam, siue carere medio & esse indemonstrabilem.

Petes, an principia seu pręmissę, semper debeant esse primæ, & indemonstrabiles, formaliter, vt docet Auerr.

Resp. negatiue: Sufficit enim, vt sint talia virtualiter, id est, vt licet habeant medium, per quod possint demonstrari, demonstrãs tamen habeat habitualiter illorum scientiam, ita vt ad prima formaliter illa possint reducere, eo, q̃ illi antea per demonstrationem fuerit probata, aut cognita, hinc *l. text. c.* 1 ait Arist. demonstrationem esse ex primis, aut ex talibus, quę per aliqua prima suæ cognitionis causam sumpserunt. Exemplum est demonstratio, in qua posterior passio demõstratur de subecto, per priorem, vt hic, omne admiratiuum est risibile, omnis homo est admiratiuus, ergo, omnis homo est risibilis, quæ est vera demonstratio, propter quid, quia prior passio, scil. demonstratio est causa posterioris, minor tamẽ propositio nõ est absolute immediata, scil. omnis homo est admiratiuus, habet enim medium, per quod potest demonstrari, scil. animal rationale, quia tamen supponitur, reduci posse ad demonstrandum, & quia est immediata immediatione subiecti, cum prædicatum subiecto primo conueniat, recensetur inter veras demonstrationes.

Dices, si immediata propositio sit illa, quæ per aliam demonstrari non potest, sola hæc, quodlibet est, vel non est, est immediata. Probatur consequentia, quia omnes aliæ per illam possunt probari, illa vero per nullam aliam, cum sit vniuersalissima.

Resp. negando sequelam, Ad probationem dico, per illam ceteras omnes demonstrari, tanquam per causam, sed tamẽ probari reductione, per impossibile, cõtra proteruos, quare propositiones immediate, seu principia hic dicuntur propositiones particulares, quæ à scientiis particularibus explicantur, nec necesse est habere discentem, vt in Physica, natura est principium motus, & quietis, quę etiam dicuntur positiones ab Aristot. propositiones vero immediate vniuersales, quæ ab omni scientia præsupponuntur, & vocantur digni-

tates, proprie non habent locum in demonstratione, neq; per illas demonstrari possunt ostensiue positiones.

Tertio demonstratio debet procedere ex causis conclusionis, pro quo nota duplicem esse causam, vnam essendi, alteram cognoscendi, causa cognoscendi est, ex cuius notitia deuenimus in notitiam alterius, licet in ratione essendi sit quid posterius, sic actus ridendi est causa cognoscendi hominem risibilem. Et hinc in omni demonstratione etiam, quia præmissæ sunt causa cognoscendi respectu conclusionis, quæ tamen causa non est causa, simpliciter, sed secundum quid, scilicet quoad nos, nam absolute eadem est causa cognoscendi, quæ essendi, causa essendi est, ob quam res est, siue à qua procedit altera vt rationalitas est causa risibilitatis, & hęc est causa simpliciter essendi & cognoscendi.

Nota secundo: hanc causam essendi esse iterum duplicem, vna est, quæ vere influit in effectum, & ab eo distinguitur à parte rei, vt interpositio terræ inter solem & terram respectu eclipsis lunaris, rationalitas respectu risibilitatis, secundum D. Thom altera est, quæ vere non influit neque ab effectu distinguitur ex natura rei, sed sola ratione, vnde non tam dicitur causa, quam ratio prior, respectu alterius, nam vbi non est distinctio, ibi non est vera causalitas, sic in Deo immutabilitas est ratio prior æternitate, immaterialitas animæ immortalitate, essentia subiecti passione secundum Scotum, quę prioritas rationis in eo sita est, quod prius sit intelligibilis, non tantum à vobis, sed etiam à Deo, qui licet in omnes huiusmodi rationes feratur, semper tamen cognoscit vnam esse rationem alterius, & huiusmodi causa, seu ratio sufficit ad præmissas demonstrationis, quia tantum valet ratio prior, ac si esset vere causa, alioqui enim plures demonstrationes Metaphysicæ non comprehenderentur sub definitione demonstrationis.

Quarto, ex notioribus & prioribus hæc implicata priori continentur virtualiter ex causis, quia causæ sunt priores effectu, nam ex virtute causæ prodit effectus, & notiores ordine naturæ, nam ordo cognitionis absolute sumitur ex ordine essendi, licet respectu nostri, quorum cognitio dependet à sensibus causæ, plerumque sint ignotiores, vtpote à sensibus remotiores, debent tamen præmissæ nobis esse notiores, quia demonstratio est instrumentum sciendi, deducens nos in alicuius rei cognitionem, nihil autem potest deducere in cognitionem alterius, nisi quod est notius, discurrenti, nec refert, quòd non eadem nobis & natura sunt notiora, quia saltem notiora natura cognitione distincta & perfecta, etiam nobis sunt notiora, saltem cognitione confusa.

Ex cognitionibus præmissorum hactenus explicatis, inferuntur aliæ, quod scilicet propositiones debeant esse necessariæ, ita vt termini ex intrinseca ratione necessario sint connexæ, adeoque per se, & non per accidens, & de omni, ita vt prædicatum conueniat omnibus inferioribus subiecti, quæ omnia colliguntur ex fine demonstrationis, qui est scire, sicut definitur ab Aristotele.

QVÆSTIO V.

An definitio subiecti possit assumi pro medio demonstrationis propter quid.

Ratio dubitandi est, primo, quia definitio & definitum sunt idem, à parte rei, sed passio non potest demonstrari per idem, de eodem, quia definitio non potest esse medium. Secundo, connexio passionis cum medio debet esse causa connexionis eiusdem cum subiecto, sed connexio passionis cum definitione, non potest esse causa connexionis eiusdem cum subiecto definito, tertio, connexio passionis cum definitione non est prior & notior connexione passionis cum subiecto.

Pro resolutione nota primo, quæstionem esse de definitione essentiali desumptâ, quæ datur per causas intrinsecas, & partes Metaphysicas, verbi gratia, homo est animal, rationale, non autem de quauis definitione essentiali, quæ datur per aliquam causam, vt homo est animal ordinatum ad beatitudinem, vel quæ assignatur per partes Physicas, vt homo est compositum, ex corpore humano & anima rationali.

Nota secundo: Definitionem essentialem accipi tribus modis, primo, pro vocali, quę est oratio explicans rei essentiam, secundo pro mentali, quæ est actus intellectus concipientis distincte naturam rei, per ea, quæ ipsi sunt essen-

essentialia, qui actus est apprehensio, & pertinet ad primam mentis operationem, neque est propositio, licet propositio, in qua definitio de infinito prædicatur, interdum dicatur definitio, cum sit propositio definitiua. Tertio pro obiectiua, quæ est ipsa res definita, distincte repræsentata intellectui per partes essentiales.

Nota tertio contra Scotum, definitionem obiectiuam non distingui ex natura rei, à definito, definitum enim est res, confuse cōcepta, definitio vero est eadem omnino res cōcepta distincte idem, aut confuse conceptum nō distinguitur à se ipso distincte concepto. Imo neq; definitiones obiectiuæ seorsim sumptæ distinguuntur ex natura rei à definito, sed sola ratione, vt patet ex disputatione de vniuersalibus. Neq; hinc sequitur, propositionem in qua definitio dicitur de definito, esse identicam, quia saltē modo nostro concipiendi differt, quia habet fundamentum in re, qua inadæquatus conceptus adæquat, sicuti in aliis prædicationibus essentialibus, vt homo est animal.

Resp. Definitio subiecti, quatenus continet causam immediatam passionis potest esse medium demonstrationis.

Probatur primo, quia hæc demonstratio ab omnibus admittitur, omne animal rationabile est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, vbi tamen medium est definitio subiecti.

Probatur secundo: quia ex definitione subiecti fiunt præmissæ priores, & notiores, continentes causam conclusionis, quia definitio explicat partes essentiales rei, quæ, vt tales sunt priores, & altera, scil. differentia est causa passionis, proprietates enim specificæ tribuuntur gradui specifico, & licet tota definitio à parte rei non differat à subiecto definito, pars tamen abunde differt vt concipiatur, inquam ratio prior; & causa passionis, q; sufficit ad verā demonstrationē, vt *supra* ostendi.

Dices primo: Definitum etiam continet causam demonstrationis, ergo potest sumi pro medio demonstrationis.

Resp. negando consequentiam, quia licet definitum à parte rei contineat causam passionis, illam tamen distincte non repræsentat intellectui, ita vt cognoscatur distincte causa seu ratio immediata passionis. Deinde in tali syllogismo minor ppositio esset prorsus identica, omnis homo est risibilis, omnis homo est homo, ergo omnis homo est risibilis. Accedit, quod subiectum proponatur intellectui, tanquam suppositam habens essentiam, & causam passionis, non vero vt essentia & causa, quæ in definitione distincte repræsentatur. Vnde per rē distincte cognitam bene probatur eidem confuse cognito aliquid conuenire.

Dices secundo: Probatio rei, per suam definitionem recensetur ab Aristot. inter modos, quibus peti solet principium.

Resp. esse petitionem principii, quando aduersarius distincte nouit essentiā rei, seu subiecti, de quo instituitur quæstio: tunc enim per definitionem, siue rem distincte conceptam, nihil potest probari aduersario neganti prædicatum conuenire subiecto, alioquin ex natura rei essentia distincte concepta, notior est, quam eadem intellecta confuse.

Ad rationes initio positas resp. definitionē qua talem, seu totam totaliter nō esse causam passionis, vnde qua talis non est medium, sed ratione potioris partis, scil. differentiæ, quæ est causa, cur passio insit rei definitæ, & prior ac notior est eius connexio cum passione, quam passionis cum subiecto.

Petes primo, an definitio passionis possit esse medium demonstrationis propter quid?

Resp. affirmatiue, quando scil. demonstratur aliquod accidens proprium de subiecto, quod pendet à causa extrinseca, v. gr. eclipsis de luna, tunc enim definitio subiecti nō continet, aut explicat causam conclusionis, sed potius definitio passionis

Petes secundo: An duplex sit demonstratio propter quid, vna, quæ tantum demonstrat propter quid, altera quæ simul propter quid, & quia, vt docet Aristot. 1. *post. com* 15.

Resp. neg quia fieri nequit, vt demonstretur propter quid res sit, quin demonstretur quod res sit; quia in quæstione propter quid, includitur quæstio an sit, ergo & in responsione propter quid includitur responsio quid sit, quare falsum est instrumentum alterius sententiæ, quasi posset esse demonstratio quę ostendat propter quid res sit, & non etiam quod res sit, vid. fusius Zabarell. *lib. de specieb. demonstrat. à cap.* 12. *vsque ad fin.*

QVÆSTIO VI.

Quid sit demonstratio Quia.

QVod ad nomen huius demonstrationis attinet, rectius ab aliis vocatur demonstratio quid est, quia est particula causalis, cum tamen hæc demonstratio tantum inferat, quod res sit talis, non designata vera causa.

Resp. demonstratio Quia, est syllogismus euidens procedens ex præmissis necessariis continentibus causam remotam inadæquatam, vel effectum per se conclusionis. Duplex igitur est demonstratio, quia vna, quæ effectu nobis notiori, qui vniuersaliter & necessario causæ scientiæ est coniunctus, infert & probat causam, altera, quæ per causam remotam, infert passionem non conuenire subiecto, vide *in text.* Vbi demonstratio à signo reducitur ad demonstrationem ab effectu.

Petes primo, quænam demonstratio sit præferenda ex his duabus.

Respon. demonstrationem ab effectu longe esse perfectiorem, primo ratione formæ, quia perfectior est demonstratio affirmatiua, in prima figura, qualis est demonstratio ab effectu, quam negatiua in secunda, qualis est demonstratio à causa remota, quia causa remota inadæquata, de qua hic agitur, & intelligitur Aristot. non potest inferre effectum per viam affirmationis, imo neque per viam negationis infertur ex eius negatione, tanquam ex causa negatio effectus, primo, quia negatio proprie non est causa negationis, nam causa & effectus important rationes positiuas. secundo, quia negatio huius causæ, vt negatio causæ est, non necessario infert negationem effectis, vt effectus est, sed solum vt est negatio prædicati superioris, ex cuius negatione sequitur negatio inferioris, vnde in ordine ad demonstrationem materialiter tantum est causa, quia scilicet id, quod est causa remota, & inadæquata, infert per modum negationis negationem effectus, idque non secundum formalem rationem causæ, sed quatenus prædicatum superius, vt patet in hac demonstratione, omne respirans est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est respirans Probatur Illa demonstratio est perfectior, quæ quæstionem suam perfectissimo modo demonstrat, sed talis est demonstratio ab effectu, non autem demonstratio à cau remota, cum perfectius possit demonstrar scil. per causam primam.

Petes secundo: An demonstratio quia, con ueniat vniuoce cum demonstratione propte quid.

Respon. multis videre conuenire tantun analogice, sed verius est conuenire vniuoce & diuisionem demonstrationis propter qui est, quia est generis in species, vt D. Thom *hic*, Tolet. & alii. Probatur, quia intellectu potest abstrahere rationem vniuoce commu nem vtrique scilicet rationem syllogismi, pro cedentis ex veris necessariis, & notioribus i psa conclusione, qui generet sensum certur & euidentem; quod vtrique demonstratio conuenit, vtraque enim tollit ab intellectu o mnem formidinem, eumque conuincit, e quod effectus habeat necessariam connexio nem cum causa, sicut causa cum effectu. Ra tiones oppositæ sententiæ tantum probar demonstrationem propter quid, ratione di ferentiæ specificæ, esse perfectiorem demo strationem quia, cum enim res habeat essei tiam suam, à causis, tum demum scientia cei setur de illa perfecta, quando habetur pe causas, & hinc factum vt Aristot. hanc solai definierit, & dixerit in eius comparatione de monstrationem quia non esse simpliciter d monstrationem.

QVÆSTIO VII.

An in demonstratione magis assen tiamur præmissis, quam con- clusioni.

NOta primo, tribus potissimum modis i telligi posse nos magis assentiri præmi sis, quam conclusioni, primo, quia intentiu siue maiori conatu intellectus, secundo, qu certior est assensus præmissarum, quam co clusionis, certitudo autem est firma adhæ ad obiectum, tertio, quia euidentior, euide tia autem est clara manifestatio veritatis.

Nota secundo: certum esse assensum pr missarum non esse semper intentiorem, qua sit assensus conclusionis, quia intentio act prouenit ex conatu intellectus, & applicati ne voluntatis, quæ possunt esse maiora, resp ctu conclusionis, quam premissarum. Vnde

cet p.

et plerumque ex naturali modo agendi assensus præmissarum, sit intentior, non tamen necessario, & ex natura rei, de certitudine & euidentia est dubium.

Respon primo, assensus præmissarum, seu principiorum demonstrationis est certior assensu conclusionis Probatur primo, quia quod est magis infallibile, infallibilius & certius mouet potentiam ad sui perceptionem, sed principia sunt magis infallibilia, quia à seipsis sunt talia, ergo. Probatur secundo, Intellectus primo & certius assentitur propositioni, in qua clarius elucet ratio obiecti intellectus, scilicet ratio veri, sed in principiis ratio veri magis elucet, quia immediatis, ergo.

Respon. secundo: Assensus præmissarum est euidentior assensu conclusionis. Probatur, quia præmissis communiter assentimur, per habitum principiorum, qui certior est, clarior & magis euidens, quam sit habitus scientiæ, quia à paucioribus dependet, Confirm. quia in principiis clarius elucet ratio veri, ergo illis euidentius assentitur intellectus.

Obiicitur primo: Conclusio aliquando est sensu nota, ergo saltem hoc euentu erit euidentior præmissis.

Respon. negando consequentiam, quia cognitio, quæ immediato assensu habetur, non est scientifica, & distincta, qua cognitione potiores sunt præmissæ, sed tantum confusa, & experimentalis, vt loquuntur.

Obiic. secundo, premissæ demonstrationes propter quid sciuntur demonstratione, quia & conclusio scitur demonstratione propter quid, sed demonstratio propter quid generat assensum certiorem, ergo certior erit assensus conclusionis, quàm præmissarum.

Respon. ad maiorem: Quando præmissæ demonstrationis sciuntur demonstratione, quia non habent rationem præmissarum, aut principiorum, vnde quatenus talia cognoscendi tantum per habitum principiorum, qui certior est habitu scientifico. Vnde quando per inductionem, vel demonstrationem quia, intellectus cognoscit propositionem, quæ est principium, cognitio illa sic accepta, non est proprie assensus principiorum, sed cognitio quædam præuia ad assensum principiorum, intellectus enim sese reflectens supra illam cognitionem principii, indagat, quomodo prædicatum conueniat subiecto, ad quod examen vi luminis naturalis consequitur assensus principiorum, proprie dictus.

Obiic. tertio: Quando ipsæ præmissæ sunt demonstrabiles, non videtur assensus præmissarum posse esse certior, & euidentior assensu conclusionis.

Respon. negando assumptum, quia certitudo scientifica habet latitudinem, ita vt vna scientia possit esse certior alia, intra tamen limites scientiæ.

Dices, conclusio aliquando potest cognosci pluribus demonstrationibus, & præmissæ tantum vnica, ergo tunc conclusio erit certior.

Respon. negando consequentiam, quia obiectum præmissarum, semper est immediatius, à paucioribus dependens, & magis infallibile, vnde licet multiplicentur demonstrationes, circa conclusionem, cognitio tamen eius non accedit ad euidentiam & certitudinem assensus præmissarum. Nota tamen excessum illum certitudinis & euidentiæ esse perceptibilem, vt videre est in hac demonstratione, omne animal rationale est risibile &c.

Petes, an vniuersaliter verum sit, quod Aristot. *hic* docet, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, quo axiomate probat assensum præmissarum, esse certiorem, assensu conclusionis, eo quod conclusio sit certa propter præmissas.

Respon. axioma illud sic debere limitari, quando duobus conuenit vnum, & idem prędicatum, & vni propter aliud, id cui conuenit per se, habebit illud perfectiori aliquo modo, primo ergo requiritur, vt prædicatum vtrique conueniat, quia si non conueniat, omnino non poterit esse magis tale, vnde non sequitur, terra est calida propter solem, quia sol est magis calidus, ambulo propter sanitatem, ergo sanitas magis ambulat, Addidi perfectiori aliquo modo, quia non est necesse, vt conueniat intentiori modo, causa enim naturalis potest producere æqualem sibi effectum, vt calidum, sufficit igitur, vt sit prius natura tale independenter, vel si sit causa æquiuoca, sit tale, eminenter per formam, longe perfectiorem.

QVÆSTIO VIII.

An detur regressus demonstrativus.

RESp. affirm. quia regressus demonstratiuus est reciproca quædam demonstratio causæ, & effectus, quia postquam ex effectu demonstrauimus causam, reciproce per causam demonstramus effectum, & sic à demonstratione quia datur regressus ad demonstrationem propter quid, qui bonus est, & vtilis. Probatur, ex Arist. 1. *post. c.* 3. vbi docet, regressum fieri in terminis conuertibilibus, & *c.* 10 adfert exemplum, quãdo sc. probamus planetas prope esse, quia micant, & viciſsim planetas micare, quia prope sunt. nam micare, per quod in priori demõstratione probatur propinquitas, est effectus quidam propinquitatis, vnde propinquitas, quæ est causa, cur micent, assumitur, tanquam medium in secunda demonstratione. Simile exemplum est, quãdo probatur Lunam esse rotundam, quia circulariter illuminatur, cum circularis illuminatio sit, veluti effectus quidã rotunditatis, & postea probatur, illam lunã circulariter illuminari, quia rotunda est, & hæc est demonstratio propter quid. Simili regressu vsus est Arist. 1. *Physic.* vbi inuestigat materiam primam, per transmutationem, quæ est quasi effectus, & *in prim. de generat.* ex materia prima, tanquam ex causa transmutationis probat à priori ipsam demõstrationem. Et 8. *Physic.* ex motu æterno, tanquam ex effectu probat dari motorem æternum, per demonstrationem Quia Et rursum inuestigato primo motore, & conditionibus illius, per demonstrationem propter quid, probat motum æternum, tanquam effectum primi motoris, ergo hic regressus est vtilis & probatur ab Aristotele.

Dices, præmissæ demonstrationis Quia sunt notiores ipsa conclusione, ergo conclusio non potest assumi tanquam præmissa, notior in sequenti demonstratione. Consequentia probatur, quia alioqui eadem propositio esset notior, & ignotior altera, ignotior quia infertur, tanquam conclusio ex alia, notior vero, quia est præmissa.

Resp. negando consequent. quia post demonstrationem ab effectu non statim regredimur ad demonstrationem, propter quid, vt conclusio assumatur per præmissa, quatenus nobis innotuit ex priori demonstratione, sed priusquam fiat secunda demonstratio, intell[ec]tus se reflectit supra assensum cõclusionis, [&] notat, quomodo prædicatum conueniat [sub]iecto, comparãdo effectum cum causa, & ex[a]mine facto deprohendit vnũ esse causam, a[l]terum effectum, idque ex conditionibus ver[æ] causæ, in vno inuentis, quo sunt, vt effectus a[b] intellectu pẽdeat necessario, vt semper com[i]tẽr illam, vt non contingat aliter se habere, a[d] examen mentale, alii negationem intellectu & post distinctam causæ cognitionẽ hoc ex[a]mine comparatam, tum demum regredim[ur] per demonstrationem propter quid, ad disti[n]ctam cognitionem effectus, per distinctã co[g]nitionem causæ. Ex quibus patet idem n[on] esse notius & ignotius, quia conclusio priu[s]quam fiat præmissa alia via innotescit, qu[am] per demonstrationem.

Dices secundo, quando priore demonstr[a]tione cognoscimus, causam per effectum, v[el] cognoscimus effectum pendere ab illa cau[sa] vel non, si secundum non probatur causa p[er] effectum, quia ignoratur causa esse causa; [si] prius, ergo cognoscimus illam esse illius eff[e]ctus causam, ergo posterior demonstratio s[u]peruacanea erit, quia quicquid potest cogn[o]sci, demonstratione posteriori, cognitum e[x] priori.

Resp. in priori demõstratione ignorari ca[u]sam esse illius effectus, sed tantum est cogni[ta] illa causa, vt habens cum effectu necessaria[m] aliquam connexionem, non quidem cau[sæ] cum effectu, sed prædicati inseparabilis. Vn[de] ex confusa cognitione rei, quæ est effectus i[n]firmus, illam esse connexam cũ subiecto, qu[æ] confusa cognitio sufficit ad constituenda[m] demonstrationem, quia & ad colligenda[m] necessariam quandam connexionem rei, q[uæ] est causa cum subiecto, cui inexistit pars, q[uæ] est effectus, ex eo, quod notetur connex[io] mutua inter effectum & rem, quæ est causa.

Resp. 2 Regressus à demonstratione prop[ter] quid ad demõstrationem quia, est omnino i[n]utilis. Probatur, quia procederetur à præmi[ssis] simpliciter ignotiori, dum conclusio demo[n]strationis præter quid, quæ simpliciter [est] ignotior præmissis, quæ sunt proposition[es] immediatæ, naturæ notiores, dum concl[u]sio sumitur in præmissa, fit præmissa demo[n]strationis quia, potest tamen subinde hic r[e]gress

gressus vsurpari ad explicandā rem ignoranti.

Resp. tertio modo, non potest dari regressus à demonstratione propter quid ad demōstrationem quia, Probatur, quia effectus in vna demonstratione non potest esse causa essendi, & cognoscendi in alia, nisi forte in diuerso genere causæ, sed tunc prædicatum prioris demonstrationis non erit vera passio subiecti, sed ipsius pars essentialis, vel integralis, quæ secundum diuersas rationes potest esse causa & effectus.

Petes, an Aristotel. non reprobarit absolutè regressum demonstratiuum, quando docuit circulum in demonstratione esse vitiosum.

Resp. negat. quia regressus, qui fit modo à nobis explicato, mediante scil. examine inter vtramque demonstrationem, non est circulus formalis, & simpliciter, quem improbauit Arist. quia circulus formalis procedit ab eodē in idem, per eandem viam, id est, ex eadem inuariata cognitione, regressus autem quo vsus est Aristot est tantum circulus materialis, quia procedit ab eodem, in idem, sed per diuersam viam, scil. ex cognitione euidentiore aliunde habita.

DISPVTATIO XII. ET VLTIMA LOGICA.

AD POSTERIORES LIBROS de scientia.

QVÆSTIO I.

Quid sit scientia.

Nomen scientiæ variè vsurpatur, propriè significat cognitionem certam, & euidentem rei necessariè per suam causam, hæc dicitur actualis, vel significat qualitatem relictam in potentia intellectiua, ex frequentatione actualis scientiæ, & hæc dicitur habitualis, vtriusque natura hic inuestigatur.

Resp. primo, scientia propriè sumpta est cognitio certa, qua actu iudicamus passionē inesse subiecto, per suam causam. Ita Arist. 1. *poster*, *c.* 2. vbi definit scire, siue scientiam in concreto, vnde scientia actualis est ipsa conclusio demonstrationis, vt dependens à præmissis continentibus causam conclusionis, quamuis Aristotel subinde nomine scientiæ intelligat totam demonstrationem.

Nota ex dictis *c.* 2. 1. *post.* cognitionem scientificam debere esse veram, certam, & de re necessaria, vt distinguatur ab errore, opinione, prudentia, & arte. Cōuenit igitur inter Philosophos, certitudinem, siue firmam adhæsionē intellectus ad obiectū, sine vlla formidine de opposito esse omnino intrinsecā sciētiæ, eāq; oriri debere ex parte medii infallibilis, quod conuincit intellectū, nō autē ex parte subiecti, v.g. ex aliquo errore, aut pertinacia volūtatis, huiusmodi n. firma adhæsio non est sciētifica.

Nota 2. Duplici modo nos venire in cognitionē medii infallibilis, primo vi luminis naturalis, qua intellectus clare penetrat connexionem terminorum, ita vt habeat euidentiam, quæ est clara manifestatio veritatis, obiecti in se. Secundo, vi luminis supernaturalis fidei, qua certo cognoscimus veritatē à Deo, reuelatam, quæ cognitio licet sit certa, imo certior, quam prior, est tamen ineuidens, quia per eam non intuemur veritatem obiecti, in se, sed in authoritate reuelantis. Quæstio igitur est, an euidentia sit conditio intrinseca scientiæ, adeo vt certa cognitio conclusionis ex præmissis fide diuina cognitis nō possit dici scientia, vtpote quæ non habeat euidentiam, cum procedat ex præmissis ineuidentibus.

Omissis variis loquendi modis, resp. euidētia est conditio intrinseca scientiæ naturalis quā definiuit Arist. siue scientiæ, quæ ex principiis lumine naturali notis deriuatur, non est tamen conditio intrinseca scientiæ in genere. Prior pars probatur, quia scientia naturalis debet procedere ex primis & per se notis, vel quæ ad talia reduci possunt, hæc autem sunt euidentia, ergo. Posterior pars probatur, quia euidentia tantū requiritur in obiecto proportionato lumini naturali, propter certitudinē, quæ non potest haberi sine euidentia, vnde si detur certitudo per authoritatem infallibilē sine euidentia, nihil deerit essentiale scientiæ. Confirm. quia Theologia ex sententia SS. PP. est simpliciter scientia, licet demonstrationes

Theo-

Theologicæ ſaltem in viatoribus habeant euidentiam, cum procedant ex vtraque, vel altera præmiſſa de fide, vt hic, Duas naturas rationales conſequuntur duæ voluntates, in Chriſto Domino fuere duæ tales naturæ, ergo & duæ tales voluntates, in qua demonſtratione maior eſt euidens, minor de fide, & proinde certa quidem, ſed ineuidens, & concluſio ſimiliter talis, Quod igitur Ariſtotel. ad ſcientiam requirat euidentiam, inde factum eſt, quod ſolum cognouerit ſcientiam, quæ lumine naturali nititur, fides enim humana, quam agnouit non eſt talis, vt ſit infallibilis, & vt ei ex parte medii repugnet ſubeſſe falſum, vtrumque autem reperitur in fide diuina, vnde argumentum Theologicum eſt ſcientificum ſimpliciter, & cum ratio ſcientiæ in genere non includat euidentiam, ex quibus infertur, Theologiam non eſſe fidem acquiſitam, nec augmentum fidei infuſæ, vt videtur ſenſiſſe Scotus, de his fuſius Theologi. 1. *p.* 1.

Reſp ſecundo: Scientia habitualis non eſt congeries ſpecierum, intelligibilium, bene ordinatarum, ſed eſt qualitas realis diſtincta à ſpeciebus, & illarum coordinatione, per vſum ſpecierum, acquiſita, qua intellectus facilitatur ad ſimiles actus ſcientificos eliciendos. Prior pars probatur, contra Nominales & Soncinat. *6. metaph. q. 6* quia poteſt intellectus eſſe informatus, ſpeciebus, bene coordinatis, & tamen non facile operari, ergo ſpecies non ſunt habitus. Secundo. Promptitudo, ſeu facilitas intellectus poteſt augeri, & diminui, ſed coordinatio ſpecierum non poteſt eſſe maior, vel minor, ergo Poſterior pars affirmatiua ſequitur ex priori, & eſt communis ſententia Philoſophorum & Theologorum.

QVÆSTIO II.

Quale debeat eſſe obiectum ſcientiæ.

NOta, in demonſtratione reperiri tres terminos, qui aliquo modo dici poſſunt obiectum ſcientiæ, eo quod ſcientia circa illos verſetur, proprie tamen obiectum ſcientia dicitur ſubiectum, de quo demonſtratur paſſio & huius conditiones hic requiruntur.

Reſp. primo Obiectum ſcientiæ realis debet eſſe ens reale. Probatur, quia obiectum ſcientiæ debet habere veram eſſentiam, & [...]ras paſſiones: ſed non ens neque habet ver[...] eſſentiam, neque veras paſſiones, ergo [...] poteſt eſſe obiectum ſcientiæ realis, hinc M[e]taphyſica, qua parte agit de entibus ratio[nis] tantum eſt ſcientia analogice, quatenus e[ns] rationis analogice, aliquo modo particip[at] rationem entis & eſſentiæ.

Reſp. ſecundo: Obiectum ſcientiæ de[bet] eſſe neceſſarium, ac proinde incorruptibile, ingenerabile, ac æternum. Probatur, quia [de]bet eſſe tale, vt ſe aliter habere non po[ſſit], quia paſſio debet illi ſemper & neceſſa[rio] conuenire, non qua ſi neceſſario debeat ſe[m]per exiſtere, ſed quod debet eſſe neceſſari[o] ſecundum eſſentiam, quæ neceſſitas in eo [...] eſt, quod eſſentia neceſſario poſtulet cert[um] prædicatum, cum quo talem habeat con[ne]xionem, vt impoſſibile ſit, eſſe, fuiſſe, vel [...] in rerum natura, ſine tali attributo, hinc [...] neceſſitas vocatur à D. Thom. neceſſitas [ſe]cundum connexionem terminorum.

Reſp. tertio: Obiectum ſcientiæ perfect[iſſi]mæ debet eſſe ens per ſe, Probatur, quia de [...] eſſe natura vna determinata, de qua *paſſio* per ſe illi conueniente, demonſtrantur. D[ico] perfectiſſimæ, quia ſcientiæ ſubalternatæ [...] qua *infra*, obiectum poteſt eſſe ens per a[cci]dens. Contingit enim aliquando ex ali[...] ente per accidens, tanquam in duabus c[on]trariis partialibus fluere aliquam paſſion[em] quæ de ipſo poſſit demonſtrari, huiuſmod[i] vulnus circulare, de quo demonſtrari pot[eſt] difficulter curabile.

Reſp. quarto. Scientiarum, quas comm[u]niter acquirimus obiectum eſt vniuerſ[ale]. Probatur, ex Ariſtotele, qui paſſim dc[it] ſcientiam eſſe vniuerſalium, imo negat, 7. [me]*taph. c. 24* de ſingularibus dari ſcientiam.

Petes primo, an ſcientia, quæ habetu[r à] Deo, & Chriſto Domino, vt eſt ſingularis [per]ſona, non ſit de ſingulari.

Reſp. Non eſſe proprie de re ſingulari, [nec] penitus de vniuerſali, quia licet Deus [non] contineat genus & differentiam, quia tar[men] eminenter continet, quicquid eſt perfect[io]nis, in illis gradibus ab eius eſſentia, accipi[un]tur principia communia, ſaltem analog[ice] ipſi & creaturis. Deinde habet prædicata [per] modum proprietatum, quæ dicuntur at[tri]buta, vt potentiam, ſapientiam, immutabi[litatem]

m, quæ conceptu à nobis concipiuntur, & quibus demonstrationes facimus, sicut de bus vniuersalibus, similiter de Christo Do- ino fiunt demonstrationes scientificæ, quà- nus per applicationem scientiæ vniuersalis ipsum communes proprietates naturæ hu- inæ de ipso demonstrantur, per huiusmodi m applicationem de omnibus singulari- s est scientia, quatenus se continet naturas iuersales, & essentias communes, sic de- onstramus Petrum esse risibilem, capacem ciplinæ, &c.

Petes secundo, an de singulari, prout habet nc singularitatem in particulari, per quam inguitur ab omni alio singulari possit esse ntia.

Resp. id videri probabile, quia quodlibet gulare habet aliquid intrinsecum, per d distinguitur ab alio quouis singulari, & hoc intrinseco, emanare potest aliqua pro- etas demonstrabilis, sicut à communibus dicatis, siue ab essentia communi proflu- proprietates communes, & talis demon- atio veram pariet scientiam. Huiusmodi à busdam ponitur hæc, omne compositum natura humana, & hac differentia indiui- li est hoc vnum, sed Petrus est composi- n ex natura humana, & hac differentia in- iduali. Ergo est hoc vnum. Sed quicquid le illa demonstratione, dubium non est, n Deus & Angeli habeant notitiam pro- etatis fluentis ab essentia indiuiduali, quæ llis non est scientia discursiua, in nobis au- 1 si manifestaretur, illa proprietas posset es- roprie dicta scientia Ex quo sequitur, tot olute & ex natura rei posse esse scientias, ot sunt singularia, & quia de facto non ha- nus huiusmodi scientias, cum non tantum prietates indiuiduales, sed & proprietates, & differentiæ specificæ plurimarum re- 1 nobis sint ignotæ, passim Aristot. & Phi- ophi negant de singularibus dari scientiā, vt summam notitiam experimentalem.

Dices primo, Proprietates conueniunt sin- aribus, mediate natura specifica, ergo non ueniunt illis primo, neque vt illis de tali- demonstratur.

Resp. id verum esse, de proprietatibus, quæ mmuniter à nobis demonstrantur de sin- aribus, & principiis speciei, applicatis ad gularia. Dico tamen verisimile esse, etiam quasdam singularibus primo & immediate conuenire, ac proinde de eo, vt de primo & immediato subiecto posse demonstrari.

Dices secundo. Singulare, quatenus tale, non habet definitionem, quæ tamen debet es- se medium demonstrationis, ergo. Confirma- tur: Propositiones in tali demonstratione non possunt esse de omni.

Resp. definitionem proprie dictam expli- cantem differentiam specificam, non esse me- dium demonstrationis, nisi quatenus cōtinet causam passionis, vnde si detur aliud, quod sit causa passionis, id poterit sumi pro medio, si- cuti fit, quādo passio posterior demonstratur propriorum, deinde sicuti se habet definitio hic proprie sumpta, ad naturam communem, ita essentia specifica cum differentia indiui- duali determinata ad singulare.

Ad confirmationem resp. propositiones in tali demonstratione fore æquiualenter de o- mni, quia prædicatū tribuitur subiecto sum- pto pro omni eo, pro quo sumi potest.

Dices tert. Singulare saltem sublunare est corruptibile & contingens, ergo non potest esse obiectum scientiæ.

Resp. Singularia esse contingentia, quoad accidentia communia, & secundum existen- tiam, secundum essentiam vero ac differen- tiam indiuidualem, & proprias passiones, quę eis conueniunt, esse necessaria, ac de iis posse fieri propositiones æternæ veritatis, sicut de naturis vniuersalibus.

Dico quart. Obiectum scientiæ potest esse analogum Probatur, quia possunt ei primo conuenire proprietates, quæ per causam de- monstrentur.

Nota, alias etiam adferri conditiones ob- iecti scientiæ totalis, quæ ab his duabus cō- prehenduntur, prima est, vt illius principia, partes & passiones in scientiis explicentur, secunda est, vt quicquid in scientia tractatur, spectet ad cognitionem obiecti, idem propor- tione dicendum de obiecto scientiæ partialis.

QVÆSTIO III.

Vnde scientiæ sumant vnitatem suam.

TRiplex à Philosophis admittitur vnitas, generica scilic. specifica & numerica, de singulis est quæstio.

Resp. 1. Scientiæ sumunt suam vnitatem, ab obiectis. Probatur primo, quia omnes habitus sumunt suam vnitatem ab obiectis, ergo & scientiæ. Antecedens probatur, ab eo res sumit suam vnitatem, à quo sumit essentiam, atqui habitus sumunt essentiam ab obiectis, ergo & vnitatem. Minor probatur, quia res essentialiter alio ordinatæ habent suam essentiam dependenter à termino illius ordinis, atqui habitus sunt qualitates essentialiter respicientes obiectum. Ergo.

Dices, habitus sumunt vnitatem ab actibus, & non ab obiectis, ergo & scientiæ.

Respon. negando antecedens, pro secunda parte, quia sumunt vnitatem ab vtrisque immediate, scil. ab actibus, mediate ab obiectis, quia ipsi actus ordinantur ad obiecta. Hinc Arist. *2. de anim. c.* 4. docet, potentias per actus & obiecta esse definienda, similiter & habitus.

Resp. secundo. Vnitas generica scientiæ sumitur ex generica ratione formali considerandi obiectum, ita vt illa scientia sit vna genere, quæ versatur circa obiectum sub ratione aliqua communi, sub qua continentur multæ particulares, specie distinctæ. Ita Arist. *1. post. c.* 18. vbi ait, vnam esse scientiam, quę est vnius generis obiecti, sic Physica est vna scientia genere, quia considerat corpus mobile, sub quo continentur corpora, seu obiecta partialia, quæ sub variis motibus particularibus considerantur, vt in lib. de cœl consideratur corpus simplex, in libr. de anima, corpus animatum, in libris de generatione, corpus mixtum quæ singula habent motus, & imitationes naturæ suæ peculiares.

Resp. tertio: Vnitas specifica scientiæ sumitur ab vltima ratione formali, considerandi obiectum. Prob. quia ad constituendam speciem requiritur, vt res illa non possit vlterius contrahi, per differentias essentiales, ergo cũ scientiæ sumant essentiam in ordine ad obiectum, ad rationem specificam scientiæ, requiretur vt sub infima & vltima ratione considerandi vlterius non contrahibili respiciat obiectum: Vbi nota, requiri infimam rationem formalem considerandi, non vero, vt obiectũ sit vnius speciei infimę, potest enim obiectum vnum genere terminare scientiam vnam specie, vt scientia, qua cognosco animal esse essentiale, est vna specie, quamuis animal sit vnum genere, cuius ratio est, quia obiectum non tribuit essentiam, & vnitatem scientiis intrinsece, & formaliter, sed tantum per modum termini, quo fit, vt aliam possint habere vnitatem, ipsæ scientiæ pro varia ratione respiciendi obiectum, & terminum, quam habeat ip[se] terminus.

Resp. quarto. Vnitas numerica scientiæ [su]mitur à propria & singulari entitate, & à n[u]merali ordine ad obiectum. Probatur, à p[ro]portione. Confirmatur: quia saltem scien[tiæ] & alia accidentia alio ordinata non sum[unt] vnitatem numericam à subiecto, eodem [nu]mero, quia in eodem intellectu possunt [esse] plures scientiæ, etiam specie distinctæ.

Resp. quinto. Scientiæ sumunt suam dist[in]ctionem, ab obiectis. Probatur, quia ab [ii]dem res sumunt distinctionem, ab aliis, à [qui]bus sumunt essentiam, & vnitatem, quia essentiam suam ab aliis distinguuntur, at scientiæ sumunt vnitatem ab obiectis, e[rgo] & distinctionem. Quare scientiæ, quæ sub [di]uersa ratione generali, vel infima obiecta consideraut inter se genere, vel specie dis[tin]guuntur.

Dices, Arist. *6. met. c.* 1. constituit tres sc[ien]tias speculatiuas totales, secundum tripli[cem] abstractionem à materia, quæ abstractio [non] est ratio formalis, quæ consideratur in o[biec]cto, sed tantum est conditio, cum qua co[nsi]deratur obiectum in scientia. Cõstituit i[gitur] Physicam, quæ abstrahit à materia sign[ata], siue à materia singulari, non tamen à ma[teria] sensibili, quia obiectum eius est corpus [con]stans materia & forma. Secundo loco st[atuit] mathematicam, quæ abstrahit à materia [sen]sibili, scilic. qualitatibus sensibilibus, no[n ta]men à materia intelligibili, eo quod con[sid]eret quantitatem, quæ intrinsecum ducit [ordi]nem, ad materiam, cui est coæua, & à qu[a ab]strahitur per intellectum, tertio statuit [meta]physicam, quæ abstrahit ab omni materi[a, et]iam intelligibili, quia considerat substa[ntias] abstractas, & intelligentias spiritales, [omni] materia destitutas, ergo non sumitur v[nitas] scientiæ totalis ab obiecto formali.

Resp. negando consequentiã, quia v[nitas] sumitur ab obiecto formali, à priori, à [diuer]sa vero abstractione à materia, à poste[riori], quia diuersitas abstractionis consequit[ur di]uersitatem formalem obiecti, prius en[im est] obiectum esse tale, quam requirere, vt [illa] ...

ſub tali abſtractione, tanquam conditione requiſita conſideretur.

QVÆSTIO IV.

An ſcientia totalis ſit vnus habitus per ſe.

QVorundam ſententia eſt, ſcientias partiales ſpecie diſtinctas, qua rem actus peculiarem aliquem ad ſe inuicem habeat reſpectum, tunc habitum talem totalem per ſe, qui ſit heterogeneus, id eſt, qui conſtat ex partibus diuerſæ rationis, & multorum Thomiſtarum, Caietan. *l.2.q.54.a.4.* Sol. *q 3. proœm. 7 Logic.* vbi citat D. Thom.

Reſpon. Probabilius videtur ſcientias partiales non conflare vnum habitum totalem, per ſe, ſed vnum cum aggregatione, aut collectione. Itaque tot ſunt entitates diſtinctæ, quot obiecta ſpecie diſtincta Nominalium, & aliorum, quos citat, & ſequitur Suarez *diſp.44.ſect.11.* Idem probabile cenſet Scotus *ſupra.*

Probatur primo, quia ſi habitus iſti partiales coaleſcerent in vnum per ſe, vnus deberet habere per modum potentiæ, alter per modum actus, ſed hoc dici nequit, ergo. Maior probatur, quia hoc videtur eſſe de ratione vnius compoſiti per ſe. Minor probatur, quia nulla habet rationem potentiæ, aut actus, reſpectu alterius, cum nulla ſit ratio, cur vnus ſit magis actus, quam alter, nullum enim inter ſe habent ordinem, & indifferenter quilibet poteſt præcedere alterum nam poterit inchoari ſcientia totalis, verbi gratia, Phyſica, vel à ſcientia partiali *lib. de cœl.* vel de generatione, vel de anima, vel econtra, &c.

Probatur ſecundo: Si habitus partialis coaleſceret naturaliter in vnum per ſe, ſinguli ſeorſim ſumpti eſſent incompleti, & imperfecti, quod dici non poteſt, cum ſinguli ſeorſim in intellectu exiſtente, eandem habeant vim determinandi & inchoandi potentiam ad ſuum obiectum potentiale, quam habent ſimul ſumpti.

Probatur tertio: Habitus principiorum & conclusionis non coaleſcunt in vnum per ſe, ergo multo minus ſcientiæ partiales per ſe. Antecedens probatur, ex communi ſenſu eorum, qui admittunt habitum principiorum. Conſequentia probatur, quia habitus principiorum & concluſionis magis inter ſe ſunt ſubordinati, quam habitus ſcientifici, partiales.

Probatur quarto: Quia actus ſpecie diſtincti non poſſunt coaleſcere in vnum per ſe, etiamſi ſimul eliciantur, vt omnes paſſim concedunt, ergo nec habitus. Conſequentia probatur, quia actus in actus relinquunt in potentia habitus, ſibi proportionatos tanquam ſui veſtigium, ac ſemen, qui perinde non magis ordinantur ad ſe inuicem, quam actus à quibus habent eſſentiam, & diſtinctionem. Confirmatur, quia ſcientia partialis conſiſtit cum habitu erroris, circa aliud obiectum partiale eiuſdem ſcientiæ totalis. Confirmat. ſecundo, quia alioqui actus vnius ſpeciei generaret habitum inclinantem ad actus ſpecie diſtinctos. Denique poſſet poni vnicus habitus, & vna ſcientia, qua diſponeremus, ad omnia ſcibilia, omnia enim obiecta conueniunt in ratione generali ſcibilis.

Obiic. in ſpeciebus dantur formæ ſubſtantiales, ſpecie diſtinctæ, quæ componuntur vnum per ſe, ergo, nihil obſtat, quo minus habitus ſcientifici partiales etiam coaleſcant in vnum habitum per ſe.

Reſpon. negando conſeq. quia formæ illæ partiales exiſtunt imcompletæ, & habent ſe per modum potentiæ ad diſpoſitiones reſpectu formæ totalis, ac proinde reſpectu vnionis cum forma totali, poſtulant vniri inter ſe, habitus vero partiales non reſpiciunt aliquem totalem, cuius ſint diſpoſitio, aut potentia, & qui habent rationem actus, aut forma, reſpectu ipſorum.

Obiic. ſecundo: Fides diuina, quæ extendit ſe ad omnia obiecta fidei, quamuis diuerſa, eſt vna ſimplex qualitas, ergo & habitus totalis.

Reſpon. neg. conſeq quia fides aſſentitur omnibus obiectis materialibus, ſub eadem infima ratione formali, ſcil. propter authoritatem Dei, obiecta autem ſcientiarum habent rationes aſſentiendi ſpecie diſtinctas.

Petes primo, quo modo ſine hac vnione explicatur vnitas ſciẽtiæ totalis, obiectũ totale ad cuius perfectum eſſentiam cognoſcendam omnes referuntur, ſic Phyſica, ver grat. dicitur

vna scientia; quia habitus scientifici partiales, qui generantur per demonstrationem specie distinctam, de materia, forma, motu, cœlo, elementis, &c. ordinantur ad perfectam cognitionem entis naturalis, ob similes enim subordinationes quædam alia omnium consensu distincta habent rationem vnius, vt verbi gratia actus voluntatis interior, & exterior, licet Physice & essentialiter omnino distinguantur, dicuntur tamen morali modo vnus actus, similiter sanitas dicitur communiter vna qualitas, cum tamen sit temperies quatuor qualitatum debita speciei.

Petes secundo: an extensio habituum, de qua *disput. de habitib. q.* 12. etiam locum habeat in scientia.

Respond. negat. Vnde non potest vna simplex scientia inclinare potentiam in varia obiecta & actus.

Ratio est, quia habitus scientificus est euidens, & ratio assentiendi in diuersis veritatibus est specie diuersa, adeo, vt obiectum adæquatum cuiusque actus sit veritas aliqua distincta, quo fit, vt generentur habitus, specie distincti, quod etiam verum est, quando duæ diuersæ conclusiones eodem medio ostenderentur, nam & tunc ratio assentiendi esset aliquo modo diuersa, vt verbi gratia si ex vna passione immediate nascantur duæ aliæ, quæ per illam demonstrari possint, nam ratio assentiendi est medium quidem, sed non quomodocunque, sed prout est radix talis passionis, & vinculum talis connexionis. Quare connexio & alterum saltem extremum est diuersum, secus est in voluntate, in qua habitus inclinans ad finem & media est omnino idem, quia tota ratio amandi media est finis, similiter est ratio habitus fidei ineuidentis, extendentis se ad plura obiecta materialia, quia ratio formalis est omnino eadem, vide dicta *loc. citat. supr.*

QVÆSTIO V.

Quid sit vnam scientiam esse subalternatam alteri.

NOta primo, scientias esse subalternatas, vel subordinatas, in genere nihil aliud esse, quam vnam sub altera collocari, vnde quot modis vna sub altera collocatur, t[ot] modis eidem est subordinata.

Nota secundo, Scientiam vnam sub alte[ra] collocari posse, tribus fere modis, primo r[a]tione obiecti, quia subiectum vnius est inf[e]rius obiecto alterius, sic quælibet partia[lis] scientia est subordinata totali, & Physica e[st] subalternata metaphysicæ, quia corpus qu[od] est obiectum Physicæ est sub ente, similiter ceteræ scientiæ reales. secundo oritur subo[r]dinatio ex parte principiorum, quando sc[i]licet principia vnius scientiæ demonstra[n]tur ab alia, idque vel ostensiue, vel saltem p[er] impossibile, sic medicina est subordina[ta] Geometriæ, quæ probat principium medic[i]næ, circulare vulnus difficilius sanatur qua[m] longum, quia latera circuli, vtpote plus [di]stantia difficilius coniunguntur, sic etia[m] Geometria subalternatur Arithmeticæ, q[uæ] demonstrat ad impossibile hoc principiu[m] Geometriæ, diametrum non esse commens[u]rabilem costæ, quia sequeretur, vnitatem e[sse] commensurabilem numero: nam sicuti n[u]merus excedit vnitatem, ita diameter costa[m]. Denique hoc modo, ceteræ omnes scienti[æ] dici possunt subalternari metaphysicæ, qu[ia] eius est contra proteruos probare, omn[ium] scientiarum principia deducendo ad impos[si]bile. Tertio oritur subordinatio ratione fin[is] quia scilicet finis vnius collocatur sub fine a[l]terius, eo quod finis vnius habeat ration[em] medii, respectu alterius, sic ars frænifacto[ria] subordinatur equestri, equestris militari, mi[li]taris Politicæ, sic etiam omnes scientiæ di[ci] possunt subalternari metaphysicæ, qu[ia] Deus, qui consideratur à metaphysico, est [o]mnium rerum finis, sed hi modi non consti[tuunt] scientias subalternatas, proprie dicta[s]. Quare

Resp. Scientia subalternata proprie dicta e[st] illa, quæ obiectum alterius scientiæ, quæ dic[i]tur subalternans, per differentiam, accidentalem, ad specialem rationem scibilis contr[a]ctum considerat. Ita Albert. 1. *post. tract.* 2. *de* [*p*]*rincip.* & Caiet. *in tract. de subaltern. scient.*

Probatur, quia scientiæ diuersæ debe[nt] habere obiectum diuersum, sed subalte[r]nans & subalternata sunt diuersa, ergo deb[ent] habere obiectum diuersum non essential[i]ter, quia sic non essent subalternatæ: ergo a[c]cidentaliter.

Expli[c]

Explico conclusionem. Obiectum scientiæ subalternantis debet contrahi accidentaliter, accidente scilicet communi, quod sit omnino extra essentiam, & rationem obiecti subalternantis, nam si esset passio ab ipso emanans, non efficeret distinctam essentiam, nam subiectiua & passio pertinent ad eandem scientiam, neque potest esse contractum essentialiter, verbi gratia, ita vt obiectum vnius sit species obiecti alterius, quia scientia de specie non est proprie subalternata scientiæ de genere, quia non probat conclusiones suas per conclusiones scientiæ de genere, sed per propria, & immediata principia. Deinde scientia de specie continetur, tanquam pars sub scientia, de genere, quia ratio obiectiua, sub qua consideratur genus, complectitur aliquo modo rationes particulares specierum.

Dixi obiectum debere esse accidentaliter determinatum ad specialem rationem scibilis, quia non quælibet accidentalis determinatio obiecti constituit scientiam subalternatam, sic enim tot essent scientiæ subalternatæ, quot sunt accidentia distincta, inhærentia subiecto, requiritur ergo determinatio specialis, per quam obiectum determinetur ad particularem materiam scibilem, siue cognoscibilem, per scientiam distinctam ab illa, per quam consideratur obiectum secundum se, vt verbi gratia, numerus secundum se, est obiectum arithmeticæ, contrahitur per sonum, tanquam per differentiam accidentalem, ad naturam aliquam specialem, habentem rationem scibilis distinctam, quæ consideratur à musica.

Dices ergo, scientia subalternata non erit scientia, quia de ente per accidens, quale est obiectum, subalternatæ non datur scientia, ex Aristot. *6. Metaph. text. 5 6. & 7.*

Respond. negando illas ad probationem, ideo, entis per accidens non esse scientiam, quoad passiones, quæ illi contingenter iunguntur, si quæ tamen illæ aggregato necessario competant, illæ per causam necessario producentem poterunt demonstrari Aristot. igitur, vel loquitur de entibus per accidens, quæ resultant ex concursu multorum non ordinatorum inter se, ad constituendam vnam rationem scibilis, vel loquitur de scientiis perfectissimis, quæ non versantur circa eiusmodi entia, per accidens, cum non sint subalternatæ. Vnde licet obiectum scientiæ subalternatæ inesse naturæ sit, vnum per accidens, inesse tamen scibilis sunt vnum per se, nam licet numero & fine sint distincta, cum numerus pertineat ad quantitatem, sonus ad qualitatem, tamen ad efficiendam consonantiam in ordine ad auditum concurrunt, per se, sicque habent vnam rationem scibilis.

Dices secundo: Principia scientiæ subalternatæ vt sint certa, debent demonstrari per scientiam subalternatam, ergo subalternata ex se non est scientia.

Respond. negando sequelam, quia non repugnat scientiæ, quod eius præmissæ possint demonstrari, modo demonstrans habeat illas præmissas probatas, sin minus, præmissæ non generabunt scientiam, sed tantum opinionem, ex quo infertur, scientiam subalternatam in eo, qui caret scientia subalternante, non esse vere scientiam, quia licet subalternans reperiatur in alio, id tamen non sufficit, quia per scientiam alterius nemo euidenter assentitur præmissis demonstrationis, quod tamen est necessarium ad demonstrationem.

Peres, an scientia subalternans & subalternata differant essentialiter.

Respon. affirm. quia diuersas passiones demonstrant de diuersis subiectis, ergo essentialiter distinguuntur.

Consequentia patet, ex obiecto sumitur distinctio scientiarum, Antecedens probatur, quia licet obiectum subalternæ tantum superaddat differentiam accidentalem obiecto subalternantis, totum enim aggregatum aliud est ab obiecto subalternantis, maxime cum actus intellectus specie distincti versari possint circa res, quæ non distinguuntur essentialiter.

QVÆSTIO VI.

Quid sit scientia speculatiua & practica.

Respon. primo, scientia speculatiua est habitus inclinans potentias ad speculationes, siue ad actus, qui ex se, & fine intrinseco sunt propter solam obiecti cognitionem, & veritatem: tales sunt Physica & Metaphysica, &c. Hæ enim cognitiones, verbi grat. cœlum

constat materia & forma est incorruptibile, Deus est immensus, non ordinantur ex natura sua ad dirigendam operationem, siue ad hoc, vt aliquid fiat, licet huiusmodi cognitiones remotæ & accessionaliter possint conducere ad operandum, vt cognitiones de diuinis perfectionibus, excitare possunt diuini numinis cultum & venerationem.

Respon. scientia practica est habitus inclinans ad actus formaliter & natura sua dirigentes operationem, quibus mediantibus est directiua praxeos. Pro quo nota, rationem praxis in eo sitam esse, vt sit actio humana, quatenus dirigitur, vel dirigibilis est per intellectum. Huiusmodi sunt in primis actiones hominis externæ alicuius operis effectiuæ, vt fabricatio, scriptio, &c. deinde actiones voluntatis, denique operationes ipsius intellectus, quia intellectus non tantum dirigere potest aliarum potentiarum actus, sed & proprios, verbi gratia, discursum, seu syllogismum, vt fiat secundum præcepta Logica. Vnde ad rationem praxis non requiritur, vt sit operatio alterius potentiæ, quam intellectus, licet id quidam velint, quibuscum non potest esse disputatio, nisi de nomine.

Ad rationem igitur scientiæ practicæ requiritur primo, vt obiectum sit operabile per cognitionem dirigentem opus, seu actionem, vnde scientia de generatione, verbi gratia, nutritione, augmẽtatione, licet tradat modum, quo hæ operationes à natura propagantur, non est tamen practica, sed speculatiua, quia potentia nutritiua & aliæ similes non diriguntur in operationibus suis, per cognitionem aliquam, quæ natura sua ad id ordinetur, & causa sit, quia hoc modo potius fiant, quam illo. Requiritur secundo, vt scientia practica formaliter dictet regulas bene faciendi, huiusmodi sunt præcepta Logica, & dictamina Philosophiæ moralis.

Dixi in definitione scientiæ practicæ illam inclinare ad actus ex natura sua dirigentes, operationes, quia sola intentio operantis ad hoc non sufficit, alioquin enim omnes scientiæ speculatiuæ possent fieri practicæ, cum possint addisci animo captandi lucri, honoris, vel voluptatis, quia sunt fons operantis, ac proinde non sufficiunt ad rationem scientiæ practicæ, imo non requiritur talis intentio operantis; sufficit enim, vt scientia ex se, & natura sua ita versetur circa rem operabilem, vt quantum est ex se, præbeat facilitatem in operando, licet is, qui illam addiscit, non intendat exercere actus illi proprios, sic Philosophia moralis est practica, etiam in iis, qui non proponunt actiones suas dirigere, secundum dictamen rectæ rationis, quod docet illa scientia. Fatendũ tamen scientiam, vt applicatam ad opus per intentationem operantis habere ordinem specialem ad opus, ratione cuius speciali modo practica dici potest. Hinc tamen non sequitur, huiusmodi intentionem operantis extrinsecam scientiæ practicæ esse de ipsius essentia, sed tantum multiplicare rationes denominationum.

Ex dictis colligitur, triplex potissimum differentia scientiæ speculatiuæ, & practicæ, nam distinguuntur primo ex obiecto, nam speculatiua habet obiectum intelligibile, qua tale, practica obiectum operabile, qua tale. Secundo, distinguuntur fine, quia finis speculatiuæ est cognitio veritatis, practicæ vero opus externum, vel actio aliqua immanens. Tertio distinguuntur modo procedendi, speculatiua enim procedit definiendo, & explicando naturam rei, & proprietates demonstrando. Practica vero tradendo modum, quo actio bene possit fieri, & detegendo errores, quo committi solent in exercitio actionis, addendo remedia idonea, non vero accurate explicãdo naturam obiecti, vel passiones eius demonstrando, nisi forte illarum rerum cognitio iuuet ad directionem actuũ, vel cognitio essentiæ non præsupponatur ex alia scientia speculatiua, hinc in Ethicis definitur & diuiditur virtus, &c.

Petes, an scientia speculatiuæ & practica differant essentialiter. Respon. affirmatiue probatur, quia habent obiectum formale, & finem extrinsecum, à quibus specificatur scientia essentialiter distincta, patet ex dictis. Nec obstat, quod fides diuina, quæ est vna simplex qualitas, simul sit speculatiua, & practica, cum inclinatam ad assensum speculatiuum, verbi grat. Deum esse trinum, quam ad assensum directiuum actionis, verb. gr. Deum esse colendum, quia fides est habitus ineuidens, qui tendit in obiecta sua materialia, tam operabilia, quam non operabilia, sub vna & eadem ratione formali, omnibus extrinseca quatenus scilicet subsunt reuelationi diuinæ

quæ ri-

quæ ratio applicari potest obiectis diuersissimis, quo fit, vt rationes operabiles, & non operabiles habeant se in fide, tantum ex parte obiecti materialis, cum in scientiis speculatio & operatio sint rationes formales, sub quibus obiecta spectantur.

QVÆSTIO VII.

Quid sit opinio, & in quo differat à scientia.

Respon. opinio actualis est assensus obiecti probabilis siue, est iudicium, quo assentimur obiecto vt probabili. Opinio habitualis est habitus inclinans ad huiusmodi assensus opinatiuos Pro his nota primo, obiectum & propositionē dici probabilia, q̄ iudicamus esse vera, non tamen omnino certa, sed cum aliquo dubio, an contradictorium sit forte verum, hinc solet definiri opinio, assensus inferens & incertus, siue assensus cum formidine, de opposito, quæ tamen formido non est de essentia opinionis, neq; includitur formaliter, sed tantum nata est opinionem consequi, quia illa formido vel est actus voluntatis metus, scil. ne intellectus falso iudicet, & sic non potest esse de essentia opinionis, quæ est actus intellectus, vel illa formido est incertitudo, quæ reperitur in assensu opinatiuo, & neque sic formaliter pertinet ad essentiam opinionis, quia incertitudo illa formaliter tantum est priuatio maioris certitudinis, priuatio autem non potest esse de essentia rei positiuæ, qualis est opinio. Hæc tamen priuatio perfectionis, ita necessario opinionem comitatur, vt ab illa omnino tolli non possit, cum opinio nunquam possit esse certa, neque conuincere intellectum, quæ imperfectio minuitur ex proportione, qua crescit opinio, sicuti imperfectio caloris.

Nota secundo: Defectum hunc certitudinis in actu intellectus ex duplici potissimum oriri capite, primo ex parte obiecti, quando scilicet obiectum à parte rei est contingens, specialiter sumptum, quod scilicet potest se aliter habere, vt in hac propositione, omnis mater diligit filium, nam quia huiusmodi obiectum secundum se, non est necessarium, & infallibile, fit, vt intellectus illi non assentiatur firmiter. Incertitudo enim illa obiecti necessario deriuatur in assensum intellectus, secundo ex parte subiecti siue opinantis, idque variis modis: primo quando obiectum à parte rei est necessarium, sed intellectus assentitur illi per medium probabile tantum, non necessarium, tunc enim assensus est debilis, & incertus, nō enim firmior potest esse assensus alicuius conclusionis, quatenus deducitur ex aliquib. præmissis, quam sit præmissarum assensus, vt si quis assentiatur huic propositioni, cœlum est incorruptibile, quia hactenus nulla corruptio in illo fuit notata, vel quia ita docuit Aristoteles. Secūdo, quando intellectus assentitur obiecto necessario per medium necessarium, nō tamen penetrat medii necessitatem, vt si quis assentiatur, omnem hominē esse risibilem, quia est animal rationale, ignorans tamen vel non aduertens animal rationale esse causam necessariam, & adæquatam risibilitatis. Tertio, quando non percipitur explicite necessitas ipsius obiecti, sed iudicatur in genere probabile, abstrahendo à necessario & cōtingente, nam ratio probabilis in communi superior est ad rationem probabilis inclusi in necessario, & incontingenti, ac proinde considerari potest ab intellectu sine necessario, vel contingēte, determinate, sic enim experientia docet, nos frequenter iudicare aliquid esse possibile, & probabile, suspendere tamen iudicium circa necessitatem, vel contingentiā & interrogati de aliqua veritate, sæpe affirmatiue respondemus, interrogati vero, an iudicemus hoc esse necessariū, vel contingens, adhibemus speciale examen.

Ex his colligitur, quomodo opinio differat à scientia. Petes, quid proprie sit fides, & quomodo differat ab opinione & scientia. Resp. fidē esse assensum alicuius obiecti, propter authoritatem alterius, quia assensus nititur his duobus principiis. Hic dixit, hic est verax. Quę principia, quādo nobis sunt euidentia, non est ex parte obiecti, & principiis illius intrinsecis, sicuti in scientia naturali, sed ex parte testimonii, & ex principiis extrinsecis. Quod si alterum principium sit ineuidēs, generatur fides communiter dicta, quæ diuiditur in diuinam & humanam. Fides diuina assentitur propter diuinam authoritatem, quæ cum fallere non possit, nec falli, fit, vt fides diuina sit plane certa & infallibilis. Fides humana assentitur propter testimonium humanum, quod cum tale sit, vt ex

natura

natura rei non repugnet ei subesse falsum, fit vt tantum sit causa assensus debilis, quæ debilitas seu incertitudo maior est, vel minor, prout ille, qui testatur, magis vel minus verax habetur. Differt ergo fides à sciẽtia, quod per scientiam naturalem res cognoscatur in se euidenter & certo: per fidem vero, vel non certo, vel saltem non euidenter, differt ab opinione, quod fides diuina sit certa, opinio sit incerta, à fide humana, tanquam genus à specie, quia fides humana videtur species opinionis, in genere.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum scientia & opinio possint esse simul, tum quoad habitum, tum quoad actum.

NOta, scientiam & opinionem quadrupliciter posse inter se conferri, primo, scilicet habitum scientiæ cum actu opinionis, secundo, habitum opinatiuum cum actu scientiæ, tertio habitum scientiæ, cum habitu opinionis, quarto, actum scientiæ cum actu opinionis: & de his omnibus quæri potest, an possint esse simul in eodem intellectu. Præcipua tamen difficultas est de quarto membro, ex eo enim cætera fere dependent, in qua quæstione supponitur aliquem posse esse tam excellenti ingenio, vt eodem tempore possit simul, duos actus exercere circa idem obiectum.

Respon. primo: Scientia actualis non potest esse simul cum actu opinionis ex parte obiecti, siue de obiecto contingenti, specialiter sumpto: Ita Aristot. 1. *post. c. vlt.* vbi addit rationem, quia nemo simul existimare potest obiectum se aliter non posse habere, & posse se aliter habere, cum sit aperta contradictio. Confirmatur primo, quia obiectum scientiæ est certum & necessarium, ergo non potest esse de eo opinio, tanquam de obiecto contingenti, specialiter sumpto. Huiusmodi enim iudicium si dari potest, non esset opinio, quæ est assensus verus, sed esset error.

Respon. Secundo: Scientia & opinio ex parte subiecti, siue de obiecto probabili possunt abstrahi à necessario, & contingenti possunt esse simul. Probatur, quia obiecta scientiæ & talis opinionis non repugnant, ergo neque actus scientiæ, & opinionis. Antecedens probatur, quia id, quod comparatur ad aliud, tanquam superius ad inferius, non repugnat cum inferiori, sed ita comparantur obiecta scientiæ & talis opinionis, ergo. Minor probatur, quia obiectum talis opinionis est probabile, late sumptum, scilicet possibile: atqui omne necessarium essentialiter est possibile, ergo habet se ad possibile, sunt inferius ad superius. Ita Aristot. *c. pen. de interp.* Consequentia prioris argumenti. Probatur, quia non est formalis, aut intrinseca repugnantia in actibus, in ordine ad idem subiectum, nisi sit repugnantia in obiectis actuum, quia actus omnem suam oppositionem habent ab obiectis, à quibus habent essentiam. Probatur secundo in examine conclusionis scientificæ, possunt vna cum rationibus & mediis necessariis occurrere rationes probabiles, quæ simul ab intellectu perpendantur, & hæ sine dubio generabunt aliquem assensum, quid enim impedit, sed ille assensus non erit scientificus, vt patet, quia per medium probabile non potest generari scientia, imo si quis ex medio probabili inferret assensum certum & necessarium, esset error. Ergo talis assensus erit opinio.

Obiic. primo: Scientia ponit certitudinem in intellectu, opinio tollit certitudinem ab intellectu, ergo non possunt esse simul.

Respon. distinguendo alteram partem antecedentis, opinio tollit certitudinem ab intellectu, id est, non reddit intellectum certum, quantum est ex se, sed tantum efficit, vt assentiatur debiliter, non tamen tollit absolute, omnem certitudinem, quæ aliunde aduenire potest, scilicet à scientia, quæ certitudo non pugnat cum positiuo quod dicit opinio.

Obiic. secundo: Scientia repugnat formidini, de opposito opinio vel includit, vel naturaliter generat formidinem, ergo scientia & opinio repugnant inter se.

Respon. ad alteram partem antecedentis opinionem non necessario generare formidinem actualem de opposito, sed tantum natam esse illam producere, nisi intellectus maiori aliquo lumine illustretur: quo incapax fiat formidinis, de opposito, & sic in proposito lumen scientiæ, quod intellectui confert certitudinem & euidentiam, impedit, quo mini-

minus opinio ponat in intellectu actualem formidinem.

Obiic tertio: Præsente lumine maiore minus lumen nihil agit, vt videre est in sole, & stellis, quæ de die non lucent, ergo, existente lumine scientifico in intellectu, per medium necessarium non poterit introduci lumen opinionis, per medium probabile.

Resp. dissimulato antecedente, nego consequentiam, quia effectus medii probabilis non habet se ad effectum scientiæ, sicut lumen remissius ad lumen intentius, sed est effectus diuersæ speciei.

Obiic. quarto: Si intellectus per diuersa media sit potens simul elicere actum scientię, & opinionis, poterit etiam simul assentiri duabus propositionibus contradictoriis, per diuersa media probabilia, verbi gratia, quantitatem realiter distingui à substantia per authoritatem D Thom. & non distingui realiter per authoritatem Nominalium, sed consequens est falsum, ergo & antecedens.

Respon. negando sequelam maioris, quia obiecta vtriusque assensus opinatiui repugnant inter se, & tollunt se mutuo, quia obiectum vnius est expressa negatio alterius, obiecta autem scientiæ & opinionis non repugnant, nam probabile, siue possibile in communi, non negat necessarium, neque contra.

Ex dictis infertur primo, habitus scientiæ, & opinionis, posse esse in eodem intellectu, quia maior apparet ratio incompassibilitatis, vel repugnantiæ, in habitibus, quam in actibus, quia potentiæ se tantum habent passiue ad sustentationem habituum, ad actus vero confert vitalem influxum, & probatur, quia postquam aliquis per assensus probabiles acquisiuit habitum opinionis, & postmodum per medium necessarium & actus scientificos circa eandem conclusionem, acquirit habitum scientiæ, habet simul opinionem, & scientiam, quoad habitus, quia scientia non expellit opinionem præexistentem, experimur enim nos non tantum probare posse conclusionem, per media necessaria, sed & eandem posse confirmare multis argumentis probabilibus, ergo signum est scientiam non tollere habitum opinionis. Infertur secundo, habitum scientiæ posse simul consistere cum actu opinionis, & habitum opinionis cum actu scientiæ, quia habitus minus pugnat cum actu, quam cum habitu, aut quam actus inter se.

Infertur tertio, fidem etiam, siue diuinam, siue humanam posse consistere cum scientia, vel si id fieri non possit, non oriri saltem ex extrinseca repugnantia habituum, vel actuum inter se, sed oriri posse ex infirmitate intellectus, quod actus, quia fides humana sæpe tam exiguam habet rationem assentiendi, vt intellectus ægre elicere possit assensum fidei, dum ex altera parte rapitur ab euidentia scientiæ.

QVÆSTIO IX.

An præter potentiam intellectiuam admittendus sit habitus ad cognoscenda principia.

Sicut intellectus assentiri potest conclusionibus, & propositionibus mediatis, quæ ex aliis, tanquam prioribus, & immediatis deducuntur, ita etiam assentiri potest principiis, siue propositionibus, quarum termini immediate sibi connectuntur, vel quia habent se, vt causa & effectus, necessario profluens vt rationale, & risibile: vel quia vnus est de essentia alterius, vt homo & animal. Quæritur igitur, an requiratur aliquis habitus distinctus à potentia intellectiua, quo intellectus faciliteur ad assentiendum huiusmodi principiis: an vero intellectus ex se solo per lumen suum naturale, illis facile assentiatur.

Negant requiri habitum distinctum à potentia Durand. *in 3. dist. 33 q. 1. ad fin.* Sot. *de inst. & iur. l. 1. q. 4 a. 1.* Nominales & alii, qui censent aliam potentiam intellectus, quatenus bene disponit animam, vt per seipsam assentiatur principiis, vocari habitum principiorum, naturalis enim inclinatio intellectus vocari solet habitus inditus, ac proinde habitum principiorum non distingui ab intellectu. Contra affirmant D. Thom. *l. 2. q. 51. a. 1. & q. 94. a. 10 & alib.* Caiet. & alii.

Respon. primo: Intellectus non indiget habitu superaddito, vt assentiatur principiis vniuersalissimis, sed posita mediocri terminorum apprehensione, potest seipso firmiter assentiri, & euidenter. Huiusmodi principia sunt quodlibet est, vel non, omne totum est maius sua parte. Probatur, quia experimur qualicunque apprehensione terminorum posita,

sita, nos in huiusmodi principia ferri, sine vlla formidine, aut obscuritate, & temporis successu, non facilitari ad talium principiorum assensum, sicuti tamen magna est ingeniorum diuersitas, in subtilitate, ita quorundam intellectus ad plura principia communia se extendit, per solum lumen naturale, aliorum vero ad pauciora, & forte dari posset ingenium tam stupidum, quod indigeret habitu circa principia etiam communissima.

Respon secundo: Datur habitus principiorum scientiarum, particularium, qui sit qualitas superaddita potentiæ intellectiuæ, qua inclinatur ad facile assentiendum, verbi gratia, pro his, & similibus, omnis homo est animal, rationale, omne animal rationale, est risibile, natura est principium motus, & quietis, est aperte Aristot. 2. *post.* 6. *Ethic c.* 3. vbi inter habitus intellectuales ponit intellectum, siue habitum principiorum. Probatur primo experientia, nam initio difficultatem patimur in assensu principiorum, quæ sensim exercitatione minuitur & tollitur, ac generatur facilitas quædam assentiendi, ita vt extremis, siue terminis principiorum mediocriter apprehensis, certo & euidenter connexioni illorum assentiamur. Probatur secundo: Intellectus ob naturalem imbecillitatem non potest euidenter apprehendere terminos principiorum particularium, in ordine ad certum iudicium de illorum connexione. ergo, vt cum imperfecta terminorum apprehensione facile assentiatur, requirit qualitatem facilitantem. Anteced. probatur, quia paucissimæ essentiæ & attributa essentialia nobis sunt nota, vt proinde intellectus difficulter simplici cognitione comprehendat partes essentiales rerum, in quarum cognitionem, non nisi à posteriori deuenimus. Consequentia probatur, quia sola euidens & clara terminorum apprehensio sufficit, vt intellectus se solo possit connexioni illorum assentiri, ergo deficiente hac clara apprehensione aliunde debet iuuari intellectus, scilicet ab habitu. Ex hac ratione soluuntur pleraque argumenta pro sententia contraria, quia communiter supponunt extrema principiorum, euidenter ob intellectum percipi, ac proinde sicut intellectus non indiget habitu, vt assentiatur obiectis, quæ visus percipit, ita nec indiget, habitu, vt assentiatur connexioni extremorum quæ intellectus euidenter concipit, illa enim suppositio est falsa. Confirmatur conclusio Ita quodammodo se habet intellectus, ad principia particularia scientiarum, sicuti voluntas ad bonum aliquod particulare, sed voluntas indiget habitu superaddito, vt facil versetur circa bonum particulare, licet non indigeat habitu, vt tendat in bonum commune: ergo vt intellectus indiget habitu, circa principia particularia, licet non indigea circa verum in communi, aut principia vniuersalissima.

Ex dictis patet ratio, cur intellectus mini indigeat habitu pro principiis communissimis, quia scilicet extrema huiusmodi principiorum, vtpote valde communia, & obuia, facile ab intellectu possunt apprehendi, sine vlla inductione, vt Tolet. *q. vltim. in 2. poste* quæ apprehensio etiam abunde sufficiat a percipiendam illico euidentem terminoru connexionem, verbi gratia, hi termini duplum, dimidium, maius, totum, pars, null negotio ab intellectu apprehenduntur, ita nemo difficultatem patiatur in his iudicii duplum est maius suo dimidio, omne totu est maius sua parte, partim vero principiorum extrema sunt magis recondita, & non nisi variis inductionibus, & ratiocinationibu nobis innotescant. Hinc apprehensio, qu communiter de illis habetur, non sufficit a facilem assensum, cum apprehensio extremorum valeat esse proportionata iudicia de connexione.

Petes an habitus principiorum sit habit Respon. neg. ex dictis supra de scientia tota vnde sicuti diuersa sunt principia specie, in genere distincta, quæ ad diuersas pertine scientias, ita etiam diuersi sunt habitus principiorum, qui in vnam simplicem qualitate non coalescunt, de modo, quo acquiritur habitus principiorum pauca diximus ad textum *cap. vltim. 2. posterior.*

Finis Librorum Analyticorum Aristotelis.

BERNARDI MORISANI IN LIBRVM PRIMVM TOPICORVM COMMENTARII.

De fine, obiecto, inscriptione, & diuisione horum librorum.

FINIS *horum librorum intrinsecus est (vt Aristoteles initio 1. c. indicat) methodum Dialecticam inuenire, siue scire rationem conficiendi syllogismi Dialectici. Finis extrinsecus est per syllogismum Dialecticum de omni re & probabilibus disputare. obiectum horum librorum est syllogismus Dialecticus seu applicatus materiæ probabili.*

Topici hi libri dicuntur à locis quos continent ex quibus argumenta probabilia eruuntur.

Diuiditur hic tractatus in 8. libros, primo agitur de syllogismo Dialectico secundum se, deque illius principiis tam incomplexis, definitione scilicet, genere, proprio & accidente, quam complexis, problematis scilicet & propositionibus. Secundo & tertio agitur de locis accidentis, quibus illius quæstio tum simplex tum comparata pertractatur. Quarto problema generis & quod illi affine, est Differentiæ explicatur. Quinto Problema proprii. Sexto loci definitiones. Septimo Problema eiusdem & diuersi pertractatur. Octauo denique communes interroganti & respondenti leges inter disputandum obseruandæ præscribuntur.

Petes primo an Topica sit pars Logicæ? Respon. non esse. Finis enim intrinsecus Logicæ est tradere instrumenta scientiarum, seu quibus scientiæ vtuntur. Topico autem syllogismo non vtuntur scientiæ. Hinc manifestum est, cur Aristoteles hanc tractationem separarit à Logica, licet passim coniungatur vt omnium syllogismorum in particulari certa methodus habeatur.

Petes secundo, An Topica sit ars an scientia? Respon. non esse scientiam, quia accurate non probat, vt scientiæ, idque non tantum vt vtens est, sed ne quidem vt docens. Neque etiam ars est proprie quia non relinquit post se opus exter-

num, quod ad rationem artis est necessarium: sed est aliquid inter vtramque medium, quod Aristoteles facultatem nominat, nihil est aliud quam cognitio mod in vtramque partem probabiliter disputandi. Et hanc Aristoteles facultaten Dialecticam solet appellare.

CAPVT I.

POstquam totius operis initio scopum exposuit syllogismum in genere definit, repetitque definitionem *l.1.prior.* traditam, ac deinde illam diuidit secundum necessariam in demonstratiuum, Dialecticum, litigiosum & Pseudographum. Ratio diuisionis est, quia materia syllogismi, vel est necessaria, ex qua demonstratio vel probabilis, ex qua syllogismus Dialecticus, vel apparenter probabilis ex qua litigiosus, vel apparenter necessaria, ex qua Pseudographus conficitur.

Demonstratio est, cum ex veris & primis fuerit syllogismus, aut ex talibus, quæ ex quibusdam primis & veris suæ cognitionis causam sumpserunt. Plura *l. 1. posteriorum, c.2.*

Dialecticus syllogismus est, qui ex probabilibus concluditur.

Nota primo, ad hunc syllogismum sufficere vnam probabilem, quia conclusio sequitur debiliorem partem sui antecedentis.

Nota secundo, probabiles hic non tantum dici, quæ sunt tales à parte rei, sed & quæ æstimantur, & assumuntur tantum, vt probabiles, etiamsi à parte rei sint necessariæ, vt sunt eæ, quæ sumuntur à Genere, Definitione, Differentia.

Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his, aut omnibus, aut plurimis, aut maxime notis, & illustribus. Videri in hac definitione est iudicari verum, cum formidine tamen de opposito.

Nota ex hac definitione colligi tres species probabilium propositionum, quædam enim videntur omnibus hominibus, tam rudibus, quam sapientibus, vt Deum esse colendum, quædam plurimis, vt honores esse appetendos, quædam sapientibus tantum, vt solem maiorem esse tota terra, & hoc tertium membrum iterum subdiuidit in tres partes, quædam enim videntur omnibus sapientibus, vt virtutem præstare diuitiis, quædam maiori parti sapientum, vt beatitudinem non esse sitam in bonis corporis. Quædam vero maxime notis & illustribus tantum, vt vniuersalia non esse ante operationem intellectus.

Litigiosus syllogismus est, qui ex iis, quæ videntur probabilia, non sunt autem, & qu ex probabilibus, aut ex iis quæ videntur probabilia, est apparens. Ex hac definitione triplex syllogismus colligitur Sophisticus. Primus qui peccat in materia tantum, secundo qui in forma tantum, tertius qui in vtroque. Horum primus solus dicitur simpliciter syllogismus, alii tantum cum addito syllogismus Sophisticus Pseudographus (quem Aristoteles Paralogismum vocat) est, qui ex propriis scientiæ sumptionibus, non veris autem fit syllogismus, id est, qui ex particularibus scientiarum principiis male intellect progreditur, ideoque opponitur demonstratiuo. Vt principium in Geometria est semicirculos eiusdem circuli esse æquales, sed semicirculus maior & minor sunt semicirculi, ergo sunt æquales.

CAPVT. II.

ASsignat triplicem huius tractationis vtilitatem: Est enim vtilis 1. ad exercitationem disputationis, secundo ad congressu populares. Nam vulgus non est capax subtilium rationum. Tertio ad Philosophicas disciplinas, quia licet scientiarum princip non habeant causam, neque à priori, rationibus nostris probari possunt, possunt tamen rationibus probabilibus aliquo modo confirmari.

CAPVT III.

MAteriam syllogismi Dialectici hic assignat duplicem, propinquam nimirum quæ sunt propositiones & problemata, qu licet reipsa sunt idem, differunt tamen dupliciter, vt indicat Aristoteles primo quod propositiones sint materia præmissarum, problemata conclusionis.

Et hoc est, quod Aristoteles vult, cum fieri orationes ex propositionibus, vbi p orati

rationes intelligit præmissas, de problematis syllogismos, id est, conclusiones, secundo, quod propositiones proponuntur sub vna parte contradictionis, non quod sit necesse hoc facere formaliter & expresse, sed quia licet propositio ab interrogante seu argumentante sumatur, id est, assumatur tanquam vera & concedenda, respondenti tamen est interrogatio. vnde illam vel concedit & negat: problemata autem proponuntur, vt conclusiones in vtramque partem disputandæ, de quarum veritate adhuc nihil sit certum, vnde sub vtraque parte contradictionis interrogantur.

Materia remota sunt 4. prædicata, quibus omnia problemata constare debent, nimirum Genus, Definitio (quam Aristoteles terminum vocat) Proprium & Accidens. Ex his problemata & propositiones distinctionem & denominationem accipiunt, vt aliud sit generis problema, aliud definitionis &c dicitur autem hic prædicatum, quod de alio in propositione prædicatur.

Differentiam reuocat Aristoteles ad genus, ob affinitatem in modo prædicandi, sed hoc nonnulli volunt intelligi de differentia generica, quæ non conuersim prædicatur de specie. Specificam vero, vti & ipsam speciem, ad definitionem reuocari, sed rectius diceretur vtramque differentiam, & genericam respectu generis & specificam respectu speciei ad definitionem reuocari. vtramque etiam respectu inferiorum ad genus referri. Pro cuius intelligentia nota, hanc prædicati diuisionem fere coincidere cum diuisione prædicabilis à Porphyrio data, nisi quod hic colligit numerum prædicabilium, iuxta diuersos modos prædicandi, in quid, & in quale. Aristoteles vero numerum prædicatorum colligit secundum modos prędicandi conuersum, & non conuersim, vnde fit vt tantum sint 4. prædicata, quicquid prædicatur de alio, vel dicitur conuersim, vel non conuersim, si conuersim, vel essentialiter, & erit definitio, vel accidentaliter, & erit proprium, si non conuersim, vel essentialiter, & erit Genus, vel non essentialiter, & erit accidens. Hinc patet, cur differentia & species non constituant alia ab his prædicata. Definitio autem à Porphyrio omittitur, quia de solis terminis incomplexis in ordine ad categoriarum intelligentiam ait: Aristoteles autem de omni prædicato, seu complexo, seu incomplexo.

CAPVT IV.

De definitione, Proprio, Genere & Accidente.

HOc capite tradit Aristoteles singulorum prædicatorum definitionem. Definitio est oratio, quid erat esse significans, id est, est oratio, scilicet imperfecta explicans totam & solam rei essentiam, vt animal rationale, definitio est hominis. Genus definiti est oratio, per quod excluduntur cætera prædicata, & synonyma, cum dicitur oratio imperfecta, excluduntur omnes propositiones etiam illæ, quæ habent definitionem loco prædicati, vt homo est animal rationale.

Dixi explicans rei essentiam hinc excluduntur descriptiones, quæ rei proprietatem, non naturam explicant. Item interpretationes, seu notationes, quæ versantur circa quid nominis, non circa quid rei.

Dixi totam ad excludendum partes essentiæ, vel definitiones, quæ totam rei naturam explicant, vt corpus sentiens respectu hominis. Dixi solam ad excludendum illas, in quibus aliquid redundat.

Nota primo optimam illam esse definitionem, quæ constat genere proximo, & differentia, non sunt tamen illæ malæ, quæ genere remoto constant, modo per differentias sufficienter illud determinetur.

Nota secundo, Definitionem ab Aristotele vocari, terminum; quod totam rei essentiam certis limitibus circumscribant, vt solent agros termini.

Nota tertio; Aristotelem monere definitum ipsum nonnunquam vno simplici nomine, nonnunquam pluribus explicari.

Nota quarto, Aristotelem annectere definitioni duo problemata, synonimiam & problema eiusdem, & diuersi, annexum autem alicuius prædicati dicitur, quod habet similem tractationem cum prædicato, licet ad prædicatum ipsum non pertineat. Problema autem, siue quæstio eiusdem & diuersi, quod hic dicit, annecti definitioni, intelligi debet de eodem, & diuerso specie vel numero: nam

idem & diuersum genere ad genus refertur, quemadmodum etiam idem & diuersum proprio, vel accidente, ad proprium, vel accidens reduci debet.

Proprium est, quod non explanat, quod erat esse soli autem inest, & vicissim de re dicitur, id est, quod non explicat rei essentiam, tamen cum subiecto cōuertitur, vt capax Grammaticæ, respectu hominis. ab hac definitione reiicit Aristoteles propria, quæ vel non semper, vel non soli insunt.

Genus est, quod de multis, & specie differentibus in eo, quod quid est, dicitur. Hanc definitionem transtulit Porphyrius in suam Isagogen. Docet generi annexam esse quæstionem, qua petitur an aliqua sint sub eodem genere, an diuerso.

Accidentis duas dat definitiones, quæ cum Porphyrianis coincidunt, docetque posteriorem esse meliorem prima, quòd prima detur per negationem reliquorum prædicatorum. Accidenti annectit comparationes, quibus quæritur, num aliquod accidens magis vni, alteri vero minus insit, vt vtrum virtutis, vel voluptatis vita sit suauior.

CAPVT V.

DOcet tria posteriora prædicata aliquo modo annecti definitioni, quod illorum axiomatibus etiam refelluntur problemata definitionis, quicquid enim non inest soli, non est definitio, si prædicatum non inest subiecto, non est definitio: Subdit tamen non vnā esse rationem, & methodum omnium, quia nimis esset generalis & confusa, atque adeo non esset methodus.

CAPVT VI.

De eodem.

QVia capite quarto docuerat, quæstiones de eodem & diuerso, annexas esse prædicatis, hoc capite explicat, quænam sint eadē. Ex quo facile colligi potest, quænam sint diuersa. Idem igitur tripartito diuidit, in idem nimirum numero, specie, genere Estque hæc diuisio Analogi in analogata. Proprie enim ea sunt eadem, qua numero sunt eadem, teste Aristotele.

Numero sunt eadem, quorum nomina plura, res autem vna, vt ensis & gladius.

Specie eadem sunt, quæ plura cum sint, specie non differunt vt omnia indiuidua eiusdem speciei specialissimæ Nam species subaltern[a] rationem habet generis, respectu indiuiduorum. Hoc modo docet Aristoteles, easdem es[se] duas aquas eiusdem fontis. Nam licet magi[s] conueniant, quam fontis aqua & fluminis: tamen hæc conuenientia est tantum accidenta[lis]. Vnde non est ponenda noua species iden[ti]titatis inter numericam & specificam. Gener[e] eadem sunt, quæ sunt sub eodem genere, [vt] homo & bos sub animali.

Totidem modis dicitur diuersum nume[ro], vt sunt indiuidua eiusdem speciei, specie [vt] diuersæ species, vel indiuidua diuersarum spe[cierum]: genere vt diuersa genera, & quæ sun[t] sub diuersis generibus. Idem numero iteru[m] trifariam diuidit, primo, quorum vnum e[st] nomen & definitio, aut quorum vnum est d[e]finitio alterius, aut denique plures definitio[nes] eiusdem rei, secundo subiectum cum su[o] proprio, vel duo propria respectu alicuius te[r]tii, vt disciplicinæ capax est idem numer[o] cum homine: Tertio subiectum cum suo a[c]cidente, vel plura accidentia eiusdem, sic [se]dens & musicum idem sunt numero cum S[o]crate, quod explicat hoc modo Aristotele[s] quia metuit si quem euocemus, neq; satis i[n]telligimur, addimus aliquod accidens, vt i[n]telligatur quisnam sit ille, quem vocemus, [di]cimusque is qui sedet, veniat.

CAPVT VII.

PRobat hoc capite quatuor esse prædicat[a] nec plura, nēc pauciora. Primo inductio[ne], quod omnes propositiones ac problem[a]ta vno ex istis constent. Secundo syllogism[o] quem c. 3. attulimus. Quicquid enim prædi[ca]tur de alio, vel dicitur conuersim, vel non c[on]uersim, & vtrumque vel essentialiter, vel ac[ci]dentaliter.

Docet deinde hæc quatuor prædicata in [re]liqua Categoriarum constitui, & ex illis q[u]odammodo erui quod ita intelligendum est alia secundum se, alia secundum suas part[es] alia reductiue ad prædicamenta pertineant.

CAPVT VIII.

POst explicatam materiam remotam syl[lo]gismi Dialectici, aggreditur nunc prop[in]quam, propositiones nimirum & problem[a]ta. D

a Dialectica. Dico dialectica, quia nō omnis ropositio, aut problema, est dialecticum, ım multæ sint propositiones aperte veræ, vel perte falsæ.

Propositio Dialectica est interrogatio sub- lis, aut omnibus, aut plurimis, aut sapienti- ıs; & his, aut omnibus, aut plurimis, aut ma- me notis, non inopinabilis (interrogatio) e- unciatio sub altera parte contradictionis in- trogata, (non inopinabilis) nam quod vni detur probabile, si ceteris omnibus displi- t, non est propositio Dialectica. Cetera in- lligenda, vt in definitione probabilium, c. 1. ıdit tres alias species propositionis proba- lis, vt primo quæ sint similes aliis probabi- ous. Vt si est vna numero Grammatica, et- m tibia canendi ars erit vna. Secundo con- ariæ probabilibus, vt quia probabile est a- icis esse benefaciendum, probabile etiam t amicis non esse malefaciendum, vel inimi- s nōn esse benefaciendum. Tertio opinio- es artificum peritorum, in quaque arte, vt uod medicus dicit de sua medicina.

Problema Dialecticum est theorema per- nens aut ad electionem, & fugam, aut ad ve- tatem & cognitionem, aut per se, aut vt ad- uans ad aliquid aliud eiusmodi de quo, aut eutro modo opinatur, aut contraria plerisq; pientibus, aut sapientes plerisque, aut vtriq; ter sese. Definitio hæc simul continet dupli- m problematis diuisionem. Problematum ım aliud morale, quod pertinet ad electio- em, & fugam, vt vtrum voluptas sit bonum, ec ne: Aliud Philosophicum, pertinens ad eritatem, & cognitionem, vt vtrum mundus t æternus, nec ne: Aliud logicum, cuius finis eque est actio, neq; cognitio stricte sumpta; diuuat scientias practicas & speculatiuas, vt ut ne tantum tres figuræ syllogismorum, an uatuor. Ex hoc loco nonnulli colligunt, lo- icam non esse scientiam practicam, vel spe- ulatiuam, sed vtriusque instrumentum, quæ ententia videtur Aristotelis.

Secunda diuisio Problematis, sumpta ex parte illorum qui illis assentiuntur. Nam a- liud est, de quo neutro modo opinantur, id est, cuius neutra pars altera probabilior vide- tur, sed vtraque est æque incerta, tum apud vulgares, tum apud sapientes, vt an numerus arenarum maris sit par an impar? aliud est, de quo plerique, id est vulgares & plebei homines opinantur, contra sapientes, vt sit ne sol ma- ior tota terra, an non? aliud denique in quo vtrique inter sese diffident, aut plebei cum Plebeis, aut sapientes cum sapiētibus. Positio est inopinabilis sententia alicuius eorum, qui clari sunt in Philosophia, id est, sententia clari alicuius Philosophi, cui omnes ceteri Philo- sophi contradicunt, vt non dari motum, Ze- nonis sententia: Omnia moueri Heracliti: dif- fert à Problemate positio, quod omnis posi- tio sit problema, non contra. Cum dentur quædam problemata neutra: de quibus neu- tro modo opinantur. Item quædam, de qui- bus in vtramque partem æque opinantur. Sæ- pe tamen ait Aristoteles ista confundi.

Concludit hoc caput docendo non esse problema, aut positionem ad dialecticam cō- siderationem pertinere, sed solum illa, de qui- bus dubitatur, quia non sunt rationes suffici- entes: illa vero quæ ostendunt aliquem egere sensu, vel pœna, vel quæ nimis aperta, vel ab- strusa sunt, à Dialectico non considerari.

CAPVT IX.

TRadit hoc capite, species argumentatio- nis Dialecticæ, Syllogismum & Inductio- nem, de quibus abunde supra.

CAPVT X. XI. XII.

EXplicat his capitibus quatuor, instrumē- ta, quibus magna Dialecticarum proposi- tionum copia parari possit. Primum est, sele- ctio propositionum Dialecticarum: Secundū: Distinctio ambigui. Tertium inuentio diffe- rentiarum: Quartum inquisitio simili- tudinis, & dissimilitu- dinis.

Finis Libri primi Topicorum.

IN LIBRVM SECVNDVM ET RELIQVOS TOPICORVM LIBROS.

Quid sit Locus & Quotuplex?

CAPVT I.

AB hoc secundo libro orditur Aristoteles Locorum tractationem, quorum finis est inuentio argumentorum Dialecticorum, seu probabilium ad fidem faciendam. Est autem argumentum hic medium syllogismi Dialectici, quod à medio demonstratiuo differt, eo quod non habeat necessariam connexionem, cum extremis, vnde non scientiam generat, sed opinionem.

Locus est sedes argumenti. Estque duplex locus maxima & locus differentiæ maximæ. Locus maxima est propositio vniuersalis, per se probabilis, cuius veritati, multæ argumentationes Dialecticæ innituntur, vt quicquid dicitur de definitione, dicitur etiam de definito. Cui maxime innituntur hæ & similes argumentationes, omne animal rationale est sensibile, omnis homo est animal rationale, ergo. Maxima debet esse per se nota, vt nõ indigeat probatione, sufficit tamen, vt sit probabilis ab omnibus credi solita.

Nota vero maximam non ingredi syllogismum, tanquam ipsius partes, sed veluti principia extrinseca ipsum dirigere & corroborare, locus differentię maximæ est locus, quo inter se plures maximæ distinguntur, & sub quo plures maximæ contineri possunt.

In eo distinguitur à maxima, quod maxima sit ipsa propositio, Differentia vero maximæ sit locus, seu receptaculum quoddam commune, sub quo plures maximæ continentur & quasi aceruantur. Tales loci sunt, locus definitione, à genere, &c.

Locus differentia maxime est triplex: Internus, Externus & medius. Internus est, e quo sumuntur argumenta ad rei naturam aut substantiam pertinentia: seu quorum medius terminus est essentialis, aut intrinsecu subiecto conclusionis. Vt locus à definition genere, &c. Externus est, ex quo hauriunt argumenta, quæ rei sunt extrinseca, vel repugnantia, vt à simili, ab authoritate, à contrariis mediis est, ex quo petuntur argumenti non pertinentia quidem ad rei naturam, no tamen omnino extrinseca, vel impugnantia vt à simili, ab authoritate, à contrariis. Medius est, ex quo petuntur argumenta, non perti nentia quidem ad rei naturam, non tamen omnino extrinseca, vt locus à coniugatis.

CAPVT II.

De locis internis ac primo de loco à definitione.

LOcus primarius intrinsecus est à Definitione, ac definito, ab hoc loco argumentamur tripliciter, vt colligere licet ex Aristotele *lib.* 2. *c.* 4. primo ex parte subiecti tantum secundo ex parte prædicati tantum, tertio e parte vtriusque.

Ex parte subiecti argumentamur iuxt

hac maximam, quicquid affirmatur, vel negatur de definitione, affirmatur, vel negatur definitio, vt qui dolet de bonorum apparenti prosperitate, est improbus, ergo inuidus est improbus.

Ex parte prædicati vtimur hac maxima de quocunque affirmatur, vel negatur definitio, de eodem affirmatur, vel negatur definitum. Deus non dolet de aliorum prosperitate, ergo Deus non inuidet. Ex parte vtriusque, iuxta hanc maximam, si definitio affirmetur, vel negetur de definitione, definitum etiam affirmabitur, vel negabitur, de definito, vt reponere id, quod iure debetur in compensationem damni illati, non est iniuriam inferre, in compensationem iniuriæ illatæ, ergo æquitas est vindicta. Huic loco annexus est locus à differentia specifica, ad speciem, de qua eadem statim possunt maximæ mutato nomine definitionis in differentiam specificam, & nomine definiti in speciem. Item huc referuntur omnes alii loci, qui ducuntur à terminis conuertibilibus, vt sunt descriptiones, quibus vtimur loco definitionum, quod eæ nobis sæpe sunt ignotæ. Item locus à proprio, quibus eædem maximæ, per paucis mutatis, conueniunt, Ob eandem causam nonnulli huc referunt definitum ad definitionem: Sed rarior est & infirmior huiusmodi argumentatio, cum ab ignotiore procedat, sicubi tamen valet applicari possunt eædem maximæ mutato nomine definitionis in nomen definiti, & contra.

Huc etiam aliqui referunt Locum à notatione, qui plerumque parum firmus est, maxime in nominibus propriis, nisi diuinitus sint imposita, in communibus vero plus ponderis habent & huc referri possunt, si ex ipsa rei natura deriuatur, & cum ipsa re reciprocentur, vt cum Patronum à patrocinando dictum affirmamus.

Notationi valde affinis est assumptio, de qua Aristoteles *c. 5. l. 2.* quæ est explicatio vocis obscurioris, & inusitatæ, per aliam clariorem & vsitatam, vt si stili vmbram (quo nomine vsus est Plato) interpreteris oculum, vel offigenam medullam.

**
*

CAPVT III.

De loco à toto vniuersali.

Locus à toto, vt & ipsum totum, est sextuplex: totum vniuersale, totum in quantitate, totum integrale, totum in modo, totum in loco, & totum in tempore. Totidem modis dicitur etiam pars, totidem sunt loci à parte ad Totum. Totum vniuersale est, quodlibet prædicatum superius respectu suorum inferiorum essentialium, vt genus respectu specierum, species & differentia respectu indiuiduorum, quæ inferiora respectu superioris dicuntur partes subiectiuæ. De hoc loco agit Aristoteles *l. 2. c. 6.*

Quatuor sunt huius loci maximæ. Duæ ex parte subiecti, totidem ex parte prædicati. Prima maxima, quod de toto vniuersali affirmatur, affirmabitur etiam de aliqua eius parte disiunctiue, vt animal est rationale, ergo vel homo, vel Brutum est rationale. Secunda maxima. Quod negatur de toto vniuersali, negatur etiam de aliqua eius parte, sub disiunctione: vt animal non est rationale, ergo vel homo, vel Brutum non est rationale. Tertia, de quo totum vniuersale affirmatur, de eodem affirmabitur pars aliqua eius subiectiua, vt nix est colorata, ergo vel est alba, vel nigra, &c. Quarta, à qua remouetur totum vniuersale, remouentur singulæ eius partes, vt arbor non est animal: ergo nec est homo, nec brutum.

A parte subiectiua ad totum vniuersale, totidem sunt maximæ. Prima, quod affirmatur de parte subiectiua, affirmabitur de toto vniuersali, non vniuersaliter vt homo est rationalis, ergo animal est rationale. Secunda: Quod de parte subiectiua negatur, negatur etiam de toto, vt brutum non est rationale, ergo animal non est rationale. Tertia: De quo pars affirmatur, de eodem & totum affirmatur: vt cygnus est albus: ergo est coloratus. Quarta: à quo partes omnes remouentur subiectiuæ, ab eodem & totum: vt aer neque est albus, neque niger, neque flauus, &c. ergo non est coloratus.

Nota Aristotelem *c. 6 l. 2.* docere, non licere argumentari à genere ad speciem, affirmatiue, sed negatiue. Quod ita intelligendum est: vt scilicet à genere affirmatiue descendas

scendas ad determinatam speciem, non enim sequitur, hoc est animal, ergo est homo.

De Toto in quantitate.

TOtum in quantitate dicitur superius aliquod cum signo vniuersali, vt omnis homo, nullus lapis, pars in quantitate dicitur, quodlibet inferius, contentum sub illo vniuersali.

Hic locus à toto in quantitate ad partes, duas habet maximas, vnam ex parte subiecti, alteram ex parte prædicati.

Prima, quod de toto in quantitate affirmatur, aut negatur, & de singulis partibus affirmabitur, aut negabitur, vt omnis homo est animal, ergo Petrus est animal, & Paulus, &c.

Secunda: De qua totum affirmatur aut negatur in quantitate, de eodem etiam singulæ partes affirmabuntur, aut negabuntur, vt homo habet omnem sensum, ergo habet visum, tactum, &c.

Locus à partibus ad totum, duas item habet maximas, sed omnes simul partes copulatiue sumendæ sunt.

Prima: Quicquid affirmatur, vel negatur de omnibus partibus, etiam affirmatur, vel negatur de toto in quantitate.

Secunda: De quo affirmatur etiam, vel negatur totum vt lapis nec habet visum, nec auditum, ergo nullum habet sensum.

Nota Aristotelem *capite tertio, libro secundo*, tradere etiam duas maximas, ad refellendum totum in quantitate. Negatiuum quidem hac maxima: Quicquid conuenit alicui ex inferioribus, illud non potest ab illo vniuersaliter remoueri, vt si homo est rationalis, falsum erit, nullum animal esse rationale.

Affirmatiuum hac refellitur maxima: Quicquid remouetur ab inferiori alicuius, illud non potest superiori vniuersaliter tribui, vt ex eo, quod piscis non respiret, refellemus hanc, omne animal respirat.

De toto Integrali.

TOtum integrale est corpus aliquod compositum ex partibus, quantitatem habentibus, aut huiusmodi corpori simile. Pa[r]tes illius dicuntur partes integrantes, vt h[o]mo totum est integrale, partes sunt man[us,] pes, & cetera membra.

Sic mundus totum est, partes eius in[te]grantes, terra, aqua, aer, ignis, cœlum, hom[o.] Locus hic duas habet maximas. Posito to[to] integrali, ponuntur eius partes: vt Deus conditor totius vniuersi, ergo & homin[is.] Est domus, ergo est tectum: est homo, [er]go & cor, & caput. Secundo: Ablato toto [in]tegrali, aliqua eius pars aufertur, vt non domus: ergo non est fundamentum, vel [te]ctum, &c.

Nota vero has maximas locum hab[ere] tantum, modo in partibus necessariis, [sine] quibus totum consistere non potest. Lo[cus] similiter à partibus duas habet maximas. [Pri]ma: Positis omnibus partibus, ponitur [to]tum. Secunda: Ablata vna parte necessa[ria] aufertur totum. Nota tamen, vt ex parti[bus] recte inferatur totum, requiri certum o[rdi]nem & dispositionem illarum partium: S[i e]nim illę partes non sint inter se copulatę, [non] recte inferretur totum.

De toto in modo.

TOtum in modo est terminus vniuersa[lis] sine accidentali determinatione su[m]ptus. Pars in modo dicitur idem ille termin[us] cum determinatione aliqua accidētaria su[m]ptus, vt homo est totum, in modo, homo [do]ctus est pars.

Nota primo, idem esse totum vniuersa[le] & totum in modo sed respectu diuerso[rum.] Totum vniuersale dicitur respectu inferio[rum] essentialium, totum in modo respectu in[fe]riorum accidentalium.

Nota secundo, non valere argumenta[tio]nem, si particula determinans sit alienans, [vel] diminuens. Vt non sequitur, cadauer non homo, ergo non est homo mortuus, aut c[on]tra à parte ad totum, est homo mortuus, e[rgo] est homo.

Huic loco fere eædem possunt appli[cari] maximæ, quæ toti vniuersali conueniu[nt.] Optime tamen argumentamur à toto, in [mo]do, ad partem negatiue, iuxta hanc maxi[mam:] sublato loco in modo, tollitur quæuis [...]

:s, vt lapis non est homo, ergo non est ho-
) albus: Contra vero à parte, optime argu-
:ntamur affirmatiue, iuxta hanc maxi-
im, Posita in modo parte, ponitur totum,
Petrus est homo doctus, ergo est homo.
ota tamen, vt sequatur, debere copulam
ue primario afficere terminum, qui deter-
natur, quam particulam determinantem,
prædicatum ratione vtriusque tribui sub-
to. Vnde non sequitur, Socrates fit homo
us, ergo fit homo, quia illa actio, quæ si-
ificatur per verbum inchoatiuum, non re-
cit hominem, sed albedinem.

De toto in loco, & toto in tempore.

Totum in loco, & tempore, sunt aduerbia vniuersaliter, locum aut tempus significantia, nusquam, vbique semper, nunquam. rs in loco & tempore sunt aduerbia, particulariter locum aliquem, aut tempus significantia, vt hic, iam, heri, cras, Maximæ sunt : : Posito toto ponuntur omnes eius partes, Deus est vbique, ergo est hic. Positis omnibus partibus, ponitur totum. Nota hoc tom non male referri posse ad totum, in quantate, cum aduerbia illa semper, & vbique, significent locum & tempus distributum, & tacite includant signum vniuersale.

CAPVT IV.

De loco à causa, & primo causa efficiente.

Causa est id, ad cuius esse sequitur aliud: Ea est quadruplex. Efficiens, materia, forma, & Finis. Nota, quod ad causam efficientem attinet, cum illa latissime pateat, comprehendatque producentes, conseruantes, interimentes, easque vel necessarias, vel non necessarias, vel sufficientes, vel adiuuantes. Item totales, partiales, vniuocas, æquiuocas: Denique cum huc reuocentur efficientes, dispositiuæ, instrumentales, morales, naturales, artificiales, liberæ, vix hunc locum posse certis locis aut maximis definiri: Quæ tamen ad certas maximas reuocari possunt, hic breuiter dicentur. Efficiens causa, alia consideratur vt possibilis, alia vt actu existens. Pro efficiente possibili hæc est maxima. Si causa est possibilis, & effectus est possibilis, & contra. Pro efficiente actu existente hæ assignantur maximæ. Si causa existit, effectus esse potest: si non est causa, nec effectus esse potest.

Ab effectu similiter argumentamur, si effectus esse potest, existit causa: si effectus esse non potest, neque est causa. Intellige has maximas de effectu possibili, potentia propinqua: Nam de remota dubitari non potest, quin effectus possit esse, si causa existat. Item intellige hoc, si cæteræ causæ ad effectum necessarium non desint: Nam si aliqua causa desit, non erit effectus possibilis, potentia propinqua, & hoc modo intellectæ hæ maximæ non tantum ad efficientem causam applicari possunt, sed etiam ad quodlibet aliud genus causæ. Efficiens causa actu existens, alia consideratur, vt actu operans, alia vt potens operari præcise. Pro causa vt operans, est actu, facit hæc maxima. Si causa est in actu, etiam effectus est in actu, si non est causa in actu, neque etiam effectus. Ab effectu similiter argumentamur: Si effectus fit, aut non fit, causa etiam operatur, aut non operatur. Et hæ etiam maximæ ad cæteras causas accommodari possunt, iuxta cuiusque proprium causalitatis genus. Efficiens causa existens considerata, vt potens operari, alia est necessaria, ex qua effectus necessario sequitur, neque ab alia causa produci potest: Sic sol diei est causa: alia est sufficiens, & qua necessario quidem sequitur effectus, potest tamen idem effectus ab alia causa produci, vt caloris causa est ignis, iugulatio mortis. Huic seruiunt hæ quatuor maximæ.

Prima: Posita causa necessaria ponitur effectus: & contra, posito effectu ponitur causa: vt si sol est supra horizontem, est dies, & contra.

Secunda: Ablata causa necessaria tollitur effectus, & contra.

Tertia: Posita causa sufficienti ponitur effectus, non contra: vt Suffocatus est, ergo interiit.

4. Ablato effectu tollitur causa sufficiēs, nō contra:

tra: vt non est mortuus, ergo non est suffocatus.

Ad hunc locum etiam pertinet, cum ex effectione aliqua similem affectionem etiam tribuimus effectui, pro quo sunt hæ maximæ, cuius causa efficiens bona est, & ipsum bonum, cuius causa efficiens mala est, & ipsum malum. Cuius causa interimens bona est, & ipsum malum: Cuius causa interimens mala est, & ipsum bonum.

Item ex effectu producto inferimus proprietatem causæ, vt quia sol lumen producit, ipse sol est luminosus. Nota tamen, hoc tantum valere in causis vniuocis, quæ producant effectus eiusdem rationis, cum forma, quam in se habent, non autem in causis æquiuocis, eminenter continentibus effectum suum, vt non sequitur: Sol calorem efficit, ergo est calidus.

Huc referri potest locus à generatione & corruptione. Cuius hæc 10. l. 2. ab Aristotele assignantur maximæ. Cuius ortus bonus est, & ipsum bonum: vt Christi natiuitas fuit bona, ergo Christus ipse fuit bonus. Secunda: Cuius ortus malus est, & ipsum malum. Tertia. Cuius interitus bonus est, & ipsum malum. Quarta. Cuius interitus malus est, & ipsum bonum.

Nota tamen cauendum esse, ne argumentemur ab eo, quod tantum per accidens bonum fuit, aut malum, vt quia mors Christi toti humano generi fuit Salutaris, non tamen ideo bene concludetur, ipsum malum fuisse, quia mors illa tantum per accidens fuit bonum, eo quod scil. à Deo ad salutem hominum fuerit ordinata.

De causa Materiali.

Materia est triplex, ex qua, in qua, & circa quam. Materia in qua, dicitur quodlibet subiectum, respectu suæ formæ, vt corpus respectu animæ, paries respectu albedinis, animus respectu scientiæ. Materia circa quam, sunt scientiarum, actuum & potentiarum obiecta, vt calor est materia circa quam versatur visus. Materia ex qua, est id, ex quo, tanquam materia res aliqua fit, vt æs statuæ materia est.

Hæc iterum est duplex, vna est, quæ manet in substantia, quæ conficitur, vt æs in statua, & hæc dicitur permanens: altera quæ nō manet, vt elementa in mixtis, farina in pane & hæc dicitur transiens. Huic loco hæ seruiunt maximæ. Prima: Posita materiali causa, seu permanente, seu transiente, Possibilis est effectus, vt si est æs, potest fieri statua: Secunda, Remota materia permanenti, tollitur etiam effectus, vt si non est æs, neque est statua ærea, Tertia, si non præcesserit materia transiens, nullus potest esse effectus, vt si non fuit farina, ergo neque est panis.

Ex parte effectus duæ sunt maximæ. Prima: Posito effectu bene infertur materia permanens existere, vt est gladius, ergo est ferrum. Secunda: Si est effectus, recte infertur materiam transeuntem fuisse, vt est panis, ergo e[illegible] farina.

Ad hunc locum etiam pertinet, cum e[x] conditionibus materiæ colligimus proprietates effectus vt ex carnis mollitie ingen[ii] prægnantiam, &c.

De causa formali.

Forma est, quæ dat esse rei, formaliter, [&] intrinsece. Dico formaliter, ad excludendum alias causas, maxime materiam. Dico intrinsece, ad excludendum formas extrinsecas, vt est idea in artifice, item obiecta actuum & potentiarum, quæ vt extrinsece actus [&] potentias specificant, ita dicuntur etiam formæ illorum extrinsecæ.

Forma intrinseca duplex est, substantialis & accidentaria. Huius loci hæ maximæ sunt. Posita, vel sublata causa formali, ponitur, vel tollitur effectus formalis.

Posito, vel sublato effectu, ponitur, vel tollitur forma, vt si non est albedo, neque est album, aut contra.

Nota tamen non sequi, non est S. Petrus ergo non est anima S. Petri, quia hoc animæ rationali est proprium, vt possit existere separata à materia.

Sic etiam, si aliquid accidens diuina virtute existeret extra subiectum, vt ver. gr. calor, bene diceretur est calor, & tamen non diceretur e[s]se calidum.

Nota secundo, vt hic locus sit firmus, requiri aliquot conditiones. Primo, vt forma quæ inest, insit simpliciter, non secundū qui[d]

ai

ut pro exigua aliqua parte, nisi pars illa sit proprium subiectum illius formæ. Vnde non sequitur, albedo inest Æthiopi, secundum dentes, ergo est albus. Bene tamen sequitur, habet simitatem in naso, vel est naso simo, ergo est simus, est crispo capillo, ergo est crispus, quia nasus & capillus sunt propria subiecta simitatis, & crispitudinis. Secundo requiritur, vt forma illa insit permanenter, & non quasi in transcursu. Hinc Aristoteles docet *c. de qualitate.* à passionibus subiectum non dici quale, vt ob pallorem ex metu, non denominari aliquem pallidum. Tertio requiritur, vt insit intentius, quam contrarium, ob hanc causam aqua tepida, etiamsi habeat aliquid caloris, non tamen dicitur calida.

Huc pertinet locus ab inesse, ad demonstrari, de quo Aristoteles *c.* 1. *l.* 2. quo probamus aliquid dici de alio, quia ei inest, vt cum dicimus, homini inest risibilitas: ergo dicitur risibilis, & contra, à denominari ad inesse, vel potius cum hoc loco coincidit, pro quo tamen nota, quasdam esse denominationes extrinsecas, quæ rem denominant, etiamsi illi non insint, vt esse visum cognitum, in quibus non valebit consequentia, sic actio si sit in patiente denominat extrinsece agens, etiamsi illi non insit.

Huc referri potest locus ab appositione, de qua Aristoteles *c.* 12. *l.* 2. cuius hæc est maxima. Propter quod vnumquodque est tale, & ipsum magis, vt paries est albus calce, ergo calx est alba, cibus melle dulcescit, ergo mel est dulce.

Nota, vt hic locus sit firmus, debere illud quod adiungitur, esse capax talis denominationis, atque adeo non debere esse ipsam formam, sed substantiam tali forma affectam, vnde non sequitur, calor manum afficit calidè, ergo calor est calidus.

Nota secundo, eandem maximam etiam competere efficientibus causis, vt supra diximus, sed vniuocis tantum, non æquiuocis.

De causa finali.

Finis est cuius gratia fit aliquid. Huius loci hæ sunt maximæ. Prima: cuius finis bonus est, & ipsum bonum: Cuius finis malus est, & ipsum malum: vt placere Deo, est bonum, ergo ieiunare, vt Deo placeas, est bonū. Secunda, Posita intentione finis, eligenda sunt media, accommodanda ad finem, vt si vis ire ad cœlum, ergo bene vitam instituas, oportet. Circa primam maximam nota id intelligendum, de fine per se, operis, ad quem operatio ex natura sua ordinatur, aut saltem ad quem ex natura sua non inepte possit ordinari: non autem de fine plane extrinseco operantis, ad quem aliud inepte ordinetur. Vnde non sequitur, dare eleemosynam est laudabile, ergo furari vt des eleemosynam, est laudabile.

Huc referunt aliqui locum ab vsu, de quo *c.* 10. *l.* 2. Aristoteles, cuius hæ sunt maximæ. Cuius vsus bonus est, & ipsum bonum, cuius vsus malus est, & ipsum malum. Cauendum autem hic, ne quis argumentetur ab abusu, vt quia multi vino inebriantur, & inebriari est malum, non tamen sequitur vinum esse malum.

CAPVT V.

De loco ab antecedentibus & consequentibus.

Nota hic non sumi Antecedens & Consequens pro partibus argumentationis, quarum vna infert alteram: sic enim omnis argumentatio esset ex antecedentibus: sed antecedens hic est terminus inferens, quo posito aliud necessario ponitur. Consequens vero est terminus illatus, seu qui ad alterum necessario sequitur. Sic in genere omnia inferiora respectu superiorum, omnes affectus respectu causarum necessariarum. Causæ necessariæ respectu effectuum, & multa signa erunt antecedentia. Ab antecedente affirmatiue argumentamur, iuxta hanc maximam. Posito antecedente ponitur consequens: vt fortitudinis est, propugnare religionem, ergo est virtutis. Hæc arbor habet fructus, ergo floruit: hæc mulier peperit, ergo concepit: mortuus est ergo vixit. A consequentibus vero negatiue, iuxta hanc maximam. Sublato consequente, tollitur antecedens, non nutritur, ergo non augetur.

Huc refertur locus à communiter accidentibus seu rebus rem aliquam circumstantibus. Huiusmodi communiter accidentium nonnulla sunt præcurrentia, vt educatio, nobilitas maiorum, consuetudo cum im-

probis, &c. nonnulla comitantia, vt locus, tempus, occasio, socii: nonnulla subsequentia. Huic loco seruit hæc maxima: qualia sunt circumstantia, talem est verisimile esse rem, quam circumstant. Ex hoc loco tantum ducuntur argumenta verisimilia parum firma magis oratoribus apta, quam Dialecticis, eorum tamen inuentionem Dialecticus ostendit. Sic orator probat aliquem perpetrasse homicidium, quia male educatus, impotens animi, consuetudinem habeat cum improbis, quia clam cum sociis collocutus, nocte domum egressus qui latebras petierit, inuentus palluerit, &c. quæ omnem suspicionem mouent.

CAPVT VI.

De oppositis, & primum in genere.

LOci quos hactenus tractauimus, fere interni sunt, nunc sequuntur aliquot externi. Inter quos primum locum obtinent opposita.

Oppositorum quatuor sunt species, relatiua, contraria, priuantia & contradicentia. Prima maxima de quocunque affirmatur vnum oppositorum, negatur alterum. In relatiuis, vt Iohannes est filius Petri, ergo non est illius pater. In contrariis, vt iustitia est virtus, ergo non est vitium. In priuantibus, videt ergo non est cæcus. In contradicentibus est homo, ergo non est non homo. Nota tamen contraria eidem subiecto posse inesse, in gradibus remissis non vero in intentis. Item posse eidem inesse in diuersa eiusdem subiecti parte, vnde in his ab affirmatione vnius, non statim sequitur negatio alterius. Secunda: opposita oppositis conueniunt, vt si virtus est laudanda, ergo vitium est vituperandum. Pater est superior, ergo filius est inferior, omnis visus est sensus, ergo omnis cæcitas est sensus priuatio.

Nota primo hanc consequentiam in relatiuis semper fieri directe, & eodem oppositorum situ, vt si vnum relatorum sit in antecedente, subiectum aliud relatum illi oppositum, in consequente etiam subiectum, quam Aristoteles etiam vocat consequentiam eiusdem ordinis. In contradictoriis vero fieri inuerso ordine, vt homo est animal, ergo non animal est non homo. In priuantibus autem & contrariis nunc vno, nun altero modo fieri. Inuerso ordine videns sentit, ergo carens sensu est cæcus, quisquis habet bonam corporis habitudinem, est sanus, ergo qui est æger habet malam. Aduerte tamen neutro modo sequi, si prædicatum vni tribuatur quod vtrique, vt existat necessario competit, vt non sequitur, videns viuit, ergo cæcus mortuus est.

Nota secundo, vt sit firmum eiusmodi argumentum in contrariis requiri, primo, vt prædicatio antecedentis sit per se, & non per accidens, vnde non sequitur, album est dulce, ergo nigrum est amarum: similiter in relatiuis, pater est magnus, ergo filius est magnus. Secundo requiritur, vt contraria assignata non opponantur per excessum, & defectum sub eodem genere, vnde non sequitur, auaritia est mala, ergo prodigalitas est bona.

De oppositis in specie.

PRæter has communes maximas, sunt aliæ propriæ singulorum. Relatorum duæ. Prima: Relata se mutuo opponunt, & tollunt, vt si pater est, non est, filius & contra. Secunda, Relatorum vnum non potest cognosci sine altero. Ratio, quia vnum ex se, ex sua ratione formali, ducit ordinem ad alterum.

Contraria alia sunt immediata, quæ nullum medium habent, respectu capacis, alia mediata quæ habent medium, vt album & nigrum.

Pro contrariis in genere duæ sunt maximæ ex Aristotele *cap.* 8 *lib.* 2. Prima, illud non est in subiecto, quo posito sequitur, duo contraria simul inesse. Hinc Aristoteles probat, non dari ideas in nobis, quia simul mouerentur, & quiescerent, ex suppositione Platonicorum, mouerentur, quia cum in aliqua mouetur, necesse est omnia, quæ in illa sunt, moueri. Secunda, si vnum contrariorum inest subiecto, illius etiam contrarium poterit inesse, si vnum non possit inesse, nec alterum poterit. Hinc Aristoteles probat, odium non esse in animæ parte irascibili, quia eius contrarium, amor scilicet non est in irascibili, sed in concupiscibili.

No

Nota tamen, hanc maximam intelligendam esse de iis, quorum vnum non inest à natura: vnde non sequitur, si ignis sit calidus, posse etiam esse frigidum.

Pro contrariis immediatis priuantibus, contradicentibus hæc particularis est maxima. Contrariorum immediatorum priuatiue oppositorum contradicentium necesse est alterum inesse, alterum non inesse, vt si Socrates est sanus, non est æger: Si videt, non est cæcus, si est homo, non est non homo. Sed nota hoc simpliciter esse verum, in contradicentibus, in contrariis vero immediatis, & priuatiue oppositis, tantummodo respectu subiecti capacis.

De repugnantibus disparatis.

PRæter opposita sunt alia genera repugnantium, quæ disparata dicuntur, quæ non speciali aliquo genere oppositionis repugnant, de eadem re tamen affirmari non possunt, vt corpus & spiritus, homo & brutum, plerumque & raro. maxima est Cui conuenit vnum ex disparatis, alterum non conuenit, vt homo est corpus, ergo non est spiritus.

Nota tamen, in accidentibus non sequi, nisi accipiatur pure formaliter, & in abstracto, vt sequitur, hæc qualitas est albedo, ergo non est dulcedo, non tamen sequitur, in concreto lac est album, ergo non est dulce.

CAPVT VII.

De loco à maiori, minori & pari.

MAius dicitur, quod maiorem habet probabilitatem, minus quod minorem, par quod parem. Loco à maiori vtimur negatiue, cui seruit hæc maxima: Si id, quod maius videtur, non est verum, nec id quod minus est, vt non potuit hæc ciuitas expugnari centum millibus hominum, ergo nec viginti millibus potest. A minori argumentamur affirmatiue, iuxta hanc maximam. Si quod minus videtur, est verum, & id etiam, quod magis est, vt Imperator sæpe exiguis copiis ingentes Turcarum exercitus peremit, ergo multo magis id faciet omnibus Europæ viribus. Pro Deo vita contemnenda est, ergo & pecunia. A pari argumentamur & affirmatiue, & negatiue, iuxta hanc maximam si è duobus probabilibus alterum verum est, aut falsum, & alterum verum erit aut falsum, vt alias modico adhibito labore Dæmonis tentationes superauimus, ergo & nunc pari labore poterimus.

CAPVT VIII.

De loco à simili, & proportione, itemque à dissimili.

SImilia sunt duplicia: alia, quæ in vna aliqua forma conueniunt, vt duo alba, duo æqualia, duo homines, dicuntur similes. Alia sunt, quæ licet non conueniant in vna aliqua forma, eandem tamen proportionem inter se habent, vt mens in animo & oculus in corpore, sic serenitas in aere, in mari tranquillitas, in animo passionum sedatio, vt enim mens se habet ad animum, ita oculi quodammodo ad corpus, & quod est in aere serenitas, hoc in mari est trãquillitas, hoc in animo est passionum sedatio. Vsus huius loci nititur his maximis: Quod in vno similium valet, valet & in cæteris, Quod non valet in vno, nec in ceteris.

Locus à dissimilibus, ab Aristotele prætermittitur, quod satis ex loco similium intelligatur. Dissimilia autem sunt, quibus nec aliquid idem commune est, nec inter se proportionem habet. Hic locus habet has maximas. Dissimilibus dissimilia cõueniunt. Quod vni dissimilium, qua dissimile est, conuenit, non conuenit alteri, vt si prudens, qua prudens, est laudandus, imprudens est vituperandus.

Huc reuocari potest locus à transmutata proportione, Arithmeticis & Geometris familiaris, est autem transmutata proportio, quando propositis quatuor terminis, quorum primus & secundus eandem habent inter se proportionem, quam tertius & quartus, (vt sicut se habent tria ad sex ita 4. ad 8. quia vtrumque alterius est diuiduum, quæ proportio dicitur simpliciter proportio.) Vlterius deinde

deinde ex hac proportione colligitur, eandem esse rationem primi ad tertium, quæ est secundi ad quartum, vt se habent tria ad sex. Ita quatuor ad 8. sequitur ergo, vt se habent tria ad quatuor. ita sex ad 8: Et hæc proportio dicitur transmutata proportio.

Huc spectat exemplum, quod quartam argumentationis speciem constituimus, in illo enim semper argumentum, seu medium est simile.

CAPVT IX.

De loco ab authoritate.

AVthoritas duplex est, vulgarium & sapientium, vulgarium valet ad vsum loquendi: Sapientium ad iudicium de rebus ferendum, iuxta illud, loquendum vt multi, sapiendum vt pauci. De posteriore autem maxime hic agimus, sapiens hic dicitur, qui in materia, de qua est problema, bene est versatus: Nititur autem hic locus hac maxima: Vnicuique in sua arte credendum est.

Aliter authoritatem diuidimus in diuinam, & humanam: à diuina ducuntur argumenta, quæ omnem scientiarum certitudinem superant, qualia conficit Theologia ex principiis fidei. Ab humana etiam fiunt argumenta, infirma quidem, eo tamen firmiora, quo quis maioris est fidei, & authoritatis.

Nota hic ab authoritate, tum affirmatiue, tum negatiue argumentari licere: Sed ab authoritate duntaxat negante valere argumentum, non autem ab authoritate negata valere authoritatem, quæ aliquid negat, vt verbi gratia, Scriptura sacra negat esse furandum, ergo non est furandum. Non autem valere, si ipsa authoritas negetur. Sacra scriptura nusquam dicit, seruandam esse quadragesimam, ergo non est seruanda, qui modus argumentandi frequens est hæreticis.

CAPVT X.

De coniugatis & casibus.

SEquitur locus à coniugatis, & casibus, qui nec omnino internus, nec omnino externus, sed medius quodammodo censeri debet. Coniugata proprie dicuntur nomina & verba, ita affecta inter se, vt alterum ab altero denominatiue deducatur: vt sapiens & sapientia. Casus vero, siue nomina, siue verba siue aduerbia, quæ ab eadem forma inflectuntur, vt sapiens, sapere, sapienter, sæpe tamen illa confunduntur, & vniuersim coniugata appellantur quod sub vno quasi iugo significationis contineantur. Nota primo non tantum voces simplices, sed etiam orationem posse esse coniugata, vt virtus & virtute præditus.

Nota secundo, non tamen haberi rationem vocis, vtrum nimirum secundum vocem vnum coniugatorum ab altero deducatur, quin etiam possit hic locus extendi ad ea quæ tamen significatione sunt coniugata qualia sunt officere & nocumentum.

Huius loci vna est maxima. Si vni coniugatorum alterum conuenit vel non conuenit & reliquis reliqua conuenient vel non conuenient. Vt Iustitia est virtus, ergo quod iuste fit, fit ex virtute.

Nota differre hunc locum à loco causæ formalis, quod nõ sumatur hic forma aliqua tanquam subiectum informans & illi inhærens, ex qua deinde colligamus effectum formalem sicut ibi, vbi forma semper accipitur vt afficiens subiectum Deinde forma aliqua seu abstractum duobus modus considerari potest, primo vt dat esse rei & sic videtur causa formalis. Secundo prout partim conuenit cum suo concreto scil. in re significata partim differt propter diuersum modum significandi & ita facit locum medium.

Nota postremo vt firmus sit hic locus requiri aliquot conditiones. Prima vt sint prædicationes per se & termini formaliter capiantur, vnde non sequitur album est dulce, ergo albedo est dulcedo. Secundo vt sumantur vera coniugata quæ non tamen conueniunt, sed etiam primariæ signification. vnde non sequitur somnolentum esse vitiosum, est ergo somnus est vitium. Tertio non valet nisi in abstractis & concretis accidentalium non vero sequitur homo est animal, ergo humanitas est animalitas. At bene sequitur album est coloratum ergo albedo est color. Quamquam nec in accidentibus valeat si fiat vltimata abstractio, hoc est vt nõ tantum abstrahantur a subiectis & suppositis, sed etiam ab inferioribus, neq; enim sequitur albedo est color, ergo albedineitas & coloreitas.

Quarto

uarto, vt ſibi ita reſpondeant coniugata, t nomina nominibus, aduerbia aduerbiis oniugantur, niſi forte nomen in modo ſignificandi conueniat, cum aduerbiis. vnde on valet, Iuſtitia eſt laudabilis, ergo iuſta ere eſt laudabiliter agere, ſed dicendum it iuſte.

CAPVT XI.

De quibuſdam problematis diuiſionibus.

ARiſtoteles *l.2.Top.c.1.* diuidit problema in problema ſimplicis inhærentiæ, & cmpoſitæ inhærentiæ. Problema ſimplicis inhærentiæ eſt, in quo ſimpliciter vnum al- conuenire, vel non conuenire ſignifica-t, ſine vllo certo inhærendi vel prædican-modo. vt an homo ſit animal, necne, an homo ſit coloratus, necne. Problema compoſitæ inhærentiæ eſt, in quo vnum alteri conuenire, vel non conuenire ſignificatur, ſine vllo certo inhærendi, vel prædicandi modo, vt ineſt ne homini albedo, vt accidens, an non, ineſt ne animal homini, vt genus, an non. Ariſtoteles ſola problemata accidentium vtroque modo tractat. Generis vero & cæterorum prædicatorum tantum compoſitæ inhærentiæ. Ratio huius eſt, quia in problemate generis, definitionis, proprii, ſi probatum ſit, aliquid ineſſe, vt genus, aut definitionem, aut proprium, ſufficienter etiam probatum ſit ſimpliciter ineſſe, aut prædicari. In accidente vero non item: nam licet probatum ſit, albedinem ineſſe Æthiopi, vt accidens, non tamen ſtatim ſequitur, illum eſſe album.

Nos autem hactenus ſola problemata ſimplicis inhærentiæ tractauimus, quæ ad genus & reliqua prædicamenta pertinent. Problema accidentis ſimplicis inhærentiæ aliud eſt abſolutum, aliud coniugatum. Abſolutum eſt, cum abſolute quæritur, num hoc ſit illud, vt vtrum ſit virtus ſuauis, necne. Comparatum eſt, cum non abſolute, ſed comparando vnum cum alio quæritur, vtrum ſit magis tale, vt vtrum virtus ſit ſcientia præſtantior, necne. Hoc problema comparatum reperitur in accidente, quia tantum poteſt fieri comparatio in iis attributis, quæ ſuſcipiunt magis & minus.

Tractatur hoc problema ab Ariſtotele *toto lib.3.* Nos vero hactenus de abſoluto egimus: ex cuius cognitione cum facile colligi poſſit, quomodo pertractandum ſit comparatum problema, non addimus plura, qui plura deſiderat Ariſtotelis librum tertium conſulat, & Fonſecam *l.7. inſtitut. Dialect. c.34.*

Finis Topicorum Librorum Ariſtotelis.

BERNARDI MORISANI COMMENTARII ET DISPVTATIONES IN LIBROS ELENCHORVM ARISTOTELIS.

De fine & obiecto huius libri.

OBIECTVM huius libri ac materia est syllogismus Sophisticu seu vt Aristoteles initio ait, Elenchus Sophisticus, qui nimirum v detur verus Elenchus, id est, syllogismus redarguens, sed fallax e & captiosus, quo vtuntur Sophistæ ad decipiendum.

Nota Aristotelem non agere de Pseudographo syllogismo quod sit facile i illo detegere errorem, si quis sit in aliqua scientia versatus, & eius principia n uerit, nemo vero possit nisi qui illam scientiam calleat, ex cuius principiis male i tellectis Pseudographus syllogismus conficitur. De Sophistico autem agit qu Dialecticarum argumentationum tanta sit varietas, vt non possint facile gnosci ac certa regula comprehendi, sed sæpe videantur tales, cum ta non sint.

Finis huius libri intrinsecus est dignoscere captiosas & fallaces argume tationes à probabilibus.

Finis extrinsecus est non vt iis vtamur ad decipiendum inter argume tandum, sed potius vt eas vitemus & qui iis vtuntur reprehendere possimus.

Vt autem hæ fallaces argumentationes dignosci possint, duo sunt in iis tendenda: Causa scilicet apparentiæ & causa fallaciæ. Causa apparentiæ est qu videatur argumentatio duci ex loco aliquo Dialectico cum tamen non ducat Causa fallaciæ dissimilitudo illius loci Sophistici cum loco Dialectico: unde vide tur sumi, vt quia à toto in quantitate ad partem recte sequitur, omne animal sentit, ergo homo sentit, Sophista sic argumentatur, omnis canis latrat, ergo omnis piscis latrat.

CAPV

CAPVT I.

[I]Ntentionem suam initio Aristoteles proponit, ostenditque quibusdam similitudi[n]ibus vere dari Sophisticos Elenchos, qui videantur tales, cum tamen non sint tales: videantur inquam, maxime imperitis, quos fa[ci]t similes iis, qui res è longinquo prospe[ci]ant. Elenchus est syllogismus, cum conclu[sio]ne contradictionis, siue, vt 1. *Priorum c.* 8. [es]t syllogismus contradictionis, id est, con[tra]dicens, & inferens contrarium, vel contra[di]ctorium alicuius propositionis, à respon[de]nte prius negatum. Non sufficit ad Elen[ch]um, inferre subcontrariam, quia subcon[tra]riæ possunt esse simul falsæ. Vnde patet, [sy]logismum latius patere, quam Elenchum, [&] ab eo ratione differre, quod syllogismus [si]mpliciter inferat conclusionem, Elenchus [ve]ro superaddat respectum ad propositio[ne]m ante negatam, quocirca Elenchus dici[tu]r, quasi reprehensio ignorantiæ respon[de]ntis, qui pugnantia loquitur: Est autem [du]plex Elenchus, alius verus, qui reuera in[fe]rat contradictorium, alius apparens qui [ta]ntum secundum apparentiam. Vnum ve[ro] locum fertilem ad generanda Sophisma[ta], ait esse multiplicem vocum significatio[ne]m. Fit enim vt cum res in medium ferre [no]n possimus, inter disputandum voces i[p]sas, pro rebus adducamus, & quod vocibus [ac]cidit, idem etiam rebus accidere putemus, [cu]m tamen vox vna res plures possit signi[fic]are.

Definit deinde Aristoteles Sophisticen, & [So]phistam, Sophistice inquit, est simulata, [no]n vera sapientia. Sophista est, quæstum [fa]ciens ex simulata non vera sapientia, qui[d]e maioris facit videri, quam esse sapien[tia]m.

In fine capitis ponit quatuor genera dis[pu]tationum Didascalicas, Dialecticas, Ten[ta]tiuas, & Litigiosas, quarum definitiones [pe]te ex textu. Ratio diuisionis ex fine peti[tu]r, quia omnis disputatio vel ordinatur ad [d]ocendum, vel ad veritatem alicuius rei incertæ eruendam, vel ad tentandam alterius scientiam, vel ex solo animo contendendi.

(***)

CAPVT II.

PRincipio agit de fine Sophistæ. Finis illius vltimus & primarius est, opinio sapientiæ, aut victoriæ. Instrumentum illius est syllogismus Sophisticus: Primario isti fini 5. alii fines subordinati deseruiunt, quos sibi Sophista proponit, communiterque metæ appellantur, id est, quædam inconuenientia, ad quæ respondentes Sophistarum captionibus deducuntur. Sunt autem hæ: Reprehensio, Falsum, Inopinabile, Solœcismus, & Nugatio. Priores tres in ipsa re, posteriores in ipsis verbis consistunt.

Reprensio est, cum cogitur respondens fallaci argumento concedere contrarium, vel contradictorium eius, quod in eadem disputatione negauit: vt si quis negarit, nunc se non ambulare, Sophista sic procedit, Quisquis heri eras, nunc etiam es, heri eras ambulans, ergo nunc etiam es. Quod si concesserit Respondens, admittet contradictorium eius, quod antea negauit, seque ipsum quodammodo reprehendet.

Falsum est, cum cogitur quis aliquid quod reipsa manifeste falsum est, concedere: vt si hoc Sophisma non possis diluere; Quicquid non repugnat fieri, nihil repugnat vt sit, nihil repugnat album nigrum fieri, ergo nihil repugnat album esse nigrum: vel illud: Quicquid non amisisti, habes, cornua non amisisti, ergo habes.

Inopinabile est, cum quis aliquod paradoxum admittit, seu propositionem repugnantem communi iudicio hominum, aut saltem eorum, apud quos disputat, siue illud sit à parte rei verum, aut falsum, vt si quis coram diuitibus, aut plebe, qui diuites putat beatos, concedat diuites esse miseros, inducto hoc syllogismo, Quicunque paret suis voluptatibus, est miser, Diuites parent suis voluptatibus, ergo Diuites sunt miseri.

Solœcismus est, cum compellitur Respondens vt vi argumentationis barbare loquatur, vt omnis homo est discursiuus, mater tua est homo, ergo est discursiuus.

Nugatio est, cum compellitur Respondens nugari, seu pluries vnam vocem inutiliter pronunciare. Vt Plato est doctus, Plato est homo doctus, ergo Plato est doctus homo, homo doctus.

Non addidit Aristoteles aliam metam, scilicet taciturnitatis, cum respondens nihil habet, quod respondet, tacet, quam non minus intendit Sophista, quam alias, imo ad opinionem, sapientiæ, & victoriæ videtur illi optabilius efficere, vt respondens silentio se victum fateatur, quam si conetur repugnare. Subdit Aristoteles modos arguendi, seu locos Sophisticos: vnde captiosæ argumentationes eruuntur, sicut enim Dialecticus suos habet locos, vnde argumenta probabilia petit, ita & Sophista suos.

Loci igitur huiusmodi sunt, in genere, duo: aliæ enim fallaciæ in dictione sunt, aliæ extra dictionem, id est, quædam ex ipsis vocibus sumunt apparentis probabilitatis causam, aliæ ex rebus significatis. Prioris generis sunt sex, Homonymia, Amphibologia, Compositio, Diuisio, Accentus, & Figura dictionis, quas hoc capite explicat cæteras sequenti.

De fallacia Homonymiæ.

Fallacia homonymiæ est locus aptus ad decipiendum, ratione vnius & eiusdem vocis plura significantis. Homonymia hæc, seu æquiuocatio, potest contingere vel ex parte maioris extremi, vel minoris, vel medii, vt ostendit exemplis hic Aristoteles. Ex parte maioris extremi, vt in verbo Μανθάνειν, quod significat intelligere quæ dicuntur, & discere Latinis, non est vox illi respondens æquiuoca: aliud exemplum esse potest: Quicunque vigilat, non conniuet. qui dissimulat alterius peccata, vigilat, ergo qui dissimulat alterius peccata, non conniuet Ex parte medii. Quæ facere oportet, bona sunt, mala facere oportet, ergo mala bona sunt; æquiuocatio est in verbo oportet, quod in maiore significat id quod decet, & expedit, sed ad aliud maius malum euertendum, sicut interdum expedit manū abscindere, ad totius corporis salutem. Ex parte minoris extremi. vt qui surgebat, stat, sedens surgebat, ergo sedens stat, item qui sanabatur, valet, ægrotus sanabatur, ergo ægrotus valet. Homonymia sunt sedens, & ægrotans, qui in minore ratione ampliationis capiuntur, tam pro præsenti, quam pro præterito, & in consequente, tantum pro præsenti. Tres sunt fere æquiuocationis modi; primus, cum vocabulum est pure æquiuocum, vt canis animali & sideri, aquila homini & aui, eniti pro contendere, & parere: Secundus, cum vox est analoga, vt ridere, respectu hominis & prati, contingitque quoties vox vna semel proprie, & alias metaphorice capitur. Tertius, cum vox ratione coniunctionis cum alia & alia vere mutat ampliationem, vt diximus, qui modus est maxime omnium improprius.

Causa apparentiæ in hac fallacia est identitas vocis, causa defectus, & fallaciæ est diuersitas significationis, soluitur sophisma, distinguendo terminum æquiuocum, & ostendendo 4. esse terminos in syllogismo.

De fallacia Amphiboliæ.

Fallacia Amphiboliæ, seu ambigui sermonis est, quæ non ex vna voce duntaxat ambigua vt superior, sed ex tota oratione, quæ multiplicem habet sensum, oritur, fit hæc di[...] bus modis, primo cum oratio multos hab[et] sensus proprios, vt quicquid est Aristote[lis] possidetur ab Aristotele. Hic liber est Aris[to]telis, ergo possidetur ab Aristotele. Ite[m] quod vellem, me capere vellem, illi me ca[pe]rent, hostes vellem me capere, ergo vellen[t i]li me caperent. Item quod quis cognoscit [id] cognoscit, lapidem Petrus cognoscit, e[rgo] lapis cognoscit. Secundo cum oratio ha[bet] vnum sensum proprium, alterum imp[ro]prium, vt qui littus arat, vicinus est mari, claudum docet ambulare, littus arat, e[rgo] qui claudum docet ambulare, vicinus est [ma]ri. Causa apparentiæ in his est identitas [ora]tionis: causa defectus est pluralitas sensi[um] significationis. Soluitur hæc vt prior, di[stin]ctione ambigui.

De fallacia Compositionis & Diuisionis.

Fallacia compositionis est locus apt[us ad] decipiendum, ratione sensus comp[ositi] falsi, siue cum ex oratione vera in sensu [diui]so infertur conclusio falsa, in sensu co[mpo]sito.

Fallacia diuisionis est locus captiosi [ra]tione sensus diuisi falsi, seu cum ex ora[tio]ne vera in sensu composito infertur falsa co[nclu]sio in sensu diuiso. Triplex est genus p[ro]positionis, quæ vtrumque sensum admi[ttu]nt pri[...]

timum ac frequentissimum contingit in moralibus propositionibus. est enim in iis sensus compositus: cum integra & formalia significata extremorum dicti connectuntur inter se: diuisus vero cum non integra sed formale prædicati cum materiali subiecti, verbi gratia, possibile est sedentem ambulare, si sic intelligas possibile est, vt qui sedet dum sedet ambulet, erit sensus compositus & falsus, si vero sic, possibile est, vt homo ille qui sedet ambulet, erit diuisus verus. Contra vero hæc propositio necesse est prædestinatum esse salvum, facit sensum compositum verum, diuisum falsum, necesse enim est prædestinatum subest prædestinationi saluari non autem necesse est hominem qui est prædestinatus secundum se spectatum saluari.

Fallacia ex sensu hoc composito sic ducitur, quemcunque possibile est ambulare fieri potest vt ambulet, sedentem possibile est ambulare, ergo fieri potest vt sedens ambulet. Ex sensu diuiso hoc modo: Quemcunque necesse est saluari, fieri non potest vt non saluetur, necesse est prædestinatum saluari, ergo non potest fieri vt prædestinatus non saluetur.

Nota primo illas tantum propositiones admittere duplicem sensum, quarũ subiecta sint connotatiua in quibus separari potest materiale significatum à formali: vnde hæc non admittit vtrumque sensum, necesse est hominem esse animal.

Nota secundo non tantum hoc posse fieri in propositionibus modalibus, sed etiam interdum de propositionibus de inesse, cum subiectum illius & pro materiali significato, & formali sumi potest, vt hæc propositio, album fit nigrum habet sensum compositum falsum, diuisum verum.

Secundum genus propositionis admittentium vtrumque sensum est in propositionibus, quorum partes connectuntur hisce particulis &, nec, aut, vel & similibus, quæ si sumantur copulatim, vel disiunctim, ita vt duntaxat partes vnius extremi connectant, faciunt sensum compositum, seu accipiantur copulatiue aut disiunctiue, ita vt connectant plures categoricas propositiones, faciunt sensum diuisum, vt duo & tria sunt quinque, sensum compositum verum: Sensus enim est duo & tria simul coniuncta esse quinque, diuisum vero falsum. Sensus enim est duo esse quinque & 3. esse 5. Sic omnis enuntiatio est vera vel falsa sensum habet compositum verum, significat enim omnem enuntiationem alterutrum habere vel veritatem vel falsitatem. Sensus vero diuisus est falsus. Significat enim omnem propositionem esse veram vel omnem esse falsam. Fallacia compositionis ex hoc secundo genere sic conficitur. Qui potest ferre vnum & vnum potest ferre plura, sed qui potest ferre vnum solum, potest ferre vnum & vnum, ergo qui potest ferre vnum solum potest ferre plures. Hic enim ratione minoris qui falsum habet sensum compositum oritur conclusio falsa. Fallacia diuisionis sic struitur duo & tria sunt numerus par & impar, quinque sunt duo & tria, ergo quinque sunt par & impar.

Tertium genus earum propositionum quę vtrumque sensum admittunt, est cum dictio aliqua cum diuersis coniungi potest, & si quidem cum eo iungatur cum quo aptius videtur copulari fit sensus compositus: Sin cum eo cum quo minus apte connecti videtur. Sensus diuisus. Fallacia compositionis ex hoc loco ad hunc modum ducitur: Quicunque scit literas nunc didicit eas, sed qui ante vnum annũ operam dedit literis, scit literas, ergo nunc didicit eas. Maior in sensu composito est falsa, particula enim nunc aptius videtur coniungi cum verbo didicit quam cum verbo scit: vt autem maior sit vera, necesse est eam capi in sensu diuiso, à quo ad sensum compositum in conclusione male proceditur, vnde conclusio est falsa. Ita hic Quodcunque viuit semper erit, equus vivit, ergo semper erit, maior est falsa in sensu composito, quia semper aptius videtur coniungi cum erit. Sic in exemplis Aristotelis. Ex quibus relinquuntur centum sint plura quam centum sed 50. viros centum heroes reliquit Achilles, ergo 50. viri plures sunt quam centum. Item Quemcunque feci seruum existentem liberũ libertati restitui, sed te quem redegi in seruitutem, feci seruum existentem liberum, ergo ego te quem redegi in seruitutem, libertati restitui. A sensu diuiso oritur fallacia, vt in hoc exemplo. Quisquis nunc natus dicitur, is hac hora natus est, pater meus nunc natus vere dicitur, ergo hac hora natus est. Particula [nunc] aptius in

maiore & minore videtur coniungi verbo dicitur quam [natus] vnde cum conclusio falsa pendeat à minore falsa in sensu diuiso quæ (nunc) iungitur cum [natus] erit Sophisma diuisionis.

Nota primo eum esse sensum compositum hic qui est magis obuius, quod vt plurimum pendet ab aurium & animi iudicio.

Nota secundo sæpe in his difficile esse iudicare, cum quo dictio aliqua copuletur, atque adeo difficile esse iudicare, quis sit compositus sensus, quis diuisus, vt testamento quidam posuit statuam auream, hastam trementem, & tunc quidam volunt esse vtrumque sensum compositum. Ego iudicarem huiusmodi propositiones ad ambiguas & amphibologicas melius referri.

Nota tertio hanc fallaciam non posse confici ex propositionibus illis quæ vtrumq; quidem sensum admittunt, sed neutrum falsum, quia tunc non possunt inferre falsum ex vero, talis est hæc. Quicunque currit celeriter mouetur. causa apparentiæ hic est identitas orationis admittentis sensum compositum & diuisum, causa fallaciæ est ab vno sensu ad alterum processus. Soluitur fallacia distinctione sensus compositi & diuisi.

De fallacia accentus.

FAllacia accentus est locus captiosus ob varietatem accentus. Accentus hic varietas late capitur pro quacunq; varia ratione pronunciandi. Fit hæc fallacia 5. modis: Primo cum variatur accentus, vt qui venatur lepores syluas perlustrat, sed orator venatur lepores, ergo perlustrat syluas. Secundo cum variatur quantitas vt populus est arbor, plebs ducena est populus, ergo est arbor. Tertio cum variatur Spiritus, vt omnis ara est in templo, antrum porcorum est hara ergo est in templo. Quarto cum dictio aliqua modo profertur vt vna, modo vt plures. Vt terra quæ est in via teritur, terra deserta est invia, ergo terra deserta multum teritur. 5. Cum variatur pronũciatio, vt nesciatur, an oratio sit seria, an ironica, interrogatoria, an assertoria, vt qui dicit egregie respondisti laudat, te, sed qui reprehendit te, ignorantem dicit, egregie respondisti, ergo qui te reprehendit, laudat te, Item qui dicit, audiuisti sacrum, asserit te audiuisse sacrum, sed qui te interrogat, dicit audiuisti sacrum, ergo, qui te interrogat, asserit te audiuisse sacrum, Causa apparentiæ etiam hic est similitudo vocum, secundum materiam defectus oritur ex diuersitate sensus & significationis.

De Fallacia figuræ dictionis.

FAllacia figuræ dictionis est captiosa argumentatio, in qua ob similitudinem vocum idem prædicatum diuersis tribuitur: dicuntur autem voces similes, vel quia similiter desinunt, vt facies & macies, vel quia sæpe pro eadem re vsurpantur, vt homo & animal, tribus modis hinc Sophismata ducuntur, primo cum eadem Grammaticalis affectio similibus vocibus tribuitur, vt si quis inferat frontem esse masculini generis, quia fons, quod similem habet terminationem, est masculini, aut quia homo & animal pro eodem sæpe capiuntur, vt homo est m g. concludat animal esse m. Huc pertinent omnes argumentationes, in quibus mutatur suppositio ex materiali in formale. Item illæ, in quibus respondens dicitur ad metam solœcismi Sed hæc Sophismata sunt puerilia. Secundo contingit hæc fallacia, cum à voce vnius prædicamenti transitur ad vocem alterius prædicamenti, vel quia eodem modo terminantur, vt superficies est quantitas, ergo & macies: vel quia pro eadem re accipiuntur, vt quicquid heri emisti, comedisti, pullum crudum emisti, ergo pullum crudum comedisti. Transitur enim hic à prædicamento substantiæ, ad prædicamẽtum qualitatis. Quicquid enim in maiore substantiam significat, vnde tantum debuit subsumi substantia, pullus scilic. non autem accidens illud (crudus) vel sane in maiore non debuit poni (quicquid) sed quale emisti.

Nota autem ex D. Thoma, quod mutatio prædicamentorum, quantum ad rem significatam non faciat hanc fallaciam, sed tantum mutatio, quoad modum significandi, vnde omnia, quæ absolute significant, & per modum per se, stantis non adiacentis, vt albedo censetur prædicamenti substantiæ, & hoc modo licet argumentemur: Quicquid heri vidisti, ho

sti, hodie vides, albedinem heri vidisti, ergo hodie vides. Contra connotatiua omnia, quæ significant rem per modum adiacentis, etiamsi substantiam significent, hic ad prædicamentum accidentis referuntur, vt aureus, marmoreus. Hinc construitur Sophisma, si dicas, qualis erat hæc statua heri, est hodie, heri erat marmorea, ergo & hodie. Tertio fit hæc fallacia, cum dictio significat quale aliquid, videtur significare hoc aliquid, aut contra id est cum id quod conuenit superiori, præcise & formaliter sumpto, tribuitur etiam inferiori, aut contra, vt Socrates est alius ab homine Socrates est homo, ergo homo est alius ab homine. Huc spectant Sophismata, in quibus mutatur suppositio ex simili, in personalem, aut contra: Quanquam hæc etiam ad fallaciam accidentis pertineant, quatenus idem aliquo modo significant aliquo modo diuerso. Huc vero spectant quatenus tantum in iis spectatur quædam vocum similitudo, causa apparentiæ est, qualiscunque vocum similitudo. Causa fallaciæ est diuersitas rationis. Hæc de fallaciis in dictione.

De captionibus extra dictionem, ac primo de fallacia Accidentis.

Captiones extra dictionem sunt 7. Prima Accidentis, secunda eius, quod simpliciter dicitur, & secundum quid. Tertia ignorationis Elenchi, 4 Petitionis principii. Quinta Consequentis, 6. Non causæ vt causæ, 7. Plurium interrogationum vt vnius.

Fallacia Accidentis (quam periculosissimam esse quaque sapientes etiam interdum capi, asserit Aristoteles) est cum æque quiduis æstimatur rei, & accidenti inesse, id est, cum id quod conuenit subiecto, existimatur æque conuenire prædicato, vel econtra. Accidens enim hic late capitur, pro omni prædicato, quod aliquo distinguitur à subiecto, siue essentiale sit, siue proprium, siue accidens commune, quæ cum sint idem aliquo modo cum subiecto, neque tamen omnino idem, fallaciter quis existimat, nihil vni conuenire, quod non conueniat alteri. Tales fallaciæ sunt hæ, Animal est genus, homo est animal, ergo homo est genus. Risibile est proprium, homo est risibilis, ergo homo est proprium, in genere nulla est fallacia, quæ tam late pateat, comprehendit enim fallacias, quæ contingunt ex mutatione suppositionis, ampliationis, appellationis, item omnes syllogismos peccantes in forma: omnes denique argumentationes, procedentes à diuisis ad coniuncta, & contra, fallaciter, vt hic canis est pater, & est tuus, ergo est pater tuus. Plato est magnus Philosophus, ergo est magnus, in quibus etiam vitio mutationis mutata non sequitur. Causa fallaciæ hic est, quod non sumatur subiectum, & prædicatum, quatenus sunt idem, sed quatenus formaliter diuersa, qua ratione non est mirum, aliquid vni competere, quod alteri non competat Causa apparentiæ est, prædicati & subiecti aliqua identitas.

De fallacia dicti secundum quid & simpliciter.

Fallacia dicti secundum quid, accidit, quando progredimur à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Fallacia dicti simpliciter, contra, quando à dicto simpliciter, ad dictum secundum quid proceditur. Vtraque fieri potest, vel affirmatiue, vel negatiue. Imitatur hæc fallacia argumentationes à toto ad partem, & contra Est enim dictum simpliciter, vox communis sumpta, sine vlla determinatione. Dictum secundum quid, est vox eadem, sumpta cum aliqua determinatione, quæ si sit pure restringens, seruit loco à toto, in modo ad partem, aut contra. Si vero sit alienans, vt homo mortuus, pullus, in potentia, aut diminuens, vt albus, secundum dentes, aut si quidem sit tantum restringens, sed indebite argumentemur, id est, non secundum maximas loci à toto, in modo ad partem, aut à parte ad totum, conficitur hæc fallacia. Sic autem fiunt ex hoc loco fallaciæ à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, cadauer est homo mortuus, ergo est homo. Æthiops est albus, secundum dentes, ergo est albus: nõ licet vesci carnibus in quadragesima, ergo nõ licet vesci carnibus: A dicto simpliciter, ad dictum secundum quid: non est albus, ergo non est albus secundum dentes. Licet vesci carnibus, ergo in quadragesima. Causa apparentiæ hic est similitudo, cum loco à toto, vel parte, in modo. Causa fallaciæ diuersitas cum illis.

De

De fallacia ignorationis Elenchi.

ELenchus, vt *ſupra* dictum eſt, eſt ſyllogiſmus concludens contradictorium, vel contrarium eius, quod aſſertum vel negatum eſt. Fallitur autem quis, quando putat concludi ab aduerſario contradictorium, vel contrarium, cum tamen non concludatur. Id autem contingere poteſt, dupliciter. Primo generaliter: quotieſcunque enim peccatur, peccatur vel in materia, vel in forma, vel qualibet conditione requiſita ad inferendum oppoſitum eius, quod negatum eſt vere, non infertur oppoſitum, & qui decipitur, ob eam cauſam decipitur quod ex illis præmiſſis putet inferri oppoſitum: ſed hæc conſideratio generalis eſt, ſic enim omnes fallaciarum locos continet, & hoc modo Ariſtoteles *c.*4. omnes fallacias, ad fallaciam elenchi reducit. Secundo ſpecialius ſumitur captio Elenchi, cum deceptio oritur defectu conditionis ſpecialiter requiſitæ ad contradictionem inferendam: cõditiones huiuſmodi 4 aſſignantur, ab Ariſtotele, ſecundum idem, ad idem, ſimiliter, & eodem tempore, quibus addi poteſt, & eodem loco. Defectu primæ particulæ, non ſequitur, ſi ſimpliciter negauerit lignum eſſe alteri æquale, ſc. ſecundum longitudinem, argumentatur alter, eſſe æquale ſecundum latitudinẽ, ergo eſſe æquale, quia non fit comparatio ſecundum idem. Defectu ſecundæ conditionis non ſequitur, ſi quis dixerit, ſe minorem eſſe gigante, alter argumentetur, eam non eſſe minorem pumilione, ergo non eſſe minorem, quia non fit tam comparatio ad eandem rem. Defectu tertiæ, ſi quis dixerit, cœlum moueri, ſcil. circulariter, non bene infert, cœlum non mouetur deorſum, ergo non mouetur, quia non eodem modo affirmas, quo ille negat. Defectu quartæ, & quintæ, ſi quis negarit eſſe dormiendum, ſcilicet interdiu, aut in ſchola, non ſequitur, ſi inferas, homo ſine ſomno viuere non poteſt, ergo eſt illi dormiendum, ſcilicet nocte, aut domi, quia non fit comparatio ad idem tempus, vel locum. Cauſa apparentiæ eſt, apparens oppoſitio. Cauſa deceptionis eſt defectus conditionis, ad veram oppoſitionem.

De fallacia Petitionis Principii.

FAllacia hæc contingit, cum antecede[...] non eſt probatiuum conſequentis, qu[...] fit quoties æque ignotum, aut ignotius [...] Quinque modos Petitionis Principii aſſign[...] Ariſtoteles, 8. *Top. c.* 10. Primo, cum Synon[...]mum aſſumitur ad probandum definitum, [...] ſi quis probet, gladium reddendum inſan[...] quia enſis reddendus eſt. Secundo, ſi res vn[...]uerſalis ſumatur ad probationem particul[...]ris, vt contrariorum eandem eſſe diſciplina[...] quia omnium oppoſitorum eadem ſit diſ[...]plina. Tertio, cum particularis ad probati[...]nem vniuerſalis aſſumitur, vt, ſi quis prob[...] omnes arbores viuere, quia pomus, pyrus, &[...] viuunt. Quarto ſi concluſio probetur per pa[...]tes, medicina eſt de ſanitate, & medicina [...] de ægritudine, ergo medicina eſt de ſanita[...] & ægritudine. Quinto ſi alterum relator[...] ſumatur ad probandum alterum, vt Zach[...]rias eſt Pater S. Iohannis, ergo Iohannes [...] filius Zachariæ. Diameter eſt incommenſu[...]bilis coſtæ, ergo coſta eſt incommenſurab[...] diametro.

Nota primo, in his modis non ſemper co[...]mitti petitionem Principii, quantum eſt [...] natura rei, vt cum ex definitione definitu[...] aut ex toto partes, aut contra, probatur, c[...] definitio definito, & totum partibus, item p[...]tes aliquo modo ſint notiores toto, ſed ta[...] interdum in argumentatione ad homin[...] committi poteſt petitio principii, quando [...] conſtat, æque notum eſſe reſpondenti defi[...]tum, atque ipſam definitionem, &c. ac pro[...] de æque facile negaturum præmiſſas, at[...] concluſionem. Tunc enim reſpectu reſp[...]dentis petitur principium, cum pręmiſſæ n[...] ſunt illi notiores concluſione.

Nota ſecundo, ad hanc fallaciam req[...] aliquam diuerſitatem antecedentis & co[...]quentis. Si enim idem inferatur ex eodem [...] in ſyllogiſmo fatuo, non poteſt quis decipi[...]

De fallacia conſequentis.

FAllacia conſequentis oritur ex eo, q[...] putetur reciproca eſſe cõſecutio, vt qu[...]admodum ex antecedente conſequens, it[...] conſequente Antecedens, & quemadmod[...] ex op[...]

ex opposito consequentis, oppositum antecedentis sequitur, ita etiam ex opposito antecedentis, oppositum consequentis sequi putatur. Exempla prioris sunt, si mel est, est flauũ, ergo si flauum est, mel est, non valet illatio, cum fel sit flauum, non tamen sit mel. Item si paulo ante pluit, terra madefacta est, ergo si terra madefacta est, paulo ante pluit. Exemplum posterioris est illud Melissi, quo conatur probare, mundum esse infinitum, quod non habet principium, non est genitum, ergo quod non est genitum, non habet principiũ, mundus non est genitus, ergo non habet principium. Item quod non est calidum, non laborat febre, ergo si quid non laborat febre, non est calidum. Huc pertinent hæc, & similia Sophismata. Qui dicit te esse animal, dicit verum, sed qui dicit te esse asinum, dicit te esse animal, ergo qui dicit, te esse asinum, dicit verum. Est enim sensus, si tu es asinus, es animal, sed tu es animal, ergo es asinus.

Petes, quo modo differt captio consequentis à captione accidentis.

Resp. ex Aristotele *c.4.* quod hæc captio sit quodammodo pars Accidentis, captionemq; accidentis latius patere, distingui tamen etiam aliquo modo, quod illa accidentis fallacia vnam tantum habeat consequentiam, vt cum dico, Asinus est animal, tu es animal, ergo tu es asinus. Hæc vero consistat in duabus consequentiis, & hoc est, quod ibi dicit Aristoteles, quod fallacia accidentis sit in vno, consequentis in pluribus. Ita etiam D. Thomas, qui omnes captiones consequentis vult esse in hypotheticis, easdemque fieri captiones Accidentis, si hypothetice mutantur in categoricas.

De fallacia secundum non causam, vt causam.

Fallacia non causæ, vt causæ, est cum falsa conclusio tribuitur alicui propositioni, tanquam causa falsitatis illius, quæ tamen non sit illius causa, vt ex eo, quod respondens negarit aliquod animal non sentire, conclusum fuerit, omne animal sentire, quam propositionem sic deinde conetur argumenti euertere, omne animal videt, homo cæcus est animal, ergo homo cæcus videt. Conclusio est falsa, ergo & hypothesis posita, sc. omne animal sentit, quæ propositio vere non est causa falsitatis istius conclusionis, sed à Sophista sumitur, tanquam à causa illius.

Nota ex Aristotele, hanc fallaciam contingere duntaxat in propositionibus ducentibus ad impossibile, quemadmodum & secundus defectus syllogismorum, non ob hoc effici falsum, quia ab hoc fallacia non differt, si hypothesis conueniat in termino aliquo, cum syllogismo, ducente ad impossibile, quod hic requiritur, vt sit aliqua apparentia, ratione cuius fallat, huc reuocari fere potest omnis Sorites captiosus, vt si nullum tempus esset, nox non esset, si nox non esset, dies esset, si dies esset, aliquod tempus esset, igitur (à primo ad vltimum) si nullum tempus esset, aliquod tempus esset.

De fallacia plurium interrogationum vt vnius.

VLtima fallacia contingit eo, quod ad interrogationem, quæ pluribus eget respõsionibus, vna detur responsio.

Tribus modis contingit, primo, cum vnum de pluribus quæritur, vt, est ne homo, & asinus rationalis, si respondeatur affirmatiue, ergo asinus est rationalis, si negatiue, ergo homo non est rationalis.

Secundo, cum plura quæruntur de vno, vt estne Socrates homo & monoculus: Si affirmatiue responderis, ergo Socrates est monoculus, si negatiue, ergo Socrates nõ est homo.

Tertio cum plura de pluribus quæruntur, vt estne homo & asinus, rationalis, & irrationalis, si dixerit esse, ergo homo est irrationalis, & Asinus, rationalis, si non esse, ergo homo non est rationalis, nec asinus, irrationalis. Facilis huius captionis est solutio, si non simus in respondendo præcipites, sed adhibita distinctione ad plures interrogationes, totidem responsiones accommodemus.

Libri Elenchorum Finis.

TRACTATVS DE AFFECTIONIBVS VOCVM.

CAPVT I.

De affectionibus vocum in genere.

QVoniam ad Sophismata dissoluenda plurimum conducit nosse varias terminorum affectiones, commode post elenchos de his agemus. Sunt enim vocum affectiones, varii modi significandi terminorum, ratione diuersarum vocum, quibus coniunguntur. Vocum vero affectiones sex præcipue assignari solent, Suppositio, seu Acceptio, Status, Ampliatio, Distractio, Restrictio & Appellatio.

Suppositio est vsurpatio vocis, pro se ipsa, vel pro re quam significat. Cum enim, vt ait Aristoteles, res ipsas in disputationem adducere non possimus, voces earum loco supponimus, dicunturque illæ pro rebus supponi. Ex hac suppositionis definitione, colligitur prima suppositionis diuisio in materialem, sc. & formalem. In materiali enim vox pro se ipsa supponit, seu pro literis ipsis, & syllabis. In formali, pro re aliqua, per vocem significata.

Notandum enim in voce esse duo, literas ipsas ac syllabas, earumque combinationem, ac sonum, præcisa omni significatione, & hæc vocatur materialis, deinde est ipsa vocis significatio, qua rem talem, vel talem significat, ex institutione hominum, & hæc vocatur forma vocis. Quod autem dicitur de voce sonora, idem accommodari potest ad scripta.

CAPVT II.

De Acceptione Materiali.

ACceptio materialis, seu technica est, q vox accipitur pure, pro sua materia, nu habita ratione formæ, seu significationis, Deus est vox 4. literarum, Deus est subiectu

Regulæ, quibus acceptio materialis dign sci potest, Prima, Omnis vox, vel oratio, addi potest hæc vox, vel hæc dictio, vel h oratio, vel particulæ li, to &c accipitur ma rialiter, vt in hac enunciatione, homo est t tiæ declinationis, homo accipitur materi ter, quia ei addi potest, hæc vox, homo, to homo.

Secunda regula, omnis vox non signific ua, in oratione posita accipitur materiali nisi forte aliqua alia particula adiecta, vel adiici potest, aliud significet: vt si additu gnum vniuersale, particulare, vel hic, iste, i &c. quibus enim huiusmodi particulæ a ciuntur, nunquam accipiuntur materiali vt paulo post dicetur.

Axioma.

SVb voce accepta materialiter, non l descendere ad aliquod inferius, nec a mētari ad superius: Ratio, quia vox talis si ficat se ipsam singularem, sub singulari au nihil est, quod subsumatur. Hinc fit, vt quenter contingat fallacia accidentis, q sub voce materialiter accepta sumuntur eius significata.

CAP

CAPVT III.

De suppositione formali, eiusq; diuisionibus.

FOrmalis acceptio est, cum vox in oratione pro ea re sumitur, ad quam significandam instituitur. Hinc patet, omnem vocem, quæ accipitur formaliter, debere esse alicuius rei significatiuam, pro eaque supponi.

Acceptio formalis primò diuiditur in propriam, & impropriam. Propria est, cum non sumitur pro re quam proprie significat.

Impropria est, cum non sumitur pro re, quã improprie, seu metaphorice significat.

Diuiditur item formalis acceptio in communem, & singularem sui discretam.

Communis est acceptio nominis communis, pro suo significato, vel significatis, vt omnis homo est animal.

Singularis est acceptio vocis, pro vna re singulari tantum, hoc modo accipitur omnis vox singularis, Petrus, Paulus, &c. modo non accipiatur materialiter, & vox cõmunis signo demonstratiuo determinata, vt hic homo.

Communis suppositio subdiuiditur in simplicem, personalem, & absolutam.

CAPVT IV.

De acceptione simplici.

SImplex acceptio est, qua vox accipitur pro immediato significato præcise, pro vt abstrahit ab omnibus inferioribus, vt homo est species, animal est genus, significatum immediatum seu formale est id, ad quod significandum vox prima sua institutione est imposita, vt homo formaliter, & immediate significat humanam naturam, præcise.

Regulæ ad dignoscendam hanc acceptionem. Prima, Nulla vox notata aliquo signo, accipitur simpliciter. Ratio, quia signum additur ad ostendẽdum ea, quæ sub voce aliqua continentur, vox autem accepta simpliciter, abstergit ab inferioribus.

Secunda, vox communis, cui attribuitur proprietas aliqua, quæ non potest cõuenire inferioribus, vt esse vniuersale, genus, species, &c. accipitur simpliciter.

Tertia, vox communis, sub qua non licet descendere, accipitur simpliciter. Hinc natum axioma. Sub voce accepta simpliciter, non licet descendere.

CAPVT V.

De acceptione personali.

ACceptio personalis est vsus vocis alicuius, pro significatis mediatis, seu pro inferioribus significati immediati, & primi, vt omnis homo est risibilis.

Dicitur personalis, quod inter res singulares pro quibus vox accipitur, nobilissimæ sint personæ, vti homines, Angeli. A nobiliori autem sæpe sumitur denominatio.

Regulæ pro hac acceptione.

Prima, omne nomen notatũ aliquo signo, accipitur personaliter. Patet ex prima regula *ca. præcedentis.*

Secunda. Omne nomen pluralis numeri accipitur personaliter: Intellige nisi capiatur materialiter.

Tertia. Quando prædicatum non conuenit voci secundum significatum primarium, sed secundarium accipitur personaliter.

Axioma.

Sub omni nomine accepto personaliter descendere non licet.

CAPVT VI.

De Acceptione absoluta.

ACceptio absoluta est, qua vox communis indifferenter accipitur pro significatis mediatis, & immediatis, sic vt prædicatum vtrique possit conuenire, vt homo est animal, homo est risibilis.

Prædicata enim harum propositionum non solum naturæ humanæ in se spectatæ, sed & Petro, & cæteris indiuiduis conueniunt.

Dicitur absoluta, quia cũ aliæ acceptiones astringuntur ad significandum, vel ipsum vocis primarium significatum vel secundarium,

Hæc tanquam absoluta, & libera, vtrumque significant.

Regulæ.

Prima. Nulla vox accepta simpliciter, accipitur absolute: patet ex dictis.

Secunda. Omne nomen non notatũ aliquo signo, sub quo licet descendere, accipitur absolute, nisi prædicatum sit tale, quod mediatis tantum significatis conueniat.

Axioma.

SVb voce accepta absolute, licet etiam descendere: Patet, quia accipitur etiam pro significatis mediatis.

Nota primo, significatum primarium, immediatum proximum formale idem significare in præsenti materia. Item significatum secundarium, mediatum, remotum, materiale pro eodem accipi.

Nota secundo Ex dictis colligi, acceptionem simplicem & personalem esse oppositas: absolutam vero, quasi in medio positam, cum vtraque habere affinitatem: quatenus enim pro significato immediato capitur, cum simplici conuenit, quatenus non excludit significata mediata, conuenit cum personali. Aduerte tamen multo maiorem habere affinitatem cum personali, quam cum simplici, imo nonnullos absolutam, cum personali confundere, vnde & ab absoluta ad personalem, & contra transire licet.

De descensu & ascensu.

VT facilius ea, quæ dicta sunt, & ea quę postea dicentur, de acceptione personali intelligi possint, aliqua de descensu seu propositionum resolutione & ascensu dicenda.

Descensus est progressio ab vniuersali, ad inferiora, sub eodem contenta.

Ascensus est progressio à singularibus sufficienter enumeratis, ad vniuersale.

Descensus, sicut & ascensus, est quadruplex. Copulatiuus, copulatus, disiunctiuus, & disiunctus copulatiuus est, qui fit per cõiunctionem. Et aut similem copulitiue acceptam, id est, copulantem & coniungentem ipsas propositiones non terminos propositionis, vt omnis homo est bipes, sub hac sic fit copulatiuus descensus. Petrus est bipes, & Iohannes est bipes Item nullus Angelus est corpus, ita sub hac descenditur, nec Gabriel est corpus, nec Raphael est corpus. Similiter sub huius propositionis prædicamento potest fieri descensus copulatiuus, cum distribuatur.

Copulatiuus est, qui fit per eandem particulam ET copulatim sumptam, id est, copulantem partes vnius extremi, non autem ipsas propositiones, vt sub hac propositione, omnia elementa sunt 4. sic descenditur, ignis & aer, & aqua, & terra, sunt quatuor, nõ autem ignis est quatuor. Disiunctiuus fit, per coniunctionem disiunctiuam VEL, aut, similem disiunctiuo coniungentem, id est, iungentem propositiones, vt sub hac, aliquod corpus sentit, sic descenditur, vel lapis sentit, vel lignum sentit, vel bos sentit, & sic de cęteris disiunctiue enumerandis.

Disiunctiuus est, qui fit per eandem particulam VEL disiunctiue acceptam, id est iungentem partes vnius extremi, vt sub hac: alter oculorum est necessarius ad videndum, sic descenditur vel dexter, vel sinister oculus est necessarius ad videndum.

Nota primo, Descensum copulatiuum & disiunctiuum hac differre à copulato & disiuncto, quod in his fiat enumeratio singularium, per vnicam propositionem categoricã, cuius alterum extremum constat omnibus singularibus, in descensu quidem copulato copulatim sumptis, in disiuncto disiunctim, in illis autem fiat descensus per hypotheticam propositionem ex multis categoriis conflatã.

Nota secundo, quod veritas in descensu copulatiuo æstimatur ex singulis partibus, quæ copulatiue enumerantur, in disiunctiuo ex vnica determinata parte: in copulato non ex singulis, sed ex omnibus simul collectiue sumptis partibus: in disiuncto autem non ex vna parte sola determinata, sed ex omnibus cõfuse, vel ex vna parte sola determinata, seu ex omnibus confuse vel ex vna determinata. Ex hac descensus diuisione orta est diuisio acceptionis personalis in distributiuam copulatam, determinatam, & confusam.

CAPVT

CAPVT VIII.

De acceptione personali distributiua.

ACceptio distributiua, vel vniuersalis est, quæ pro omnibus inferioribus copulatiue sumptis supponitur, ideoque descensu co-latiuo explicatur, vt omnis canis latrat. anis hic pro omnibus canibus distributiue :cipitur, & sic descenditur, hic canis latrat, ille canis latrat, & sic de cæteris copulatiue iumerandis. Dicitur distributiua acceptio, iod vox quæ hoc modo accipitur, dicatur stribui.

REGVLÆ.

1. Nomen commune, quod immediate icitur signo vniuersali affirmatiue, accipi- : distributiue. Intellige, nisi quod impediat; i præponatur negatio, non omnis canis la- t. Item si dicas, omnes Apostoli sunt duo- :im numerus cardinalis, quod est attribu- um, impedit distributionem, vt supra.

2. Omne nomen, quod immediate, vel diate afficitur signo vniuersali negatiue, ; negatione negante distribuitur. Si tamen : istiusmodi signo, aut negatione non dis- ouebatur. Sic in hac: Nullus Angelus est pus, vterque terminus distribuitur. Dixi negatione negante, quia negatio infini- s non attingit, nisi vocem illam cum qua cit vnum terminum, vt non corpus non no. Hinc ex illis fiunt positiones affirma- e, vt omne non corpus est spiritus, nega- autem negans attingit ipsam copulam, &, cquid post se inuenit. Dixi si tamen sine ismodi signo, aut negatione, non distri- batur, quia negatio negans sola nomine distributo distribuit, quæ vero inuenit tributa non modo non distribuit, sed et- reddit non distributa.

.. Casus obliquus, quem attingit virtus aius gradus comparatiui, aut superlatiui, dictionis significantis diuersitatem, acci- t distributiue: vt leo est fortissimus bestia- , leo est fortior homine, leo differt ab ho- e. Adde tamen nisi vox aliqua alium esse ientis sensum indicet, vt si dico Rhinoce- st fortior aliquibus Elephantis. Item nisi paratio, vel diuersitas cadat in obliquum nominis, à quo incipit comparatio, vt: homo est fortior homine, homo est alius ab homine, vel sane cadat in vocem singularem. Adde his genitiuum petitionis qui etiam distributiue accipitur.

4. Omnis vox super quam cadit dictio acceptiua distribuitur, vt omne animal præter hominem est rationis expers.

5. Omnis dictio exclusiua præposita subiecto distribuit predicatum, vt homo tantum loquitur, quæ conuertitur in hac, omne loquens est homo, nullus autem terminus distribuitur in consequēte formalis cōsequentiæ, qui non fuerat distributus in Antecedente. Dixi præposita subiecto, quia si copulam aut prædicatum immediate afficiat, non distribuit prædicatum, vt coluber tantum repit.

CAPVT IX.

Acceptiones & Diuisiones distributiuæ.

ALia est distributiua pro generibus singulorum, alia est distributiua pro singulis generum. Distributiua pro generibus singulorum est, quæ explicatur descensu copulatiuo, enumerante omnes species, pro quibus nomen supponitur, vt omne animal fuit in arca Noe, id est, omnes species, licet omnino omnia omnium specierum indiuidua.

Distributiua pro singulis generum est quæ explicatur descensu copulatiuo, enumerante omnia indiuidua pro quibus vox accipitur vt subiectum huius omne animal sentit.

Nota in hac diuisione singula significare indiuidua specierum genus significare species ipsis indiuiduis communes.

Secunda diuisio acceptio distributiua alia est distributiua simpliciter alia accommoda seu cum exceptione alia pro duobus tantum.

Distributiua simpliciter est quæ descensu copulatiuo explicatur enumerante omnia prorsus indiuidua vt omnis homo est animal.

Distributiua accommoda est in qua aliqua ex singularibus distributiue enumerandis excipiuntur, vt regit omnia cœlum, Deus creauit omnia.

Distributiua pro duobus tamen est qua vox communis sumitur pro duobus tantum singularibus quod fit vi signorum, vt vterque neuter.

CAPVT X.

De copulata determinata & confusa acceptione.

SVppositio copulata est, qua vox capitur pro mediatis suis significatis simul, & collectiue sumptis, quare exponitur descensu copulato, vt omnes sensus hominis exteriores sunt quinque.

REGVLÆ.

1. Solæ voces pluralis numeri accipiuntur copulate.
2. Quando prædicatum est numerus cardinalis, subiectum semper accipitur copulate, vix vnquam alias.

Suppositio determinata est, qua vox communis supponitur, pro aliquo, vel aliquibus suis, determinate & seorsim sumptis, & ideo exponitur descensu distincto, vt subiectum hic, altera auris ad audiendum est necessaria, & hoc fere contingit, quoties subiecto additur hoc signum alter, aut etiam, interdum, aliquis, vt si dicas, aliquis vir doctus in negotio intricato consulendus, interdum etiam si nullum addatur signum, vt calamus est necessarius ad scribendum. Item confuse accipitur prædicatum, omnis affirmatiuæ propositionis vniuersalis, vt omnis multitudo facit numerum parem, scilicet vel imparem, non parem determinate, nec imparem determinate. Prædicatum autem particularis propositionis affirmatiuę determinate accipitur. Differt confusa à determinata, acceptione, quod in confusa nullum singulare sit, cui illud determinate conueniat, sed vnicuique sub distinctione, at in suppositione determinata vnum est singulare, determinatum, cui conueniat sub distinctione, quod tamen non explicatur.

CAPVT XI.

De Signis.

HActenus de vocum acceptionibus, nunc quoniam acceptionum varietatem fere vocum hauriunt de signis, pauca etiam compendiose de singulis dicenda, vbi Nota voces, quæ ex se aliquid significant, vocari solere Categorematicas: Signa vero vocari Syncategorematica, quod quasi consignificent. quia per se sumpta, nihil significant, sed adiuncta aliis illorum significationem modificant.

Prima Diuisio.

SIgnorum alia sunt nomina, vt omnis, nullus, &c. sub quib. etiam comprehenduntu pronomina, alia aduerbia, vt nunquam, ali quando.

Secunda.

Alia sunt pure Syncategorematica, vt o mnis, nullus, alia mixta, quæ aliquid scil. signif cant, & simul etiam consignificant, vt nem semper, aliquando, vbique nunquam, qu his æquiualent, nullus homo, omni temp re &c.

Tertia.

Alia sunt affirmatiua, alia negatiua.

Quarta.

Alia sunt vniuersalia, vt omnis, vbi, al particularia, vt aliquis, aliquando, alia su mixtæ qualitatis, vt alter, miscetur enim vniuersali & particulari, quare sic exponi bet hæc propositio, altera manu frigeo, d rum manuum, vel hac vel illa frigeo. Sic mnis, quando iungitur voci acceptæ pro neribus singulorum, est mixtæ quantita vt omne animal fuit in arca Noe.

Sic enim exponitur, cuiusque speciei a malis aliquod indiuiduum fuit in arca No

Nota primo, has propositiones mixtas cari incomplete vniuersales, & magis pa culares, & singulares, quam vniuersales.

Nota secundo. Numeralia bis, ter, d tria, &c. esse signa vniuersalia, & voces, bus adduntur, distribuere, nisi cum sint p dicatum & vocem faciunt accipi copula Interdum etiam sunt voces mixtæ, quant tis, vt si dicas de omnibus Logicis sex ex scribunt, sic esset exponenda, ex omnibus gicis vel hi sex scribunt, vel illi sex scribun

Nota tertio, quædam alia habere vi gnorum vniuersalium, vt de copulatiue perlatiuo partitiuo nomine respectu suo obliquorum, diximus, deinde nomina di sitatem significantia vim signorum habe niuersalium, item quædam præpositione ue præter &c. vt cum dicitur Acciden diuina vi potest esse absque subiecto omni scil.

CAPT

CAPVT XII.

De potestate signorum Regulæ.

1. SIGNA vniuersalia negatiua omnes sibi postpositos terminos distribuunt, nisi aliunde impediantur.

2. Signa vniuersalia affirmatiua distribuunt subiectum, confundunt prædicatum: interdum tantum efficiunt subiectum fieri copulatim, vt de tribus dicas, omnes ferunt istud pondus.

3. Vox communis subiectum constituens propositionis siue signo, vel cum signo particulari accipitur determinate.

4. Signa ista vniuersalia tam affirmatiua, quam negatiua distribuunt categorema sibi inclusum, vt semper, id est, omni tempore particularia illud determinant, quando nimirum terminus sequens significat aliquid determinate fieri, vel faciendum esse, vt cum dicimus homo aliquando canescit : alias confundunt suum categorema, vt homo debet aliquando comedere, homo semper est alicubi.

5. Eadem signa mixtæ variam vim habent in alios terminos propositionis, vniuersalia negatiua distribuunt omnes sequentes, vt homo est lapis: affirmatiua confundunt vt semper homo semper ridet, id est, omni tempore aliquis est in confuso, qui sit ridens, in confuso. Particularia nihil mutant, sed perinde se habent, ac si non adessent.

6. Signa incomplete vniuersalia incomplete etiam distribuunt terminos sibi proximos, & remotos confundunt. Patet ex explicatione huius propositionis, omne animal fuit in arca Noe.

Negatio negans, quicquid posse inuenit non distributum, distribuit, distributum, non distribuit, affirmatum negat, negatum affirmat, signa particularia reddit vniuersalia, & contra affirmatiua mutat in negatiua, & contra vnde natura malignantis merito appellatur. Huic patet negationes pares affirmare, impares negare.

CAPVT XIII.

Quædam generales præceptiones circa vocum acceptiones.

INter argumentandum non licet mutare genus acceptionis, sic in syllogismo essent 4. termini. Dixi genus acceptionis, quia speciem subinde licet mutare, vt patet in conuersionibus, in quibus eadem vox modo distribuitur, modo accipitur confuse, modo determinate Vnde nota per genus acceptionis hic non intelligi genus quoduis, sed altissima genera, quæ nullum habent inter se prædicatorum communicationem, talia sunt materialis & formalis acceptio, item simplex & personalis, à quibus vicissim transire non licet; ab absoluta autem ad personalem licet, quia omnia prædicata vocis absolute acceptæ conueniunt etiam personaliter acceptæ.

2. Non licet argumentari à voce accepta copulatim, ad inferiora aliqua illius sigillatim sumpta, vt non sequitur: omnes tres ferunt hoc pondus, ergo. Petrus habens omnem pecuniam est diues, ergo habens denarium est diues. Sic nec ab omnibus inferioribus sigillatim sumptis, ad vocem copulatim sumptam licet progredi.

3. Nota licet argumentari à voce confuse accepta ad eandem acceptam determinate, te, respectu eiusdem vniuersaliter acceptæ; vt omnis homo est animal, ergo animal est omnis homo.

4. Non licet argumentari à voce singulariter accepta, ad eandem communiter, nec à voce disiunctim, vel determinate, ad eandem distributiue, quia procederetur à non distributo distributum.

CAPVT XIV.

De Statu.

STatus est quædam vocum affectio, illis conueniens ratione verbi coniuncti, seu copulæ principalis, cum scilicet vox ponitur pro re existente eo tempore, quod significatur per verbum, vel copulam, vt si dicas, homo lætus, homo sumitur pro illo, qui actu existit, quemadmodum & eius copula est præsentis temporis, per principalem autem copulam intellige eam, quæ nectit prædicatum & subiectum, non partes alterius extremi, verbum autem, vel copula, quæ partes extremi coniungit, & vocari solet minus principalis copula, non variat statum, vt homo, qui antea stetit, sedet. Est autem triplex status, iuxta triplicem temporis differentiam, præsen-

præſentis ſcilicet temporis, præteriti & futuri. Status præſentis temporis eſt, cum copula ſignificat tempus præſens, & vox ratione copulæ ſumitur pro ſuis ſignificatis præſenti tempore exiſtentibus, vt homo ſcribit. Cum autem copula eſt præteriti temporis, & vox ſumitur pro præteritis, dicitur ſtatus præteriti temporis, vt homo eſt mortuus, futuri vero, cum copula eſt futuri, & vox ſumitur pro futuris, vt Antichriſtus naſcetur.

Nota vero, non omnem copulam dare ſubiecto ſuo aliquem ſtatum, quando autem det, ex prædicato fere cognoſci. Si enim prædicatum tale eſt, vt homo non poſſit ſubiecto conuenire, niſi illud reipſa à parte rei exiſtat, & copula ſit præſentis temporis, tum ſubiectum habet ſtatum præſentis temporis, vt homo ambulat, currit, eſt albus. Sin autem prædicatum tale eſt, vt poſſit tribui ſubiecto, ſiue exiſtat, ſiue non exiſtat, tunc ſubiectum non habet ſtatum copulæ præſentis temporis, ſed ampliatur, vt ſequenti capite. Generaliter porro hæc regula tradi poteſt, vox quæ nec ampliatur, nec reſtringitur, nec diſtrahitur, habet ſtatum temporis ſuæ copulæ principalis. Hæc de ſtatu.

CAPVT XV.

De Ampliatione.

AMpliatio eſt, cum vox aliqua non ſeruat ſtatum copulæ, ſed extenditur ad plura ſignificanda, ſeu rem exiſtentem alio tempore, quam poſtulet differentiam temporis copulæ principalis, vt Petrus ambulauit, id eſt, Petrus qui eſt, vel fuit.

1. Ampliatio eſt quadruplex: Cum vox ampliatur ad præſentia, & præterita, vt in exemplo.

2. Cum ad præſentia & futura, vt Petrus ambulabit, viuens morietur.

3. Ad præſentia, præterita & futura, vt bonus muſicus bene canit, id eſt, qui eſt, vel fuit, vel erit bonus muſicus.

4. Ad præſentia, præterita, futura & poſſibile, vt homo eſt animal, homo eſt mortalis, id eſt, homo qui eſt, vel fuit, vel erit, vel eſſe poterit.

Aliqui addunt quintum Ampliationis genus, ad tempus imaginabile, ſed videtur illa eſſe imaginaria, cum omnia quæ imaginamur, ſeu fictitia ſint, ſeu vera imaginemur, i[n] aliqua temporis differentia. Cum enim co[n]ſtet nomina rerum verarum ex ſui inſtitutio[ne], tam commode res veras ſignificare, pe[r]ſpicuum eſt, non debere attendi ad ſignifica[n]das res imaginarias.

Similiter rerum fictitiarum nomina, cu[m] tantummodo res fictitias ſignificent, no[n] poſſunt ſupponi pro veris, aut pro vera ex[i]ſtentia: Sed tantum pro imaginaria, in aliq[ua] differentia temporis imaginarii, vnde neq[ue] recte diceretur, homo, qui eſt, vel fuit, vel eri[t] vel eſſe poteſt, vel qui tantum eſt in mea ima[gi]natione, quia nullus eſt talis, nec vox hom[o] talem ſignificat, neque eodem modo recte d[i]ceretur, chymera, quæ vera eſt, vel fuit, vel [e]rit, ſed quia imaginor eſſe, vel fuiſſe, vel fo[re]. Quocirca tantum ſunt 4. ampliationes, ſ[i] nomina rerum verarum ampliantur per ve[r]bum Eſt, abſolute Nomina reru[m] fictitiaru[m] explicantur per verbum imaginor eſſe.

Regulæ ad dignoſcendum ampliationem.

1. Verbum adiectiuum præteriti temp[o]ris ampliat ſubiectum ad præſens, & præte[ri]tum, adiunctum vero ſuum reſtringit ad te[m]pus præteritum ſolum. Vt Petrus, qui eſt, ſci[li]cet vel fuit, audiuit lectionem, ſcilicet præt[e]ritam. Eadem eſt ratio verbi fuit, de tertio a[d]iacente, vt ſenex fuit puer, id eſt, ſenex qui e[ſt] vel fuit.

2. Verbum adiectiuum futuri tempor[is] vel ſubſtantiuum de tertio adiacente ampli[at] ſubiectum ad præſens & futurum. Adiu[n]ctum vero adſtringit ad futurum ſolum, [vt] Petrus qui eſt ſcilicet vel erit, audiet lecti[o]nem, ſcilicet futuram.

3. Omne verbum, quod ſignificat ve[r]bum incipere eſſe, aut actionem, qua fiat, a[m]pliat ſubiectum ad præſens & futurum, [vt] domus ſcilicet quæ eſt, vel erit, ædificat[ur] pluuia incipit, ſcilicet quæ eſt, vel erit cont[ra] vox quæ ſignificat deſinere eſſe, vel deſtrui, [ef]ficit, vt ſubiectum amplietur ad præſens [&] præteritum, vt homo, qui ſcilicet eſt, vel pa[u]lo ante fuit, moritur, ſic domus comburit[ur] quæ eſt ſcil. vel fuit.

4. Cum ſignificatur res vna eſſe prior [al]tera, quod poſterius eſt, ampliatur ad præſe[ns] & fu[turum]

& futurum, vt Lutherus est prior Antichristo qui est vel erit: si significetur res fuisse prius altera, posterius ampliatur ad præsens, præteritum & futurum, vt Lutherus fuit prior Antichristo, scil. qui est, vel fuit, vel erit, scil. significatur vnum fore alio posterius, non ampliatur, sed habet statum per copulam significatum, sicut etiam ea, quæ his tribus casibus dicuntur priora. Si vero significetur aliquid altero esse posterius, prius ampliatur ad præsens, & præteritum, vt Antichristus est posterior Luthero, qui est scil. vel fuit. Si significetur aliquid altero fore posterius, prius ampliatur ad præsens, præteritum & futurum, vt Antichristus erit posterior Luthero, scil. qui est, fuit, vel erit. Sin aliquid dicatur posterius altero, prius habet statum temporis, quem fert copula, sicut etiam ea quæ his tribus casibus dicuntur posteriora.

5. Termini propositionũ necessariarum, impossibilium, item quibus adiunguntur particulæ Necessario possibile, impossibile, aut verbum potest, accipiuntur amplissime, nisi quid obstet, vt omnis homo est animal, omnis homo est lapis, in quibus vterque terminus ampliatur ad præsens, præteritum, futurum & possibile. Similiter in his homo est necessario animal, possibile est, hominem esse album, impossibile est hominem esse lapidem &c. Dixi nisi quid obstet, quia ampliatio sæpe per restrictionem impeditur, vt omne animal, quod existit, est corpus.

6. Subiecta propositionum negantium etiam sumuntur amplissime, vt nullus homo ambulat, item aliquis homo non ambulat, quæ esset vera, etiamsi omnes existentes ambularent, dum Antichristus, qui non est, non ambulet.

7. Subiecta propositionum per verbum est, vel æquiualens de secundo adiacente, sumuntur amplissime, ideo hæ negantur, omnis homo est, existit, omnis homo est, fuit, erit, &c. quæ falsæ sunt, quia tribuitur existentia omnibus hominibus, scilicet qui fuerunt, sunt, erunt, vel possibiles sunt.

8. Optima & certissima regula est, (vti & de statu diximus,) considerare attente, quomodo prædicatum conueniat subiecto. Plurima enim sunt vocabula, quarum ampliatio ex his regulis colligi non potest.

Nota vero terminum ample sumptum, se habere ad non ample sumptum, sicut se habet superior ad inferiora, sic videlicet vt complectatur non ampliatum, & aliquid amplius: vt igitur licet argumentari à superiori distributo ad inferius, ita etiam à termino ample sumpto, ad non ample sumptum, idque tam affirmatiue, quam negatiue, vt omnis homo est animal, ergo omnis homo, qui existit, est animal. Item sicut sequitur, ab inferiori ad superius non distributum, sic à non amplo ad amplum, non distributum, vt homo qui existit, est animal, ergo aliquis homo est animal.

CAPVT XVI.

De Distractione.

Distractio est, qua vox pro alia temporis differentia sumitur, quam principalis copula importet, vt sessurus loquitur, qui locutus est, tacet: sic dicitur, cæcus videt, mutus loquitur &c.

Variis modis contingere potest hæc distractio, potest enim vox capi pro præsentibus tantum, & copula esse præteriti temporis, & futuri, vel vox pro præteritis tantum, & copula esse præsentis, aut futuri, vel denique vox capi pro futuris tantum, copula autem esse præsentis, aut præteriti.

CAPVT XVII.

De Restrictione.

Sequuntur affectiones, quæ vocibus conueniunt ratione alterius vocis adiunctæ, quemadmodum superiores conueniebant ratione verbi.

Restrictio est, qua suppositio, vel status, vel ampliatio, vel distractio ad pauciora significanda, contrahitur adiectione alicuius particulæ, quam vox per se sumpta significaret, vt homo albus, homo existens, coinciditq; fere cum parte in modo. Restrictio est quadruplex, vt patet ex definitione, suppositione, scilicet status ampliationis & distributionis, quod item fieri potest quatuor modis, primo additione adiectiui, vt homo albus. Secundo additione substantiui, idque vel in recto, vel in obliquo, vt vrbis Romæ, domus Salomonis. Tertio additione aduerbii, vt loqui diserte. Quarto interpositione alicuius orationis, vt Rex qui Hispanis imperat, est potens. Restrictioni affinis est alienatio, & diminu-

nio, cum scil. vox addita alienat alterius significationem, vt homo mortuus, leo marmoreus, vel particula aliqua diminuens significationem alterius diminuit, vt doctus in Grammatica.

CAPVT XVIII.

De Appellatione.

APpellatio est, cum vox vna aliam afficit ac denominat, illique tribuit suam significationem vt Iohannes est bonus citharœdus. Bonus hic non denominat Iohannem, sed citharœdum, neque enim sensus est illius propositionis, Iohannem esse bonum, sed esse bonum in illa arte. Dictio denominans, id est, quæ alterum denominat, illique suam significationem tribuit, dicitur appellans, denominata vocatur appellata.

Nota inter vocem appellantem, & appellatam duplex discrimen, primum, quod appellata semper sit substantiua, aut velut substantiua. Appellans autem adiectiua vel velut adiectiua, & habeat se per modum rei alteri aduenientis. Exemplum appellantis velut adiectiuæ, & appellatæ, velut substantiuæ est hoc, sanctus Thomas fuit egregie versatus in Theologia. Idem enim est, ac si dicas, S. Thomas fuit egregius Theologus. Secundum discrimen est, quod dictio appellans, semper accipienda sit secundum significatum formale, appellata vero nunc pro formali, vt Iohannes est bonus Philosophus, nunc pro materiali, vt Iohannes Philosophus est bonus. Hinc duplex nascitur appellatio, vna in qua vox appellans appellat appellatam, secundum significatum formale, alterum, in qua secundum significatum materiale Est autem matetiale significatum subiectum in forma, quæ primario per vocem significatur.

Nota dictionem appellatam aliquando esse vnam simplicem dictionem, quæ constet significato materiali, & formali, vt album currit, album disgregat visum, in priore album sumitur pro significato materiali subiecto, scilicet in secunda vero pro significato formali, scilicet pro ipsa forma albedinis, similiter homo ambulat, homo hic accipitur pro significato materiali. Inferiora enim hominis sunt quasi illius materialia significata. At hic homo est species, homo appellatur secundum formale significatum. Homo enim in communi est quasi formale significatum huius vocis. Quanquam hoc præcipue habeat locu in connotatiuis. aliquando dictio appella conflatur ex duabus dictionibus, quaru vnum materiale significatum indicet, alt rum formale significatum. Dum ergo dicit Plato est diuinus Philosophus, diuinus nc appellat materiale significatum, scilicet Pl tonem, sed formale scilicet Philosophur quod contingit, quoties nomen adiectiuu cum altero coniungitur, ex parte eiusdem e tremi. Sin autem dicatur, Plato Philosoph est diuinus, appellat materiale, quod ve semper habet locum, cum vox appellans so efficit prædicatum. Porro vna regula certis ma ad dignoscendum, quando material quando formale significatum appellatur, diligens animaduersio & iudicium.

Nota, vt diximus in Elenchis, inter argi mentandum non licere mutare appellati nem. Vt non sequitur, Petrus est magnus est Philosophus, ergo est magnus Philos phus.

CAPVT XIX.

De particulis Reduplicatiuis.

QVIA in Philosophia frequens par cularum reduplicatiuarum est vsus, subtilem quandam habet distinctionem, iis breuiter post tractatum de vocum aff ctionibus, nobis est dicendum. Particulæ R duplicatiuæ esse dicuntur, quæ aptæ sunt geminandum aliquod, & reduplicatum; qu les sunt hæ. Quatenus, qua, vt, in quantum similes non quod actu semper geminent, quod possint conuenire, vt cum dico, hon vt homo, est risibilis, actu subiectum iterati Cum autem dico, homo vt animal, est sen bile, non iteratur idem terminus, sed ali quodammodo supponitur priori; propo tiones igitur reduplicatiuæ constantes hi particulis duplicem facere possunt sensu vel enim reduplicatiue accipi dicuntur, specificatiue. Reduplicatiue, cum partic reduplicatiua reduplicat causam, cur præ catum conueniat subiecto. Vt cum dico, h mo qua rationalis est risibilis. Specificati cum particula illa non innuit causam c prædicatum conueniat subiecto, vt cum c co, Iohannes vt oculos habens est lippus, est, li

est, lippitudinem secundum oculos. Non potest autem accipi reduplicatiue, quia alias sequeretur, quod omnes qui haberent oculos, essent lippi, sic in hac, Petrus qua Musicus, est Dialecticus, sensus est, esse musicum Petrum non impedit, quo minus sit Dialecticus. Difficultas in his explicandis oritur, quia dubitatur, an particula reduplicatiua reduplicet causam, an non, maximeque difficile est sæpe distinguere inter veras causas & conditiones, sine quibus non, quæ aliquam habēt affinitatem cum causis. Itaque ad eam rem optimum est nosse causalitatem, seu rationem causandi, cuiusque causæ, in suo genere, exempli causa, in genere causæ efficientis, hæc reduplicatiue sumuntur, sol vt lucidus illuminat, ignis vt calidus calefacit, nix vt alba disgregat visum, Deus vt iustus, punit peccata. Specificatiue vero, si dicam, sol vt est supra horizontem, illuminat, ignis qua subsistens, vel approximatus, calefacit, nix vt visa, disgregat visum, Deus vt iustus, miseretur. In genere causæ materialis hæc reduplicatiue sumuntur, materia vt vnita forma facit compositum, materia vt pura potentia, actuatur forma, paries vt substantia, recipit accidentia: specificatiue vero materia, vt accidentibus disposita, recipit formam, paries vt sustentans tectum, est albus. In genere causæ formalis hæc reduplicatiue, albedo qua talis facit album, natura abstracta, vt respicit inferiora, est vniuersalis, Christus, vt comprehensor, est beatus, Deus, vt æqui amans, est iustus. Specificatiue vero albedo, vt inhærens facit album, natura communis, vt respicit superiora, est vniuersalis. Christus vt viator, est beatus, Deus vt est misericors, est iustus. In causa finali obiectiua, & exemplari, reduplicatiue finis, vt bonus, vel intentus excitat ad appetitionem sui, & mediorum electionem sol vt lucidus, videtur, Idea vt dirigens artificem est causa operis: Specificatiue vero finis, vt cognitus, excitat ad sui cognitionem, sol vt est in cœlo, videtur. Idea, vt est in animo, est causa operis. Aliqui hanc rationem assignant hisce propositionibus distinguendis, vt loco particulæ reduplicatiuæ apponatur coniunctio causalis, Quia, vel similis, & tunc si vera est propositio, accipi reduplicatiue, sui contra, specificatiue. Sed hic modus habet difficultatem, in conditionibus, sine quibus non, dicimus enim ignis, quia est approximatus, calefacit. Optima est ratio, videre vtrum vbicunque reperitur ratio, quæ reduplicatur, inueniatur etiam ratio inclusa in prædicato, vt cum dico, ignis, qua calidus, calefacit, ideo accipitur reduplicatiue, quia vbicunque reperitur calor, illud calefacit, specificatiue sumitur, quia multa possunt mihi approximari, quæ me non calefaciunt. Tantum potest hæc regula fallere in causalitate, & dependentia rationis, quæ est inter proprietatem, & essentiam. Possum enim dicere, Petrus, qua risibilis, est rationalis, vbi tamen accipitur specificatiue, licet nusquam reperiatur ratio risibilitatis, quin simul inueniatur rationalitatis.

(***)

Finis Commentariorum & Disputationum Logicarum in vniuersum Aristotelis Organum.

BERNARDI MORISANI PHILOSOPHI ACVTISSIMI.

COMMENTARIA ET DISPVTATIONES PHYSICÆ.

COMMENTARIVS IN LIBROS VIII. Physicorum Aristotelis.

Argumentum Libri Primi.

PRimo libro agit Aristoteles de Elementis, seu principiis rerum naturalium quot & quæ sint, & quæ sint eorum affectiones, refutatis veterum Philosophorum opinionibus.

CAPVT I.

CAPVT hoc est, veluti proœmium in vniuersam Physicam, & tria potissimum continet documenta, primum, quod in scientia Physica incipiendum sit ab explicatione principiorum, secundum, quod in huiusmodi principiorum inuestigatione procedendum sit è confusis, tertio, quod in principiorum explicatione procedendum sit à principiis vniuersalioribus, ad minus vniuersalia. Primum probat Aristoteles, hoc discursu, in omni scientia, & disciplina, quæ habet principia, causas & elementa, ab illis, est inchoanda tractatio, sed Physica est talis scientia, ergo, &c. Maior probatur, quia à principiis dependet cognitio ceterorum, quæ in scien[tia] traduntur. Vbi notandum primo, licet cog[ni]tio latius pateat, quam scientia, vt collig[itur] ex dictis *l. prior.* hic tamen promiscue sumi [pro] iisdem, dicit enim in disciplinis, id est, in [sci]entia aliqua totali comparari cognition[em] ex principiis, vbi per cognitionem intelli[git] scientiam actualem demonstratiuam. N[o]tandum secundo: principia, causas & elem[en]ta hoc loco sumi, pro iisdem, vt docet Per[er.] *lib 3. cap. 1.* vt sensus Aristotelis sit, quæcunq[ue] disciplina habet aliqua principia, siue ea v[o]ces causas, siue elementa, &c. hinc Aristo[teles] habet materiam, formam, & priuation[em] modo vocat principia, modo causas, mo[do] elementa, quæ tamen in rigore apud Ph[ilo]sophos distinguuntur. Principia enim lat[ius] patent, quam causæ, & hæ latius, quam [ele]men[ta]

menta, nam principium in genere est, id, vnde aliquid est, sic priuatio, quæ est terminus à quo generationis, est principium, non tamen causa, similiter punctum, seu terminus inchoans lineá est principium Causa vero dicitur, id, quod confert esse, & designat quatuor genera causarum. Elementũ vero tantum est id, quod ingreditur compositionem, vt sunt materia, & forma, quæ sunt causæ intrinsecæ. Causa efficiens & finalis non sunt elementa.

Secundum documentum probatur ab Aristotele, hoc modo In inuestigandis principiis sic ordo ex naturæ præscripto seruandus est, vt scilicet à notioribus nobis progrediamur ad ignotiora, sed confusa sunt nobis notiora, ergo ab illis inchoanda est inuestigatio.

Maior probatur, quia cognoscibile debet accommodari lumini cognoscentis. Minor probatur, quia quæ magis occurrunt sensui, illa sunt nobis notiora, sed confusa sunt eiusmodi, ergo. Minor probatur, quia per confusa intelligit composita, sensibilia, quæ habent affectiones & accidentia sensibilia, quæ procul dubio nobis sunt notiora, id est, facilius à nobis cognoscuntur. Quæ autem notiora sunt natura, & simpliciter, ac absolute notiora dicuntur, sunt illa, quæ à paucioribus in sua essentia dependent, & sic quantum ex se est, facilius intelliguntur. Huiusmodi sunt magis vniuersalia, sic substantia est natura notior, quam animal, aut homo, partes sunt notiores natura totis, causæ effectis, simpliciora compositis. Vbi.

Nota Aristotelem in hisce documentis secum non pugnare Cum in primo dicit, incipiendum à confusis, quæ non sunt principia, sed principiata seu constantia principiis, quia sensus prioris argumenti est, in scientiis præmittendam esse accuratam tractationem, & considerationem principiorum, quia tamen ad eorum notitiam obtinendam opus est confusa quadam compositorum cognitione, ex sensibus orta: ideo subiungit in secundo documento, inuestigationem principiorum inchoandam esse à confusis.

Tertium documentum probatur, quia est procedendum à notioribus nobis, sed principia vniuersaliora sunt nobis notiora, minus vniuersalibus, ergo ab iis incipiendum. Minor vera est de vniuersalioribus, sumptis per modum totius confusi, & virtute multa continentis. Sic enim habent accidentia magis sensata, & in pluribus recipiuntur, ac proinde facilius cognoscuntur. Sic animal est nobis notius, quam homo, vt homo. quia illius accidentia, & affectiones citius & sæpius occurrunt. Hinc eminus facilius dignoscimus aliquid esse animal, quam hominem, bouem &c. alioqui vniuersaliora sumpta per modum partium, sunt tantum notiora natura, nobis vero ignotiora, saltem cognitione indistincta. Minorem hanc probat Aristoteles, triplici exemplo, primo, quia totum integrale, verbi gratia, domus, nobis est notius suis partibus, ergo & vniuersale erit notius, cum sit quoddam totum vniuersale. Secundo definitum est nobis notius partibus definitionis, ergo & vniuersale erit notius suis partibus substantiuis, seu inferioribus Nam sicut definitum confuse continet vtramque definitionis partem, ita vniuersalius continet minus vniuersale, seu inferiora. Tertio pueri primum cognoscunt parentes, vago modo, velut in vniuersali, vnde omnes viros vocant patres, mulieres matres. Successu vero temporis illos in vniuersali agnoscunt, & à cæteris distinguunt, ergo signum est nostram cognitionem naturaliter initium sumere ab vniuersalioribus, tanquam nobis notioribus.

CAPVT II.

IVxta id, quod præcedente capite docuerat, incipit hic agere de principiis, inuestigans eorum numerum, & refutando prius varias antiquorum opinationes, quas recenseat Toletus *hic*, & fuse B. Pererius 4. *Phys.* peculiariter autem hoc capite disputat, contra Parmenidem & Melissum, qui ponebant vnum principium rerum naturalium, idque immobile, quos propterea vocat Philosophos non naturales, eo quod motum tollunt; contra hos, inquit, non est disputandum, à Physico, quia euertunt principia Physica, ex quibus vnum est, dari motum. Quare ex superiori disciplina, scilicet ex Metaphysica, eos redarguit, rationes sumit ex ente & vno, prima est: Ens multipliciter dicitur de substantia. Per essentiam enim hic intelligit substantiam, de quantitate, qualitate, &c. categoriis. Si ergo omnia sunt vnum ens, vel

sunt substantia, vel quantitas, vel aliquid ceterorum. Non substantia, quia sic illud principium nec esset finitum, nec infinitum, scilic. mole, quia hoc supponit quantitatem, non potest esse quantitas, aut aliud accidens, quia accidentia sunt entia in alio, & sic non esset vnum ens, sed plura, sc. id quod inest, & id cui inest. Secunda ratio sumitur ex diuisione vnius, vnum aliud est continuum, aliud indiuisibile, aliud definitione. Sed omnia non sunt vnum continuum. Hoc enim est contra sensum, & sic saltem plura essent potestate, scil. illa, in quæ continuum potest diuidi, non est indiuisibile: Sic enim non esset infinitum, vt ipsi volebant, neque sunt vnum definitione, nam alioqui contrariorum contradicentium vna & eadem esset definitio, boni, scilicet & non boni.

CAPVT III.

SOluit hic rationes istorum Philosophorum, Argumentum Melissi erat tale Omne, quod genitum est, habet principium, ergo omne non genitum caret principio, sed ens non est genitum, ergo caret principio: Vlterius, quod caret principio, debet etiam carere fine, & sic erit infinitum, atqui infinitum est vnum, & immobile: nā si essent plura, iam alterum non esset infinitum, etsi esset mobile, iam non esset infinitum, quia non occuparet omne spacium: esset enim locus extra, in quo moueri posset. Prima assumptio, sc. ens, non esse genitum, sic probat, quia si esset genitum, vel id esset ex ente, vel ex nihilo, non ex nihilo, quia ex nihilo nihil fit, non ex ente, quia alioqui esset antequam fieret, quod implicat.

Respond. Aristoteles, negando primam consequentiam, quia argumentum peccat in forma: Est enim ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis, quasi dicat, si est homo, est animal, ergo si non est homo, non est animal Quæ forma est vitiosa, quotiescunque termini non sunt conuertibiles, vt in proposito, quia genitum, & habens principium, non conuertuntur, quia per principium intelligitur hic principium magnitudinis: de hoc enim procedit ratio Melissi, alioqui ex eo, quod ens non haberet principium temporis, non potest inferri, ens esse infinitum magnitudine, sed tantum infinitum duratione, datur igitur aliquid, quod genitum est, est, productum, generatio enim sic late accipitur, quod tamen non habet principium magnitudinis: Ita vt vna pars fiat post aliam, huiusmodi sunt lumen in aëre, congelatio aqua, quæ sunt mutationes, quæ fiunt to[tæ] simul.

Ratio Parmenidis est hæc, omne quod [est] præter ens, est vnum. Hæc enim conuertu[n]tur, quia quicquid est, præter vnum, est nih[il] ergo omnia sunt vnum ens, si vnum, ergo i[m]mobile, quia nec dabitur causa mouens, n[ec] spacium, per quod fiat motus.

Respondet Aristoteles: Hanc ration[em] peccare in materia, quia in argumento ens [su]mitur late, & transcendentaliter, prout m[ul]tis modis, id est, analogice, dicitur de substa[n]tia, & accidentibus, in assumptione vero, c[um] dicitur esse vnum, sumitur stricte, pro e[nte] particulari scil. substantia, vel alio ente vniu[o]co respectu inferiorum Vnde maior propo[si]tio argumenti vera est de ente, transcend[en]taliter sumpto, sed tunc falsa est assumpt[io] quia substantia & accidens non sunt vnu[m] sed plura simpliciter. Deinde, etiamsi e[ns] esset vniuocum, hinc tamen non infertur r[ea]lis omnium vnitas, quia vnitas illa transc[en]dentalis consistit cum pluralitate. Eadem [ra]tio peccat in forma, quia in simili datur an[te]cedens verum, consequente falso. Ponam[us] enim, omnia esse alba, & album significar[e v]num, id est, habere rationem vniuocam, t[unc] argumentabor: Quicquid est præter albu[m] est non album, atqui non album, nihil est, [ex] suppositione, ergo quicquid est præter [al]bum, nihil est, sed album est vnum, ergo [o]mnia alba vnum sunt, non plura, vbi ante[ce]dens est verum, consequens falsum, quia l[ac], nix, &c. plura sunt, & non vnum. Ita Aris[to]teles.

CAPVT IV.

DIsputat contra eos, quos supra dictos a[p]pellauit, qui motum quidem, & princi[pia] in rebus naturalibus admittunt; sed mi[nus] bene. Aliqui enim assignabant vnum prin[ci]pium, scilic. vel ignem, vel aerem, vel aqua[m] vel aliquid medium inter aerem & aquam, [ex] quo per raritatem, & densitatem omnia ge[ne]rar[i]

rentur. Alii ponebant vnum & multa, vnum iidem chaos, sed in eo multa. Inter quos naxagoras, qui docuit infinitam & confu- n congeriem partium atomarum, quam cant, homœomeriam, esse principium iterialе rerum, & ex harum partium coag- ntatione, & à cæteris separatione, res o- ies fieri, seu generari; & earundem dissolu- ne res corrumpi: quam partium confusio- n dicebat initio fuisse, tanquam chaos, sed ntem, id est, Deum, distinxisse, & separasse in varias species. Quam sententiam pro- at hoc fundamento. Ex nihilo, nihil fit. ic concludebat, nihil de nouo generari, generationes tantum esse alterationes, seu rationes accidētarias, sc. coaceruationem tium, & hoc modo argumentabatur. Id d fit, vel ex ente fit, vel ex nihilo, non ex lo, quia ex suppositione, ex nihilo nihil ergo ex ente, & quidem ex contrario se- dum aliam suppositionem, ergo vel ex trario manente in re, quæ gignitur, aut ex quod inerat in contrario, ex quo gigni- non ex contrario manente vt manet, er- x contrario, quod inerat. Hoc autem vi- it esse multitudo infinitarum partium, se- um rei, quæ producitur, quæ partes late- t in re, ex qua fit productum, ergo infinita corpuscula sunt principia rerum natura- n. Porro, quia res vna ex alia gignitur, in- at omnia omnibus inesse, ita vt in quali- e infinitæ essent particulæ rerum omniū, ex ea fieri possunt, & res ab eo nomen ere, quod in ea magis emineret, verbi gra- liquod dici aquam, quod plures in eo es- patticulæ aquæ.

d argumentum respondetur, Omnia fieri ite actu, vel ente potentia, id est, ex ente lita aliqua forma substantiali, vt ex aqua aerem, ex elementis mixtum, vel ex ma- prima, quæ inerat aquæ, vel elementis, : quicquid fit, oritur ex ente actu, tan- n è contrario, quod in genito non ma- ex ente vero potentia, tanquam è subie- , quod in genito manet, & hoc sensu m est vnum quodque generari, quod ntrario profluit, non vero secundum tem Anaxagoræ, quasi vnum quodque ineat infinitas particulas omnium re-

fellit etiam Aristoteles hos Philoso- phos, quod principia numero, specie, & qua- litatibus infinita poneret. Hinc enim dicit sequi, non dari scientiam rerum naturalium, tunc enim scimus, quando cognoscimus principia rei, atqui infinita principia, non ca- dunt sub scientiam, ergo. Impugnat vlterius, quod partes illæ infinitæ non essent deter- minatæ ad certam magnitudinem, cum ta- men viuentium definita sit magnitudo, quo fit, vt partes illorum non possint esse quan- tæcunque magnitudinis, alioqui ipsa vi- uentia carerent etiam termino magnitudi- nis, quod tamen negat Anaxagoras omnia omnibus inesse, probat hac ratione, si suma- tur certa portio aquæ, in qua secundum il- lorum doctrinam, continentur infinitæ par- ticulæ rerum omnium, quæ ex aqua possunt fieri, verbi gratia, carnis, ossis, &c. separatur ex illa portione aquæ, portio carnis, aut i- gitur semper adhuc ex illa aqua caro extra- hi potest, aut tandem deficiet separatio, ita vt nihil carnis in aqua supersit, prius dici non potest, tum quia omne corpus finitum ablatione finiti imminuitur, & tandem de- finit, tum quia alioqui in re finita essent actu infinitæ partes æquales, verbi gratia, in mi- nima caruncula, quæ generari potest, essent infinitæ particulæ illi æquales, quod est im- possibile, si posterius dicatur, sequitur non omnia omnibus inesse, quia portioni aquæ iam non amplius inerit caro. Accedit quod quantitas carnis quoad paruitatem sit defi- nita, ita vt necessario detur minima caro, ex qua alia amplius extrahi non possit, alio- qui datur pars minor, minima, quod est im- possibile.

Deinde secundum hanc sententiam ei- dem rei inessent infinities infinita corpo- ra, vt in qualibet parte cerebri infinitus san- guis, in qualibet parte sanguinis infinita ca- ro, & sic res quælibet esset magnitudine in- finita moles.

CAPVT V.

Assignaturus numerum principiorum il- lud fundamenti loco ex communi vete- rum sententia assumit, principia esse contra- ria. Quod probat ex proprietatibus & defini- tione principiorum, quæ conueniunt primis contrariis,

Princi-

Principia sic describit, Principia sunt, quæ nec alia ab aliis vicissim gignuntur, nec ab illis oriuntur, & tamen ex illis oriuntur omnia. Vbi particula ab significat habitudinem principii intrinseci, ita vt sensus sit, principia non esse ex se mutuo, nec ex aliis principiis, tanquam ex partibus intrinsece constituentibus, alioqui possunt esse vel à se mutuo, vel ab alio, tanquam ex termino, & principio extrinseco. Particula, ex, quando omnia dicuntur fieri ex principiis, designat indifferenter habitudinem principii intrinseci vel termini à quo, & principii extrinseci. Intrinseci, propter materiam & formam, extrinseci propter priuationem, quæ est principium, seu terminus à quo.

Probantur iam partes descriptionis, primo principia non fieri ex se mutuo, quia sunt cōtraria, contraria autem non sunt ex se mutuo, saltem vt ex principiis extrinsecis, & sic alterum non esset principium, sed principiatum, non fieri ex aliis probatur, quia sunt prima, omnia ex illis fieri, probatur ex his suppositis, primo non quoduis aget in quoduis, sed in contrarium suum, secundo non quoduis patitur à quouis, sed à contrario, tertio non quoduis gignitur ex quouis, tanquam ex termino à quo, sed ex contrario Quarto, non quoduis interit in quoduis, sed in contrarium, vbi per contraria fere intelligit opposita priuatiue, vt patet ex declaratione tertii præsuppositi, quod probat, quia album non fit ex musico, sed non ex albo, & non musica, non fit ex albo, sed ex non musico, quia productio formæ in subiecto fit per se, ex priuatione ipsius formæ producendæ, tanquam ex termino, formæ autem præexistentes in subiecto habent se per accidēs. Quartum præsuppositum probat, quia album non corrumpitur per se, in musicum, sed in non album. His positis, sic argumentatur; Omnis generatio fit à contrario in contrarium, sed omnes res naturales generantur, ergo contraria transeunt in contrarium. Generatio late sumitur in maiori, vt comprehendat etiam alterationem, quare in omni generatione debent dari duo contraria, scil. terminus à quo, & terminus ad quem, id est, priuatio formæ, & forma, materia autem nulli est contraria, sed vtriusque subiectum.

Ex dictis infertur, has propositiones, Principia sunt contraria, & Principia non sunt contraria, esse subalternas simul veras, q priuatio est contraria formæ, materia v nec priuationi, nec formæ est contraria.

CAPVT VI.

EX eo, quod in principiis reperiatur c trarietas, ostendit non tantum esse vn principium, quia vnum & idem non po sibi esse contrarium. Secundo probat p esse duobus, nam quædam principia in tr ce constituunt substantiam rei naturalis, hæc non possunt esse contraria. Ergo d reperiri tertium, quod repugnat vni ex duobus, Tertio probat esse plura tribus, sufficit vnum principium quod sit obiec circa quod versentur alia duo contraria. N necesse est, admittere plura principia con ria, quam duo, quia in vno quoque gener communi axiomate, vna tantum est pr contrarietas. Sunt autem hæ priuatio & ma in genere: Priuationes autem & form specie, quæ plurimæ sunt, non multipl principia.

CAPVT VII.

VT ostendat, dari tertium principium materiam, primo declarat, in quo rant priuatio & subiectū generationis, sc. priuatio in generatione pereat, subie vero idem remaneat, & illud esse realite cum priuatione, quia priuatio non es positum superadditum materiæ, quæ e iectum generationis, est tamen ratior mali, seu cōcentu ab ea distinctum, qui negationem formæ, in subiecto apto recipere. Tum probat dari tertium pri um, hoc modo, in omni mutatione principium, quod sit capax contrari quia contraria sine subiecto transmuta possunt, sed hoc non potest esse, nisi m ergo dantur tria principia. Primam pr tionem probat multis exemplis, in om tatione, siue ea sit proprie dicta genera cum producitur substantia, homo, equ siue sit generatio secundum quid, vt cu ducitur forma accidentalis, verbi grati sica in homine. Addit, licet principia, s dum rationes formales accipiant, t debeant, posse tamen etiam dici duo,

entur secundum rem, sic enim priuatio non
t quid distinctum à materia.

CAPVT VIII.

) Espondet rationi antiquorum, qua euin-
cere conabantur, nihil de nouo secun-
m substantiam oriri, aut interire, erat au-
n hæc: si quid oritur de nouo, oritur vel ex
e, vel ex non ente, non ex ente, quia sic esset
equam fieret, neque etiam ex non ente,
a ex nihilo nihil fit.

Respondet Aristoteles, id, quod oritur, non
i ex non ente simpliciter, siue ex eo, quod
ne nihil est, sed fieri ex non ente secundum
d, quod tamen est ens simpliciter, id est,
i ex eo, quod non est ens, producendum:
oi gratia, cum ex aqua fit aër, aër non fit ex
ilo, sed ex materia, quæ subest formæ a-
, & quæ est ens absolute, est tamen non
secundum quid, quia non est aër produ-
dus, & sic omnia fiunt ex ente simpliciter,
od est non ens per accidens, id est ex mate-
, quæ ratione priuationis coniunctæ est
i eas.

CAPVT IX.

X dictis colligit definitionem materię pri-
mæ, quæ est talis, materia prima est id,
od cuique rei primo subest, ex quo insito
uid per se, non aliena vi, nec per aliud, ef-
ur. Dicitur id, quod primo subest, quia or-
e compositionis nullum est subiectum
is, & per hoc distinguitur ab elementis,
e scil. aqua, &c. ex quibus fiunt mixta, quia
habent & materiam, & formam, vnde ra-
ne mixtorum sunt materia secunda. Dixi
ine compositionis, quia ordine resolutio-
nis est subiectum vltimum: nam in materiam
vltimo fit resolutio, nec datur vlterior pro-
gressus. Dicitur cuique rei primo subesse, id
est, formæ cuilibet substantiali, quia hoc est
materiæ peculiare: nam licet verius sit, mate-
riam immediate etiam recipere accidentia,
hoc tamen etiam conuenit formæ substantia-
li, & composito. Dicitur ex eo aliquid fieri per
se, quia est pars altera Physica compositi, con-
stituens in forma vnum per se. Sensus igitur
definitionis est, materia est primum subiectū
formæ substantiali, ex quo remanente in cō-
posito, corpus naturale componitur per se.

Forma, quæ est alterum principium, sic de-
finiri potest, vt sit actus substantialis, cum ma-
teria constituens vnum per se.

Priuatio vero est absentia formæ aptæ in-
esse. Ex his colliguntur differentiæ inter
materiam & priuationem, Primo materia
est ens reale, scilicet substantia imperfecta, &
non ens per accidens. Priuatio vero, & contra
est non ens per se, & tantum ens per accidens.
Secundo, materia est subiectum formæ, pri-
uatio non item. Tertio materia appetit for-
mam, non priuatio, quia est contraria formæ.
Quarto materia secundum se est ingenerabi-
lis, & incorruptibilis. Priuatio vero modo est,
modo non est. Hinc etiam patent proprieta-
tes materiæ primæ, sc. quod sit pura potentia,
quia ex natura sua est priuata omni forma,
seu actu formali, substantiali, cuius tamen est
capax. Deinde materia est pure passiua, quia
per actionem causæ efficientis patitur se dis-
poni ad cuiusque formæ susceptionem. Deni-
que materia appetit omnem formam, appe-
titu sc. naturali, id est, capacitate, sicuti omne
deforme perfectibile dicitur appetere sui
perfectionem.

(***)

COMMENTARIVS IN SECVNDVM LIBRVM PHYSICORVM.

HOC *libro totius naturalis Philosophiæ iaciuntur fundamenta, & agitur tu de materia, & forma, quatenus naturæ quædam sunt, tum de causa efficien. & finali, ac vniuersim de quatuor generibus causarum.*

CAPVT I.

ASsignat primo generalem rerum diuisionem. Secundo distinguit naturalia ab artificialibus. Tertio definit naturam. Quarto ostendit formam potius esse naturam, quam materiam.

Diuisio generalis est hæc, eorum quæ sunt in natura, alia natura sunt, & constant, alia ab aliis causis originem ducunt. Diuisio est corpus in genere: & sensus diuisionis est, corporum alia sunt naturalia, vt elementum, cœlũ, homo: alia arte facta, vt domus, sedes, cathedra: hæc enim ab aliis causis originem, quam à natura ducunt, scil. ab arte.

Differunt naturalia ab artificialibus, quod naturalia habent in se principium motus, idque vel localis, vt cœli, vel alterationis propriè dictæ, vt omnia sublunaria, vel etiam accretionis & decretionis, vt viuentia, arte facta, qua talia, non habent huiusmodi principia. Nam statua, v. g. non habet proprium motum deorsum, nisi quatenus constat materia graui, ære, ligno, licet motus volutationis per accidens iuuari possit à forma artificiali sphærica, quia sc. aufert impedimenta huius motus, nimirum angulos.

Definitio naturæ est hæc. Natura est principium & causa motus, & status eius, in quo est primo, & per se, non per aliud, alienaq; vi.

Definitur hic tam natura partialis, vt mater
aut forma, quàm totalis, vt est composit
Physicum, dicitur natura esse principium, s
licet actiuum, seu effectiuum, vel passiuu
seu susceptiuum, vt contineatur materia, q
non est propriè actiua, & natura cœli, q
non est principium actiuum motus reuo
tionis, sed passiuum tantum: intelligenti
nim assistens est communiori sententia pr
cipium actiuum. Dicitur principium mot
quod latè hic sumitur, prout significat
mnem mutationem Physicam, etiam inst
taneam. Additur motus & status, vbi parti
la (Et) explicanda est, disiunctiue, vt sit ide
quod vel, quia natura non necessario est pr
cipium motus simul, & status, sed alterutr
motus vel status, seu quietis positiuæ, q
quies non est nuda quædam priuatio mot
sed consistentia rei & stabilitas, v. g. assecu
vbi localis & sic est finis motus, quia nat
exercet motum, vt perueniat ad quietem
Dicitur eius in quo est primo, vt excludan
causæ extrinsecæ, & significetur esse prin
pium primum, & radicale, & sic excludan
causæ instrumentales, verbi gratia grauita
leuitas in elementis, quæ non insunt illis p
mo, prior enim est forma substantialis, q
est radicale principium motus. Dicitur per
id est essentialiter, vt excludatur ars, quæ
non inest rei, quæ mouetur, vel saltem n
inest, per se, vt medicina, quæ inest med
seipsum curanti, accedit enim eundem cur

& e

& eundem præditum esse medicina. Ex hac definitione intelligitur, quænam habeat naturam, scilic. ea omnia, in quibus tale principium est, deinde quænam dicantur esse à natura, sc. & hæc ipsa, vt docet Aristoteles, id est, corpora naturalia, & quæ per se his insunt, id est, affectiones quædam, quarum corpora naturalia sunt causæ.

Probat formam potius esse naturam, quam sit materia, primo, quia artificialia dicuntur talia à forma artificiali, ergo naturalia potissimum videntur talia à forma naturali: *Secundo* id magis est natura, per quod ens naturale est actu, sed per formam est actu. ergo. Tertio Generatio dicitur naturalis, quia tendit ad naturam, sed tendit ad formam, & mediantibus illis ad composita, ergo forma magis est natura.

CAPVT II.

Ostendit Physicum à Mathematico differre, quod licet vterque consideret accidens, seu affectionem corporis v.gr quantitatem, Physicus tamen præcipue spectet essentiam ipsius corporis, & quantitatem, quatenus est affectio eiusdem, & de eo potest demonstrari: Mathematicus vero considerat quantitatem, quatenus de illa, tanquam subiecto, aliæ passiones possunt demonstrari, vt habere proportionem, æqualitatem, &c. Diuersa igitur notione consideratur quantitas à Physico & Mathematico.

Probat Physici esse cognoscere vtramque naturam, primo, quia eiusdem artis est cognoscere materiam, & formam, ergo & vtriusque scientiæ, cognoscere vtramque naturam, quia ars imitatur naturam. Antecedens probatur inductione, quia medicus cognoscit sanguinem, & alios humores, tanquam materiam, valetudinem, tanquam formam, architectus materiam, sub forma domus, secundo eiusdem scientiæ est cognoscere finem, & ea quæ sunt ratione finis, forma autē est finis materiæ, & generationis, & materia est ob formam.

CAPVT III.

Assignat quatuor causas rerum naturalium, materiam, formam, efficientem, & finem, priores duæ sunt intrinsecæ, composito naturali, posteriores extrinsecæ. secundo tradit singularum definitiones. Tertio proprietates, Quarto diuisiones & distinctiones. Causam in genere non definit, potest autem dici id, quod dat esse rei, vel id ad cuius esse sequitur aliud.

Materia est id, ex quo aliquid ita conficitur vt in re ipsa sit & permaneat. Definitum hic est materia in genere, vt complectitur materiam rerum artificialium, vt patet ex exemplis Aristotelis, vt æs est materia statuæ, &c. particula (ex quo) denotat habitudinem subiecti, ac excludit formam, excluditur etiam materia transiens, vt forma respectu panis, quia non permanet: Forma est ratio, & definitio naturæ cuiusque, & est præcipua pars essentiæ cuiusque, quæ materiam ex se indifferentē limitat, atque determinat ad certam speciem ab aliis distinctam, alioqui etiam materia est de natura, seu essentia compositi naturalis.

Causa efficiens est id, vnde primum mutationis, aut quietis principium ducitur. Primum principium signat hic principale, quod scilicet propria virtute effectum producit, vt excludantur instrumenta, quæ tamen sunt causæ minus principales, non autem signat primum, id est, quo non est aliud prius, sic enim causa partialis, & ea non esset causa efficiens, sed solus Deus.

Finis est id, cuius gratia aliquid fit, vt valetudo est finis deambulationis, quia deambulatio assumitur, vt valeamus.

Tres ponit causarum proprietates: Prima est eiusdem effectus, multæ sunt causæ per se, vt hominis causa sunt omnia, seu forma, materia, efficiens & finis: statuæ causa est æs, & statuarius. Neque tamen hoc verum est, in diuersis causarum generibus, sed etiam in eodem. Possunt enim plures esse causæ, per se partiales eiusdem effectus, vt multi trahentes nauem, currum.

Secundę causæ sunt sibi mutuo causæ, scilicet in diuerso genere causæ, sic sanitas est causa finalis, respectu deambulationis, deambulatio vero est causa efficiens, respectu sanitatis.

Tertia proprietas. Idem potest esse causa contrariorum effectuum, vt sol est causa indurationis luti, & emollitionis ceræ.

Pro quo Nota: Contrarios effectus duobus modis fieri, primo à causis contrariis,

secundo ab vna & eadem, sed diuersimode se habente, vel operante circa materiam aliter dispositam, vt in præsenti proprietate. Alioqui, verum est, illud axioma, ex *libris de Generatione*. Quod ens, manens idem, semper natum est producere item: Intelligitur enim de eadem, eodem modo affecto, & agente eodem modo disposito. Hæc proprietas habet locum maxime in causa efficiente: Idem tamen finis potest esse causa contrariorum mediorum, vt transquillitas reipublicæ est causa, cur puniantur mali, & præmiis afficiantur boni. Eadem sanitas modo est causa motus, modo quietis. Materia quoque successiue est causa bouis & hominis, &c. Eadem autem forma non potest esse causa contrariorum effectuũ formalium, quia non potest esse simul in pluribus subiectis, neque successiue quia si sit naturalis, perit destructo cõposito, si spiritualis, vt animal, non migrat in aliud corpus.

Subiungit diuisiones causarum, prima diuisio est, causarum alia est prior, alia posterior, causa prior est causa vniuersalior: causa posterior, est causa minus vniuersalis. Dupliciter autem potest causa aliqua esse vniuersalior altera primo in prædicando, quæ scilicet de pluribus prædicatur, sic artifex est causa vniuersalior, quam medicus, quia de pluribus prædicatur, secundo in causando, quæ sc. plurium effectuum est causa, sic Sol est causa vniuersalior, quam ignis.

Secunda Diuisio. Quædam sunt causæ per se, quædam per accidens, per se sunt, quæ influunt in effectum, eumque constituunt, vt statuarius est causa per se statuæ. Causæ per accidens sunt, quæ nullum ducunt ordinem ad effectum, vt album vel musicum, respectu statuæ.

Tertia Diuisio: Causarum aliæ sunt coniunctæ, aliæ simplices. Coniunctæ sunt, Policletus statuarius, simplices, vt Policletus, vel statuarius.

Quarta Diuisio. Causarum aliæ sunt actu causæ, aliæ potestate tantum, quæ actu sunt, quæ de facto concurrunt ad effectum, vel illum constituunt, vt ædificans, respectu domus. Causæ potestate sunt, quæ de facto non concurrunt ad effectum, vt ædificans, respectu domus, vnde causa actu est simul cum suo effectu causa, potestate non est simul.

CAPVT IV.

Probabant antiqui, in rebus humanis non dari casum, vel fortunam, hoc argumento Quæcunque habent causas determinatas non fiunt casu, vel fortuna, sed omnia haben tales causas: ergo nihil fit casu, vel fortuna. Minor probatur, quia inuentionis thesauri de qua maxime dubitari potest, causa determinata est fossio. Hoc refellit Aristoteles, & negat minorem argumenti, cum probatione quia fossio non est causa necessaria, & determinata inuentionis thesauri, quia nec semper, nec plerunque, sed raro tantum consequitur.

CAPVT V.

Ex variis diuisionibus inuestigat definitionem Fortunæ, Prima Diuisio est eorum, quæ fiunt alia, semper eodem modo fiunt, quæ posita causa non possunt aliter fieri, vt ortus & occasus signorum cœlestium, initio paleæ approximatæ igni. Plerunque fiunt, quæ posita causa magis nata sunt fieri, quam non fieri, vt hominem nasci cum duobus pedibus, decem digitis, &c. in hyeme esse pluuias, in æstate calores. Vbi illæ particulæ semper & plerunque non tam denotant tempus, quam causam, ita vt licet effectus aliquis raro ponatur in rerum natura, v. gr. eclipsis, si tamen posita causa semper ponatur, dicitur semper fieri, si vt plurimum, non tamen semper, dicitur plerunque fieri.

Secunda diuisio eorum, quæ fiunt, quædam alio referuntur, quædam non, vt gr ambulatio, studium, labor referuntur ad sanitatem, scientiam, lucrum, &c. tricatio barbæ, aut capitis, excreatio, arrosio calui, vel vnguium, agitatio calamarii, & his similia, quæ ex imaginatione, & præter intentionem fiũt, non referuntur alio.

Tertia diuisio, Eorum quæ alio referũtur, quædam ab animi iudicio, & voluntate fiunt, vt electio & vsus mediorum ad certum finem, alia non fiunt ex iudicio, vt motus lapidis deorsum, qui licet referatur ad quietem, in loco naturali, non tamen cognoscitur à lapide. Ex his definit effectus fortuitos esse illos, qui raro fiunt in iis, quæ propter finem agunt, deinde definit fortunam esse causam per-

...ra accidens, in iis rebus, quæ ab animi iudi-o & voluntate perficiuntur, & raro fiunt ...nsus est, fortuna est causa effectus, per se, ...on intenti, raro contingentis, coniuncti ta-...en effectui per se intento, sic fodiens ter-...m vt ædificet, vel serat, si thesaurum inue-...at, dicitur fortuna, respectu huius inuen-...nis, ipsa inuentio est effectus fortuitus, ...ia inuentio est coniuncta euersioni terræ, ...æ est effectus per se, intentus à fodiente: ...bet autem esse aliqua connexio effectus ...tuiti cum effectu per se, quia fodiens non ...itur fortuna, respectu eclipsis solis, quæ ... ipso fodiente, debet etiam effectus esse ali-...us momenti, quia qui teruncium aut assi-...lam dicit, non diceretur fortunat.

Ex definitione colligitur, primo, bruta & ...nima non posse dici fortunas, quia non ...erantur ex iudicio, quamuis metaphorice ...quando illis tribuatur. Sic Aristoteles dicit, ...osdam lapides esse fortunatos, quod ex iis ...npla fiant, aut aræ, cum alii similes negli-...ntur, imo & in plateis conculcentur. Se-...ndo, non esse fortunam, respectu effectus ...enti, vnde si quis forum adeat, vt debito-...n moneat de solutione, non dicitur fortu-..., respectu solutionis, & receptionis pecu-...æ, licet forte insperatæ.

Tertio non esse fortunam, respectu effe-...us semper, aut plerumque coniuncti cum ...ectu intento, vnde ambulans, non est for-...na, respectu attritionis calceorum, fatiga-...nis, sudoris, &c. 4. Prudentes esse magis ...tunatos, quam sint homines stolidi, quia ...rtuna est respectu effectuum, non præuiso-...m, aut intentorum, prudentes autem cir-...mspecte sua agunt, & multa præuident, ...de pauciora illis eueniunt præter intentio-...m.

CAPVT VI.

...Radit distinctionem casus, & Fortunæ, ... quod scilicet casus stricte sumptus, con-...niat etiam brutis, & rebus inanimatis, vt ...m lapis deorsum tendens, quempiam læ-... dicitur casus, læsio vero illa dicitur effe-...us casualis, & sic opponitur fortunæ, quæ ...itum repetitur in vtentibus ratione: Casus ...men late sumptus, est quid commune ad ca-...n stricte sumptum, & fortunam, qua acce-...one definitur causa per accidens, in iis, quæ a finem aliquem pertinent, cum raro & non euentus gratia fiunt, id est, non fiunt propter id, quod euenit. Hanc definitionem casus probat ex definitione frustra, quia casus apud Græcos deducitur à frustra.

Frustra fit, quod alterius gratia fieri potest, nec illud perficit, cuius gratia peractum est, id est, quod non consequitur effectum, qui fit, vt ambulatio assumpta propter sanitatem, dicitur frustra, si non consequatur sanitas. Requiritur autem, vt id, quod assumitur ad aliquem finem, secundum prudens iudicium, ordinari possit ad talem finem, alioqui si quis luderet, vt plueret, non diceretur frustra ludere, etiamsi non subsequeretur pluuia, quia ludus non est medium ordinatum ad pluuiam. Alio tamen modo dicitur frustra fieri, quicquid temere fit, & ad nullum finem ordinatur, quo sensu dici solet: Deum & naturam nihil facere frustra, nimirum, quia in omnibus intendunt aliquem finem. Sub finem cap. casum & Fortunam pertinere ad causæ efficientis genus, & esse posterioris causis per se, quia scilicet causæ per accidens.

CAPVT VII.

Docet quatuor tantum esse genera causarum, quia ad quæstionem, qua quæritur cur aliquid sit, apte & abunde respondetur, quatuor modis, per prædicta causarum genera. Primo igitur est principium productiuum rei, scilicet causa efficiens. Secundo est terminus productionis scilicet forma, terminus autem, qui est compositum Physicum. Tertio est subiectum recipiens illam formam, scilicet materia. Quarto est ratio, propter quam effectus producit illam formam, scilicet finis. Licet autem quatuor sint causæ, sæpe tamen vnum & idem habet rationem plurium causarum, nam idem numero est finis, & forma generationis, efficiens est idem, saltem specie in vniuocis, cum fine & forma, vt cum ignis generat ignem. Vt ostendat Physicum de omni causa agere, docet triplicem dari substantiam, vnam immobilem & æternam, quæ mouet immota, vt Deus, alteram æternam & mobilem, quæ mouet mota, vt cœlum, tertiam mobilem, & corruptibilem, vt substantia sublunaris, duæ posteriores ad Physicam pertinent, quia continent omnia causarum genera, prima vero, secundum essentiam, est considerationis Metaphysicæ:

quamuis etiam ſpectetur à Phyſico, vt primum mouens & cauſa prima.

CAPVT VIII.

DVas proponit quæſtiones, prima eſt an natura, ſiue agens naturale, agat propter finem, ſecunda eſt, quænam ſit ratio neceſſitatis in rebus naturalibus. Ad primam propoſitis pro parte negante veterum rationibus, reſpon. affirmatiue, & probatur, primo, quia omnia aut fiunt caſu aut alicuius rei gratia, ſiue propter finem, ſed non fiunt caſu; ergo alicuius rei gratia & propter finem, minor probatur, quia multa ſemper eueniunt, & habent cauſas determinatas, alia plerumque, ergo ſignum eſt non fieri caſu. Secundo ars, quę naturam imitatur, aut perficit, operatur, propter finem, ergo ex natura. Tertio Bruta, quæ nec arte, nec deliberatione adhibita, quidquam faciunt, agunt propter finem, ergo natura tendit in finem. Antecedens probatur, quia araneæ telas texunt venationis gratia, aues nidos conſtruunt, cauſa generationis, imo & plantæ producunt folia fructuum tegendorum cauſa, & radices deorſum agunt vt alimentum è terra ſugant, denique omnes res naturales ita apte ad finem ſuum ordinantur, ac ſi finem cognoſcerent. Sed obiiciunt veteres dantur in rerum natura prodigioſi quidam partus. & errores naturæ, ergo natura non agit propter finem, Reſpon. Ariſtoteles, retorquendo illud argumentum, & de antecedenre inferendo oppoſitum conſequentis, recte enim ſequitur, natura aberrat à fine propoſito, ergo habet aliquem finem: Errores tantum probant, naturam non ſemper aſſequi finem, ſed vel poſſe deuiare, vel impediri: Ita enim in rebus artificialibus committuntur errores artium: artifex tamen agit propter finem. Secundo obiicitur: natura non cognoſcit finem, ergo non agit propter finem, Reſp. negando conſequentiam, quia non eſt nec ſe, vt cognoſcat finem, ſufficit, ſi appetitu turali feratur in finem, ſaltem materiali ſolius enim naturæ rationalis eſt cognoſc finem formaliter.

Definit monſtrum: Eſt erratio naturæ eo fine, quem ſibi in agendo propoſuerat, vt alii: Eſt indiuiduum animatum, hab notabilem deformitatem toti ſpeciei ex neam. Dicitur animatum, quia anima ini nimis non eſt proprie monſtrum, notat deformitas hic ſignificat magnum aliq vitium, quo viuens impeditur in functio bus ſuæ ſpeciei propriis, alioqui exigua qua deformitas, vt naſus ſimus, vel quid ſi le, non conſtituit monſtrum, debet au hoc vitium eſſe à natura, quia monſtrum peccatum naturæ, vnde qui caſu in bello alibi membrum aliquod amittit, non monſtrum.

CAPVT IX.

REſpondet ad alteram quæſtionem pr denti capite propoſitam, duplicem i bus naturalibus eſſe neceſſitatem, vnam ex parte materię, vt neceſſe eſt, terram eſſe ram, quia ferrea eſt, alteram oriri ex part nis, neceſſe eſt ſerram eſſe duram, quia c natur ad ſectionem. Veteres tollebant fi & per conſequens neceſſitatem ex fine, mnia referebant in materiam, adeo verbi tia, ſerram tantum eſſe duram, quia ma illius talis eſt, & non ob aliam cauſam, præcipue dura ſit, ratione finis. Quare & teria & finis ſunt cauſa neceſſitatis, in n ralibus, magis tamen finis, quia ipſe fin iam eſt cauſa neceſſitatis ipſius materi licet igitur res non fiant ſine materia, non tamen fiunt propter illam.

(****)

COMMENTARIVS IN LIBRVM TERTIVM PHYSICORVM.

CAPVT I.

INITIO rationem reddit Aristoteles, cur agat de motu, quia scilicet est principium, quo natura cognosci solet, & quia motus est in continuis, quæ diuidi possunt in finitum, agit postmodum de infinito. Præmittit duas diuisiones.

Prima est eorum, quæ sunt, aliud actu est ntum, aliud esse potest simulque reipsa est. Quæ diuisio ab aliis aliter hoc modo commode interpretari potest Quæcunque sunt, el actu formam habent in gradu perfecto, a vt illa amplius non sint in potentia, vel habent illam aliquo modo actu, & in gradu imperfecto, ita vt ad illam sint etiam in potentia.

Secunda diuisio: Relatiuorum quædam fundantur in Quantitate, vt duplum & dimidium, alia in actione, vt pater & filius Quæ diuisio sufficiens est, quantum ad præsens institutum pertinet, vbi non agitur ex professo de relatiuis, sed de motu. Addit motum non esse sine rebus, & terminum illius pertinere ad prædicamenta, ac proinde tot esse genera motus, quod sunt genera rerum, quę sunt termini motus.

CAPVT II.

EX prima diuisione c. 1. desumit motus definitionem.

Motus est actus eius, quod esse potest, qua ex parte eam vim habet, siue est actus entis in potentia, quatenus est in potentia: sensus est; Motus est tendentia seu via ad terminum qui nondum perfecte habetur, sed est in fieri, ex qua definitione intelligitur motum ita ponere rem in actu, vt relinquat illi aliquid potentialitatis, & sit velut fluxus quidam rei, vt clare cernitur in motu successiuo, verbi gratia, calefactione, frigefactione, quæ sunt viæ ad calidum & frigidum in gradu perfecto. Genus definiti est actus, in genere sumptus, & abstrahens ab imperfecto, & perfecto, reliqua se habent loco differentiæ, quibus excluduntur à definitione, primæ formæ perfectæ, quia non sunt in potentia. Secundo, formæ, in gradu imperfecto, in esse quieto, vt frigus remissum æque, &c. quia non sunt actus secundum quos mobile est formaliter in via, & tendentia ad formam perfectam: ob eandem rationem excluduntur, tertio potentiæ, quæ sunt propriæ operationum.

Nota hanc definitionem etiam complecti mutationes instantaneas, vt est generatio, quia licet in illis simul tempore sit fieri formę & eiusdem esse, neque prius tempore sit via ad terminum, quam ipse terminus, prius tamen natura res, quæ non permutatur, est in potentia & via ad terminum, quam sit ipse terminus, vt mutatio fere sit pendentia ad terminum, seu formam.

Docet deinde id, quod naturaliter mouet, etiam posse moueri, quamuis detur aliquod mouens, immobile, scil. primum mouens, Deus.

CAPVT III.

ALlatis hinc inde rationibus, concludit motũ non esse in mouẽte, sed in mobili, & actionem non esse in agente, sed in patiente, ratio est, quia si motus esset in mouente, omne mouens moueretur. Hinc infert motum & actiones duo respicere, scilicet agens, tanquam principium à quo profluit, patiens tanquam subiectum, in quo recipitur, cum interim sit res vnica, sicut eadem est via Thebis Athenas, & Athenis Thebas.

Insinuat

Insinuat modum definiendi singulas species, motus, scilicet determinando, rationem generalem motus hoc modo, alteratio actus alterabilis, quatenus alterabile est, commutatio est actus commutabilis, quatenus commutabile est.

CAPVT IV.

RAtiones proponit, ob quas Physicus debeat agere de infinito, quia scilicet agit de quantitate, & quanto, cuius passiones sunt finitudo, & infinitudo, & quia passim Physici naturam infiniti examinarunt, exponit veterum sententias, & probat doctrinam eorum, qui dixerunt infinitum esse principium, quia scilicet ipsum non potest habere principium: nam alioqui etiam haberet finem, sicque non esset infinitum.

Recenset ordine rationes, quibus veteres induci potuerunt ad statuendum infinitum: prima est, quia tempus est infinitum, cum careat initio & fine, secunda, quodlibet continuum diuidi potest in infinitum, siue termino. Tertia, quia ortus & interitus rerum est æternus, ergo datur materia infinita, quæ sit subiectum. Quarta, quia corpora omnia continentur alio corpore, ergo datur progressus in infinitum, in corporibus continentibus, vel si quis hoc neget, deueniri debet ad corpus aliquod, quod non continetur ab alio, idque erit infinitum: Deinde extra cœlum est spatium infinitum, quod si plenum sit, datur aperte infinitum. Si dicis esse vacuū, sequitur repleri posse, & cum in æternis idem sit posse, & esse, erit repletum actu, & dabitur de facto infinitum. Explicat varias infiniti acceptiones, primo enim accipitur pro eo, quod non potest pertransiri transitu scilicet proprio, & successiuo, quale est punctum, quia non habet partes. Secundo sumitur positiue pro eo, quod quantitatem habet illimitatam, ratione cuius pertransiri non potest, vt quantum, infinitum. Tertio sumitur pro eo, quod difficulter pertransiri potest, propter sui magnitudinem, licet finitum, vt fere circuitus terræ, Quarto significat pro eo, quod natura sua, & ratione magnitudinis pertransiri quidem potest, sed ratione impedimenti non potest, vt est pondus maris. Quinto accipitur frequenter pro eo, quod est actu finitum, infinitum vero potentia, scilicet vel adiectione, vt est numerus, cui semper aliquid supera potest, vel detractione, vt est continuum, semper aliquid detrahi potest, vel vtroq modo, vt est tempus.

CAPVT. V.

PRobat non dari infinitum duobus po fimum argumentis: Primo, non datur si stantia infinita, secundum se, secundi quantitatem aut magnitudinem, quia si stantia secundum se est indiuisibilis, nulli autem indiuisibile est infinitum, prout l sumitur, si quis dicat per accidens, & ratio quantitatis, esse infinitam. Respondet: Sic i finitum non fore proprium, quod tamen de ratione infiniti, vt dixit *cap.* 4 quia scilic esset accidens, & entis ens. Secundo null corpus sensibile est infinitum, probatur i tionibus Topicis, quia corpus est, quod te minatur superficie, ꝙ autem terminatur, nc est infinitum. Secundo omnis numerus cui materia sunt corpora sensibilia, potest nun merari, ergo est finitus, etiam quoad ma riam. Tertio si daretur corpus infinitum si plex, vel mixtum illud constaret ex principi vel partibus infinitis, vel finitis, non prius, *lib.* 1. dictum est, non posterius, quia fini non conficiunt quid infinitum. Deinde, si vnum principium esset infinitum, secundu omnes dimensiones repleret omnem locu & cætera non possent esse infinita, imo si num infinitum poneretur, omnia in se co uerteret.

CAPVT VI.

COnfirmat doctrinam *c. præcedentis*, & d cet, non dari infinitum actu, siue infini tum, quod vocant Categorematicum, est, infinitum secundum se, absolute, sine a dicamento, sed tantum dari infinitum pote tia, quod dicitur infinitum Syncathegorem ticum, id est, infinitum cum additamento, s licet ratione potentiæ, cum alioqui ipsum se actualitate semper sit finitum. Cuius n tura talis est, vt nunquam possit ad actum s cundum reduci, secundum totam potential tatem, siue ad actum infinitum, proportion tum potentiæ, sed actum imperfectum ta tum, qui scilicet sit semper in vlteriori sente tia, quod infinitum definitur in quinta acc ptione *c.* 4.

CAPV

CAPVT VII.

Veteres definiuerant infinitum esse id, cuius nihil est extra. Hanc definitionem re-it, eo quod conueniat cuiuis toti, & perse-o, subiicit aliam. Infinitum est, cuius semper quid præterea restat, id est, cuius semper qua pars distincta, à partibus acceptis, ra-ne quantitatis, accipi potest, idque vel re-à, vel saltem cogitatione, quæ definitio ex nte Aristotelis, comprehendit infinitum u, & potentia, permanens, & successiuum. in præsenti cap. agit de infinito secundum iectionem, & secundum detractionem, & tat peculiare esse infinito secundum adie-onem, verbi gratia, numero, quod in eo tur progressus in infinitum, procedendo sum per additionem, augendo numerum, n vero deorsum diminuendo, quia tandem uenitur ad veritatem. Contra fit in infinito undum detractionem, & est quantitas ntinua, quia sursum versus non est pro-essus in infinitum, quia omnis quantitas limitata, sed deorsum in diuisione datur ogressus in infinitum, si diuisio fiat per par-maiores semper, & minores, si definitio A-totelis accipiatur hoc sensu, infinitum est od actu habet quantitatem permanentem, qua semper æquales partes, re, vel mente, mi possunt præter accepta, sic tamen con-nit infinito actui, & categorematico.

CAPVT VIII.

Docet essentiam infiniti consistere in priuatione termini, vel potius à nobis concipi per modum negationis, & significari vocabulo connotante negationem finis, siue termini, vnde reprehendit veteres, quod dicerent infinitum continere cętera Respon ad rationes *cap* 4. allatas, pro infinito. Ad primam respondet, tempus & motum, vtpote entia successiua, esse tantum infinita potentia, non actu. Ad secundam, magnitudinem esse infinitum potentia, quia scilicet est diuisibilis in infinitum. Ad tertiam, materiam finitam, cum sit incorruptibilis, sufficere perpetuæ generationi rerum, quia vnius generatio est alterius corruptio. Ad quartam, dari aliquod corpus quod terminetur termino proprio, non vero alieno, scilicet supremum cœlum. Ad illud de spaciis infinitis respondet, id nec esse plenum, nec repleri posse. Ad probationem dicitur, axioma illud, in æternis idem est posse & esse, id verum esse, de iis, quæ æterna sunt, secundum quod sunt æterna, non autem secundum aliquam affectionem, secundum quam non sunt æterna, nam etiamsi cœlum esset ab æterno, non tamen reuolutio cœli crastina esset æterna.

Nota ex refutatione infiniti nō reddi falsas demonstrationes Mathematicas, quia Mathematici dicunt, non dari magnitudinem infinitam, sed tantum etiam in ea si daretur, verificari conclusiones Mathematicas.

IN QVARTVM LIBRVM PHYSICORVM.

CAPVT I.

Actvrvs de loco, probat tractationem loci ad Physicen pertinere, quia quæcunque sunt, alicubi sunt: cum Physicus consideret corpora naturalia, debet etiam nsiderare locum, in quo existunt. Secundo tio, seu motus localis, de qua Physicus agit, tissime patet, cum ergo eiusdem sit agere de otu, & illius termino, Physicus etiam aget de loco, qui est terminus motus localis. Dicitur autem motus localis patere latissime, tum quia etiam competit cœlo, tum quia nomen motus primum est impositum motui locali, vtpote magis obuio, & sensibili, vnde per motum communiter intelligitur localis.

Disputat in vtramque partem, num detur locus, scilicet tanquam aliquid distinctum à locato in genere enim dari locum, non potest esse dubium. Dari locum probat primo, ex successione diuersorum corporum, in eundem lo-

dem locum. Secundo ex motu grauium & leuium, quæ naturaliter tendunt in locum, proprium, vt in eo melius conseruentur. Non dari probat primo, si daretur locus, esset aliquid corporeum habens trinam dimensionem, & sic daretur penetratio dimensionum, quia locus penetraret locatum, quod est in loco. Secundo ex successione corporum non recte infertur, dari locum, quia sic etiam daretur locus indiuisibilium, puncti, lineæ, &c. nam & hæc mouentur, & sibi mutuo succedunt.

Tertio, locus si quid esset reale, vel esset elementum, vel constans ex elementis, neutrum potest dici, ergo. Quarto locus si daretur, esset alicubi, ac proinde in loco, & sic daretur progressus in infinitum. Denique crescente re locata, deberet etiam crescere & augeri locus.

CAPVT II.

ADfert vulgarem loci diuisionem, in communem scilicet & proprium, locus communis est, qui omnia, vel plura saltem corpora, ambit, & continet, vt templum, forum, est locus communis, verbi gratia, Petri, quia præter illum etiam alios continet, Iohannem, Paulum, &c. vnde est communis pluribus. Proprius dicitur, qui primus ambit, id est, qui immediate continet, & ambit aliquod corpus, vt aer immediate cingens Petrum. Ostendit locum nec esse materiam, nec formam, quia à re potest separari, materia vero & forma re salua permanente separari non possunt.

CAPVT III.

REfert varios modos, quibus vnum dici potest esse in alio, qui continentur illo versiculo in Logica allato. *Insunt pars totum &c.* ex his modus maxime proprius est, quo res est in loco. Quærit, an aliquid possit esse in seipso. Respondet cum distinctione, nihil posse esse in seipso: primo, id est, secundum se totum. Ratio est euidens, quia idem non potest esse continens & contentum, posse tamen aliquid esse in seipso, secundum aliud, siue secundum partes, sic cor est in pectore, oculus in capite.

CAPVT IV.

EXplicat loci proprietates, prima est, lo[cus] ambit id, cuius est locus, nec aliquid [e]ius est scilicet intrinsecum. Secunda, primus [lo]cus (id est proprius) nec minor, nec maio[r] locato, scilicet secundum superficiem c[on]nexam locati, quæ comparatur cum supe[rfi]cie concaua corporis locantis, alioqui [cor]pus ambiens est maius locato, vtpote co[nti]nens locatum. Tertia, locus à qualibet re [...]seri non potest, potest tamen seiungi, id [est] locus potest esse sine qualibet re, in parti[culari] non potest tamen sine omni re, sic enim da[re]tur vacuum. Quarta in omni loco insun[t su]pra, & infra, id est, omnis locus est sursum [&] deorsum. Signum (omnis) commode hic a[cci]pitur pro loco grauium, aut leuium. Nam [or]bes cœlestes non sunt proprie sursum, aut [de]orsum, & non mouentur sursum, vel deorsu[m]. Quinta, omne corpus natura, id est, incli[na]tione naturali fertur ad locum naturę suæ commodatum, & proprium, in eoque q[uie]scit, quod intellige de corporibus grauil[bus] & leuibus.

His proprietatibus, veluti fundamen[tis] positis, docet primo locum deprehensum ex successione motus localis, secundo diu[idit] ea, quæ localiter mouentur, in mobilia [per] se, & mobilia per accidens. Mobilia per a[cci]dens, subdiuidit in ea, quæ per se moueri [pos]sunt, certa conditione posita, vt sunt pa[rtes] corporis: hæ enim si à toto separentur, p[er se] moueri possent, & ea quæ non possunt [per] se moueri, vt sunt accidentia, quæ non [pos]sunt seorsim existere. Tertio, docet lo[cum] non esse formalem, quia forma est quid [...] locus non item. neque esse aliquod inter[val]lum longum, latum & profundum, quo[d] inter latera corporis contenti, & conti[nen]tis, vt quidam veterum imaginati sunt, [quia] sic daretur penetratio dimensionum, qu[ar]to non esse materiam, quia locus continet r[em] materia non item.

Ex his definit locum, hoc modo, lo[cus] est prima eius, quod circumfusum est ex[tre]mitas, quæ moueri non potest, id est, [lo]cus est superficies concaua corporis co[nti]nentis immobilis. Quæ definitio co[nue]nit loco proprio & adæquato. Dicitur

mob

obilis, quia licet superficies vt est materia-loci moueri possit, saltem per accidens, ta-en vt continens in tali spacio, adeoque for-aliter, dicitur immobilis, vnde si quis cum re ambiente moueretur, mutaret locum, ia illa eadem superficies in alio spacio il-n contineret, de quo plura in disputa-ne quinta.

CAPVT V.

QVæ sunt in loco, alia dicit esse per se, vt sunt supposita, alia per accidens, vt t partes, & accidentia, & etiam cœlum, od ratione suarum partium, dicitur es-n loco, quia scilicet vna pars eius conti-aliam, eodem modo totus orbis ratio-uarum partium, dici potest esse in loco, accidens, similiter per accidens, & ratio-artium, moueri sursum, deorsum, circu-ter.

Respondet argumentis *cap.* 1. contra lo-n allatis. Primo ad vltimum dicit, locum n augeri, vel minus, crescente locato, a accretio tantum reperitur in corpori-, locus autem est superficies, vnde dum rescit locatum, sepit corpus circumfusum, consequenter fit maior eius concaua su-ficies. Dum minuitur locatum, subsequi-corpus circumfusum, & minuitur conca-superficies. ad secundam respondet, non corpus, vnde non sequitur penetratio. secundum, indiuisibilium non posse esse um. Ad tertium, locum non esse corpus, le neque est elementum, neque ex elemen-compositum. Ad quartum, non omnia, e sunt in rebus, proprie esse in loco, sed per idens tantum, & alicubi, vt terminus in re m terminat.

CAPVT VI.

QVia vacuum magnam habet cum loco affinitatem, eius tractationem docet ad P(h)ysicum pertinere, veteres existimant dari v(ac)uum, quos Anaxagoras hoc modo refel-li(t), si quid esset vacuum, vt vulgo existimant, e(sse)t in illo aere, in quo nullum corpus appa-re(t), sed ibi non est vacuum, ergo nusquam vi-d(et)ur.

Minor probatur, quia aer est corpus: nam vtres pleni aere obstructo orificio non pos-sunt comprimi, eo quod aer resistat, similiter clepsydra aere plena, angusto orificio, ob ean-dem causam non admittit aquam, ergo si-gnum est, aerem esse corpus.

Alii probabant dari vacuum, his rationi-bus, prima, quod mouetur localiter, vel mo-uetur in pleno, vel in vacuo, si posterius, da-tur vacuum, si prius, datur penetratio dimen-sionum, quæ est impossibilis: & dolium reple-tum vino tantum vini capit, cum vtribus, atq; sine illis, atque datur vacuum inter partes vi-ni, meatus scilicet inanes, qui concludantur, dum vtres imponuntur. Tertia sine vacuo non potest intelligi, quomodo fiat accretio viuentium, per interpositionem alimenti. Quarta, vas cineribus repletum, tantum ad-mittit liquoris, quantum sine illis. Quinta, Pythagorei dicebant, distinctionem corpo-rum oriri ex vacuo, nisi enim intercederet vacuum inter corpus, & corpus, omnia coa-gmentarentur in vnum.

CAPVT VII.

VEteres dicebant, vacuum esse locum, in quo nullum est corpus graue, vel leue. Hanc definitionem reiicit, quia si daretur ali-quod corpus, nec graue, nec leue, quale est cœlum, eius locus esset vacuum, secundum il-lam definitionem, quod tamen est aperte fal-sum.

Subiungit suam definitionem vacuum est locus carens corpore, aptus tamen repleri. Soluit obiectiones *c. præcedentis*. Ad primam respondet, motum fieri in pleno, sed sine pe-netratione dimensionum, quia corpus in quo fit motus, cedit mobili. Ad secundam tertiam & quartam rationem, respondet, hæc com-mode sine vacuo explicari, dici potest tenuio-res vini partes exhalare, vel potius aerem do-lio & poris vini inclusum cedere, & reliquas vini partes condensari, vt dolium vtres cum vino capiat. Idem est de cineribus & accretio-ne, in qua aer vel subtiliores humores poris corporis inclusi cedunt aduenienti alimento, vt *in libro de generatione* explicatur. Ad hanc dicit, superficiem proprie singulorum corporum esse sufficientem cau-sam distinctionis.

CAPVT VIII.

VEteres ponebant vacuum, ad saluandum motum: ipse contra, ex motu repellit vacuum, primo, motus grauium & leuium oritur ab eorum natura, ergo non opus est vacuo ad motum. Secundo, vacuum potius tollit motum, quam illum iuuet, quia in vacuo nulla esset positionum differentia, sursum scilicet & deorsum, &c. ergo in eo non esset motus: sequela probatur, quia non esset ratio, cur mobile huc potius, quam illuc ferretur, sicuti terra à veteribus dicitur immobilis, quia æqualiter vndique distat à circumferentia cœli, nec est ratio, cur huc potius, quam illuc vergat, post multa alia *cap.* 71. præcipuum adfert argumentum, scilicet in vacuo si daretur, motum fore in instanti, quod tamen est impossibile. Sequela probatur, quia in vacuo nulla est medii resistentia, quæ tamen est causa tarditatis, vel velocitatis motus, prout resistentia est maior, vel minor. Deinde probat motum in pleno & vacuo esse æqualis velocitatis, & mobile magis & minus graue, æquali celeritate mouendum, &c. quæ argumenta quam vim habeant, expendemus *cap.* 5.

CAPVT IX.

COnfirmat doctrinam *cap. præcedentis* aliis argumentis, tum soluit vnam obligationem pro vacuo, quod scilicet sine vacuo non possit fieri rarefactio, & condensatio. Respon. condensationem fieri corpore recipiente modum quantitatis, disiunctim, quo minus spatii occupet; rarefactionem vero recipiendo alium modum, quo maius spatium occupat.

CAPVT X.

AGgreditur tractationem de tempore, & quærit an sit tempus, & quid sit. Non dari tempus, probat hac ratione: id non est, cuius partes non sunt, sed partes temporis non sunt, ergo nec tempus, minor probatur, quia partes temporis sunt præteritum & futurum, quæ non existunt: si quis dicat ipsum nunc, siue momentum, & instans, esse temporis partem, & existere. Respondet, instans indiuisibile non esse temporis partem, quia pars mensurat totum, nunc vero seu instans in uisibile, non mensurat tempus, alioqui en tempus constaret ex puris indiuisibilib Quærit deinde, an totum tempus sit vn nunc, an plura, esse tantum vnum, probat quia si esset plura, nunc corrumperetur, qu fieri nequit, nam vel corrumperetur cum a nunc, & sic essent duo nunc simul, quod e impossibile, vel corrumperetur in nunc quenti, quod etiam fieri nequit, quia sic c nunc essent sibi immediata, & sic consequ ter tempus constaret ex indiuisibilibus, denique corrumperetur in seipso, sed nec hoc dici potest, quia sic esset post sui cor ptionem, contra tamen ostendit, non es num, quia tempus finitum non termina vnito termino, ergo vt minimum debent duo nunc, quæ sint termini temporis fir Secundo si non dantur plura nunc, ea quç te mille annos, erunt simul cum iis, quæ n do fiunt, quia omnia erunt in vno nunc. argumentum ante allatum, Respondet, ni indiuisibile non corrumpi proprie, sed d nere, idque per vltimum sui esse, & imme te post illius definitionem, sequi tempus, vero aliud nunc. Textu 93 dicit, natu temporis esse difficilem, ob dissentientes nionesveterum Quidam volebant tem esse conuersionem, quod reuellit, quia qu bet pars temporis, est tempus, non au quælibet pars conuersionis, est conuersic patet, quia conuersio est motus localis ab eodem puncto reditur ad idem punct per circulum. Alii dicebant, esse cœlum, q reiicit, quia sic essent plura tempora, sunt plures cœli Ostendit etiam tempus esse motum, quia tempus vbique, sed in bili; deinde motus dicitur velox, aut dus, tempus vero longum, vel breue, distinguuntur.

CAPVT XI.

OStendit tempus esse aliquid pertinen motum, & illi connexum. Ita non pe pitur tempus, nisi percipiatur motus, vt e rientia docet, in iis, qui profunde dormi hi enim, dum expergiscuntur, putant nul effluxisse tempus inter nunc seu instans, dormire cœperunt, & nunc quo euigil Docet deinde, motum ad tempus, quæ continua ac successiua, fluentia, secun

pa:

partes, priores ac posteriores, habere hanc continuitatem, & successionem à magnitudine, & spatio, per quod fit motus, quem consequitur tempus. Ideo enim motus est continuus, quia magnitudo per quam fit, est continua, ideo vero tempus est continuum, quia motus, quem consequitur, est continuus. Similiter ideo motus habet partes priores, & posteriores, quia mobile & magnitudo, per quam fit motus, habet partes anteriores, & consequentes, & hinc tempus habet similiter partes priores, & posteriores. Definit itaque tempus, hoc modo, Tempus est numerus motus superioris, & consequentis, id est, tempus est mensura successiua motus, secundum partes priores, & posteriores. Dicitur numerus, non quidem numerans, qui est quantitas discreta, & quidem pendens ab intellectu, sed numeratus, vt est quantitas continua, existens in partibus motus, ratione cuius est numerabilis, seu mensurabilis, secundum partes priores & posteriores.

Docet deinde tempus esse per se mensuram motus, quietis vero per accidens. Nam metimur quietem, seu cessationem ab aliquo opere, per durationem motus.

Ostendit deinde, nunc seu instans esse totum simul, quia est indiuisibile, & habere se ad tempus, sicuti punctum ad lineam, vnde etiam concipitur metiri tempus, suo quasi fluxu, sicuti ductu puncti describitur & mensuratur linea, & sicuti sublatis punctis, tollitur linea, & contra, ita sublatis nunc, seu instantibus, tolli tempus, quia instantia connectunt partes temporis, & sublato tempore, tollitur instantia.

CAPVT XII.

Exponit aliquot attributa temporis, seu proprietates. Prima est, Tempus est partim minimum, partim non minimum: est minimum, multitudine, quia vnitum est, non est minimum duratione, cum enim sit continuum, quouis tempore dato, dari potest aliud minus. Secunda, Tempus non est velox, aut tardum, dicitur tamen multum, & paucum, longum & breue. Non est velox, aut tardum, quia hæc mensurantur tempore, velox enim est, quod exiguo tempore magnum decurrit spatium, tempus autem non potest mensurari seipso: dicitur autem multum, & paucum, quia numeratur, dicitur longum, & breue, quatenus est continuum.

Tertia, tempus vbique idem simul est, quod autem prius & posterius fit, non item. Sensus est, res omnes tempori subiectæ mensurari possunt, eadem duratione motus primi mobilis, idem enim modo est annus, respectu omnium, neque successiue, vnus & idem annus ad varios transit: partes autem temporis non sunt idem & simul, sed quædam succedunt aliis recedentibus.

Quarta, vt iterum atque tertio motus vnus & idem esse potest, sic & tempus, id est. Quemadmodum idem specie motus sæpius potest redire, sic etiam tempus, vt idem specie ver, æstas, autumnus, hyems.

Quinta. Nec motum solo tempore metimur, sed etiam tempus motu, propterea quod se inter se & distinguant, & determinent.

Pro quo. Nota, tempus esse propriam mensuram motus, posse tamen motum esse mensuram à posteriori ipsius temporis, nam longitudinem aut breuitatem temporis colligimus, ex aliquo motu, vt videre est in clepsydris, sic etiam magnitudinem viæ mensuramus ex motu, & contra motum ex via.

Textu 117. declarat, quid sit esse in tempore, scilicet est mensurari à tempore, & addit aliquot modos quibus dici potest, res aliqua esse in tempore, primus est, esse in tempore, dici potest illud, quod existit, cum tempus est, quo sensu Deus est in tempore, sed hic modus est improprius, vt paulo post patebit. Secundus, in tempore est id, quod temporis pars est, præteritum & futurum. Tertius, in tempore est id, quod est vinculum seu nexus partium temporis, vt instans. Quartus, proprie in tempore est subiectum, quod à tempore afficitur, vt motus & res motui subiectæ, & omnia quę successiue sunt, & generantur. Quare, quæ sunt in tempore, primo continentur & superantur à tempore, sicuti ea, quæ sunt in loco, continentur à loco. Secundo, Quæ sunt in tempore, habent successionem & mutationem cum ipso tempore, vnde dicitur, pati ab illo & tempore senescere, ac consumi: vnde res semper existentes, quæque eodem modo semper habent, vt Deus, & intelligentiæ, omniaque æterna, non sunt proprie in tempore.

CAPVT XIII.

EXplicat aliquot terminos pertinentes ad tempus vt sunt nunc, aliquando, iam, nuper, pridem, repente. Nunc significat duo, primo proprie significat momentum, & instans indiuisibile vniens partes temporis. Secundo ex communi vsu significat tempus proxime elapsum, vel mox futurum. Aliquando significat tempus determinatum, in tempore præterito, vel futuro, vt aliquando fuit Ilium, aliquando erit Antichristus. Iam significat tempus præteritum, vel futurum parum distans à momento præsenti. Nuper significat tempus præteritum, parum distans à momento præsenti. Pridem significat tempus præteritum multum distans à momento præsenti. Repente significat breue tempus, in quo magna fuit aliqua mutatio. Addit, omnia in tempore oriri, & occidere, ab ortu, à quibusdam vocatur tempus sapientissimum, ab occasu ignarissimum.

CAPVT XIV.

PRoponit tres quæstiones, prima est, vtrum tempus sit citra operationem intellectus. Respondet, tempus, vt est quid reale, sicuti e motus esse sine operatione intellectus, & pe[r] parte rei, non tamen esse formaliter numerum numeratum, sine operatione intellectu in hoc enim dependet à numero numerant qui fit ab intellectu, & abstrahitur à materi cum non possit esse numerus numeratus, n sit numerans Secunda est, cur tempus sit vb que, terra marique. Respondet, quia temp est mensura motus, & pertinet ad res, q vbiuis mouentur, in quibus est sicuti mensu est in rebus, quas metitur. Tertia est, an te[m]pus sit numerus cuiusuis motus, sc. alterati nis, augmentationis, lationis huius vel illi corporis. Respondet, esse vnicum tempus, numerum vnius motus, qui sit regula cæte rum omnium scil. motum primi mobilis, c assumitur, vt regula & mensura extrinseca mnium aliorum motuum, tum quia est ma me motus æquabilis, & ordinatus, tum qu est præstantissimus, primum autem in vn quoque genere est mensura cæterorum. R qui motus sunt tantum tempora quæd partialia, & intrinseca, quæ non possunt esse mensuræ, quia non sunt vniformes ac nobilissimi.

LIBER QVINTVS PHYSICORVM ARISTOTELIS.

CAPVT I.

AGit principio huius libri, de mutatione & motu, omnis autem mutatio, & motus, aut dicitur esse ex non subiecto, in subiectum, vt generatio, aut à subiecto in nō subiectum, vt corruptio, aut ex subiecto in subiectum, aut à non subiecto, in non subiectum. Hic vero vltimus motus Physici est inutilis plane, & incongruus, neque enim ex contrariis profluit, neque ex intermediis, neque ex contradicentibus, primus vero & secundus mutationes quidem sunt, motus tamen proprie dici nequeunt: Quia id quod nō est, moueri non potest, siquidem motus est eius, quod est. Docet etiam generatione corruptionem non esse proprie motus, c quod generatur, non mouetur: ergo gen tio non est motus. Antecedens probatur quod mouetur, est, quod autem genera ante generationem nō est, sed per illam a est. Ratio huius est, quia sunt mutation instanti, motus autem successiue.

CAPVT II.

SVb finem capitis, motum stricte sumpt qui est cum aliquid mutatur de subiect subiectum, docuerat esse ad tria prædican ta, Quantitatem sc. Qualitatem, & Vbi: I hoc capite confirmat, excludendo cæ præ

ædicamenta. Ad substantiam igitur, secundum Aristotelem non est motus, quia motus est inter terminos contrarios, substantiæ autem nihil est contrarium. Si quis obiiciat, Quantitati etiam nihil esse contrarium, Resp. in quantitate reperiri contrarietatem sufficientem ad motum, scilicet magnum & paruum, in quibus est contrarietas distantiæ. Ad relationem dicit, non esse motum, quia acquiritur sine vlla Physica mutatione fundamenti, & subiecti, sed per solam mutationem termini. Deinde multis probat motum non esse motum, quia via debet distingui, à termino, & alioqui daretur progressus in infinitum, vt patet.

Singulis motibus imponit sua vocabula. Motum ad Qualitatem generali nomine vocat alterationem, seu commutationem, sub qua plurimę continentur species, sicut dantur multæ qualitates. Motum ad quietem maiorem, vocat accretionem, ad minorem decretionem. Motum ad locum in genere vocat lationem, licet hoc nomine proprie tantum conueniat iis, quæ pro libito non possunt sistere motum, vt sunt elementa.

Cum contrariorum eadem sit scientia, triplex explicat immobile, primum, quod absolute moueri non potest, vt Deus, secundum, quod difficulter moueri potest, vt ingens aliquod saxũ. Tertio, quod de facto nõ mouetur, et moueri possit, & tale est omne quiescens.

CAPVT III.

Exponit quædam vocabula, quæ in examine motus occurrũt, primo simul sunt, quæ primo vno sunt loco, id est, quæ continentur vno & eodem adæquato loco, vt sunt corpora se mutuo penetrantia: naturaliter ergo corpora non possunt esse simul: Secundo separatim sunt, quę sunt in alio loco, id est, proprio, vt sunt naturaliter omnia corpora, possunt autem esse in eodem loco cõmuni. Tertio tangere sese dicuntur ea, quorum coniuncta sunt extremitates, id est, superficies, vt aqua & aer, orbes cœlestes. Quarto Medium interiectum est, id quod prius peruenit mobile, quam est mobile. Quinto continenter moueri dicitur, quod nihil, aut certe paulum rei interrumpit, nihil autem temporis, id est, quod sine interruptione temporis moueatur, quamuis parum spacii, aut magnitudinis interrumpat, vt cum quis superiorẽ chordam testudinis pulsat, & sine temporis mora vlteriorem mediis intactis. 6. Loca contraria dicuntur, quæ secundum lineam rectam maxime distant, vt sursum & deorsum, distantia autem sumitur secundum lineam rectã, quia illa est breuissima, talis autem debet esse mensura: Septimo consequenter, seu deinceps est, quod sequitur primum, nihilque eiusdem generis intercedit, id est, quod sequitur aliud prius situ, sic vna domus est alteri deinceps, licet mediet platea & secundus primo licet medist aliquod spacium, quia illud non est eiusdem generis. Octauo cohætens seu contiguũ dicitur, quod sequitur primum, & præterea contingit, id est, contigua sunt, quorum extremitates sunt simul, vt aqua & aer. Nono Continua sunt, quorum vna est extremitas, vt duæ partes alicuius ligni, termino communi inter se copulate.

Ex quibus infert deinceps patere latius, quã contiguum: vt vero aliqua sint *Deinceps*, vt nihil eiusdem generis intercedat, ad contiguum requiritur præterea contactus, ad continuum insuper requiritur vnio quædam naturalis.

CAPVT IV.

Explicat multiplicem motus vnitatem genericã, sc. & specificã. Motus vnus genere dicitur, qui est eiusdem categoriæ, seu cuius terminus est res eiusdem prædicamenti, vt omnes alterationes conueniunt genere. Motus vnus specie dicitur, cuius terminus est res vna specie specialissima, vt omnes calefactiones conueniunt specie Ad vnitatem specificam motus localis, per lineam rectam & circularẽ specie differunt, etiamsi ad eũdem terminum tendunt. Vnus numero motus est, cuius est vnus numero terminus, ad quem vt vnum mobile & tempus non interruptum, cũ igitur ad identitatem numericã motus requiratur idẽtitas motus, & cõtinuitas motus infert motus diuersæ speciei, licet se mutuo sine corruptione consequantur, non esse vno numero motũ.

Alio quodam modo motus vnus dicitur, qui est æquabilis & toto discursu sibi similis, nec modo celer, modo tardus, cui apponitur motus inæqualis, seu irregularis, qui habet partes differentes in celeritate, cuius inæqualitatis causa aliquando substantiam, aliquando medium est, tales potest esse vnus numero, si cætera requisita desint.

CAPVT

CAPVT V.

DOcet illos motus esse contrarios, qui fiunt ex terminis contrariis in cōtrarios, vt sunt calefactio & frigefactio, generationes autem substantiales tum sunt contrariæ, quādo terminis à quo, vnius est terminus, ad quem alterius, vt generatio, qua ex aqua fit aer, est contraria generationi, qua ex aere fit aqua. In contrariis vero habentibus medium, vt sunt albedo, & nigredo, dicit eos motus esse contrarios, qui à contrariis terminis inchoantur ad idem medium. Ratio est, quia medium vni extremo comparatum subit rationem alterius extremi, vt quando ex albo fit motus in fuscum, dicitur denigratio, quia fuscus calor subit rationem ingrediens & contra, quando ex nigro fit fuscum, dicitur dealbatio, quia fuscus calor subit rationem albedinis.

CAPVT VI.

DOcet quietem sub termino à quo opp[...] ni motui, non vero illam, quæ est [...] termino ad quem, quæ dici solet consistent[...] quia hæc est finis motus, ergo non opponi[...] motui. Quietes autē illæ sunt oppositæ in[...] se, quæ sunt sub terminis à quibus contrar[...] vt quies deorsum est opposita quieti surs[...] Addit in mutationibus, scil. instantaneis, [...] esse propriè quietem, sed tantum vacuitat[...] à mutatione, quia quies propriè est priua[...] motus, mutationes autem non sunt mo[...] Explicatis motibus contrariis, ratione [...] lenti & naturalis ostendit in singulis m[...] tus speciebus reperiri aliquos violentos, alios materiales.

LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

AGit hoc libro de continuitate motus, & de partibus quantitatiuis illius, & capite primo docet, nullum continuum componi ex indiuisibilibus. Quod probatur ex definitione continui. Quia continuum est, quod diuidi potest in ea, quæ semper diuidi possunt, ergo componitur ex diuisibilibus vnumquodque enim componitur ex iis, in quę resoluitur.

Deinde indiuisibilia adæquate sese mutuo tangunt, & secundum se tota, ergo non possunt efficere continuum.

Addit eandem esse rationem, quo ad hoc magnitudinis temporis, & motus.

CAPVT II.

PRopter similem rationem magnitudinis & temporis, confirmat tempus componi ex partibus diuisibilibus, & sicuti magnitudo est finita actu, quoad extremitates, in infinita potestate, quoad diuisionem, sic etiam tēpus.

Ex quo sumit rationem Xenonis Phil[...] phi, qua probabat nihil posse moueri qu[...] continuum est finitum, habens puncta in[...] ta, infinitum autem non potest pertransi[...] si tempore infinito, tempus autem est fini[...] ergo non potest fieri motus.

Respondet: Continuum esse finitum quoad extremitatem, infinitum tantum [...] state ratione diuisionis, & tempus e[...] modo esse infinitum. Vnde finito tem[...] posse fieri motum.

CAPVT III.

VT ostendat, motum esse continuu[...] diuisibilem, nec posse fieri in instan[...] fert tria Theoremata. Primum est, nu[...] momentum temporis, esse quid indiui[...] Quod probatur, quia momentum seu [...] temporis, est terminus copulans præte[...] & futurum, sed talis terminus debet es[...] indiuisibile, ergo momentum est quid i[...] sibile. Minor probatur, quia si esset qui[...] uisibile, aliquid temporis præteriti ine[...] futuro, & econtra, aliquid temporis fut[...] præ

ræterito, vt patet. Neque dici potest, esse uo momenta, seu duos terminos, quia cum 10 momenta non sunt sibi immediata, sed ter illa mediet tempus, non possunt esse terini, copulantes immediate duas temporis rtes Ex hoc igitur probatur, in momento nporis non posse fieri motum, quia sc. mo- fieret in momento, velox & tardum fierent momento, sed hoc fieri nequit, ergo. Minor batur, quia velox dicitur, quod æquale cium absoluit breuiori tempore, tardum o, quod longiori, ergo supponunt tempus isibile.

Ex eodem primo probat, quietē non esse in mento, sed in tempore, quia motus est in npore, quies autem est priuatio motus, ac inde eadem illius est ratio, quæ motus. nc est secundum Theorema, temporis monto nihil potest moueri, aut quiescere. ter- n Theorema est: Omne quod mouetur, tinuum & diuisibile esse oportet. Probat, quia quicquid mouetur, partim est in terno à quo, partim in termino ad quē, quod em ita se habet, est diuisibile, sed de hac estione in disputatione de motu agemus.

CAPVT IV.

OStendit motum posse diuidi in partes, tum ratione subiecti, tum ratione temis. Prius probat, quia motus, quo Socrates, gr. mouetur, diuiditur in eam partem, qua ut mouetur, & in eam qua pectus. Nam n motus insit toti mobili, vt partes vnius ondeant partibus alterius, sequitur ad dionem mobilis etiam diuidi posse motum. terius probat. Quia totus motus est in toempore, minor motus, in minori tempo- rgo partes motus responderent partibus poris, & per consequens, motus diuidi po- ad diuisionem temporis.

CAPVT V.

AGit de partibus motus, & de mutato esse, quod est terminus & finis motus. Id au- i dari probat ex fine motus. Addit ex parte prii motus non posse dari huiusmodi mu- im esse, seu indiuisibile motus, quod sit ium. & velut terminus inchoans motum, a omne mutatum esse supponit motum, quum nulla res dici possit mutare, nisi per motum. Vnde à parte anteriori motus non est aliquod indiuisibile, per quod subiectum dici possit moueri.

De acceptione & desitione motus dicemus in disputatione de motu.

CAPVT VI.

PErsequitur doctrinā de mutato esse, quod est terminus indiuisibilis motus, sicuti punctum est instās temporis, & dicit duo, primum est, ante quamlibet partem motus diuisi præcedere mutatum esse. Secundum, Ante quodlibet mutatum esse præcedere aliquam partem motus Ratio fundamentalis vtriusq; est, infinita diuisibilitas motus ratione continuitatis: Vnde idem proportione locum habet in magnitudine, & tēpore, deinde probatur ex peculiari ratione motus, quia non potest res esse mutata, nisi sit motus.

CAPVT VII.

AGit de finitate & infinitate motus, & ponit quædam Theoremata. Primum magnitudo finita nequit pertransiri, infinito tempore. Intellige, nisi motus fiat super eadē magnitudine sæpius, vt fieret in motu cœli, si perpetuo duraret. Secundum. Infinita magnitudo nequit pertransiri tempore finito. Tertium, mobile finitum habet tempore infinito pertransire spatium infinitum. Quartum mobile infinitum nequit tempore finito pertransire magnitudinem finitam, vel infinitam. Quintum, Tempore finito non potest esse motus infinitus. Ratio fere omnium est, quia requiritur proportio inter spatium, tempus, & motum: Infiniti autem ac finiti non est proportio.

CAPVT VIII.

SVpra probarat in motu non dari primum mutatum esse, hic idem probat, de quiete, quæ est priuatio motus, nam quod quiescit, in tempore quiescit, sed in tempore non datur primum indiuisibile illius, sc. instans, ergo nec in quiete, quæ est in tempore. Maior probatur. Quia tunc res quiescit, cum non mouetur, & tamen apta est moueri, sed in instanti non

est apta moueri, ergo nec quiescere. Confirmatur Id dicitur quiescere, quod ita se habet modo, sicuti ante, sed instans non habet modo, & ante, ergo in quiete non est primum instans, sed omnis quies est in tempore.

CAPVT IX.

SOluit rationes Zenonis Philosophi, quibus probabat non dari motum. Prima est, quam initio adfert, & tertio loco repetit: Si daretur motus, sequeretur id quod velocissime mouetur, simul moueri, & quiescere, sed hoc repugnat; ergo. Sequela maioris probatur, quia omne mobile, dum est in spacio, sibi æquali, aut mouetur, aut quiescit, sed quod mouetur, singulis momentis, est in spacio, sibi æquali, & tamen singulis momentis moueri non potest, ergo simul mouetur, & quiescit.

Respondet hanc rationem falso niti fundamento, quasi tempus constaret ex solis momentis, quare negatur maior, cum sua probatione: Mobile enim dum est in spacio sibi æquali, nec mouetur, nec quiescit, quia motus & quies sunt in tempore, non in instanti. Secunda ratio est, in qualibet magnitudine sunt partes infinitæ, ergo si aliquid mouetur, finito tempore pertransit infinita, sed hoc repugnat, ergo & motus.

Resp. magnitudinem habere partes infinitas in potentia, sicuti etiam & tempus, ac pro inde finito tempore posse pertransiri, tale in finitum quod est actu finitum. Tertia rati vocatur Achilles, quia in ea sumitur Achill exempli loco, qui in motu dicitur velocis mus, est autem hæc, si vllus fiat motus, quod est pernicissimum, vt Achilles, re tardissimam, vt testudinem fugientem asseq non potest, quod est absurdum. Sequela pr batur: Sit Achilles decuplo velocior, qua testudo, & cum illam persequi incipit, dis ab illa vno stadio, interim dum Achilles st dium illud decurrit, testudo decurrit decin partem alterius stadii, & dum Achilles decu rit decimam illam partem, testudo decur decimam decimæ alterius, & ita in infinitu ergo semper testudo præcedit.

Respondetur hic non seruari illam prop tionem, vnde velocissimum assequetur, qu æquali tempore longe maius spaciũ confic

CAPVT X.

COnatur probare indiuisibile in quanti te, ve. gr. punctum non posse moueri, se, sed tantum per accidens, ad modum, scil continuum in quo est, sicut accidens mo tur ad motum subiecti, in quo est, de quo in disputatione de motu.

LIBER SEPTIMVS.

QVidam ex veteribus hunc librum reiiciunt, vt Themistius & Alexand alii habent pro Aristotelico, & videtur introductio quædam ad librum oct uum, in quo pleraq; exactius probantur.

CAPVT I.

EXplicaturus non omne mouens ab alio moueri, sed esse primum aliquod mouẽs: primo docet Quicquid mouetur, ab alio moueri, quod quo verum sit modo, alibi explicuimus. Dari autem in mouentibus statum, probatur, quia si omne mouens ab alio moueretur, esset progressus in infinitum, & eodem tempore esset motus infinitus, saltem numero, quia infinita mouentia.

CAPVT II.

DOcet in omni motu mouẽs primum, proximum esse simul cum mobili. Sim hic esse dicuntur, quæ se tangũt supposit

Probat id Aristoteles sigillatim de alte tione, accretione, & motu locali, à textu vsque ad cap 3. Qui censent dari action primo in distans, nec volunt videri reced ab Aristotele, intelligunt illud simul, id debite sibi mutuo approximata intra sp

:am actiuitatis, verum mens Aristotelis satis patet ex probationibus hic, & *capite septimo, libro octauo.*

CAPVT III.

Docet alterationem proprie dictam, solū esse adqualitates sensibiles, tertię speciei: unde ad habitus probat non dari alteratio-em, sc. corruptiuam, alioqui constat habitus roduci & intendi per actus. Ostendit etiam er figuram non esse alterationem, aut mo-um, per se, quia illa consequitur terminum motus, sicuti & relatio.

CAPVT IV.

Ostendit quemuis motum non posse comparari cuiuis in celeritate, aut tarditate, quia si motus circularis comparari posset motui recto, etiam linea recta conferri posset cum circulo eique esset æqualis, maior, aut minor.

Multis hic explicat, quæ inter se comparari possint, & in quibus. Vide Toletum hic.

Deinde docet, alterationes illas dici similes, quæ sunt ad qualitates eiusdem speciei, & intensionis æqualis esse, quæ fiunt in partibus æqualibus, & æquali tempore, similiter accretionis æquales partes, quæ æquali tempore acquiruntur.

Capite quinto proponit regulas, quibus dignosci possit motuum proportio.

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

CAPVT I.

Refutatis quorundam Philosophorum sententiis, docet motum & mundum fuisse ab æterno, quod est contra fidem.

Probat autem primo, quia mobile præcedit motum, ergo tum datur primus motus. Consequentia probatur, quia illud mobile præcedens motum, est productum alio motu, & is motus necessario iterum habuit mobile prius, & ita in infinitum.

Respondetur mobile fuisse productum per creationem initio temporis, non per motum a quem proprie dictum, qui supponat, mobile, tanquam subiectum.

Probat secundo, quia tempus est æternum, ergo & motus. Antecedens probatur, quia quoduis nunc est medium, siue est principium temporis futuri, & finis præteriti, ergo tempus non incepit.

Respondetur negando antecedens, cum sua probatione, datur enim primum nunc principium temporis, quod non sit finis præteriti.

Probatur tertio: Si tempus incepit per nunc, indiuisibile, ante illud nunc, non erat tempus, sed ante sicut prius designat tempus, ergo ante tempus quod dicitur habuisse initium erat tempus.

Respondetur, illud ante non significare positiuam durationem successiuam, sed moram imaginariam, quæ suo modo est æterna: His rationibus pro mundi & motus æternitate aliæ adduntur, ex operibus Aristotelis, vt planum sit, illum ex propria sententia docuisse æternitatem motus, & nunc tantum ad refutandos quosdam errores aliorum, vt voluit D. Thomas.

CAPVT II.

Refutata sententia Anaxagoræ, & Empedoclis, qui volebant mundum & motum fieri, per litem & amicitiam, dissoluit rationes, quibus refelli posset æternitas motus. Sed illæ faciles sunt, quas alias attulimus *disp. 6. quæstion. 6.*

CAPVT III.

Ostendit nō omnia posse quiescere, nec omnia semper moueri, sed aliqua interdū

moueri, &

& aliqua interdum quiescere, vt sunt corruptibilia, & mixta, aliqua semper moueri, vt sunt cœli, aliqua semper quiescere, vt est terra.

CAPVT IV.

VT inuestiget primum motorem docet idem quod *c. 1. l. præc.* omne quod mouetur, ab alio moueri, & probat, quia, Quicquid mouetur, aut violenter mouetur, aut naturaliter. Si violenter, ergo ab extrinseco, & proinde ab alio, si naturaliter, vel est animatum, vel est inanimatum, si animatum, mouetur ab alio, sc. à parte præcipua, v gr. animal à corde, ac proinde pars mouens est distincta à parte mota, per se, & sic motus est ab alio, si sit inanimatum, vt elementa, grauia & leuia, mouetur à grauante, quod probatur primo, quia à se moueri est viuere, sed grauia & leuia non viuunt. Secundo si se possent mouere, inanimata, possent etiam motum suum sistere, sed hoc non possunt, ergo nec prius. Tertio, Nullum continuum potest pati à seipso, quia agens & passum debent esse distincta, ergo grauia & leuia à se moueri non possunt. Hæ rationes tantum probant inanimata se non mouere, motu organico, & libero, per cognitionem, non autem ostendunt, non posse se mouere absolute, neq; necesse est agens & patiēs inter se distingui, supposito, vt ostendimus *disp.* 3. *q.*

CAPVT V.

PRobat in omni motu deueniendum esse ad primum motorem, qui non moueatur ab alio. Ratio est, quia quicquid mouetur, vel mouetur ab extrinseco, vel ab intrinseco, si posterius, datur, mouens primum, quod mouetur à se, & non ab alio si prius, vel illud extrinsecum rursum mouetur ab alio, vel non, & sic procedendo in infinitum, vt necessario tādem deueniatur ad aliquid, quod nō moueatur ab alio, idque est primum mouens.

CAPVT VI.

PRobat hoc capite primum motorem esse vnicum, immobilem æternum. Esse vnicū probat, quia in rebus naturalibus ceteris paribus, melius est vnum, quam multa, atqui vnus primus motor sufficit, Esse immobilem, probat, quia seipsum moueret, & sic esset corruptibilis, nam si moueretur ab alio, non esset primus motor. Esse æternum, probat, quia motus est æternus, qui cum non potuerit esse sine motore, motor erit æternus.

Deinde ostendit, quando id, quod est immobile, esset causa omnium motuum, etiam contrariorum. Tum asserit causam per se, sed per primum mobile, sc. per cœlos, quia vnum manens idem, semper natum est producere idem, ergo primus motor, cum semper sit vnum & idem, per se, & proxime, non facit mutationes diuersas, & contrarias, sed interuentu aliarum causarū Ex qua doctrina colligūtur duo errores Aristotelis, sc. Deum agere ex necessitate naturæ, alioqui enim ratio ipsius non vrget. Secundus, Deum non concurrere immediate ad omnes actiones rerum creatarum,

CAPVT VII.

PRobat primum motum esse localem, quia tres sunt species motus, scil. augmentatio, alteratio, & motus localis. Augmentatio præsupponit alterationem, quia alimentum debet disponi per alterationem, vt aggeneret alito, alteratio vero supponit motum localem, quo passum applicatur agenti. Ex quo infert solum motum localem posse esse æternum, ceteros non posse, cum illis necessario sit aliquid prius.

CAPVT VIII.

PRobat solum motum circularem posse esse æternum, tres enim tantum sunt species motus localis, sc. rectus, circularis, & mixtus. Rectus & mixtus non possunt esse æterni, ergo solus circularis. Antecedens probatur, quia si rectus esset, æternus deberet esse reflexus, quia non datur linea, seu magnitudo recta infinita, supra quā fieri potuerit motus rectus infinitus, sine reflexione, sed reflexus non est continuus, ac proinde non est æternus, quia in puncto reflexionis mobile aliquando necessario quiescit, quod examinabimus in disputatione. Mixtus autem cum constet ex simplicibus, sc. ex motu seorsum & deorsum, etiam nequit esse æternus.

CAPV

CAPVT IX.

)Robat motum circularem posse esse continuum, quia eius termini non sunt con-
trii, nisi valde improprie, quatenus videli-
t vnum punctum ad diuersa comparatum,
test habere rationem principii, finis & me-
.

Deinde probat motum circularem esse pri-
m, quia mixtus cum sit compositus, est
sterior motu recto, & rectus cum sit im-
fectior, & posterior circulari, ergo circu-
is est primo, secundo, solus circularis po-
: esse æternus, tertio est ceterorum mensu-
quarto est maxime æquabilis.

CAPVT X.

D)Ocet hic primum motorem esse infinitæ virtutis, incorporeum & defatigationis
ertem, ac in supremo cœli ambitu versari. De virtute probat, quia nihil finitæ virtutis potest infinito tempore mouere, sed primus motor mouet infinito tempore, quæ ratio tantum probat virtutem infinitam: quoad durationem, qualis etiam est, in Intelligentiis, non vero infinitam tensionem. Incorporeum esse probat, quia vis infinita, non est corporea, ergo, nec eius subiectum. Antecedens probatur, quia si esset corporea, esset infinita, in magnitudine, sed hoc dici non potest, ergo. Esse expertem defatigationis probat, quia ita mouet, vt non moueatur, ac proinde ex motu non potest oriri defatigatio. In cœli ambitu versari probat, quia cum duo sint principia vniuersi, scilicet ambitus summi cœli, & cētrum in centro, quod constituitur à Pythagoreis, Aristoteles censet esse decentius, illum constituere in summo cœli ambitu, vbi manifestior est eius virtus, ratione motus celerrimi. Vltimo repetit aliqua de vnitate primi motoris.

Hæc in libros octo Aristotelis Physicorum compendiose dicta sufficiant.

DISPVTATIONES PHYSICÆ.

PROLEGOMENA AD DISPVTATIONES PHYSICAS.

PROLEGOMENON PRIMVM.

Physicam esse scientiam speculatiuam.

PHYSICAM esse vere ac proprie scientiam, patet ex vulgata illa diuisione, qua Philosophia diuiditur in Physicam moralẽ & rationalem: de qua *init. Logic.* Confirmatur authoritate Aristotel 3. *Physi. c.* 4. & 2. *Metaph c.*3. vbi Philosophiam naturalem appellat scientiam, & 4. *Met. c.*5. vbi confutat Heraclitum, & alios, qui volebant cognitiones naturales esse tãtum opinationes, & propter naturæ tenebras nihil certo posse sciri. Probatur ratione: Quatumcunq; rerum cognitio datur per causam certam & necessariam, earundem datur scientia proprie dicta, atqui rerum naturalium datur talis cognitio, ergo: & scientiæ, ergo Physica est scientia Minor probatur, quia hæ sunt veræ demonstrationes Physicæ, omne continuum est diuisibile in partes, sed omne corpus est continuum, ergo Deinde, Quicquid constat ex cõtrariis, est corruptibile, omne mixtum est tale, ergo est corruptibile. Similiter nulla potentia potest naturaliter ita esse pura, vt sit sine forma, seu actu formali, atqui materia est potentia pura, ergo nõ potest naturaliter esse sine actu.

Occurrunt tamen rationes incontrarium. Prima est, omnis cognitio Physica ortum habet à sensibus, sed sensus possunt errare, et nulla certa cognitio à sensibus ad intellecti potest deriuari.

Resp. sensus in multis non posse errare, mirum proprium sensibile, in communi, & quando contingat illos errare, possunt ab i tellectu corrigi, vt experientia docet, in bac lo, qui apparet fractus in aquis, & in mag tudine rei distantis.

Secunda ratio Physica non est de rebus cessariis, sed de iis, quę generantur & corru puntur, ergo non est vere scientia.

Resp. ad antecedens, res naturales salt esse necessarias, secundum naturam, & essi tiam, siue secundum connexionem, prædi torum essentialium inter se, & proprietat cum essentia, quæ immutabilitas & necessi obiecti sufficit ad rationẽ scientiæ, hæc en facit, vt quandocunq; res existunt, semper dem modo se habent, v. gr. quandocunq; corpus mixtũ est corruptibile, &c. nihil a obest, ꝙ res naturales, saltem sublunares c rumpantur, siue varietur, quoad existenti

Tertia ratio. De ente per accidens non scientia, vt Aristot. 6. *Met. c.* 2. sed Physica es ente per accidens, ex Aristot. 2. *de gener. c.* 1. de materia sensibili, id est, materia prima, fecta accidentibus, quæ sensum mouent.

Resp. 1. ad minorem Physicam etiam co siderare materiã, vt est altera compositi p & sic est ens, per se, deinde non omne ens accidens remouetur à scientia, sed tantum quod neq; habet causam, determinatam, que proprias passiones, vt sunt, v. gr. musi albus, thesaurus casu inuentus.

Qu

Quarta ratio. Physica ſcatet erroribus, & multa continet contra ſanam doctrinam, vn: Philoſophi dicuntur à Lactantio, turbare tam humanam, non inſtruere, à Tertull. vo- ntur Patriarchæ hæreticorum.

Reſpon. Patres illos damnare Sophiſtas, & oſdam Platonicos, qui in primitiua Eccle- Chriſtum ore profitebātur, Platonem ani- non exuebant, & Patroni fuerunt hæreſis tianæ, nō vero damnant veram & ſobriam iloſophiam, hanc enim tanquam fidei ſub- am, & ancillantem laudant. Hinc idem La- ntius ait, Philoſophia non nocet, ſed pro- t, ſi religione imbutus eſt animus, & Cle- ns 1. *Stromat.* Doctrina Saluatoris ipſa ſibi ficit cum ſit potētia & ſapientia ipſius Dei, men ſi Philoſophia acceſſerit, non quidem entiorem facit veritatem, ſed Sophiſticos altus ab ea amolitur, & inſidias omnes a- tēs ſeps eſt, & lorica dominicæ vineæ. Simi habēt alii. vid. Lipſ. *manud. ad Stoic. Phil. l. 1. d. ert. 3.* deinde ſi alicuius mali cauſa eſt Phi- ophia, id vitio hominum euenit, vt ſi ex olis Philoſophorum prodeunt Sophiſtæ, etiam ex ſcholis Iuriſperitorum prodeant ulæ, & ſcholis Medicorum carnifices.

ecundo, Phyſicam eſſe ſcientiam ſpecula- am, patet ex Ariſtot. *6 Met. c. 1. t. 1. & 11.* Et batur, quia pro fine ſuo habet ſolam re- naturalium contemplationem, neq; co- tionem illam refert ad actionem, ſeu exe- onem, quia non præſcribit regulas illas cticas rei conficiendæ.

Obiic. tamen quidam, Philoſophia natu- s inclinat ad amorem Dei, & ad contem- m rerum humanarū, ſed amor & contem- s ſunt quædam actiones, ergo naturalis loſophia erit practica.

Reſp. ad maiorem: Philoſophiam natura- le non inclinare ad amorem Dei, practice ando, nimirum regulas amandi Deum, & ſed tantum ex occaſione oſtendendo re- naturalium pulchritudinem, in quibus et diuina bonitas & ſapientia, in quas vo- as amando fertur, ſimili modo detegit re- ſublūnarium inconſtantiam, ſicque in- at ad earum contemptum.

Obiic. ſecundo: Medicina eſt practica, ſed icina eſt pars Phyſicæ, ergo illa ſaltem Phyſicæ eſt practica, Maior eſt commu- ninor probatur, quia conſiderat partem ſubiectam obiecti Phyſicæ, nimirum corpus humanum.

Reſp. negando minorem, Ad probationem dico, medicinam tantum conſiderare partem obiecti materialis, non tamen formalis, quia medicus verſatur circa corpus humanū, qua- tenus per artem & induſtriam eſt ſanabile, Phyſicus vero, quatenus eſt natura, & conſtat materia & forma.

Obiic. tertio: Phyſica conſiderat modum, quo potentia nutritiua exercet ſuas functio- nes præparando, & diſtribuendo alimentum, illudque conuertendo in ſubſtantiam viuen- tis. Deinde conſiderat actiones immanentes voluntatis, & intellectus, quæ praxes dicun- tur, ergo erat practica.

Reſp. neg. conſequentiam, quia hæc omnia conſiderat modo ſpeculatiuo, non practico, quia non præſcribit regulas directiuas illa- rum operationum.

PROLEGOMENON SECVNDVM.

De obiecto Phyſicæ.

DIſſentiunt Philoſophi de obiecto Phyſi- cæ, magis tamen verbis, quam re, qui- dam ſtatuunt corpus mobile, alii ens mobile, alii ſubſtantiam mobilem, alii denique cor- pus naturale.

Dico corpus naturale eſt obiectum Phyſi- cæ. Probatur, quia illud eſt alicuius ſcientiæ obiectum, cuius natura, partes, & affectiones explicantur, atqui in Phyſica explicantur na- tura corporis naturalis, partes, principia, cau- ſæ, affectiones, &c. ergo minor conſtat ex ob- iectis ſingulorum librorum Philoſophię. Pro- batur ſecundo, Quia corpus naturale expli- cat adæquatam rationem formalem obiecti, malim, quam corpus mobile, quia non aſſi- gnat obiectum formale in ordine ad vnam tantum affectionem Phyſicam, v.gr. ad motū, ſed in ordine ad omnes omnino affectiones naturales, dum aſſignat corpus, vt naturale, id eſt, vt principium omnium naturalium af- fectionum, inter quas qualitas & quantitas ſunt nobiliores, q̃ motus, qui autem ponunt ens, vel ſubſtantiam mobilem, præterquam q̄ aſſignent diminute inadæquatum obiectum formale, coincidunt cum obiecto, ſaltem ma- teriali

teriali Metaphyficæ, cuius eft confiderare ens & fubftantiam, imo & in obiectum formale, quia ens mobile & fubftantia mobilis concipiuntur, vt abftracta à materia, cum tamen obiectum Phyficæ, debeat expreffe includere materiam, & tale eft corpus, quod includit materiam.

Nec refert, quod anima rationalis, de qua difputatur *in libr. de anim.* non fi materialis, aut corporea, quia faltem dicit ordinem ad materiam, tanquam ad fui comparem, & ad totum compofitum Phyficum.

Dices, Ariftot. *6. Phyf. cap. 3* probat, omne corpus effe mobile, fiue habere principium motus, quod in re idem eft, ac fi probaret effe naturale, fed nulla fcientia probat fuum obiectum, ergo corpus naturale non eft obiectum.

Refpon. ad minorem: In fcientia aliquando probari contra peruicaces, affumpta fcilicet perfona Metaphyfici, quomodo etiam Ariftot. *lib.* 1. docet, materiam & formam.

Obiic. fecundo: Aftrologia confiderat cœlum, ergo Phyfica non confiderat omne corpus naturale.

Refpon. negando confequentiam, quia aftrologia non confiderat cœlum, vt corpus naturale, fed tantum vt varia proportione menfurabile, & fic tantum habet idem obiectum materiale, cum partiali Phyfica.

De diftributione & infcriptione librorum Phyficorum.

EX dictis relinquitur totius Phyficæ obiectum effe corpus, abfolute fumptum, fed per modum totius confufi, quia in Phyfica confideratur corpus fub ratione generica, & etiam eius fpecies, non tantum, quia corpora in genere funt vel quatenus conftant materia, & genere, in forma, verum etiam, fecundum vltimas fuas rationes, ita vt verbi gratia, cœlum, quatenus cœlum & elementum in quantum tale, in Phyfica confideretur. Et vt fingularum partium obiecta diftinguamus, octo librorum Phyficorum obiectum eft corpus naturale, quod eft genus, quia eius communiffimæ paffiones principia hifce libris explicantur, tum progreditur Ariftotel. ad fpecies corporis naturalis, & primo ad nobiliffimam, quæ eft corpus fimplex, fub quo comprehenduntur cœlum, & quatuor element[a] de quibus agitur *in lib. de cœl.* Tertio *in lib. d[e] generat.* de mixtis in genere, & corruptibilibus, vbi etiam agit de elementis, prout concurrunt ad generationem mixtorum. Quarto, *in lib. Meteorer.* agit de imperfecte mixti[s] vt niue, glacie, grandine, cometa, iride, & c. i[n] *lib. de anim.* incipit agere de perfecte mixtis, a[c] primo de viuente in communi, ac particulari & hi libri in fcholis prælegi folent, & alii d[e] hiftoriis animalium, de partibus, de corur[n]dem generatione omitti folent, quod narr[a]tionis ftylo fint confcripti, & faciliores.

PROLEGOMENON
TERTIVM.
De methodo Ariftotelis tradita lib. 1. cap. 1.

ARTICVLVS PRIMVS.

De propofitione Ariftotelis, qua dic[it] Tunc rem cognofci, quando fciuntur caufæ.

QVæftio eft de caufis, per fe, quæ fua[p] natura ad effectum concurrunt, q[ui] caufæ per accidens quæ fcilicet fortuito co[n]iunguntur, caufæ per fe, & in effectum n[on] influunt, qualis eft, verbi gratia, effe m[u]cum, in patre, refpectu filii, nihil confer[t] ad cognitionem effectus, quia à talibus ca[u]res non dependet in fieri, vel in effe, ac pr[o]de neque in cognofci, Nam caufæ per a[cci]dens manentes eædem poffunt habere c[on]trarios effectus, & contrarii effectus poff[unt] dependere ab eadem caufa, vt homo mufi[cus] poteft effe caufa denigrationis & dealbat[io]nis.

Nota aliam effe fcientiam comprehe[nsi]uam, qua res tantum cognofcitur, quant[um] eft cognofcibilis, qualis eft cognitio Dei, [qua] feipfum comprehendit, & cognitio Ang[elo]rum, qua comprehendunt res naturales [a]liam vero effe cognitionem in genere, [quæ] non eft comprehenfiua, & qua non cogno[fci]tu[r]

ut res omni illo modo, quo cognoscibilis st, & hæc habetur vel p definitioné essentia-m, qua cognoscuntur causæ intrinsecæ ali-iius rei, & quidem omnes, vel tãtum aliquæ, ecessariæ sunt in aliqua determinata scien-a, ad quam res illa pertinet, tanquam ob-ctum.

Dico primo, scientia comprehensiua ali-ius rei præter cognitionem causarum ex-nsecarum, requirit etiam cognitionem usarum extrinsecarum, imo & effectuum oducibilium, saltem specie distinctorum: iod addo, quia infinita multitudo indiui-orum non est cognitu necessaria, ad hoc vt tura alicuius rei comprehendatur. Deinde huiusmodi comprehensionem requiritur gnitio omnium virium, & perfectionum turalium. Sic enim exhaurietur tota ratio iectiua talis rei.

Dico secundo, res absolute cognosci potest r definitionem, ex solis intrinsecis causis etaphysicis, scilicet genere & differentiis, l etiam Physicis, materia scilicet & forma, ia hæ explicant distincte naturam rei, ne-e requiritur, vt omnia attributa essentia-, vsque ad substantiam, & ens cognoscan-t, sed sufficit vt innotescant per res essentia-, determinate in certo scientiæ genere, a-qui enim nemo quidquam sciret, nisi qui aul Metaphysicam haberet. Quod si tamen nium attributorum cognitio habeatur, ilto erit perfectior, quam illa determinata nitatæ alicuius scientiæ.

Dico tertio, vt res perfecte demonstratiue gnoscatur, requiritur cognitio omnium usarum, tam internarum, quam externa-m, ratio est, quia demonstratio fieri potest, r omne genus causæ, quamuis essentialis a-qua demonstratio, & per consequens, ali-ta incompleta haberi possit, per vnum ge-s causæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De notioribus nobis & natura.

Asserit Aristoteles *cap.* 1. procedendum esse à notioribus nobis, ad ignotiora, quod ntelligatur.

Notandum primo, duplex esse totum, a-lud est totum essentiale; aliud est totum vniuersale: totum essentiale est id, quod conflatur ex partibus constituentibus vnam essentiam, quomodo natura, verbi gratia, hominis, quæ conflatur ex animali & rationali, est totum essentiale, & hoc totum communiter etiam dici solet, totum actuale, quia nimirum in se actualiter continet partes. Totum vniuersale est, quod conflatur ex partibus cõstituentibus essentias specie diuersas, quomodo animal, si accipiatur prout connotat hominem, & brutum, est totum vniuersale, quod communiter dici solet, totum potentiale, quia scilicet natura superior & communis tantum continet, potentia sua inferiora. Vnde totum essentiale refertur ad partes essentiales intrinsecas, totum vero vniuersale ad partes subiectiuas, siue ad inferiora.

Notandum secundo duplicem esse cognitionem, vna dicitur distincta, qua scilicet cognoscimus totum, cognitis clare singulis partibus illius, vt cognitio hominis qua percipitur in ipso animalitas, & rationalitas. Quæ cognitio, licet plerumque pluribus conceptibus perficiatur, fieri tamen potest, vt intellectus vnico simplici conceptu partes alicuius, totius percipiat, quomodo Angeli vnico intuitu res multas, etiã distinctas, cognoscunt: nam & sensus corporeus multa obiecta, iuxta se posita, vnico actu percipere videtur. Hæc distinctio est duplex, actualis scilicet & potentialis. Actualis dicitur illa, per quam totum actuale, seu essentiale, distincte cognoscitur, vt patet in exemplo. Distinctio potentialis, qua totum potentiale, seu vniuersale distincte cognoscitur, qualis esset cognitio animalis, si quis distincte cognosceret omnes species subiectas animali. Cognitio confusa est, qua cognoscimus totum, non apprehendendo distincte partes, vt cum cognoscimus hominem simpliciter, non distinguendo in ipso animalitatem, & rationalitatem. Hæc cognitio similiter est duplex, actualis, & potentialis. Confusa actualis dicitur, qua cognoscitur totum actuale confuse, id est, non perceptis distincte partibus. Confusa potentialis dicitur, qua cognoscitur totum potentiale, non cognitis distincte omnibus speciebus subiecti, ad quas illud totum est in potentia. Inter has cognitiones hic reperitur ordo, quod confusa semper præcedat distinctam: prius enim sese nobis offerunt tota confusa

 indistin-

indistincte, & tum demum progredimur ad inuestigationem, & distinctam cognitionem partium.

Notandum tertio, cognitionem distinctam actualem posse reperiri simul cum confusa potentiali. Similiter distinctam potentialem cum confusa actuali, vt si quis cognoscat definitionem animalis, siue partes essentiales animalis, nimirum corpus animatum, sensibile, cum cognitis tamen illius inferioribus omnibus, vel si quis cognoscat inferiora animalis, non tamen cognoscat partes essentiales animalis.

Notandum quarto, dupliciter aliquid dici notius alio, primo, quia à nobis facilius cognoscitur, idque siue facilitas illa oriatur ex obiecto magis familiari, & proportionato intellectui, siue ex obiecti ipsius vnitate & simplicitate maiori, siue aliunde, & tale quod dicitur notius nobis. Secunda dicitur aliquid notius natura, quia alterum ab illo dependet, ac proinde ordine naturę postulat prius à nobis cognosci, quam aliud quod dependet.

His præmissis dico primo: Ex rebus, quæ non dicunt aliquem inter se ordinem inferioris vel superioris partis, vel totius, causæ & effectus non considerantur sub tali ordine, illæ sunt nobis notiores, & facilius à nobis intelliguntur, cæteris paribus, quæ media sunt perfectionis, id est, quæ neq; sunt imperfectissimæ entitates, neq; etiam perfectissimæ. Huiusmodi fere sunt naturæ, res sublunares, quæ facilius percipiuntur, quam natura motus, relationis & aliorum modorum. Similiter quā substantia spiritualis & immaterialis. Ratio est quia naturæ illæ perfectissimæ cum secundum se sub sensus non cadant, sunt minus familiares, & proportionatę intellectui Res vero imperfectissimæ, quia sunt exiguæ entitatis, etiam sunt tenuis intelligibilitatis, adeo vt intellectus noster dici possit se habere ad res perfectissimas, sicuti oculus noctuę ad lumen solis: ad res vero imperfectas, sicuti oculus noster ad res minutissimas, atomos scilicet.

Dixi cæteris paribus, quia fieri potest, vt ratione effectuū vel cognitionis tum rebus sensibilibus nobis notis, res perfectiores notiores nobis sint, q̄ imperfectiores: Et ideo Deus facilius cognoscitur, quam Angeli, quia causa est vniuersalis, inter Angelos illi sunt notiores, qui sunt motores orbium cœlestium &c.

Dico secundo, inter res, quæ habent ordinem ad se inuicem, magis vniuersalia, sun[t] nobis notiora, cognitione distincta actuali minus vniuersalibus, sic notius est corpus quam animal, animal quam homo. Similite[r] pars est notior toto, & causa effectis. Proba[tur], quia illa sunt magis notiora, quæ faciliu[s] cognoscimus, sed magis vniuersalia, partes [&] causas facilius cognoscimus cognitione d[i]stincta, ergo sunt nobis notiora. Minor pr[o]batur, quia illa pauciora continent, & eorū cognitio non pendet ab aliis, aliorum ve[ro] cognitio ab ipsis dependet. Verum tamen e[st] quod cognitione confusa actuali sæpe nob[is] sint notiora tota, quam partes, effectus qua[m] causæ, quia sæpe sunt magis sensibilia.

Dico tertio: Illa sunt notiora natura, q[uæ] ex exigentiæ suæ naturæ, seu secundum n[a]turæ ordinem prius debent à nobis cogn[o]sci Cuiusmodi sunt illa omnia, à quibus al[ia] dependent, vel tanquam à principiis intern[is] seu intrinsece constituentibus, vel tanqu[am] ab externis, seu efficientibus. Vnde substan[tia] est natura notior, quam corpus, & corp[us] quam animal, & omnia magis vniuersal[ia] minus vniuersalibus, & causa est notior [suo] effectu, & pars toto.

Ratio est, quia idem est ordo cognitio[nis] naturæ, qui essendi est: sed illa, à quibus [alia] dependent, sunt priora ordine essendi, erg[o] natura sunt notiora, seu prius postulant [co]gnosci.

Dices ex dictis sequitur, eadem esse no[bis] notiora, & natura, quod est contra Arist[ote]lem hic c.1. vbi dicit, non eadem esse nobis [no]tiora, & omnino, id est natura & *l. post. c.* 5

Respon. Conimbricenses *a*.5. prius est [no]tius natura, dupliciter posse dici, primo o[rdi]ne perfectionis: secundo ordine genera[tio]nis. Ordine perfectionis prius ac notius [est] quod est naturæ perfectioris, & habet n[atu]ram magis intelligibilem, ex se, sic angeli [sunt] notiores natura, quam substantiæ corpo[reæ], & species quam genera, & totum quam [par]tes. Ordine generationis prius ac notius [est] id, à quo aliud dependet, quod ab alio sup[po]nitur, sic vniuersaliora sunt notiora nat[ura] minus vniuersalibus, & causæ notiores [effe]ctis, partes similiter totis. Aristoteles ig[itur] intelligi potest, de notioribus naturæ or[dine] perfectionis.

Vni[-]

Vniuersaliter tamen respondere potest, Aristotelem locis citatis, non loqui vniuersaliter, sed particulariter tantum, vt sensus sit, sæpe non esse idem nobis notius, ac natura, vel non semper idem esse nobis & natura notius, quod verum est, nam in compositis Physicis notius est nobis compositum ipsum, quam partes componentes, scilicet materia & forma, quæ tamen sunt notiora natura, vt patet in sole, qui est notior nobis, & natura, quibusdam effectis ipsius in visceribus terræ &c.

Dices secundo, Aristoteles *cap.* 1. vniuersaliora vocat confusa, ergo secundum ipsum non sunt nobis notiora, cognitione distincta actuali.

Respon. negando consequentiam, quia cognitio distincta actualis potest haberi simul cum confusa potentiali, vt patet ex dictis, hic Aristoteles seruat hanc methodum, & procedit à cognitione distincta actuali, quæ simul est confusa potentialis: nam primo exponit cognitionē distinctam actualem principiorum assignando illorum definitiones, tum progreditur ad distinctam potentialem, explicando species principiorum.

ARTICVLVS TERTIVS.

De primo cognito à nostro intellectu.

HActenus comparauimus naturas vniuersales inter se, siue vniuersaliores, cum minus vniuersalibus, hic vero conferuntur cum singularibus, & quæritur, quod nam prius ac facilius cognoscatur à nostro intellectu, vniuersale, an singulare, de quo sunt variæ sententiæ.

Respon. Primo cognitum à nostro intellectu est indiuiduum substantiæ corporeæ, vt conflatum ex substantia & accidente. Ita Nominales & Durandus *in* 2. *dist.* 3. *q.* 7. & alii. Dico vt conflatum ex substantia & accidente, quia licet accidentia sint ratio, cur substantia percipiatur à sensibus, & consequenter ab intellectu, sensus tamen non percipiunt hęc accidentia separata, sed vt concretas nimirum hoc compositū ex substantia, & accidentibus, idque repræsentat intellectui.

Probatur primo conclusio, quia intellectus illud primo percipit, quod primo obiicitur sensui, quia omnem suam cognitionem in hac vita mutuatur à sensibus, sed singularia primo obiiciuntur sensibus, ergo. Secundo intellectus prius exercet simplicem actum, quam iudicatiuum, sed substantia non separatur ab accidentibus, vel contra, nisi per actum iudicii, qui supponit varias collationes, ergo singularia erunt primo cognita.

Si quis, obiiciat, vniuersale esse obiectum intellectus. Respondendum, vniuersale proprium, obiectum intellectus, quia nimirum non est obiectum sensus, non tamen esse obiectum adæquatum.

Sed difficultas est, vtrum intellectus in indiuiduo sensibus obiecto, prius concipiat rationem aliquam magis vniuersalem, indiuiduatam, quam minus vniuersale, verbi gratia, vtrum in Iohanne viso prius concipiat rationem indiuiduatam, substantiæ, quam corporis, & corporis prius, quam animalis, & sic deinceps, an vero contra prius concipiat rationem hominis, quam animalis, &c.

Nota quæstionem fieri posse de obiecto debite applicato sensibus, cum sc. neque in potentia sensitiua, neque in obiecto, neque in medio reperitur, aliquod impedimentum, verbi gratia, læsio oculi, nimia distantia obiecti, indispositio aeris, interiecti, ob vapores &c. vel de obiecto imperfecte tantum sensibus applicato.

Resp. primo, In obiecto debite sensibus applicato, prius concipiuntur rationes minus vniuersales cognitione confusa. Probatur ex Aristotele, *primo post. c.* 2. vbi docet minus vniuersalia nobis esse notiora magis vniuersalibus, quod ad sensum nostræ conclusionis explicari potest. Probatur secundo, quia intellectus facilius, & prius cognoscit quod sensui est vicinius, & quod minori indiget abstractione, sed huiusmodi sunt rationes minus vniuersales, ergo. Minor probatur, quia sunt magis coniunctæ indiuiduis, quæ per se cadunt sub sensus. Probatur tertio, causæ naturales non impeditæ primo producunt effectum perfectissimum, sed intellectus est talis causa, ergo prius producit cognitionem naturæ magis determinatæ, quæ perfectior est, quam cognitio naturæ vniuersalioris. Maior probatur, quia tales causæ agunt necessario, & quidem semotis impedimentis, quam possunt perfectissime.

Resp. secundo, in obiecto imperfecte sensibus applicato, prius cognoscuntur gradus magis vniuersales, vt verbi gratia, si quis eminus videat Iohannem, prius cognoscet esse corpus, quam animal, animal quam hominem, hominem quam Iohannem. Ratio est, quia sensus prius percipit gradus magis vniuersales, in casu proposito, ergo est intellectus. Antecedens constat experientia, & ratio est, quia gradus vniuersaliores habent accidentia, quæ facilius percipiuntur, nam facilius percipitur quantitas, & figura, quam figura propria corpori humano, motus localis, quam progressiui, partium aliqua distinctio quam organa sensuum, vt oculi, aures &c.

Obiic. primo. Ens est adæquata ratio obiecti intellectus: ergo intellectus primo tendit in rationem indiuiduatam entis.

Respon. negando antecedens, si sensus sit solam rationem entis præcisam ab intellectu cognosci: constat enim, non tantum cognosci ens, sed & tale ens substantiam, verbi gratia, corpus, animal, &c.

Obiic. secundo. Ens est causa, cur eius inferiora à nobis cognoscantur, ergo erit notius, & prius cognoscetur ab intellectu.

Respon. negando consequentiam, quia inde tantum sequitur, ens ex natura sua esse notius, idque cognitione distincta, non vero quod eius cognitio præcedat cognitionem cæterorum.

Obiic tertio, Rationes complexæ magis vniuersales sunt primo cognitæ, ergo & incomplexæ. Antecedens probatur, quia illud principium quodlibet est, vel non est, est primo cognitum.

Respon. negando antecedens. Ad probationem dico, posse dici primo cognitum nobilitate & perspicuitate, non tamen tempore, quasi intellectus primo illud format.

Obiic. quarto, Natura incipit ab imperfectioribus, ergo cognitiones vniuersaliores præcedent.

Respon. Antecedens non esse vniuersaliter verum, vt *supra* diximus, sed tantum, quando in materia circa quam natura agit, inueniuntur impedimenta, verbi gratia, accidentia contraria dispositionibus, & accidentibus formæ introducendæ, vti fit in generatione & productione rerum naturalium, sed in proposito, non est tale impedimentum. Accedit, quod & in cognitionibus fiat quidam progressus à modo cognoscendi imperfectiore ad perfectiorem, videlicet à cognitione confusa, eiusdem obiecti, ad cognitionem distinctam.

(***)

Hactenus de Prolegomenis.

DISPV-

DISPVTATIO PRIMA PHYSICA DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM.

Disputatio hæc instituitur de Principiis rerum, iisq; incomplexis & intrinsecis, de complexis egimus in libris Posteriorum: de incomplexis extrinsecis, efficiente sc. & fine, paulo post dicendum.

QVÆSTIO I.

An sit & quid sit materia prima?

Dvplicem materiam Philosophi agnoscunt, videlicet primam & secundam, per primā materiam intelligunt eam, quæ nō supponit aliud prius subiectum, sed ipsa est primum omnium. Per materiam secundam intelgunt eam, quæ supponit aliud prius subiectum, sic materia prima informata formis accidentalibus, siue dispositionibus prærequisitis ad introductionem formæ substantialis vocatur materia secunda, similiter compositum substantiale dici solet materia secūda respectu accidentium. Licet enim compositum sit subiectum accidentium, ipsum tamen includit aliud subiectum prius, sc. materiam primam.

Resp. Datur materia prima, Est communis Philosophorum sensus, Probatur cum Aristotele quia dantur variæ mutationes ad formas substantiales, imo experientia constat, plerasque res naturales in se inuicem transmutari immediate, vel mediate, sic ex aqua fit aer, & contra, ex ligno ignis, ex pane, palea, vel alio alimento non viuente fit viuens, &c. atqui in omni mutatione supponitur aliquod subiectum, commune vtrique termino mutationis, in quo sc. recumbat forma corrumpenda, & recipiatur forma producenda, vt inductione probat Aristoteles *c.* 7 *hic.* & probatur ratione, quia alioqui omnis productio esset creatio, vel transsubstantiatio, & omnis corruptio esset annihilatio, vt patet discurrenti, subiectum autem illud commune debet esse primum, adeoque materia prima, non supponens aliud subiectum prius alioqui in resolutione compositi Physici daretur processus in infinitum. Probatur secundo, Dum viuens, v. g homo, nutritur vel in ipso remanet aliquid ex alimento intro susceptο, vel non, si secundum dixeris, intelligi nequit quomodo homo ex alimento crescat, & corroboretur, si aliquod remanet, illud necessario debet esse materia prima informata, tum forma carnis, vel ossis, &c. tum anima rationali, quæ materia eadem numero prius erat sub forma alimenti, v. g. lactucæ, pomi, &c.

Probatur tertio. Naturaliter vnum contrarium agit in aliud: sed effectus contrarius non potest recipi in alio cōtrario, ergo in subiecto vtriq; contrario communi, ita Aristoteles *c.* 7.

Resp. secundo: Materia prima est primum subiectum mutationum, & rerum naturaliū, patet ex dictis, & amplius constabit ex *infra* dicendis.

QVÆSTIO II.

An & quo sensu materia sit pura potentia.

DE materia variæ omnino fuerunt Philosophorum opiniones, de quibus Suarez *disput.* 13. *sect.* 3. Recentiores concedunt, esse puram potentiam, quod tamen non vno modo explicant. Sunt enim, qui existimant, materiam nullam ex se habere entitatem, neque existentiam, sed tantum per formam.

Pro varietate nota, præter potentiam actiuam, & passiuam, de quibus hic non agitur, dari duplicem aliam potentiam, scil. obiectiuam, & subiectiuam. Potentia obiectiua est, ens pure possibile, vt Antichristus, dies crastina, & nihil est, reale etiam imperfectum, quod præsupponatur ad actionem causæ producentis. Potentia subiectiua est ens reale, existens actu, dicens ordinem ad aliud, seu perfectiuũ, sc. ad actum infirmantem. Simili modo duplex est actus, formalis scilic. & entitatiuus. Actus formalis, qui simpliciter actus dicitur, est qui aliud Physice actuat, & perficit, quo modo anima est actus corporis organici, & omnis forma actus materiæ, & omnis actus subiecti. Actus entitatiuus est, qui est aliquid reale, positum extra suas causas, & propter sui imperfectionem non actuans aliud, qui dicitur actus secundum quid, siue cum hoc additamento, actus entitatiuus.

Resp. primo materia non est pura potentia obiectiua, sed includit actum entitatiuum. Probatur ex Aristotele 1. *Phys. c.* 8. *Met. c.* 3. *& alibi*, vbi dicit materiam esse ens, & diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum. Probatur euidenti ratione, quia est verum ens, reale, positiuum, & substantiua quædam partialis, constituens aliquid cum forma entitatiue, perfectius quam sit sola forma, ergo non est parum nihil. Confirmatur, in corruptione compositi Physici non euanescit tota illius entitas: Sic enim corruptio esset annihilatio: Similiter in generatione non acquiritur tota entitas totaliter: Sic enim esset creatio, ergo materia, quæ est subiectum, vtriusque est entitas quædam actualis realiter distincta, à forma: Confirmatur secundo, ex sententia etiam Thomistarum, materia est subiectum generationis, & formæ, ergo est quid reale; Consequentia probatur, quia quod receptiuum alterius realis, ipsum debet reale, nihil enim recipi potest in non reali.

Respon. Materia in se includit essenti[...] realem ideoque actum Metaphysicum. P[...]batur, quia omne ens reale, actuale, vt sic, [...]bet essentiam realem, quæ nihil est ali[...] quam intima eius entitas, quæ est fundam[...]tum conceptuum, seu graduum Metaph[...]corum, generis & differentiæ, ergo materi[...] militer, includit differentiam, per quam [...]stituatur in aliqua vltima specie materiæ substantiæ imperfectæ.

Respon. tertio. Materia est pura pote[...] subiectiua. Probatur, quia excludit om[...] actum formalem, tam proprie informan[...] quam simpliciter constituentem actum [...]fectum, & completum, cum nec ipse sit a[...] formalis, Physicus, neque in se includi[...] quam formam, cum sit primum subiect[...] cuius vis formæ. Di[...]r autem pura po[...]tia, quia actus entitatiuus, quem includi[...] ue quicquid est entitatis, in materia, id te[...] exercet munus potentiæ passiuæ, seu rec[...]uæ, & substantiuæ formatum.

Vbi nota, vere dici materiam esse p[...] potentiam, in sensu explicato, non p[...] autem dici esse in pura potentia, hoc en[...] pud Philosophos, priuationem actuali[...]stentiæ, & solum dicitur, de eo, quod ac[...] hil est, similiter recte dicitur materi[...] in actu, quia hoc significat fere esse a[...] perfectum, simpliciter, vel actuantem al[...]

Obiicies primo, materia non pote[...] se cognosci, ex Aristotele 7. *Met. t.* 33. [...] etiam cognitione separari potest à form[...] Aristotele 8. *Met. cap.* 1. ergo nihil hab[...]titatis.

Ad prius resp. materiam etiam per se [...] & angelis cognosci, idque proprio atq[...]stincto conceptu, nobis autem per se, [...]gnota ob sui insensibilitatem. Vnde c[...]scitur, nisi per discursum, ex transmuta[...]ne, vel ordine ad formam, vel proportion[...] subiecto artificiali.

Ad posterius respondeo, ideo Ari[...]lem dicere, non esse cognitionem [...]bilem à forma, quia includit ordinem [...] mam, tanquam ad actum, cuius ef[...]ptiua.

Obiic. secundo: Deus, qui est actus [...]

ihil omnino includit potentiæ, ergo mate-
a non est pura potentia, nihil omnino in-
udit actus entitatiuus, seu Metaphysici.

Respon. Concedendo consequens de pu-
potentia obiectiua: sed materia est poten-
a subiectiua, dicens ordinem ad actum in-
rmantem, vnde debet includere aliquid en-
atis actualis, cuius beneficio sit susceptiua
rmæ.

Obiicit. tertio. Forma dat esse rei, ergo ma-
ria nihil habet entitatis ex se.

Respon. negando consequentiam, quia an-
cedens intelligitur de esse Physico, & speci-
o & completo, esse autem imperfectum ha-
t materia & propria entitate.

Obiic. quarto: Materia secundum se non
detur principium peculiaris operationis,
go non includit aliquem actum. Conse-
ientia probatur, quia omnis actus est prin-
pium omnis operationis.

Respon. negando consequentiam, ad pro-
itionem vero, id verum esse, de actu forma-
, tum informante, tum constituente rem in
sse completo, non autem de quouis actu,
uia actus entitatiuus ordinatur ad receptio-
em formæ, non vero immediate ad actio-
em.

Obiic. quinto: Si materia includit actum,
onstituet ens, per accidens, vna cum forma,
uod tamen est falsum. Sequela probatur,
uia ex duobus entibus in actu non potest
eri vnum per se, sed per accidens tantum.

Respon. negando consequent. id quod in
robatione assumitur, verum est de duobus
ntibus constitutis in actu completo, mate-
ia autem non est actus completus, vnde vna
um forma mediante vnione constitui vnum
er se, & nisi partiales entitates, compositi in-
luderent aliquem actum, non possent con-
urrere ad realem coustitutionem, & compo-
itionem compositi Physici.

Obiic. sexto: Si materia includat actum, er-
go erit purus actus Conseq. probatur, quia
st quid Physice simplex, non resolubile in
lias partes, vnde vel est totaliter potentia, vel
otaliter actus.

Respond. materiam totam esse actum, &
otam potentiam, quia tota illius actualis
ntitas habet rationem potentiæ subiecti-
æ.

QVÆSTIO III.

An potentia sit materia essentialis.

QVæritur, an esse potentiam receptiuam formarum sit essentiale materiæ, & realiter ipsa materia. An vero materia sit potentia per aliquod accidens, sibi superadditum, siue absolutum, vt volunt Auerroes & Themist. *hic c.* 8. siue respectiuum, vt Sot. *hic q.* 6. *a.* 1 Pererius *lib.* 5. *de princip. rer. nat. c.* 21.

Respon. 1. Potentia materiæ est illi essentialis: id est, potentia illa, qua materia est capax recipere & sustentare formam, est ipsa entitas materiæ. Ita D. Thom. *hic text.* 69. *& alibi.* idque fuse probat Sonsinas 8. *Met. q.* 16.

Probatur, quia essentia materiæ non potest adæquate concipi, nisi sub ratione potentiæ ad formam, quia essentialiter in se ipsa est entitas partialis intrinseca ordinata ad componendum totum Physicum, idque non per modum actus, quia hoc est munus formæ, ergo per modum potentiæ.

Probatur secundo: Forma est essentialiter actus se ipsa, & non per accidens aliquod superadditum, ergo materia est essentialiter potentia, quia oppositorum oppositæ sunt rationes essentiales.

Probatur tertio: Si potentia esset accidens, compositum Physicum esset aggregatum per accidens, quia in conceptu compositi Physici intrinsece includeretur tale accidens. Confirmat. Potentia ad formam substantialem debet esse substantialis, nam potentia & actus saltem primo intentus debent proportionari.

Nota, potentiam illam materiæ ordine naturæ primo respicere compositum, tanquam, finem, & id, quod constituit deinde formam substantialem, vt comparem, quæ si sit materialis, respicit illam tanquam id, quod sustentat, & ex se educitur, respicit etiam agens, qui respectus sola ratione ratiocinatæ inter se distinguuntur.

Obiic. primo: Omnis potentia supponit entitatem, in qua fundatur, ac per consequens essentiam, ergo, potentia non potest esse essentialis materiæ.

Respon. neg. consequent. quia antecedens tantum verum est de potentia accidentali, qui fundatur in entitate substantiæ.

Obiic.

Obiic. secundo, Potentia dicit relationem ad actum, sed materia non dicit relationem, ergo materia non est potentia, Minor probatur, quia materia est ens absolutum.

Resp. negando minorem, ad probationem dico entia absoluta etiam dicere, seu esse relationes transcendentales.

Obiic. tertio: Materiæ competit esse potentiam ad formam, mediante quantitate, sine qua non potest suscipere formam materialem, ergo quantitas erit potentia materiæ.

Respon. negando consequentiam, quia ex antecedente tantum sequitur, quantitatem esse necessariam materiæ, tanquam dispositionem ad susceptionem formæ, sicuti etiam est materia formæ, vt recipiatur, quod tamen supponit capacitatem intrinsecam ipsi materiæ.

Obiic. quarto: Adueniente actu perit potentia, ergo potentia non est materia essentialis. Consequent. probatur, quia id, quod est de essentia alicuius, non potest ab eo separari.

Respon. negando antecedens, quia actus perficit potentiam, eamque determinat, neque dum actu quis currit, aut scribit, amittit potentiam currendi, aut scribendi, tantum igitur accedente actu perit priuatio, quæ solet connotari in potentia.

Obiic. quinto: Si materia esset essentialiter potentia, posset omnes formas recipere, non enim est maior ratio, cur potius sit potentia, respectu huius, quam illius, sed consequens est impossibile, ergo.

Respon. ad minorem, materiam secundum diuersas sui partes posse simul & coniunctim informari omnibus formis, imo & successiue secundum vnam & eandem, quod sufficit.

Dices, præeunte aliqua forma singulari, perit saltem potentia materiæ, respectu illius, quia naturaliter fieri nequit, vt eadem forma denuo informetur, ergo hoc casu peribit, ex parte essentia materiæ, si potentia sit illi essentialis.

Resp. ad antecedens pereunte forma singulari, non perire potentiam vniuersalem materiæ, quæ vniuersalis est, illa prima & illimitata potentia, quam habet ad omnes formas, & quæ est illi essentialis, sed tantum perire potentiam particularem, quæ etiam dicitur proxima, & includit dispositiones, & accidentia, & sic secundum diuersas formas est diuersa, quod dicitur materia; materialiter non possit recipere formam, semel amissam, i non est defectu potentiæ vniuersalis, & renatæ, sed defectu dispositionum requisitarum quæ in eadem pate materiæ amplius naturaliter poni non possunt.

Respon. secundo: Potentia ad aliquas formas accidentales, quæ immediate dependent à materia, & ex eius potentia, immediate educuntur, est similiter materiæ essentialis. Probatur, quia potentia ad tales formas non esset essentialis, sed conueniret illi aliquo accidente, tum illud accidisset, vel inesset materiæ immediate, vel mediate, si prius, sequitur materiam habere potentiam essentialem respectu illius accidentis, si posterius, dabitur euidens processus in infinitum, quia omnis forma accidentalis supponet semper in materia aliam se priorem.

Obiic. primo, Actus & potentia sunt eiusdem generis, & sunt nata constituere, vnum per se, in ordine naturæ, ergo si potentia ad formas accidentales est de essentia materiæ accidens cum materia constituent vnum per se.

Respon. Antecedens tantum esse verum de actu & potentia eiusdem ordinis, & quæ ad se mutuo primario ordinantur, ita vt se inuicem perficiant in eodem ordine, sed forma accidentalis actuat materiam, vt res inferioris ordinis, ad quam materia tantum secundario ordinatur, scilicet propter formam.

Obiic. secundo. Ergo duplex erit essentia materiæ, quia duplex est potentia.

Respon. A parte rei esse vnicam respectu omnium formarum, quæ ex ordine ad varias formas particulares, ab intellectu diuidi potest, & multiplicari.

QVÆSTIO IV.

An materia possit existere sine forma?

MVlti ex Thomistis censent id absolute fieri non posse eo quod implicet contradictionem, dari effectum formalem, sine forma, esse autem siue existere, sit effectus formalis formæ. Ita Parisiensis, Soncinas & alii D Bonauent. *in 2, dist.12.q.1.*

Respon

Resp primo, Supernaturali virtute potest ateria existere sine omni forma. Ita Scotus, egorius, Gabriel, & plerique recentiores.

Probatur, quia materia habet partialem .m entitatem, & existentiam sibi propor- natam, ergo saltem diuinitus potest con- ari sine forma. Confir. Existentia partia- materiæ non est intrinseca forma: Videtur m implicare aliquid existere existentia :na: Vnde, vt summum pendet naturaliter rma, tanquam à conditione naturaliter ita, quæ dependentia potest à Deo supple- sicuti Deus potest conseruare formam in teria, sine dispositionibus connaturalibus, animam in corpore, sine debita organi- ione, supplendo dependentiam, quam ha- forma à dispositionibus. Similiter potest seruare accidens sine subiecto, ergo nulla pparens ratio, cur Deus non possit con- are materiam sine forma, continuando .onem conseruatiuam ipsius materiæ, & trahendo concursum necessarium ad in- ductionem nouæ formæ.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ, . partialem existentiam compositi, non effectum formalem formæ, sed existentiã npletam, quæ est compositi vt sic.

Ob. primo, impossibile est dari aliquod in- iduum corporis in rerum natura, quod ad lam speciem pertinet, sed si materia posset iseruari sine forma, posset dari tale indiui- m, quia sola forma dat speciem materiæ. o.

Respon. ad maiorem, non posse dari indiui- im corporis, quod non pertineat ad aliquã ciem, saltem imperfectã, & tale esset mate- sine forma, neque forma dat speciem ma- æ, quia non dat entitatem materiæ, sed tum dat speciem perfectam compositam.

Obiic secundo. Omne esse substantiale est orma substantiali. Sed materia habet esse stantiale, ergo id habet à forma. Facta igi- separatione forma, à qua habet esse, non terit vllo modo existere. Maior probatur, ia omne accidentale est à forma acciden- i, v.g. esse quantum, à quantitate, colora- n à colore, &c.

Resp. negando maiorem. Ad probationem o, non esse paritatem, quia ens accidentale orma accidentalis sunt idem, & æque late ent, vt recte dicatur, omne ens accidentale esse à forma accidentali, sed substantia & forma substantialis, non patent æque late; subiectum enim substantiale non est forma substantialis.

Ob. tertio talis materia non erit quanta, vel qualis, vnde non erit figurata, quia huiusmodi formæ accidentales ordinantur ad formam substantialem, cuius sunt dispositiones, sed hoc videtur impossibile, ergo.

Resp. negando minorem. Potest enim Deus priuare materiam etiam omni forma accidentali. Si vero conseruet illam, cum sola quantitate, erit illius figuræ, quam habebat sub forma destructa: Si vero de nouo à Deo creetur, cũ quãtitate, figura debebit à Deo determinari, si sine quãtitate, erit indiuisibilis.

Resp. secundo. Materia prima non potest existere naturaliter sine omni forma. Est communis sententia omnium Philosophorum, primo *de generatione li.* 11. & 8. *met. c.* 1. & *alibi*.

Probatur primo, quia materia est imperfectæ & incompletæ entitatis, dicens ordinem essentialem ad formam, ergo indiget auxilio formæ, ad consistentiam sui.

Probatur secundo, materia non potest naturaliter existere sine omni forma accidentali. Vt minimum enim indiget quantitate, proinde illi dicitur coæua, ergo multo magis dependebit à forma substantiali. Consequentia probatur, quia forma substantialis est magis proportionata materiæ, & aptior ad conseruandum esse materiæ, quam vlla forma accidentalis, quæ nihil habet subsistentiæ, ne quidem partialem.

Probatur tertio, à signo, quia ideo Deus & natura tam sollicite cauent, ne materia sit sine forma. Hinc corruptio vnius, est generatio alterius, ergo signum est materiam non posse consistere sine forma.

Obiicies primo, materia habet distinctam existentiam, ab existentia formæ, ergo per se sola poterit existere.

Resp. negando consequentiam, quia etiam accidens habet existẽtiam distinctam ab existentia subiecti, & tamen non potest naturaliter existere sine subiecto. Similiter, forma substantialis materialis licet perfectior sit, quam materia, & habeat partialem existentiam propriam, nequit tamen existere sine materia.

Obiic. 2. Anima rationalis potest in se sola

existere, licet dicat ordinem ad corpus, tanquam ad sui compartem, idque quia non educitur è potentia materiæ cuiusquam.

Respon. negando consequentiam. Quod enim anima rationalis possit existere sine materia & corpore, est, quia est substantia spiritualis; independens à materia.

Obiic. tertio. Materia est primum fundamentum compositi, & in se sustentat formam materialem, ergo ipsa non sustentatur, vel conseruatur ab illa.

Respon. negando consequentiam, Quia est fundamentum incompletum, nec refert, quod comparatur cum materia formarum artificialium, quæ potest existere sine omni forma artificiali, quia comparatio illa tantum instituitur secundum generalem modum respiciendi proprias suas formas, alioqui materia artificialium est quid completum in genere substantiæ, verbi gratia, lignum, æs, aurum.

Obiic. quarto. Non satis videtur in quo genere causæ materia dependeat à forma, ergo non dependet.

Respon. non dependere in suo esse à forma tanquam à causa, & à priore, sed tanquam à conditione concomitante qui modus dependentiæ etiam reperitur in composito, forma eiusque vnione, cum materia respectu dispositionum & affectionum connaturalium. Sic ignis nequit esse sine calore & siccitate, aqua sine frigore & humiditate.

Vbi Nota hisce argumentis, & solutionibus, satis probari communem illam sententiam, materiam non posse naturaliter existere sine forma, idque oriri ex indigentia ipsius materiæ, ita tamen, vt aliquid probabilitatis relinquatur opinioni Marcilii *in secundo sent q.8 & in tertio q.13.* & Gabrielis *in secundo dist.12.* qui volunt, id oriri non tam ex indigentia materiæ, quam ex constitutione, & ordine vniuersi, sicuti quod non detur superficies sine locato, non est ex necessitate superficiei, sed ex ordine vniuerso, ac proinde si Deus separet à materia omnem formam, vel denegaret concursum ad introductionem nouæ formæ, posset naturaliter perseuerare.

(***)

QVÆSTIO V.

An materia appetat formam?

RESpondeo affirmatiue. Ita enim communiter loquuntur Philosophi, exceptis Auicenna *l.1. suff. cap.2.* & Scaligero *exer.61* Probatur, quia appetitus in genere est inclinatio in bonum conueniens, sed materia habet inclinationem ad formas, tanquam su[am] perfectionem, ergo. Confirm. Vnumquodque amat conseruationem sui ipsius: sed for[ma] facit ad conseruationem materiæ, ex d[i]ctis, cum sine illa non possit naturaliter ex[i]stere, ergo materiam illam appetit.

Nota primo, hunc materiæ appetitum n[i]hil esse aliud, quam capacitatem, & incli[na]tionem materiæ, ad suscipiendam formam i[n] communi, & in re idem prorsus esse, qu[od] materia ipsa, quia secluso omni alio à mat[e]ria condistincto, adhuc conuenit materiæ h[ic] appetitus, cum essentialiter sit ordinata [ad] formam tanquam ad actum.

Nota secundo, licet appetitus materiæ vnus & idem, vt recte D. Thomas *prima q.59. a.2.* Ex ordine tamen ad diuersas fo[r]mas in particulari diuiditur in appetitum [a]moris, seu complacentiæ, scilicet respectu fo[r]mæ, cui reipsa subest, sub qua sibi compla[cet] appetens illius conseruationem, & in appe[ti]tum desiderii, respectu scilicet formarum [ab]sentium, quod tamen desiderium est con[di]tionatum, si scilicet destituatur forma, qu[am] habet: Si enim esset absolutum, pugnaret cum, fieri enim nequit, vel simul habeat d[uas] formas totales. Quæ omnia tribuuntur m[a]teriæ, ex proportione quadam, cum appe[titu] elicito, qui in solis cognoscentibus rep[eri]tur.

Obiic. 1. cum Auicenna, Materia non c[aret] forma, ergo illam non appetit. Secundo, M[a]teria non potest simul habere plures form[as] ergo non appetit absolute formas, non e[nim] est maior ratio, cur vnam potius appe[tat] quam aliam.

Respon. ad prius negando consequenti[am] quia cum appetitu complacentiæ, resp[ectu] formæ præsentis habet appetitum desid[erii] Conditionati, respectu formæ possibilis.

Ad secundum respondeo, non appe[tere] plures simul, sed aliquam indeterminate, [quæ] aliquo modo satiet ipsius appetitum.

O[bi]c.

Obiic. tertio, anima rationalis est forma omnium excellentissima, ergo materia, quæ illi subest, non appetit alias formas.

Respon negando consequentiam appetitus materiæ non procedit cum delectu, hoc enim requirit conditionem præuiam præstantiæ vnius formæ supra aliam. Deinde vnio animæ cum materia, non est indissolubilis, ac propterea potest alias formas desiderare, ex suppositione, quod ea priuetur. Accedit, quod nulla forma in particulari, qualiscunque illa sit, satiet appetitum materiæ extensiuæ, sicuti appetitus naturalis potentiæ visiuæ non satiatur perceptione rei perfectissimæ, & appetitus naturalis intellectus extensiue satiatur visione diuinæ essentiæ.

Argumenta Scaligeri *loco citato* tantum probant, materiam non appetere formas absentes absolute, aut cum delectu, vnam scilicet præ alia.

Petes, an forma similiter appetat materiam.

Respon affirmatiue, quia habet inclinationem ad illam, tanquam ad sui receptiuum, à quo in existentia sua, si materiale sit, dependet, & cum qua constituit compositum, quod est finis formæ, quia tamen formæ materiales educuntur è potentia materiæ, nec migrat de vna parte materiæ in aliam; ideo appetitus formæ tantum potest esse appetitus complacentiæ quietis, non vero desiderii, nisi in anima rationali, quæ potest esse sine materia, ac proinde capax est huius desiderii.

QVÆSTIO VI.

An materia rerum sublunarium sit vna?

QVæstio restringitur ad materiam primam rerum sublunarium, quia de materia cœli specialis est difficultas tractanda in libris de cœlo, quam D. Thom. 1.*p.q.*66. *a.*2. Et Suarez *disp. Met.*13.*sect.*11. Et alii censent differre specie à materia sublunari. Alii contra, nec minus probabiliter, volunt esse eiusdem speciei, quos secuti sumus *in lib. de cœlo.*

Respon. primo, materia rerum sublunarium est vna specie infima Est communis sententia Philosophorum, Probatur ex Aristotele 10. *Met.* vbi ait, ea conuenire materia, inter quæ mutua transmutatio, sed inter res sublunares est mutua transmutatio, ergo. Probatur secundo nisi esset vna specie non esset vnicum subiectum mutationum naturalium quod tamen communiter asseritur, & passim admittitur. Sequela probatur, quia materia cuiusque rei naturalis non esset apta recipere quamuis formam etiam successiue, ergo materia secundum omnes suas partes eandem habet proportionem ad omnes formas, ergo est vna species.

Obiic. 1. Aristoteles 4. *de cœlo c.* 5. quadruplicem debere esse materiam, quia quatuor sunt elementa.

Respon. Aristotelem *ibi* loqui de materia secunda compositi naturalis, quæ est multiplex specie pro varietate dispositionum quas includit sic alia est materia ignis, aquæ &c. hominis, equi &c. vnde Aristoteles 8. *Met. textu* 11. dicit proprias rerum materias differre specie, omnes tamen esse ex eodem principio primo, id est, ex eadem materia prima.

Obiic. secundo. Formæ substantiales specie inter se distinguuntur, ergo materiæ compositi Physici & consequenter distinguere res specifice à se mutuo, vnde ipsæ formæ.

Respon secundo. Tot sunt materiæ numero quot sunt composita distincta. Quæ pluralitas numerica materiæ non oritur tantum præcise à forma & quantitate quibus subest materia, sed etiam ex propria ratione materiæ quæ realiter à forma distinguitur & potest esse sine quantitate.

Probatur quia in singulis compositis reperitur partialis entitas materiæ distincta quippe quæ sit pars Physica compositi naturalis distincti à cæteris sed quamlibet entitatem sequitur vnitas ergo. Hinc etiam eadem numero materia potest successiue esse sub diuersis speciei formis Quare quod D. Thomas subinde docet materiam habere vnitatem à forma, non à se intelligendum est de vnitate completa quæ accedit materia à forma V. Pererium *l.* 5. *cap.* 17.

(*,*)

QVÆSTIO VII.

An materia sit ingenerabilis & incorruptibilis?

CErtum est materiam esse à Deo productam: adeoque esse producibilem, similiter illam posse redigi à Deo in nihilum: & de facto in consecratione, verbi gratia, Sacramenti tolli è medio: ibi enim non tantum desinit substantia panis quoad formam, sed etiam quoad materiam. Quæritur ergo hic tantum, an materia non acquirat de nouo suum esse in generatione naturali & non amittat suum esse in corruptione compositi ita necpossit generari seu produci ab agente naturali nec corrumpi.

Nota dupliciter aliquid posse dici generabile & corruptibile. primo subiectiue, secundo terminatiue. Generabile & corruptibile dicitur id quod subiicitur generationi & corruptioni. Terminatiue dicitur generabile & corruptibile id quod terminat ipsam actionem generationis vel corruptionis adeo vt secundum se per generationem de non esse tendat ad esse, & per corruptionem ab esse tendat ad non esse. Et quidem ex hactenus dictis satis liquet materiam esse generabilem & corruptibilem subiectiue, cum sit primum subiectum omnis mutationis naturalis. Superest quæstio de generalitate terminatiua.

Respond. materia est ingenerabilis & incorruptibilis terminatiue ex Aristotele *primo Physic. cap. 9. text. 82.* & aliis multis locis.

Probatur primo, quia materia prima est primum subiectum non præsupponens aliud prius ex quo fiat. Similiter est vltimum in quod fit resolutio compositi, ergo neque est generabilis, neque corruptibilis. Consequentia probatur, quia quod generatur fit ex aliquo præsupposito subiecto, ergo si materia generatur ipsa non est primum subiectum.

Deinde quicquid corrumpitur resoluitur in aliud simplicius, ergo si materia corrumpitur ipsa non est vltimum in quod fit resolutio, sed id quod ex ipsius resolutione relinqueretur.

Probatur secundo, si materia esset generabilis, esset antequam esset, quia omnis generatio generalis fit ex subiecto siue materia præexistente alioquin non distingueretur à creatione: non esset quia quod generari potest, & est in potentia nondum est. Similiter si esset corruptibilis esset postquam interiisset, nam quicquid corrumpitur, desinit in materiam primam, alioqui corruptio non distingueretur ab annihilatione. Vbi notandum, licet materia secundum se, non sit generabilis, aut corruptibilis, dicitur tamen generari, & corrumpi, per accidens, ratione scilicet priuationis, cui sub est: nam cum ingrediente forma desinit priuatio materiæ, dicitur materia interire secundum quid, quia desinit subesse tali priuationi, & cum rursus destructo composito, & desinente forma exoritur in materia priuatio, talis formæ dicitur materia generari, quatenus recipit nouam priuationem

Ex dictis sequitur materiam primam accepisse suum esse à Deo, per creationem, in prima rerum origine.

QVÆSTIO VIII.

Quænam sit proprietas materiæ?

NOmine proprietatum materiæ communiter à Philosophis assignantur hæc & similia attributa, primo esse potentiam ad formam, secundo esse de se informem, tertio aliquo modo incognoscibilem. Quarto esse ingenerabilem, & incorruptibilem Quinto, esse mere passiuam, & habere appetitum ad formam: sed hæc omnia vel sunt ipsa essentia materiæ, vt prima: vel per negationem declarant eandem essentiam, vt quatuor sequentes, vel per metaphoram explicant eandem capacitatem materiæ. Quæritur igitur hic, An materia non habeat proprietatem aliquam realem & Physicam.

Respon. Quantitas est realis proprietas ptopriam habens entitatem naturaliter, ac necessario coniunctam cum entitate materiæ.

Probatur primo, ex communi sensu Philosophorum, qui in distributione prædicamentorum

ꝛrum & improbatione sufficientiæ illorum icunt, quantitatem sequi materiam, qualitaꝫm vero sequi formam.

Probatur secundo, quia quantitas & maria habent se inseparabiliter, & reciproce, a vt omne compositum ex materia necesrio sit quantum & omne corpus quantum ecessario compositum, sit ex materia, ergo uantitas est proprietas materiæ. Consequentia probatur, quia inseparabilis illa conmitantia oritur ex aliqua connexione natali. Cum igitur materia sit substantia, & uantitas accidens, non videatur aliter posse nnecti, quam vt radix seu fundamentum & oprietas.

Probatur tertio, à proportione, quæ est inr materiam & quantitatem, primo, quia uantitas per se non est actiua, sicut nec materia, secundo, quantitas est aptissima ad recipiendum & patiendum, idque vel vt potentia oxima, vel vt ratio & conditio bene disponens ad recipiendum, ergo verisimile est, uantitatem esse debitam materiæ, instar oprietatis.

Petes, an igitur quantitas naturaliter dimanet à materia?

Respon. affirmatiue, quia cum materia haeat veram essentiam actualem, & entitatiam, poterit ab ea dimanare naturali quaam sequela, proprietas illi proportionata, cuti propriæ passiones concipiuntur prouere ex subiectis, nec refertur, quod materia non sit actiua, scilicet quia non potest opria actione agere in aliud nec producere bi similem materiã, hinc enim non sequitur, uod non possit per emanationem actiuam liquid in se producere, nam neq; substantia ngeli habet vim actiuam, seu productiuam milis substantiæ. habet tamen vim à qua dinanet in ipsa potentia sibi proportionata. ntellectus, voluntas &c. similiter secundum multos substantia in genere non est immediate roductiua alterius substantiæ, ex ea tamen imanare possunt formæ quædam accidenales, vt frigus, ex substantia aquæ, calor ex ubstantia ignis, &c. imo probabile plane est, lios modos ex natura rei distinctos manare ctiue ab essentia materiæ, verbi gratia, substentiam partialem, intrinsecam, præsenam localem &c. de quibus paulo fusius *disp. quent*, Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, de materia intelligitur, primo cum materia dicatur à Philosophis subiectum, massa, origo, elementum, & metaphorice fæx primæ vitæ, vtpote quæ sit omnium substantiarum, quæ à Deo profluxerunt, despicatissima, cur dicatur mater & nutrix informis, sinus, locus formarum, sylua, omnia habens &c. Intelligitur secundo, sensus eorum quæ de materia dicuntur in speciem mirabilia. Primo à Diuo Augustino 12. *confes. c.* 5. scilicet materiam cognoscendo ignorari, vel ignorando cognosci, sicut enim tenebræ videntur à nobis, dum non videtur lumen, ita dum intelligimus aliquid informe, quod est formam ignorare, cognoscimus aliquo modo materiam, & è contra, dum cognoscimus aliquid formatum, ignoramus materiam, seu potius cognoscimus illud non esse materiam, quia cognoscitur cum actu informante, qui non est de ratione materiæ. Secundo, cur à Platone materia dicatur cognosci cognitione adulterina, quia scilicet non cognoscitur directe, sed per indicia sensibilia. Deinde conceptus, quem habemus de ipsa materia prima, partim est confusus, partim negatiuus, vt patet ex definitione materiæ. Definitur enim subiectum primum &c. subiectum dicit, quid confusum, primum dicit negationem subiecti prioris, similiter ratio potentiæ est quid confusum Tertio, cur materia non possit cognosci sine forma, quia scilicet dicit ordinem transcendentalem ad formam, ita vt in comprehensiua illius cognitione necessario includatur forma, vt terminus aptitudinis essentialis, quam materia habet ad formam, licet Scotus *in secundo dist.* 12. *q.* 1. contrarium censeat. Quarto cur Aristoteles 7. *Met. t.* 8. dicat, materiam non esse quantum, nec quale &c quia scilicet natura illius aliquo vsque declaratur per carentiam formæ, & completæ actualitatis, nam definitiones negatiuæ in duobus potissimum entium generibus locum habent scilicet in imperfectissimis, quorum natura explicatur remotione omnis perfectionis, & in re perfectissima, vt Deo remouendo omnes imperfectiones, Hinc D. Dionysius *c.* 2. *de diuinis nominibus.* testatur, Deum cognosci per negationem.

(***)

QVÆSTIO XI.

Vtrum in rebus naturalibus detur forma substantialis?

MVlti ex veteribus Philosophis videntur ignoraſſe formam ſubſtantialem, vt annotauit Ariſtoteles 1 *Met. c.2.* Sed poſteriores Philoſophi omnes cum Ariſtotele 1. *Phyſ. cap.7. & 2. Phyſ. c.1. & paſſim alibi*, illam agnoſcunt. Vnde reſpon. & dico primo: In rebus naturalibus dantur formæ ſubſtantiales. Probatur primo, quia anima rationalis eſt forma informans corpus humanum organicum, vt fides docet ex Conc. Lat. ſub Leone X. ergo aliqua ſaltem datur forma ſubſtantialis.

Probatur ſecundo. Res omnes naturales, ſeu ſublunares, ſunt ſubſtantiæ compoſitæ, ergo conſtant partibus componentibus, materia ſcilicet & forma, non accidentali, quia ex non ſubſtantiis non fit ſubſtantia, vt inquit Ariſtoteles, ergo ſubſtantiali.

Probatur tertio, ex mutatione rerum naturalium. Videmus enim res in ſe inuicem transmutari, lignum in ignem, aquam in aerem, non quoad materiam, hæc enim eſt ingenerabilis, ergo quoad formam.

Probatur quarto, ex diſtinctis rerum naturalium operationibus & affectionibus, quę non proueniunt à materia, quia hæc eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus ſaltem rebus corruptibilibus, ergo procedunt de aliqua forma ſubſtantiali quæ vendicat ſibi tales proprietates, vnde videmus aquam calefactam ab igne remotam, naturaliter ſeſe reducere ad ſuum natiuum frigus.

Probatur quinto, Experientia docet, intenſam operationem vnius potentiæ, ſeu facultatis, in animalibus impedire operationem alterius potentiæ, ſic attenta conſideratio, quæ eſt actus intellectus, impedit digeſtionem, & alias operationes potentiæ nutritiuæ, imo & vehemens meditatio ſubinde impedit, ne oculis conſpiciamus res præſentes, aut auribus ſonos, frigus, punctiones, &c. quorum omnium non poteſt commoda reddi ratio, niſi quis dicat, omnes potentias in vno communi principio effectiuo radicari, ſcilicet in forma ſubſtantiali, cuius vis cum ſit limitata, fit, vt cum intenſe incumbit in actionem vnius potentiæ, minus pot[...] concurrere cum aliis potentiis ad ſuas fu[...]ctiones: denique alioqui nulla eſſet gene[...]tio in rerum natura, ſed omnis mutatio eſ[...] alteratio.

Reſpon. & dico ſecundo: Forma ſubſt[...]tialis eſt ratio, ſeu definitio cauſæ naturæ [...] iuſque. Ita Ariſtoteles 2. *Phyſ. t.8.* id eſt, f[...]ma eſt actus ſimplex, dans rei eſſe ſpecificu[...] & ab aliis diſtinctum, qui actus eſt inco[...]pletus, ex eſſentia ſua, ordinatus ad ma[...]riam, vt cum illa conſtituat compoſit[...] Phyſicum.

Ob hanc formæ perfectionem variis [...]minibus appellatur à Pythagora, vnum, quod vagam ac multiplicem materiæ pot[...]tiam determinet, ac perfecte vnum con[...]tuat. Ab Ariſtotele vocatur pulchrum, d[...]num, optimum, &c.

QVÆSTIO X.

Vtrum in materia ante production[...] compoſiti ſint inchoationes formarum ſubſtantialium?

EXiſtimauit Anaxagoras formas ſubſ[...]tiales non produci de nouo, ſed acti[...] agentis naturalis extrahi, & quaſi depr[...] à materia, quem refutat Ariſtoteles *hic.* [...] habet vllam probabilitatem. Ex Phil[...]phis autem, qui cenſent formas produc[...] nouo, ſunt, qui docent illas ſecundum [...]quid ſui præexiſtere in materia. Vnde [...]cunt in materia eſſe inchoationes omn[...] formarum. Contra quos agit D. Thom[...] *q.45. articulo octauo* & 2. *Phyſ.* Scotus *in* 2 [...] 18. & quæ ſententia attribui ſolet Albert[...] 1. *Phyſ. l.3.* Sed excuſat illum Soncinas, di[...] per inchoationes formarum intelligi ip[...]met potentiam materiæ.

Reſpon. & dico, Formæ ſubſtantiales [...] præexiſtunt in materia, ſecundum ali[...] ſui.

Probatur primo, ex Ariſtotele, qui [...]riam dicit ex ſe nec eſſe quid, nec q[...]tum, &c.

Probatur ſecundo, quia ſequeretur in [...]libet parte materiæ actu eſſe omnes fo[...] ſecundum aliquid ſui.

P.

Probatur tertio, quia vel illæ formæ præ-[illegible]isterent secundum omnimodam suam per-[illegible]tionem, vel secundum esse imperfectum. [illegible]us est aperte falsum. Secundum dici etiam [illegible]quit, quia vel illud esse imperfectum for-[illegible] substantialis remanet in composito, [illegible]ando producitur forma secundum esse [illegible]fectum in materia, sicuti in intensione [illegible]alitatum, calor, verbi gratia, vt quatuor re-[illegible]net aduenientibus quinto & sexto gradu, [illegible] adueniente forma substantiali, vel esse [illegible]d imperfectum euanescit, sed neutrum [illegible]i potest, ergo. Minor probatur, quia hinc [illegible]ueretur, primo in eadem parte materiæ [illegible] infinitas actuales entitates, cum in ean-[illegible]n materiam successiue possint induci for-[illegible]æ substantiales, infinitæ, sine vllo termi-[illegible], saltem numero distinctæ; sequeretur se-[illegible]ndo formas substantiales admittere magis [illegible] minus, quod est contra communem sen-[illegible]n Philosophorum: Tertio generationem [illegible] corruptionem substantialem tantum esse [illegible]tensionem, & remissionem formarum sub-[illegible]ntialium.

Quod si dicas, illud esse imperfectum for-[illegible]æ, perire adueniente forma in suo esse per-[illegible]cto, sequitur, formam ex illo suo esse im-[illegible]rfecto fieri ex termino à quo, non vero [illegible] aliquo constituente intrinsecam ipsius en-[illegible]tatem, & sic forma fiet adhuc ex nihilo sui: [illegible]l quod euitandum, aduersarii confingunt [illegible]æexistentiam formarum, secundum il-[illegible]d esse imperfectum. Vlterius tamen pars [illegible]bstantialis secundum esse perfectum, sit [illegible]titatiue distinctum, à parte illa præexi-[illegible]ente in materia, quæ impertinens est ad [illegible]rtialem entitatem formæ, secundum es-[illegible] perfectum, adhuc pars illa secunda pro-[illegible]ucetur ex nihilo sui, atque ita creabi-[illegible]r.

Dices ergo, nulla est via suadendi formam [illegible]mnem substantialem produci ex nihilo & [illegible]reari.

Respon. negando illatum, quia produci ex [illegible]ihilo, proprie non tantum negat præexi-[illegible]tentiam partis intrinsece componentis, id [illegible]uod fit, sed etiam negat, præexistentiam [illegible]ubiecti concurrentis per se ad productio-[illegible]nem, & conseruationem formæ, quæ fit. Vn-[illegible]e formæ omnes, quæ præsupponunt subie-[illegible]ctum siue materiam à qua dependent, tum in fieri, tum in se non dicuntur fieri ex nihilo, sed educi è potentia materiæ, cuiusmodi sunt omnes formæ substantiales, excepta anima rationali, quæ proprie fit ex nihilo, & creatur, quia ita à Deo producitur per creationem, vt fides docet, vt non dependentia materia, seu corpore, neque ex parte materiæ, vel corporis organizati est concursus aliquis, etiam causæ materialis, etiam in ipso esse, vel fieri animæ rationalis, sed tantum ex parte corporis complete dispositi, est quædam occasio postulans creationem animæ, sine qua occasione Deus non determinaretur ad illius productionem.

Dices, si anima rationalis non educitur ex potentia materiæ, ergo materia non erit in potentia naturali, ad animam rationalem. Consequentia probatur, quia potentiæ illi passiuæ materiæ non respondet potentia actiua naturalis.

Respon. negando sequelam, ad propositionem, dico materiam seu corpus respectu animæ rationalis habere potentiam naturalem, ad vnionem animæ, quæ potentia dici potest receptiua, cui respondet actiua, naturalis, scilicet potentia vnitiua animæ cum materia, quæ inest parentibus, ratione cuius vnionis, ad quam consurgit compositum naturale, homo dicitur generare hominem. Deinde anima rationalis est actus proportionatus potentiæ passiuæ materiæ. Vnde ex anima rationali & materia fit vnum per se, ac proinde potentia passiua, recte dici potest naturalis, neque hinc infertur, animam rationalem contineri in potentia materiæ, sed tantum materiam esse in potentia ad animam rationalem, quod indicat tantum capacitatem ad recipiendam animam rationalem, genericam vero continere animam in potentia, significat materiæ inesse vim causandi suo modo formam, quod tamen non competit materiæ, respectu animæ rationalis.

Petes, quid igitur proprie sit formam educi de potentia materiæ, & in quo hæc eductio distinguatur à creatione.

Respon. ex dictis, formam educi de potentia materiæ, est formam produci in materia, cum dependentia ab illo inesse, & produci, vnde eductio præsupponit subiectum, in quo ipsa forma contineatur potentia, & respicit agens

agens naturale: creatio vero non præsupponit subiectum, à quo forma in esse & produci dependeat ac respicit agens infinitæ virtutis, cui proprium est producere aliquid independenter à materia, vel subiecto, vt suo loco probatur.

Petes secundo, si nihil formæ producendæ præexistit in materia, quo sensu Aristoteles 3. *Met. t.29.* dicat in materia esse aliquid rei faciendæ.

Respon. Aristotelem ibi non agere de inchoatione formæ substantialis, sed de virtute accidentali, quæ inest composito, ac materiæ quæ facit aliquid ad actionem productiuam formæ, quia saltem disponit materiam: deinde attingit formas accidentales, quomodo calor naturalis in ægroto est vis inchoata productiua sanitatis, in quo res naturales distinguuntur ab artificialibus, quorum formæ non præsupponunt virtutem inchoatam, productiuam rei artificialis, sic lapidi non inest vis aliqua, etiam inchoata ad perductionem formæ domus, vt Aristoteles illo loco.

QVÆSTIO XI.

Vtrum in rebus Physicis detur forma corporeitatis?

AFfirmant Auicenna *l.1. suff. c.2.* Richardus *in 2. dist. 17. q.5.* Henricus à Gandauo *quodl.2. q.2. & quodl.4. q.3.* & alii, qui censent in quauis mutatione substantiali remanere formam aliquam, quam vocant corporeitatis, quæ materiam constituat in ratione corporis, sicuti in omni generatione manet eadem materia prima, sub diuersis formis specificis. Scotus vero in *4. dist. 11. q. 3.* hanc formam corporeitatis tantum admittit in animantibus, eo quod peculiari modo dicantur constare corpore & anima, & vult illam de nouo generari, ac proinde non esse coæuam materiæ, in quo dissidet à prioribus.

Respon. nulla datur talis forma corporeitatis. Est D. Thom. *in 2. dist. 18. q 1. a. 2 1. p. q. 76. a. 3. & 4* & aliorum, quos citat & sequitur Suarez *disp. 13. sect. 3.*

Probatur 1. ex Aristotel. 1 *Phys. t.63.* vbi docet, materiam primam ita se habere ad formam naturalem sicuti se habet materia artis ad formam artificialem, sed hæc caret omni forma artificiali, ergo illa omni forma naturali, qualis esset illa forma corporeitatis.

Probatur secundo ratione: Quia nulla e[st] necessitas huius formæ, ergo est fictitia. Antecedens probatur, quia non debet poni, [vt] saluetur transmutatio substantialis, ad hæ[c] enim non requiritur vnum & idem subi[e]ctum, sub termino à quo, & sub termino [ad] quem, qua sit compositum ex materia, & fo[r]ma, illa corporeitatis, sed sufficit materia p[ri]ma, quæ est subiectum transmutationis. S[e]cundo non debet poni, vt materia per illa[m] fiat capax quantitatis, qua indiget, vt recipi[at] formas, quia materia ex se habet quantit[a]tem, vt connaturalem suam proprietate[m]. Tertio, non debet poni, vt probetur form[as] substantiales specificas non fieri ex nihil[o] quasi illa forma corporeitatis esset velut i[ni]minarium aliarum formarum, quia etiam [il]la posita adhuc superest difficultas, ad cuius [e]uasionem asseritur hæc forma, quod prob[a]tur, quia forma illa corporeitatis nihil [est] formæ specificæ producendæ, neque pertin[et] ad ipsius integritatem. Quarto non debet p[o]ni, vt materia appetat formam, quasi sine fo[r]ma illa corporeitatis materia esset omni[no] dissimilis formis specificis, ac proinde il[las] non appeteret, eo quod dissimile non app[e]tat omnino dissimile, quia sine hac for[ma] materia in eo similis est formis specificis, q[uod] sit substantia, deinde appetitus naturalis p[o]test ferri in dissimile, sic perfectibile appe[tit] suam perfectionem, appetens autem mate[ria] est naturalis.

Probatur tertio: Conclusio, quia talis fo[r]ma est omnino superflua, nam quæuis for[ma] substantialis specifica dat composito Physi[co] esse corpus prædicamenti substantiæ, er[go] abundat illa forma corporeitatis. Ante[ce]dens probatur, quia quælibet forma spec[ifi]ca est actus substantialis, informans ma[te]riam, ergo dat rationem corporis. Con[se]quentia probatur, quia eo, quod aliquid [est] compositum ex materia & forma substant[ia]li, siue illa sit corporea, siue incorporea, ess[en]tialiter est substantia corporea prædicam[en]ti substantiæ. Confir. Gradus omnes infer[io]res essentialiter in se ipsis continent super[io]res, ergo forma specifica corporis dat esse [ge]nericum corporis. Confirm. secundo: Qui[a] ponenda esset hæc forma corporeitatis, [de]bet

erent etiam poni inanimantes animæ, quia iplex in illa vita reperitur, imo plures debent esse formæ rationales, vna per quam onuenit cum angelis, altera per quam ab iisem distinguitur, denique tot essent ponene formæ Physicæ, quot concipiuntur gradus Metaphysici, quod est absurdum.

QVÆSTIO XII.

Vtrum in viuentibus dentur formæ substantiales partiales.

Quæstio est, an in viuentibus, plantis scilicet, brutis & hominibus, præter aniam, quæ est forma totalis informans omes partes, dentur formæ quædam quæ à rma totali distinguantur specie.

Negant D.Thom. 1.*p, q.76. a.4.* Ex recentribus Suar. *disp.15. sect.10.* Ban. *lib.1. de gen.* .. Conimbric. *1.de gen.c.1.4.q.22.*

Resp. verisimilius est dari huiusmodi foras partiales, Ita Scot. 7. *Met.q* 20. & plerique edici & Philosophi recentiores.

Probatur primo, quia viuentia sunt comsita heterogenea, & constant partibus herogeneis, ergo dantur formæ illæ partiales, æ constituunt partes diuersæ rationis, & nsequenter corpus heterogeneum, neque as partes viuentium accidentibus differre, propterea dici heterogeneas, quia si hoc ficeret, etiam ferrum, cuius vna pars est caa, altera frigida, & terra, cuius vna pars est da, altera humida, essent corpora heteronea, quod nullus dixerit, sunt enim hoogenea.

Probatur secundo: Partes organicæ animaim habent affectiones naturales, omnino stinctas, cor enim natura sua est calidum, rebrum vero frigidum, similiter in ossibus, rnibus, & neruis sensu pateat diuersæ affeiones, ergo singulæ istæ partes habent pars substātiales specie inter se distinctas Conquentia probatur, quia diuersitas illa affeonum non potest referri in formam totan, hæc enim in toto composito, & in omnis partibus est eadem: neque etiam oritur à ateria, quæ per se est indifferens ad omnia cidentia, ergo oritur à forma partiali.

Probatur tertio: Diuersæ partes viuentis n possunt habere diuersum illud esse formale, quod habent à forma totali, ergo à forma partiali. Antecedens probatur, quia anima, quæ est forma totalis non continet formaliter illa esse partialia, verbi gratia, in planta esse corticis, ligni, medullæ, radicis, &c. in animalibus esse carnis, ossis, nerui, &c. Ergo non potest illa tribuere diuersis partibus materiæ. Consequentia patet, quia nihil potest alteri formaliter tribuere, nisi quod actu & formaliter continet. Antecedens probatur, quia si anima huiusmodi esse partialia contineret, cum eadem sit in omnibus, & singulis partibus, omnia illa esse tribueret omnibus partibus, & quælibet pars esset simul os, caro, neruus, &c. sicuti, quia anima bruti continet formaliter esse vegetatiuum, & sensitiuum, omnibus & singulis partibus, quas informat, tribuit esse vegetatiuum, & sensitiuum.

Nec sufficit dicere, animam eminenter continere illa esse partialia, quia quod eminenter & virtute tantum aliquid continet, non potest formaliter, seu in genere causæ formalis illud alteri tribuere, sic forma solis quæ eminenter continet calorem, non facit solem formaliter calidum, sed tantum potest tribuere id, quod formaliter & actu habet.

Probatur quarto: Mortuo viuente remanet adhuc illa partium diuersitas, ergo non habet originem ab anima, seu forma totali. Antecedens sensu patet, & probatur ex identitate accidentium. Confirmatur, quia pars aliqua viuentis resecatur sine generatione. Sectio enim non est productiua formæ substantialis, ergo in parte abscissa, verbi gratia, digito, vel non est aliqua forma substantialis, quod nemo dixerit, vel est aliqua forma partialis, quam prius habebat, quia anima rationali & forma totalis cum sit indiuisibilis, non inferunt partem abscissam.

Probatur quinto: quia nisi ponantur hæ formæ partiales, difficulter explicari potest, quid sit corpus humanum, quatenus est altera pars hominis, præcise, ac proinde quid in venerabili Sacramento, ex vi verborum consecrationis constituatur sub specie panis, primo enim dici non potest, esse materiam primam, quæ informari potest, anima rationali, quia sic materia prima pomi & panis dici posset corpus humanum, possunt enim

transire in substantiam hominis, per nutritionem, & informari anima rationali. Secundo dici non potest, corpus humanum separata anima esse materiam cum forma aliqua substantiali cadaueris, primo, quia non datur agens naturale productiuum talis formæ, secundo, non potest illa forma dare formaliter partialia esse tam distincta, neque etiam dici potest corpus humanum esse materiam primam, cum forma corporeitatis, cœna materiæ, quia neque illa forma datur, (vt *praced. quæst.* diximus) neque si daretur, constitueret formaliter corpus humanum, sed tantum corpus in genere prædicamenti substantiæ. Dicendum igitur, corpus præcise, & cadauer nihil esse aliud, quam materiam primam, vna cum formis partialibus, quæ cum sint imperfectæ, & ex natura sua dispositiones ad formam totalem, fit vt corrupta forma totali sensim etiam diffluant. Confirmatur. Si homine mortuo generetur forma aliqua totalis cadaueris, duo sequuntur incommoda, apud Theologos, primo, non fuisse idem corpus Christi Domini in sepulchro, quod passum est, & si in triduo mortis fuisset facta consecratio, non futurum fuisse speciebus panis, idem corpus, quod ante mortem, & post resurrectionem, secundo sequeretur verbum diuinum in specie dimisisse, quod semel assumpsit contra communem sensum Patrum, quod probatur quia filius Dei in resurrectione dimisisse formam cadaueris, quam tamen assumpserat, quia persona filii hypostatice vnita corpori mortuo.

Obiicies primo: in quolibet composito est tantum vnicum esse, ergo vnica tantum forma substantialis.

Respon. distinguendo antecedens, in vnoquoque composito est tantum vnum esse, totale, cum qua consistunt plura esse partialia, ordinata ad vnum totum, quæ constituuntur per formas partiales, hæ enim non sunt propter se, sed vt organizent materiam ad exercendas operationes vitales, ac proinde ad receptionem animæ, quæ est principium operationum vitalium.

Obiic. secundo: Formæ partiales sunt priores forma totali, quia sunt dispositiones ad illam, ergo cum forma totali constituunt vnum per accidens, Consequentia probatur, quia forma totalis aduenit enti constitut in actu per formas partiales.

Respon. negando consequentiam. Ad probationem dico formam totalem aduenii enti in actu incompleto, & ad vlteriorem formam ordinato, ac proinde non constitue aggregatum per accidens, id enim tantum constituit congregatum, quod aduenit en in actu completo ac perfecto.

Obiic. tertio: Aristotel. 7. *Metaph.* docet oculum viuum, & oculum mortuum esse æqui uoce oculos similiter & de carne mortua, viua, ergo oculus & caro &c. in cadauc non habent formam substantialem, eande quam habebant in homine viuo. Con quentia probatur, quia alioqui haberēt ea dem materiam, & eandem formam, nec set ratio, cur dicerentur æquiuoce tales.

Respondeo: partes animalium duplici spectari primo in se, vt sunt quædam ent mixta, & hoc modo sunt plane eædem, s subsint formæ totali, siue non, siue in corp re viuo, siue in mortuo. Secundo, consi rari possunt, vt sunt instrumenta quæd animæ, & hoc modo oculus viuus & ocu mortuus sunt æquiuoce oculi, quia oculu cadauere non est instrumentum animæ hoc sensu intelligendus est Aristotel.

Obiic. quarto: Ex hac sententia sequi dari generationem, siue corruptionem c scilicet materia per formas partiales dis sita, informatur anima, similiter dari c ruptionem, sine generatione, cum nimi viuens moritur, & remanet materia sub mis partialibus, vtramque autem est c tra Aristotelem, qui dicit corruptionen nius esse generationem alterius.

Sed contra respon. axioma Aristotelis telligendum esse, de completa corrup ne & generatione, non de incompleta, ratio axiomatis est, ne materia careat o forma substantiali, hoc autem tantun quitur, si daretur noua generatio, tot seu completa, sine corruptione formæ existentis, vel totalis, ac completa co ruptio sine productione nouæ formæ substantialis.

(***)

Q

QVÆSTIO XIII.

Vtrum compositum substantiale sit quid distinctum à materia, & forma.

Vppono, vt certum compositum, Physicum, verbi gratia, hominem realiter distingui à singulis partibus, seorsim sumptis, non quidem adæquate, & se toto, sed vel per exclusionem alterius partis: sic homo distinguitur à corpore realiter, quia præter corpus continet animam rationalem, quæ est quid realiter distinctum à corpore. Deinde suppono compositum à parte rei distingui à suis partibus simul collectiue sumptis, sine vnione, quia præter partes continet vnionem earundem: quæ est modus quidam realis à partibus ex natura rei distinctus: Quæstio igitur est, an totum distinguatur à partibus simul sumptis cum vnione.

Affirmant Scot. 8 *Metaph. q.4. & in 3. sent. dist.2. quæst 2.* Fonsec. 4. *Met. c 2. quæst. 5 sect. 6.* Idque probabilius censent Conimbricenses *Phys. c.2. q* 1. & multi Thomistæ, qui id tribuunt D. Thomæ, Ex his quidam volunt distingui realiter, alii formaliter tantum, id est, modaliter.

Respon. Compositum non distinguitur ex natura rei, vllo modo à partibus simul sumtis, & vnitis, est D. Thom. *l b.4. contr. Gent. c.* 1. *ad Tert.* 1 *.p. q.* 1 5 *.a.4.* Durandi, Gregorii & ceterorum Nominalium, Suar. *disput. 36. sect. 3. n.6.*

Probatur primo ex Aristotel. 4 *Physic. c.3.* vbi sic ait: Neque enim aliud esse totum, quam partem, & 2. *de anim cap.* 1. vbi dicit, animam & corpus simul vnita esse animal.

Probatur ratione, si totum ex natura rei distingueretur à partibus vnitis, non implicaret reperiri, vel saltem concipi partes vnitas sine toto, sed hoc implicat, ergo. Minor probatur, quia positis partibus vnitis, omni alio seposito necessario, ponitur totum, & implicat partes esse vnitas, & non esse totum.

Probatur secundo: Non potest intelligi, quænam sit illa entitas, quam includit totum, quæ non reperitur in partibus vnitis.

Probatur tertio: Si totum distinguatur à partibus vnitis, dabitur processus in infinitum, quia illud per quod totum distinguitur à partibus vnitis, conflabit cum partibus vnitis, aliquod compositum, quia ex vnione rerum distinctarum consurgit compositum. Tum quæritur, an illud compositum similiter distinguatur à partibus simul sumptis, si sic dabitur euidenter processus in infinitum, in realitatibus compositi, non enim videtur, vbi sit sistendum.

Quod hic dicitur, de composito substantiali Physico, id de omnibus cōpositis verum est, nam omnium eadem est ratio, hinc totum continuum nihil est aliud, quam vnitum, totum per accidens, verbi gratia, album nihil nisi subiectum, & albedo inhærens: totum artificiale, verbi gratia, cathedra nihil quam partes vnitæ coniunctione situali, & ordinis, &c.

Obiic. primo, Aristot. 2 *de anim. c 2. & alibi.* diuidit substantiam in materiam, formam & compositum, & addit hæc esse tres substantias, ergo compositum est entitas substantialis, disiuncta à materia, & forma.

Resp. Aristot. ibi sumere materiam, & formam seorsim, & deinde compositum, vt distinctum ab vtraque parte seorsum sumpta, quomodo inter se distinguuntur.

Obiic. secundo: Aristot. 5 *Met. t* 19. dicit, sex non esse bis tria, sed semel sex, & 7. *Met. t vlt.* syllabam ba non esse b. & a. & 8. *Met. c.6.* totum non esse coaceruationem partium, sed aliquid præter partem, ergo totum distinguitur à partibus.

Resp. his & similibus locis tantum doceri partes simul collectiue sumptas distingui à toto, quod præter partes includit vnionem.

Obiic. tertio: Generatio est mutatio substantialis, non terminata ad materiam, hæc enim est ingenerabilis, neq; ad formam, quia forma non fit, sed compositum, ex Aristot. 7. *Met. c.8.* Forma autem est id, quo fit compositum, neq; etiam terminatur ad vnionem, hæc enim non est substantia, sed vt summum modus substantialis, ergo compositum quod est terminus generationis est quid distinctum à partibus etiam vnitis.

Respon. negando consequentiam, quia licet generatio non terminetur ad aliquid eorum, seorsim, terminatur tamen ad formam, & materiam, simul vnitas, siue ad compositū. Vnde Arist *loc. cit* dicit, non generari hoc, vel

hoc, id eſt, materiam, vel formam, ſed hoc in hoc, id eſt, formam in materia, ſeu vt vnitam materiæ. Vnde generatio eſt vnio partium Phyſicarum, corruptio earundem diſſolutio.

Obiic. quarto: Partes componunt totum, totum componitur & habet rationem effectus, reſpectu partium, ergo diſtinguuntur, deinde partes ſunt priores natura toto, & ordinantur ad totum, ergo diſtinguuntur à toto.

Reſpon. ſingulæ partes per ſe ſumptæ cauſant totum Phyſicum, quod ab illis realiter diſtinguitur, propter incluſionem alterius partis, realiter diſtinctæ, partes vero ſimul ſumptæ & vnitæ non cauſant compoſitum, ſed ſunt illud ipſum. Cætera in argumento allata etiam vera ſunt, de partibus ſigillatim ſumptis.

Obiic. quinto: De toto & partibus ſimul ſumptis affirmantur contradictoria, ergo diſtinguuntur ex natura. Conſequentia videtur certa. Antecedens probatur, quia de toto affirmatur, quod ſit vnum, de partibus, quod ſint plura, & non vnum.

Reſpon. primo: Negando conſequentiam, ad affirmationem enim contradictoriarum ſufficit diſtinctio rationis, nam in hac propoſitione, Petrus eſt Petrus, de eodem Petro dicitur, quod ſit ſubiectum, & quod non ſit ſubiectum, quia eſt prædicatum, & in diuinis de intellectu dicitur, quod generat, de voluntate negatur, cum tamen ſola ratione diſtinguantur.

Reſpon ſecundo, negando antecedens, ad probationem dico, partes ſimul ſumptas & vnitas non eſſe plures, & vnum, & licet plura fuerint ante vnionem, nec quicquam entitatis amiſerint, deſinunt tamen habere rationem plurium.

Obiic. vltimo: recte dicitur, homo ſcribit, homo ambulat, non ita anima, & corpus vnita ſcribunt & ambulant, &c ergo.

Reſpon. vtramque locutionem ſecundum rem eſſe veram, quia tamen actiones tribuuntur ſuppoſitis, & totum magis exprimit rationem ſuppoſiti, fit vt prior locutio ſit magis propria & vſitata.

(***)

QVÆSTIO XIV.

Quid ſit priuatio.

NOtat Suaretz *diſp.* 54. *ſect.* 5. *n.* 8. ex Ariſtot 5. *Met. c.* 32. priuationem varie ſumi.

Reſpon. Priuatio hoc loco eſt carentia for
mæ in ſubiecto, ſecundum ſpeciem apto ean
recipere. Vnde priuatio intrinſece non e
quid poſitiuum, ſed negatio, & non ens, ca
rentia enim eſt entis poſitiui, remotio con
notatiue tamen, & fundamentaliter eſt qui
reale, quia connotat realem aptitudinem i
ſubiecto, in quo diſtinguitur à mera nega
tione, quæ præciſe dicit carentiam ſine apti
tudine ſubiecti, vnde etiam conuenit, & tr
buitur rebus fictitiis, priuatio vero ſolis ver
entitatibus.

Petes, vtrum priuatio ſit à parte rei, ſecl
ſa omni intellectus operatione.

Reſpon. affirm. ex dictis. Probatur, quia ſe
cluſa omni intellectus operatione vere à pa
te rei, homo eſt cæcus, aer tenebroſus, erg
priuatio ineſt rebus independenter ab inte
lectu, neque dici poteſt ens rationis, ineſt a
tem ſubiecto, non quidem per aliquam ex
ſtentiam, quæ ipſi formaliter conueniat, qu
cum intrinſece ſit non ens, non poteſt hab
re poſitiuam exiſtentiam, ſed exiſtit in ſi
connotato, ſiue fundamentaliter exiſtent
ſubiecti, quod caret forma.

Nota tamen, negationes & priuation
cum non concipiantur à nobis, niſi per m
dum alicuius poſitiui, & priuationes quide
per modum qualitatis, vt recte Suaretz *ſup*
numero 20. quoad hoc poſitiuum, quod ab i
tellectu illis aduenit eſſe entia rationis.

Obiic. 1. Si priuatio eſt à parte rei, ante o
rationem intellectus, ergo eſt aliquid rea
Reſpon. negando conſequentiam, quia ill
tantum eſt reale, quod ſecundum intrinſ
ſua eſt à parte rei, ante operationem intel
ctus: priuatio vero eſt à parte rei, quoad fu
damentum & connotatum, vnde dicitur r
lis fundamentaliter & connotatiue.

Obiic. 2. Tenebræ & cæcitas percipiun
viſu, ergo ſunt quid poſitiuum. Reſpon. n
gando ſequelam, quia non percipiuntur
ſe, ſed per ſubiectum, ſcilicet quia in aere n
apparet lux, in oculo notatur impedim
tum.

Petes ſecundo. Vtrum in materia vn

tanti

[...]atum sit priuatio, respectu omnium for[...]arum.

Respon. negando consequentiam, sed tot [...]e priuationes, quot sunt formæ, ad quas [...]teria habet aptitudinem, nec inuoluit in[...]mmodum multiplicare priuationes, cum [...]t non entia intrinsece. Probatur respon[...], quia per aduentum singularum forma[...]n tolluntur singulæ priuationes, ergo tot [...]t priuationes, quot formæ.

Dices in materia est vna tantum potentia, [...] omnes formas, ergo & vna priuatio.

Resp. negando sequelam, quia adueniente [...]rma non tollitur potentia materiæ, respe[...]i illius, sicuti perit priuatio adueniente [...]ma.

Petes tertio, An detur priuatio priuationis, [...]bi gratia, quando materia est sub forma [...]is, an tunc careat priuatione formæ ignis, [...]per consequens, habeat priuationem pri[...]tionis ignis.

Respon. negando, quia priuatio proprie est [...]entia alicuius formæ positiuæ.

QVÆSTIO XV.

Vtrum priuatio sit principium generationis Physicæ?

QVæritur an priuatio sit principium per se requisitum ad generationem rei natu[...]lis. Constat enim eam non esse principium, [...]ncurrens ad compositionem rei Physicæ, [...]am intrinsece constituens, & componens, [...]m non sit pars compositi, vtpote non ens [...] adueniente forma è medio tollatur. Dixi [...]nerationis Physicæ, quæ scilicet est muta[...]o, quia non loquimur de generatione in sua [...]titudine sumpta, sic enim non includit pri[...]ationem, cum produci possit forma in ma[...]ria, eodem instanti temporis, quo est crea[...], & per consequens, sine mutatione, mutari [...]im si referatur ad subiectum, est illud se ali[...]r habere, postquam ante & de facto æterna, [...]uini verbi generatio est sine mutatione, [...]m nulla sit duratio, in qua Filius Dei non [...]abuerit esse: quæstio igitur est de generatio[...]e temporali, in qua prius materia caret for[...]a, quam ea informetur, quales sunt quoti[...]anæ mutationes.

Respon. Priuatio formæ introducendæ est principium generationis Physicæ. Probatur, quia id, à quo aliquid per se procedit, est principium illius, sed generatio rei Physicæ per se procedit à priuatione, tanquam à termino à quo, ergo priuatio est principium illius. Minor probatur, quia transitus in sua essentia respicit id, quod fit, siue id, quod per transitum acquiritur, sed generatio Physica est essentialiter transitus à non esse formæ introducendæ ad illius productionem, ergo priuatio pertinet ad essentiam generationis, non quidem, vt quid componens, aut pars intrinseca constituens, sed tanquam id, quod in suo conceptu generali respicit, sicuti etiam forma pertinet ad essentiam generationis, tanquam aliquid, quod essentialiter respicit.

Obiic. primo, priuatio intrinsece est non ens, generatio autem est ens, sed ens non potest dependere à non ente, tanquam à principio.

Respon. nego minorem, potest enim dependere à non ente, tanquam à termino à quo, formaliter quidem extrinseco, ad quem tamen dicat ordinem essentialem, quo modo in simili cognitio, quæ habetur de negationibus, terminatiue dependet à non ente; quod autem dicitur ens non posse dependere à non ente, hoc sensu verum est, quia non potest intrinsece componi ex non ente.

Obiic. secundo. Generatio tollit priuationem à materia, facta enim generatione materia non habet amplius priuationem formæ productæ, ergo priuatio non potest esse principium generationis. Consequentia probatur, quia principia debent remanere ex Aristotele *hic c 6*.

Respon. negando consequentiam, quia de ratione principii à quo, seu termini à quo, est vt facta acquisitione termini ad quem desinat. Ad probationem dico, Aristotelem ibi loqui de principiis constitutiuis rei genitæ,

Obiic. tertio. Priuatio est principium, dum est, vel dum non est, neutrum dici potest, ergo non est principium. Minor probatur, quia dum est, nondum est generatio, ac proinde non potest esse illius principium, dum non est, non potest etiam habere rationem principii.

Respon negando minorem, pro priori parte, est enim principium, dum est, immediate,

ſcilicet antequam materia ſuſcipiat formam, eſt enim id, quod per generationem deperditur.

Obiic. quarto. Priuatio tamen eſt conditio materiæ, prærequiſita ad generationem, ergo non eſt principium, alioqui enim diſpoſitiones etiam accidentales eſſent principia.

Reſpon. negando antecedens, eſt enim ſimul conditio & principium, quia includitur in conceptu generationis, vt mutatio eſt, in quo differt à diſpoſitionibus, quæ quidem ſunt conditiones prærequiſitæ, ex parte materiæ, ad generationem, non ſunt tamen de intrinſeco conceptu illius.

Obiic quinto. Generatio fit ex contrario, vt termino à quo, ergo non ex priuatione, ergo priuatio non erit principium etiam à quo.

Reſp. negando vtramque ſequelam, quia priuatio eſt terminus à quo, per ſe generationis, & quia materia naturaliter non poteſt eſſe ſine aliqua forma, fit, vt in generatione aliqua ſemper forma pereat, quæ dici poteſt terminus à quo generationis; ſed per accidens, non autem per ſe, quia quantum eſt ex natura generationis, non prærequiritur talis forma, ſi enim fieret productio formæ in materia, diuinitus mutata omni forma, eſſet vera generatio: ſicuti in aere eſt vera productio luminis, licet nulla forma poſitiua per illuminationem ab aere expellatur.

Obiic. ſexto. Ariſtoteles *c.6.* dicit, priuationem eſſe principium per accidens generationis, ſed compoſiti, quia ſcilicet contingit materiam quæ ſubeſt formæ, & cum illa componit aliquod totum Phyſicum, habere priuationem aliarum formarum.

QVÆSTIO XVI.

Quot ſunt principia generationis Phyſicæ?

Ariſtoteles variis in locis Phyſicæ & Metaphyſicæ proponit, & refutat veterum ſententias de numero principiorum, quorum aliqui vnum, alii tria, alii quatuor, alii infinita conſtituebant, ex quibus aliqui verum poſſunt habere ſenſum, quibus omiſſis.

Reſpon. cum Ariſtotele, hic tria eſſe principia generationis.

Probatur, ratione Ariſtotelis, quia generatio Phyſica eſt mutatio, ſed mutationis tria tantum ſunt principia, ergo & generation[is] minor probatur, quia ad mutationem requiritur & ſufficit ſubiectum quod mutetur, i[d]que in propoſito eſt materia: deinde requi[ri]tur terminus à quo, qui eſt priuatio form[æ] introducendæ, denique terminus ad que[m] qui eſt forma neque præter hæc quippiam [a]liud requiritur, quia in conceptu mutatio[nis] eſſentiali tantum requiritur ſubiectum, qu[od] mutatur, terminus à quo fit tranſitus, & te[r]minus ad quem fit tranſitus.

Obiic. primo. Ipſum compoſitum eſt t[er]minus ad quem generationis, vt dicitur *in* [li]*bris de generatione*, ergo etiam illud erit prin[ci]pium, ſic ſaltem erunt quatuor.

Reſpon. ad antecedens, compoſitum n[on] eſſe terminum proprium, & immediatum [ge]nerationis, ſicuti eſt forma, quia eſt termi[nus] generationis, qui & principalis per mod[um] finis & perfecti intenti per generationem, c[um] non includitur in conceptu mutationis, [quia] poſita forma in materia intelligitur fa[cta] mutatio, etiamſi non concipiatur ratio co[m]poſiti. Deinde compoſitum non eſt termi[nus] per ſe diſtinctiuus vnius generationis ab [al]tera, ſed forma, ratione cuius generatio vn[ius] compoſiti differt à generatione alterius, [&] hinc fit vt compoſitum non ſit principi[um] ſed principiatum.

Obiic ſecundo, Generatio etiam depen[det] à cauſa efficiente, ergo cauſa efficiens [eſt] principium, ſicut & priuatio, & ſic adhuc [e]runt quatuor.

Reſpon. negando ſequelam, quia ad rat[io]nem principii non ſufficit qualiſcunque à[de]pendentia generationis, ſed requiritur dep[en]dentia, quoad conceptum eſſentialem, [ge]neratio autem quatenus eſt mutatio, non [di]cit ordinem eſſentialem ad cauſam effici[en]tem.

Dices priuatio eſt etiam actio, actio au[tem] includit ordinem ad cognoſcendum cau[ſam] efficientem.

Reſpon. generationem hic ſpectari, no[n vt] actionem, ſed vt mutationem, & tranſit[um] in cuius eſſentiali conceptu non includit[ur a]gens, ſed tantum id, quod mutatur, & ter[mi]ni à quo, & ad quem.

Obiic. tertio, Potentia materiæ etiam c[on]currit ad generationem, & quidem nece[ſſa]rio, e[rgo]

, quia materia non potest suscipere vllam [mu]tationem, nisi habeat potentiam ad for[mam], ergo erunt plura principia. Deinde for[ma] expellenda est etiam terminus à quo, sicu[t] priuatio.

Ad prius respondeo, negando sequelam, [qui]a potentia materiæ non distinguitur à [ma]teria, ac proinde non constituit distin[ctu]m principium.

Ad posterius resp. formam expellendam [es]tum esse terminum à quo, per accidens.

DISPVTATIO II.

De natura & arte.

NOta varias esse naturæ significationes. Naturæ enim nomen primo est institu[tu]n ad significandam generationem viuen[tiu]m, vt testatur Aristoteles *5. Met.t.5.* Dein[de] vox natura translata est ad significandam [ess]entiam eorundem viuentium. Tertio ex[ten]sa est ad significandam in genere omnem [ess]entiam rerum sensibilium. Quarto ad o[m]nem omnino essentiam, siue creatam, siue [in]creatam quo sensu Deus dicitur prima na[tu]ra, & natura vniuersalis, Quinto, natura si[gn]ificat quoduis ens, siue sit substantia, siue [ac]cidens, Sexto, significat vniuersitatem crea[tu]rarum, qua acceptione dicitur natura pen[de]re à primo principio, Septimo, sumitur pro [ult]ima differentia cuiusque rei, quo modo ra[ti]onale dicitur constituere naturam homi[ni]s, ac essentiam, Octauo, Sumitur pro causis [na]turalibus, naturali modo agentibus, quo [sen]su dicitur naturam nihil facere frustra, non [ne]gare necessaria, &c.

Natura de qua hic agimus, est natura ter[ti]o modo sumpta, & significat essentiam re[ru]m sensibilium, & materialium, quorum o[pe]rationes aliquo modo concernunt mate[ri]am. Cuiusmodi naturam dari adeo clarum [es]t, ait Aristoteles, vt illud à priori demon[str]are sit ridiculum, per se enim notum est, cum sensus percipiat operationes & affectiones sensibiles, quorum debet esse principium, vt est ipsa natura.

(***)

QVÆSTIO I.

Quomodo definiri possit natura, de qua agit Physicus?

REspon. Natura recte definitur ab Aristotele *2. Phys. c. 1.* esse principium & causam motus & status eius, in quo est, primo, per se, non per aliud, alienaque vi. Vide dicta *in t. loco citato.*

Quæ descriptio clarius sic definiri potest: Natura est principium intrinsecum, à quo dimanant affectiones, & operationes, quæ rebus sensibilibus conueniunt: vbi.

Nota, principium in descriptione Aristotelis, restringi per causam, dum dicitur principium & causa, alioqui principium latius patet, quàm causa. Motus sumitur pro omni mutatione Physica, motus & status intelligi potest, vel copulatim, vel disiunctim, ita vt sit sensus, in quocunque reperitur motus, seu mutatio Physica, & status, seu quies, positiua vel eorum alterutrum, natura est eorum principium.

Respon. secundo. Descriptio naturæ conuenit toti essentiæ cuiusque rei corporalis, & singulis eius partibus materiæ scilicet & formæ Hinc natura in genere est essentia rei naturalis, seu corporeæ, in genere, vel pars essentiæ. In partiali vero essentia, vel pars essentiæ rei naturalis partialis, vt natura hominis est eius humanitas, vel etiam anima rationalis, vel materia, quia illa omnia sunt principia motuum & quietis. Hinc docet Aristoteles, non solum materiam, sed & formam esse naturam, imo inter partes ipsam formam esse naturam nobiliori modo, quam materia, cum sit principium actiuum affectionum naturalium, materia vero, vt plurimum passiuum tantum, tota tamen essentia principalius vocatur natura, quam partes. Vbi Nota, licet in re natura, essentia & quidditas idem significent, distingui tamen inter se ex ordine quem important, essentia enim importat ordinem ad esse ipsius rei absolute: quidditas dicit ordinem ad definitionem, qua quid sit res explicatur: natura dicit ordinem ad operationes, & motus naturales.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum esse principium motus seu affectionum naturalium sit de essentia materiæ?

NOta primo; duplex dari principium affectionum naturalium; vnum actiuum, alterum passiuum, actiuum est, quod in genere causæ efficientis concurrit, ad affectiones, vel mutationes naturales: passiuum vero est, quod per modum potentiæ receptiuæ & subiecti est causa affectionis, vel mutationis, quale est materia, respectu formarum materialium, & generationis ipsarum.

Nota secundo: principium actiuum affectionum etiam duplex posse statui, propinquum, seu immediatum, & remotum, seu radicale. Principium radicale est, quo non datur aliud prius, & tale est anima, respectu operationum vitalium. Propinquum sæpe est accidens, vt verbi gratia, potentia animæ habitus, respectu operationum vitalium, quæ immediate influunt in ipsas operationes, supponunt tamen aliud principium prius & radicale, respectu cuius dicuntur propinquum. Quæstio hic est de principio radicali, an scilicet esse principium affectionum, sit naturæ essentiale, an vero accidens aliquod illi superadditum.

Respon. Natura est essentialiter primum, & radicale principium operationum, & affectionum naturalium, substantiæ corporeæ, Probatur, quia esse principium conuenit naturæ, præcisis omnibus, quæ sunt extra eius essentiam, ergo est illi essentiale. Antecedens, quoad principium passiuum, iisdem rationibus probatur, quibus supra ostensum est, potentiam materiæ ad suscipiendas formas accidentales esse illi essentialem. Nam si ad operationes suscipiendas, semper prærequireretur aliquid præuium, daretur processus in infinitum, vt patet discurrenti. Probatur secundo, de principio actiuo, quia multæ formæ seipsis influunt effectiue in suas affectiones, & non per aliqua accidentia superaddita, ergo seipsis, & essentialiter sunt principium actiuum. Antecedens probatur, in anima, quæ seipsa immediate influit in potentias, & actiones vitales, hæ enim quatenus vitales, requirunt principium vitæ, quod est ipsa anima, ita vt licet requiratur potentia superaddita, essentialem tamen dicant ordinem, & dependentiam ad principium vitæ, & animam, si cuius influxu, non possunt esse operation vitales, & extra controuersiam est, potent vitales immediate dimanare, ab ipsa anim probatur tertio, quia essentia cuiusque rei posscit certas proprietates, & affectiones, si quibus sit futura in statu violento, adeo quamuis sine illis totā & perfectam habe essentiam, non sit tamen conuenienter naturali inclinationi, nam essentia fini cum non contineat in se omnem perfect nem, postulat vlterius perfici per accident & inferioris ordinis ornamenta, ergo illas ipsa immediate in se perducet.

Consequentia probatur, quia nisi deuen tur ad ipsam essentiam, erit processus in i nitum, in principiis effectiuis & accidenta bus, essentiæ superadditis.

Si dicas proprietates produci à generan, tunc quæro, per quid producat generans respondeatur per accidens ipsius, iterum q ro à quo sit productum illud accidens ge rantis, & sic deinceps, donec veniatur ad s stantiam, vel respōdeatur, Deum à seipso p duxisse primum principium accidētale, qu non est conforme naturis rerum, quæ deb habere vim agendi, vnde videmus naturam quæ seipsa immediate producere in se frig si quando eo priuetur.

Probatur quarto; specialiter de princi operationum ad extra, quia tam est natur igni calefacere corpus externum, approxi tum, qum ferri sursum; aquæ frigefacere n num, quam ferri deorsum. Calefactio aut ignis, & frigefactio aquæ, sunt operatio transeuntes, motio vero sursum in igne, motio deorsum, in aqua, sunt operatio immanentes.

Probatur quinto. Specialiter de princi motus & mutationis, quæ sunt viæ, qui tenditur ad affectiones Physicas Consequ tia probatur, nam qualis est inclinatio a nem, talis etiam est inclinatio ad viam, siue media ad finem.

Obiic. primo, Si natura essentialiter principium affectionum naturalium, seq tur accidentia saltem terminatiue pertin ad essentiam substantiæ, ac proinde subst tiam dependere ab accidente, & non diff

differentiam inter substantiam & accidens, cum substantia essentialiter ordinetur ad accidens, sicut subiecta ad accidens.

Respon. substantiam dependere ab accidente, in aliqua sui perfectione, & in aliquo respectu quem habet ab operationibus & affectionibus, nam esse principium alicuius rei, includit essentialiter ordinem, qui non potest intelligi sine illa re, vt termino, negatur igitur vlterior consequentia, quia magnum est discrimen inter hunc respectum substantiæ ad accidens, & ipsius accidentis ad substantiam, quia accidens respicit substantiam, tanquam subiectum, sustentans & recipiens, vel etiam vt causam sui productiuam, ac proinde vt aliud superioris ordinis, substantia respicit accidens, vt causa suum effectum, & vt dispositionem, qua sit conuenienter suæ naturæ, ita vt totum esse accidentis sit incommodum substantiæ vnde accidens dicitur entis ens.

Obiic. secundo: hinc videtur sequi, ex natura, siue substantia & affectionibus accidentalibus, fieri vnum per se, cum substantia essentialiter ordinetur ad illas.

Respon. negando sequelam, quia natura non ordinatur ad accidentia, tanquam ad res eiusdem ordinis, sed tantum velut ad complementum accidentale, & ornamentum, quod supponit rem in suo genere perfectam.

Obiic. tertio, Esse principium affectionum naturalium, non ponitur in definitione compositi Physici, siue naturæ completæ, ergo non est de illius essentia.

Respon. negando antecedens, quia si sermo sit de definitione obiectiua, id est, de re, quæ est definitio esse principium ponitur in definitione vtriusque partis, quasi aliquid diuersum, sed per identitatem, quia esse principium tantum distinguitur ratione ratiocinata ab essentia, & partibus illius. Materia enim & forma, quatenus componunt corpus Physicum, dicuntur etiam eius essentia, quatenus vero cognosci possunt ab intellectu, dicuntur quidditas, & definitio, in ordine vero ad operationes dicuntur natura vt *supra* diximus: si sermo sit de definitione formali, quæ est actus illius, etiam negatur antecedens, quia licet non concipiamus explicite naturã, sub ratione principii, concipitur tamen implicite, quia ordo ad operationes includitur in ipsa natura, quod vero non exprimatur ab intellectu, id oritur ex illius imbecillitate, eo, quod non penetret rem secundum ordines, & respectus, quos dicit ad alia.

Obiic. quarto, si natura sit principium passiuum, sequetur motum violentum esse naturalem.

Respon. negando consequentiam, quia licet subiectum suscipiens affectionem, seu motum ab extrinseco violento introducto, ad eundem concurrat, per principium passiuum, eo quod omne agens Physicum agat educendo formam ex potentia subiecti, siue subiecto concurrente passiuo, recipiendo nimirum, non possunt tamen proprie dici naturales, quia repugnant particulari inclinationi, de quo *infra*.

QVÆSTIO III.

Quænam corpora habeant naturam?

Respondeo primo, cœlos omnes habere naturam, probatur, quia continent in se primum principium motus, saltem passiuum, quia non est probabile, cœlos moueri in orbem, actiue à principio intrinseco, vt docetur *in libris de cœlo*. Deinde, cœli recipiunt illuminationem & motum alterationis.

Cœlum etiam empyreum habet principium positiuæ quietis.

Resp. secundo, Elementa & corpora mixta habent in se principium actiuum, & passiuum, motus localis, quo feruntur ad loca naturaliter sibi debita, similiter habent principium alterationum, tum in se, tum in substantiis extremis mixta etiam habent principium variarum operationum, vt videre est in lapidibus, & metallis &c.

Resp. tertio. Viuentia & animalia habent naturam. Probatur, quia habent principia variarum alterationum, vt patet in herbis, & brutis. Deinde habent principium accretionis, & generationis, habent etiam principium motus localis, ratione elementi prædominantis, scilicet terræ animalia, insuper habent principium actiuum, motus progressiui, qui nobilior est motu locali elementorum, & praesupponit rem esse in statu præter naturalem, scilicet extra locum sibi in vniuerso debitum: vnde dicuntur moueri per accidens,

ſuppoſito, ſcilicet quod ſint extra locum naturalem. Animalia vero etiam in ſtatu perfecto & optima diſpoſitione, exercent motum localem, & progreſſiuum, imò quo melior eſt diſpoſitio, & connaturalior ſtatus, eo perfectiores obeunt ſuas functiones.

Reſpon. quarto: Homo ſecundum vltimum gradum ſcilicet rationalem, eſt ens naturale, ac proinde anima rationalis eſt propriè natura, non tantum vt continet gradus vegetatiuum, & ſenſitiuum, ſed etiam vt continet realem, Probatur, quia anima rationalis eſt forma vera corporis Phyſici etiam ſecundum gradum ſpecificum intelligendi, quia vt hic conſtituit ſpecialem eſſentiam hominis, ergo ſicut animæ cæteræ ſunt naturæ, ita & hæc.

Obiic. Primo Ariſtoteles *lib.* 1. *de partibus animalium.* ait, non eſſe Phyſici conſiderare animam rationalem, ergo non eſt natura.

Reſp. Ariſtotelem tantum inſinuare conſiderationem animæ rationalis, non eſſe omni ex parte Phyſicam, ſcilicet ſecundum affectiones, quæ illi conueniunt, etiam ſeparatæ à corpore, vt eſſe definitiuè in loco, intelligere, velle, &c. abſolute tamen eſt conſiderationis Phyſicæ, vt *in libro de anima* oſtenditur.

Obiic. ſecundo, principia diuiduntur in naturam, animam & vim intellectiuam, vbi anima diſtinguitur à natura, ergo nec anima rationalis, nec quæuis alia eſt natura.

Reſpon. negando ſequelam, quia in illa diuiſione natura ſtrictius ſumitur, pro natura rerum inanimatarum.

Obiic. tertio. Ariſtoteles *9. Metaph. cap. 2.* ait, naturam eſſe determinatam ad verum motum, ſed id non competit animæ, quia hæc eſt compoſito cauſa motus ad omnes poſitionum differentias, vt patet in animalibus.

Reſpond. naturam *ibi* ab Ariſtotele ſumi ſtrictius, prout ſignificat eſſentiam rei animatæ, & opponitur agenti libero, vel etiam voluntario in genere.

(***)

QVÆSTIO IV.

Quæ ſunt affectiones naturales, & violentæ?

RESpondeo, illæ affectiones propriè di-cuntur naturales, quæ ſunt ſecundum pe-culiarem inclinationem rei naturalis, ſe compoſiti Phyſici, eamque perficiunt. Sim-liter illi motus & mutationes ſunt connatu-rales, quæ ſunt viæ ad affectiones naturale vel per quas affectiones violentæ, ſi forte ac ſunt expelluntur, quia naturalitas motus mutationis deſumitur à naturalitate term ni, ad quem tendunt, Affectiones violent ſunt, quæ fiunt contra inclinationem pec liarem rei naturalis, & quæ tendunt ad ipſi deſtructionem, ſic aquæ violentus eſt calc ſimiliter mutationes ſunt violentæ, qua termini ſunt violenti. Dixi ſecundum pec liarem inclinationem, quia ſi ſit aliqua af ctio in compoſito, quæ ſit illi naturalis, ſaltem non violenta, ſecundum gradum periorem, vel alteram partem illa ſimpl ter eſt violenta. Vnde motus deorſum in mine, ſi ex editiore loco præcipitetur, eſt v lentus, deſtruit enim naturam hominis cet ille motus ſit illi naturalis, quatenus corpus mixtum, & graue: ſimiliter fo aquæ violentus eſt motus ſurſum calefac &c. quæ tamen non repugnat parti aquæ licet materiæ.

Pro ſolutione argumentorum. Nota turale aliquid multis modis dici: primo ſignificat id, quod à quauis natura d nat, ſic propriè paſſiones dicuntur ſubi naturales, quia natura eſt illic cauſa & cipium ſuarum proprietatum, ſecund gnificat id, quod conuenit naturæ c reæ, & cuius aliqua natura Phyſica eſt cipium & cauſa, ſiue id ſubiecto ſit vi tum, ſiue naturale, quo modo oppo miraculoſo & ſupernaturali. tertio ſign id, quod eſt neceſſarium, quo modo nitur libero, quo ſenſu actiones brut dicuntur naturales, quarto, naturale tur, quod conſequitur conditionem ræ, licet ſit quædam imperfectio illius ſenſu mors dicitur homini naturale, & poſito ex materia & forma dicitur n le corrumpi: deinde naturale dicitur id

vt plurimum fit, similiter quod non fit ab arte, acceptio autem, quam in conclusione attulimus, est maxime propria, quia id vnicuique proprie est naturale, quod est secundum peculiarem inclinationem illius, eamque perficit & ornat.

QVÆSTIO V.

An dentur affectiones indifferentes?

AFfectiones indifferentes, siue neutræ, dicuntur quæ neque sunt naturales, neque violentæ. Huiusmodi in rerum natura dari negant Caietanus *op.3. tract.3. quæst.1.* Soto *2.Phys. quæst.1.* Molin. *prima parte q.12. a.1.disp.2.*

Respon. Verius est, dari affectiones indifferentes. Ita Scotus *in 2.disp.1.quæst.6.* Suarez. *disput.43.sect.3.* Probatur, quia sicuti dantur affectiones, quæ conducunt ad perfectionem suppositi, & aliæ, quæ subiecto interitum afferunt, ita etiam dantur aliquæ, quæ neque sunt peculiares subiecti perfectiones, neque etiam tendunt ad illius corruptionem, ita vt subiectum neque habeat peculiarem inclinationem ad illas, tanquam ad aliquid sui perfectiuum, neque etiam habeat repugnantiam, atque huiusmodi affectiones sunt indifferentes, ergo: Maior pro postrema parte probatur, quia inprimis motus circularis cœli est talis, quia neque cœlum habet naturalem propensionem ad illud, alioqui post diem iudicii esset in statu præternaturali, & violente quiesceret, neque etiam motus obest illius perfectioni, vt patet. Deinde talis affectio est motus circularis ignis, immediate adhærentis concauo lunæ. Similiter esse sursum vel deorsum, respectu angeli: esse coloratum album, vel nigrum, respectu superficiei: superficies enim orbium cœlestium non sunt coloratæ lumen etiam respectu aeris motus est, quies respectu materiæ nudæ, & secundum se spectatæ.

Obiic. primo, Actus illi & affectiones enumeratæ continentur sub actu & obiecto adæquato potentiæ naturalis, ergo non sunt indifferentes, sed naturales, qualis est potentia.

Respon, negando antecedens, quia requiruntur solum sub actu neutro, seu indifferente, potentiæ enim naturales, stricte loquendo, respiciunt actum, sui perfectiuum.

Obiic. secundo, effectus quilibet est naturalis suæ causæ, ergo non datur potentia neutra actiua, ergo neque passiua, ergo nulla datur affectio indifferens, quæ sit actus potentiæ neutræ.

Respon. ad antecedens, verum esse effectum esse naturalem, respectu potentiæ actiuæ perfectionis, non tamen effectus omnis est naturalis, respectu causæ materialis & subiecti, fieri enim potest, vt subiectum non perficiatur ab effectu, quem agens introducit.

Ex dictis colligitur, sicut dantur triplices affectiones, naturales, scilicet, violentæ, & indifferentes, ita etiam dari triplicem potentiam naturalem, respectu affectionum perficientium, violentam, quæ est capacitas affectionum sibi repugnantium, & indifferentem, seu neutram. Quæ potentiæ sola ratione ratiocinata distinguuntur ab ipsa re, cui tribuuntur, nihil enim sunt aliud, quam & res ipsa, varias illas affectiones, tanquam actus quosdam respiciens.

QVÆSTIO VI.

Quid sit ars, & quomodo differat à natura?

NOta primo, nomine artis communiter intelligi habitum practicum, seu rationem rectam faciendorum, qui habitus residet in intellectu, illam inclinans, ad bene operandum, circa externa, vel saltem inclinans ad opus, propter illius præstantiam, non vero vt intellectus ipse perficiatur. Huiusmodi sunt ars statuaria, pictoria, ædificatoria &c. Aliquando tamen nomine artis intelligitur forma ab artifice in materiam, seu corpus Physicum introducta, quæ nihil est aliud, quam situs & ordo partium naturalium: ars enim effectum suum producit per motum localem, res naturales secundum locum varie disponendo, & coordinando: vnde talis, vel talis figura resultat, vt patet in arte pingendi, quæ liquores coloratos variis locis collocat, ex quibus resultat talis imago, & in arte statuaria, quæ è rudi ligno hincinde varias

partes decerpit, alibi apponit, & in arte ædificatoria, quæ lapides & ligna eo modo coordinat, vt resultet domus.

Respon. Ars non est natura. Probatur, quia non est primum principium aliquid agendi, vel etiam quietis, licet enim per artem promptiores reddamur ad opera quædam artificiose & concinne exercenda, ipsa tamen ars supponit naturam. Confirmatur, quia quomodocunque ars sumatur, non est essentia, vel pars essentiæ eius, in quo est, quia est accidens.

Vnde Natura differt ab arte, primo, quod natura sit substantia, ars vero accidens, secundo, quod natura sit productiua sui similis ars, vero non item, vnde forma cathedræ non producit aliam, ars vero faciendi cathedras, tantum concurrit cum artifice dirigendo.

Obiic. primo. Figura est modus quidam rei quantæ resultans ex positione partium, ergo est affectio naturalis, ergo forma artificialis est ens naturale.

Respon Figuram dici posse ens naturale, quatenus scilicet afficit ens naturale, seu quatenus est ordinis naturalis, non tamen est natura, vti natura hic accipitur.

Vbi Nota, naturam licet ab Aristotele differat, in quibusdam tamen cum illa conuenire, verbi gratia, primo, sicut Natura nihil efficit, nisi in præiacentem materiam, à Deo suppeditatam: Ita ars nihil efficit, nisi suppeditato à natura composito Physico, circa quod agat, secundo. Natura & ars conueniunt in modo procedendi, in suis operationibus, ab imperfectioribus scilicet progrediendo ad perfectiora, sic ars à rudi ligno, & lineamentis imperfectis progreditur ad politam statuam, & perfectam imaginem. Natura vero à floribus ad fructus, ab embryone ad fœtum animatum; Tertio, sicut natura imitatur artem diuinam, practicam, scilicet illam ideam operum faciendorum, quæ est in Deo. Ita ars imitatur naturam, quia tam perite res naturales efformat, quoad accidentia, vt non imagines rerum naturalium, sed res ipsæ naturales esse videantur. Sic reperti fuere pictores, qui ad vuas penicillo expressas aues inuitarent, &c.

(**)

QVÆSTIO VII.

An ars possit opera naturæ producere?

NOta naturam & artem modo duplici inter se posse conferri, primo artem præcise cum sola natura, secundo aggregatum ex arte & natura, cum sola natura. Quæstio igitur est, vtrum artificium humanum, vna cum natura possit producere aliquod opus naturæ; certum enim est, Artem seorsum, prout est habitus, residens in intellectu, non posse producere opus naturæ, cum non agat ad extra, & sic accidens. Vnde neque forma artificialis, qua talis est, principium effectiuum alicuius motus, nam forma Pyramidalis & sphærica coadiuuant motum deorsum, vel motum volutationis, non similiter ars cantandi, tripudiandi non promouent motum linguæ, vel pedum effectiue, sed directiue tantum. Ex quo sequitur, statuas à Dædalo factas ambulasse, columbam ligneam Architæ volasse, sphæram Archimedis cœlorum motus, siderum ortus & occasus, planetarum coniunctiones exhibuisse per principium effectiuum naturale, modificatum per artem, scilicet per machinulas quasdam paruas intus latentes, quomodo etiam minuta horologia statis temporibus sonum edunt, & horam indicant.

Respon. primo certum videtur, arte humana ita applicari posse actiua passiuis, vt prodeant opera naturæ.

Probatur primo, experientia, quia varia florum commixtione adinuentæ fuerunt distinctæ florum species.

Probatur secundo, Oua in fornace in quibusdam locis dicuntur excludi, non aliter, quam à gallina.

Probatur tertio, ex herba quę basilicon dicitur, produci possunt scorpiones.

Probatur quarto, quia in rebus naturalibus latent vires productiuæ effectuum naturalium. Vnde si debitæ applicētur, ad se inuicem reipsa producent, qui applicationis modus frequenti experimēto in multis reperitur. Confirmatur, quia fatentur omnes, dæmonem applicando actiua passiuis, posse producere varios effectus naturales, quales fuere serpentes per magos Ægypti producti, &c. ergo

rgo etiam fieri potest vt homo per industriam, ad similem aliquam cognitionem assurgat.

Sed peculiariter in controuersiam venit, auro an scilicet arte Chymica, quæ Græcis hrysopœia dicitur, Hebræis Alchimica ctiua passiuis sic applicari possunt, vt verum genuinum aurum producatur. Negant D. hom. *in secundo d stinct.* 7. *q.* 3. *a.* 1. Tostatus aliger & alii.

Resp. & dico secundo, Certum videtur arte ymica verum aurum posse confici, est o-nium Chymicorum & insinuat D. Thom. *ida secunda q.* 77. *a* 2. *ad primum.*

Probatur primo, quia multa magis miran-iunt per artem, vt patet ex dictis.

Probatur secundo, quia sola decoctione ignem è ferro fit chalybs, quæ tamen ma-est naturæ distantia, similiter lapides so-ne in æs & ferrum funduntur, ergo etiam ite ignis poterit ex aliqua materia aurum ci.

robatur tertio, quia omnino probabile le facto aliquos hac arte verum urum fe-, vt constat ex narrationibus multorum, us ægre denegari potest fides. Nam Ar-us quidam Villanouanus dicitur virgu-ureas per alchimiam Romæ produxisse, ie in aula summi Pontificis examini sub-e, vt testantur id plures Iurisperiti citati Delrio *l.* 1. *disq. mag.* 65. *q* 4. Deinde qui-Raimundus Lullus dicitur in arce Lon-isi in Anglia probatum confecisse au-ex quo fusa est moneta Anglicana, quæ nobilis rosa dicitur, quidam etiam Treuisanus & Ant. Fernisinus dicuntur præstitisse.

Si quis dicat, quosdam ex nominatis fuisse spectos magiæ.

Respon. primo inde saltem sequi natura-posse fieri. Industria enim dæmonis tan-titur virtute agenti, non naturalium.

Respo. Et hoc tempore esse viros graues, & timentes, qui affirmant se verum au-onficere.

Obiic. primo, non conuenit inter Chymi-materia, ex qua aurum producitur, er-o signum est saltem de facto neminem hanc habere. Antecedens probatur qui-enim adhibent scoriam ferri, alii arse-, alii salem, ouorum putamina, alii capillos, sanguinem humanum, &c.

Respon. negando consequentiam, quia licet vulgares Chymici vel materiam ignorent, peritiores tamen communiter adhibent sulphur & hidrargyron, seu argentum viuum, & varia metalla permiscent deinde aliquid sinceri auri.

Obiic. secundo, Non potest commode assignari causa efficiens huius auri.

Resp. Causam efficientem esse ignem fornaculæ alchimisticæ, licet enim sol sit causa efficiens ordinaria, potest tamen ignis obire vices istius maxime, si ex parte materiæ peculiaris sit dispositio & concursus.

Obiic tertio, Metalla & cætera quæ assignantur pro materia huius auri differunt inter se specie, & ab auro, ergo non possunt in aurum transmutari.

Respon negando consequentiam, quia ex duobus elementis potest generari tertium distinctum specie, equus & asinus generant mulum, &c.

Obiic. quarto. Iohannes XXII. Pontifex *extrauagante spondent.* dicit, spondent quas non exhibent diuitias pauperes Alchimistæ &c. & post modum disertis verbis hanc artem prohibet, eiusque professores damnat infamiæ, &c. ergo signum est esse imposturas.

Respon. Notari ibi gregarios Alchimistas, & circumforaneos, qui populo imponunt, non autem peritiores, vel si quis dicat vniuersim omnes puniri Respondendum cum Delrio, *supra*, canonem illum procedere ex hypothesi, aurum scilicet omne alchimicum esse falsum ideoque damnari tantum eos qui falsum conficiunt, vel canonem illum non fuisse receptum, quia in vrbe postmodum hęc ars viguit, vt sub Leone X. cui Aurelius Augurellus librum suum de Chrysopœia dedicauit. Quia tamen frequenter committitur error, dum peccatur in iis, quæ adhibentur, vel in modo applicandi, fit vt multi Chymici fortunas suas extenuent, & vix vllus ditior euadat: vnde ars illa passim habetur perniciosa.

Ex dictis patet artem aliena vi applicando scilicet actiua passiuis producere opera naturæ, quæ proinde Physice non sunt ducenda effecta artis, sed potius naturæ, cui ars vt conditio applicans subseruit.

DISPVTATIO III.

De causis.

QVÆSTIO I.

Quid sit causa in genere?

NOta primo, non esse idem principium communissime sumptum, & causam in propria significatione, prout tribuitur veris causis Physicis, nam non ens, vt priuatio est principium, non tamen est causa, quia ad rationem principii duo tantum sunt necessaria, primo vt habeat aliquam antecessionem ad principiatum & sit illo aliquo modo prius, idque vel tempore, vel natura, vel situ, vel origine, quæ vltima prioritas tantum reperitur inter personas diuinas, secundo vt aliqua sit connexio, & consecutio inter principium & principiatum: vnde principium dicitur ab Aristotele 5. *Met.* Primum, vnde aliquid est, illud vnde designat hanc connexionem, & defectu illius, aurora, verbi gratia, hesternæ diei non est principium hodiernæ, licet antecedat, sufficit autem qualiscunque connexio; vnde in omni negotio id, à quo initium fit, dicitur principium: & quod in successione primum est, dicitur principium respectu successiui, & qui primo loco inter multos considet, dicitur principium multorum: similiter quod psupponitur alteri rei, hoc modo fundamentum est principium domus. Si tamen ratio principii magis proprie ponatur, requirit intrinsecam aliquam habitudinem inter principium & principiatum, adeo vt principiatum dici possit, oriri per se, ab eo, quod est principium, non quidem necessario per positiuum influxum principii, quia talis modus principiandi conuenit solis causis Physicis, & maxime efficientibus, sed saltem intrinsecis rationibus, quem habent ad suum principium, tanquam ad terminum à quo, & sic forma seu compositum per se, oritur à priuatione.

Nota secundo: Causam variis modis sumi: primo late, & improprie, vt idem sit, quod principium, qua acceptione Aristoteles 12. *Met. c.* 2. priuationem vocat causam: & sic quidam Patres Græci dicunt patrem in diuinis esse causam filii, quo tamen signandi modo tantum denotant rationem principii, alioq modus ille loquendi Latinis est inusitatu nec vsurpandus, ne scilicet aliqua in diuir dependentia esse existimetur, adeo vt patre dicere causam Filii sit contra sanam doct nam, vide D. Thom. 1. *p. q* 33. *a.* 1. *ad* 1. Secun causa sumitur, pro omni occasione & con tione requisita, vel concurrente ad effectu Tertio Deus interdum dicitur causa suiips hoc sensu negatiuo, quod non habeat sui c sam & originem, alioqui in sensu positiuo falsum, quia in Deo non est causa, nec aliq causatum.

Respon. Causa recte definiri potest prii pium per se positiue influēs esse in aliud. P cipium ponitur loco generis, quia latius tet, quam causa. Per influens nō signific hic influxus causę efficientis, sed in gener fluxus cuiuslibet causæ Physicæ scil form materialis, efficientis, vel finalis. Vnde inf idem est quod tribuens dans, siue commi cans esse. Illud per se additur vt excluda causæ per accidens, quæ improprie dicu influere, scil. ratione cuiusdam connexi cum causa per se; hoc modo albus, vel r cus, est causa per accidens domus &c. E duntur etiam conditiones, sine quibus vt intellectio respectu actuum voluntati proximatio causæ efficientis ad passum minus relationis, ad cuius præsentiam se existentiam emanat relatio à suo funda to. Per illud positiue excluditur priuatic nec in generationem, nec in rem genitai sitiue potest influere, cum ipsa intrinse hil sit positiui. Per illud esse in aliud sigi quod esse rei illius, quæ procedit à caus beat esse quid distinctum ab esse causæ, enim est causa, respectu suiipsius: & sic duntur à definitione causæ personæ d nam pater, v. g. non est proprie causa F que Pater & Filius sunt causæ Spiritus quamuis & filius generetur à Patre, & tus sanctus procedat à Patre & Filio, q per productiones diuinas generation æternam & spirationem, non commu aliud esse distinctū ab ipso, esse perso ducentis, sed ipsummet esse numero, q in persona producente, adeoq; omnin pendens, vnde illud esse nō dicitur cau sed communicatum tātum. Nec refer Pater respectu suę personalitatis distir

Filio, & vterq; à Spiritu sancto, quia per di-
inas processiones tantum cõmunicatur per
primo esse absolutum, & essentiale diuinæ
aturæ, quod in omnibus personis est vnum nu-
iero, & omnino singulare, nõ autem esse re-
tiuum, quia personalitates requiruntur ad
rocessionem, tanquam proprietates, vel aliquid
atum ad constitutionẽ distinctarum perso-
arum, quæ conditio habet se per modũ ma-
rialis in hac productione, & ratio produ-
ionis & causationis præcipue spectatur ex
rmino formali, qui per se primo cõmunica-
r, is autẽ in diuinis est omnino numero, sic
productione hominis terminus formalis,
ui per se primo intenditur, est natura huma-
ı, materiale vero personalitas creata conna-
ralis humanæ naturæ, sine qua tamen con-
tit productio hominis, vt declarari potest
generatione Christi Domini, qua homo
at, quia humanitas illa vere fuit producta,
et non fuerit terminata propria, & creata
rsonalitate.

QVÆSTIO II.

Quid causet materia & per quid?

N cuiusuis causæ explicatione 4. occurrunt consideranda, primo est res ipsa, quæ causat ue principium, & ratio causandi: Secundo t causalitas, siue ipsa causatio, quæ est influ-ıs, vel concursus, quo quælibet causa in suo enere influit in effectum, & cõstituitur cau-in actu secundo. Tertio est effectus, siue id, uod causatur: Quarto, est relatio inter cau-m & effectum, quæ distinguitur à causalita-, quia causalitas est ante effectum, est enim rtus productiua effectus actu concurrens, latio autẽ consequitur ipsum effectum. Re-tio est alterius loci: Quæritur hic quinam nt effectus materiæ, vel quæ possunt dici iusari à materia. Deinde per quid causet ma-ria, an scilicet seipsa, an vero per aliquid ipsi peradditum.

Resp primo: Quatuor sunt quę possunt di-causari à materia, scil. generatio composi-, ipsum compositum, Forma materialis, & uio formæ cum materia.

De singulis probatur, quia generatio ita endet à materia, vt non possit fieri nisi in il-; ergo est aliquo modo effectus materiæ.

De composito probatur, quia materia o-nium Philosophorum consensus est causa intrinseca, sed nullius potest dici causa intrin-seca, nisi compositi, quod intrinsece causat se-ipsum, illi dando & intrinsece constituendo eius essentiam, ita vt sine materia intelligi ne-queat compositum materiale, ergo est causa cõpositi. De forma probatur, quia forma ma-terialis dependet à materia, de cuius potentia educitur in suo fieri, & in facto esse, ergo for-ma aliquo modo est effectus materiæ. De v-nione probatur, quia vnio cum sit ens moda-le, tantum essentialiter dependet ab extremo ad quod fit vnio, sed vnio formæ fit ad mate-riam, ergo vnio formæ est quodãmodo effe-ctus materiæ. Dico quodammodo, quia vnio cum via & tendentia ad compositum, simili-ter & generatio non sunt proprie duo effe-ctus materiæ, distincti à forma, & composito sicuti in causa efficiente, actio non censetur effectus distinctus à termino, v. gr. calefactio à calore, sed via ad effectum. Vnde proprie lo-quendo, tantum duo sunt effectus materiæ, forma scilicet & compositum.

Respon. secundo: Materia causat hos effe-ctus, per propriam suam entitatem, non vero per entitatem aliquam, sibi superadditam, quæ à quibusdam dicitur potentia, quasi sci-licet radicale & primum causandi principium sit ipsa entitas materiæ, immediatum vero & proximum illa entitas superaddita, sicuti in causa efficiente creata distingui solet princi-pium radicale agendi, verbi grat. forma sub-stantialis ignis, à principio proximo calefa-ctionis, scilicet calore. Ita D. Thomas *primo Phys. text. 79. & 1. p q 5. a 3. ad tertium.* & com-muniter Thomistæ. Probatur, quia materia causat ex eo, quod sit subiectum receptiuum formæ, similiter quia est extremum vnionis. Deinde quia constituit intrinsece composi-tum. Vlterius, quia est subiectum generatio-nis, sed hæc omnia habet à propria sua enti-tate, ergo causat per propriam entitatem. Mi-nor probatur, quia hæc omnia conueniunt illi, quatenus est potentia subiectiua, sed ra-tio potentiæ est materiæ essentialis, & omni-no indistincta ab entitate materiæ, vt *supra* ostendimus: ergo, &c. Confirmat. quia mate-ria est causa intrinseca, saltem compositi, er-go si per entitatem illi superadditam causa-ret, compositum esset aggregatum per acci-dens, quia illud superadditum includeretur in essentia compositi.

Deinde non poteſt excogitari modus, vel entitas diſtincta à materia, quæ ſit illi prima ratio cauſandi, vide Suarez *diſp.13.ſect.8.*

QVÆSTIO III.

Quid ſit cauſalitas materiæ.

DIximus vim cauſandi materiæ nihil ab illa eſſe diſtinctum. Hic vlterius quæritur, an cauſalitas materiæ, ſeu actualis ipſius influxus ſit, vbi quid à parte rei ipſi ſuperadditur.

Reſpon. primo: Cauſalitas materiæ eſt aliquis modus ex natura rei à materia diſtinctus. Probatur primo, quia materia poteſt eſſe ſine cauſalitate, ergo cauſalitas eſt aliquid ſaltem modale diſtinctum à materia. Conſequentia patet, quia ſi eſſent formaliter idem, non poſſet vnum reperiri ſine alio. Antecedens probatur, quia diuina ſaltem virtute materia poteſt eſſe ſine omni forma, & forma ſine materia nullam habet cauſalitatem. Probatur ſecundo: Cauſalitas materiæ poteſt ſucceſſiue variari, dum varias formas recipit, & varia ſucceſſiue conſtituit compoſita, idque inuariata manente ipſius materiæ entitate, ergo cauſalitas ipſius eſt aliquid ex natura rei diſtinctum à materia, quia ſi eſſent omnino idem, vnum non poſſet variari, altero manente inuariato. Conſtat autem non poſſe eſſe aliquid realiter diſtinctum cum intelligi non poſſit, quomodo ſeorſim à Deo poſſit conſeruari, ergo erit modus

Reſpon. ſecundo. Cauſalitas materiæ, reſpectu formarum materialium, & accidentalium, quæ educuntur de potentia materiæ eſt ſuſtentatio illarum formarum, qua tanquam modo materia cauſat non tantum in fieri, ſed etiam in facto eſſe eiuſmodi formari.

Probatur, quia ſine hac ſuſtentatione non poteſt intelligi materia, exercere cauſalitatem circa formas, & per illam ſolam omnino alio præciſo intelligitur exercere ſuam cauſalitatem, reſpectu formarum, ergo in illa conſiſtet cauſalitas illius reſpectu formarum. Conſequentia patet ex conditionibus cauſæ, ſeu rationis formalis.

Concluſio reſtringitur ad formas materiales, quæ educuntur è potentia materiæ, quia reſpectu animæ rationalis, quæ eſt forma ſubſtantialis, materia non exercet cauſalitatem, quia cum non pendeat ab illa, tanqu[am] à ſuſtentante, ſed poſſit naturaliter exiſte[re] ſine materia, quod cæteris formis eſt de[ne]gatum.

Petes, vtrum vnum accidens poſſit exer[ce]re cauſalitatem materialem, reſpectu alter[ius] accidentis, ſicuti materia, reſpectu form[a]rum.

Reſpon. affirm. quia vnum accidens po[teſt] concurrere ſuſtentando ad productionen[n] conſeruationem alterius, in quo conſi[ſtit] cauſalitas materialis, ſic quantitas ſe hab[et] reſpectu cæterorum accidentium, pote[n]tiæ animæ reſpectu accidentium, quæ [po]tentiæ etiam concurrunt effectiue ad ſ[uos] actus.

Petes ſecũdo, an res ſpiritales poſſint e[xer]cere cauſalitatẽ materialem. Ratio dubita[ndi] patet, quia carent materia.

Reſpon. affirm. quia ſuſtentant acciden[tia], quæ ſuſtentantur in illis, vt patet exem[plo] iam allato, quia anima ſeparata & An[geli] concurrunt ſuſtentando ad potentias h[abi]tus actus, & ſpecies intelligibiles.

Reſpon. & dico tertio. Cauſalitas mate[riæ] reſpectu compoſiti eſt ipſa vnio, & commu[ni]catio ſui ipſius per modum receptionis. P[ro]batur, quia per communicationem rece[pti]uam præciſe intelligitur conſtitui, ſiue ca[uſa]ri compoſitum ex parte materiæ.

Nota, dici in concluſione communica[tio]nem per modum receptionis eſſe cauſal[ita]tem, reſpectu compoſiti, in genere, non [au]tem communicationem per modum in[for]mationis, quia hoc pertinet ad cauſalita[tem] formæ, neque etiam dici per modum [ſu]ſtentationis, vt ſcilicet aſſignemus cauſal[ita]tem materiæ, reſpectu cuiuſuis compoſiti, [et]iam humani, quod cauſat, non per mod[um] ſuſtentationis animæ rationalis, ſed per [mo]dum receptionis tantum.

QVÆSTIO IV.

An Deus ſupplere poſſit cauſalita[tem] tem materiæ.

REſpon. primo: Deus ſupplere poteſt c[au]ſalitatem materiæ, reſpectu formæ, t[um] ſubſtantialis, tum accidentalis.

Probatur, quia hæc cauſalitas eſt ſuſte[nta]tio

...formæ, quam Deus supplere potest in ge...re causæ efficientis, conseruando formam ...e vnione ad materiam, per solam actio...m conseruatiuam, qua formam illam an...a conseruabat in subiecto; quæ actio conti...ata sufficit, vt forma substantialis, vel acci...atalis maneat existens in rerum natura, et...n subtracto subiecto sine materia.

Petes, vtrum Deus non possit implere hanc ...salitatem concurrendo in genere causæ ...terialis.

Respon. negando: quia concurrere mate...iter & instar subiecti, quod materiæ sub...mitur, includit aliquam imperfectionem, ...aitum posse esse subiectum formarum, & ...s intime coniungi, non tantum secundum ...um, & indistantiam, sed etiam secundum ...onem, sed Deo nihil potest tribui, quod ...oluit aliquam imperfectionem, ergo

Obiic. primo, Causa materialis est essen...iter Deo subordinata, sicuti causa effi...ens, sed Deus in eodem genere, scilicet effi...ntis supplet causalitatem causę efficientis, ...o similiter poterit supplere causalitatem ...teriæ, concurrendo materialiter.

Respon. negando consequentiam, quia li... vtraque causa, tam efficiens, quam mate...lis, sit extrinseca suo effectui, in eo tamen ...inguuntur, quod causa efficiens ita sit ex...trinseca, vt non indigeat vnione naturali, ...n effectu, materia vero requirat vnionem, ...n enim sustentat, nisi in se excipiendo.

Obiic. secundo, Causalitas causæ efficientis ...n formaliter, nec eminenter continet cau...salitatem causæ materialis, ergo illam non ...test supplere.

Resp. distinguendo consequens, non posse ...pplere hoc modo, quasi nouus influxus ef...ctiuus præbeatur præcise pro influxu mate...riali, potest tamen ita suppleri, vt res sine for...m incipiat dependere à sola causa efficiente, ...e concursu alicuius subiecti sustentantis, & sic causalitas effectiua virtute dici potest ...tinere causalitatem materialem.

Respon. & dico: Deus non potest supplere ...salitatem materiæ, respectu compositi. ...batur, quia materia hanc causalitatem ...rcet, dando semetipsam composito, illud ...trinsece constituendo, id autem Deo con...uire non potest, cum sit magnæ imperfe...ctionis, intrinsece concurrere ad compositionem alicuius compositi naturalis, maxime per modum materiæ.

QVÆSTIO V.

Quæ sit ratio causandi formæ, & quæ eius causalitas.

QVæ supra de materia quæsita sunt, eadem de forma hic paucis explicanda. Primo scilicet an forma causalitatem exerceat seipsa, an vero per potentiam aliquam informandi distinctam, quæ sit principium, seu ratio proxima, & immediata causandi: secundo, an & quomodo ipsa causalitas formæ, siue influxus formalis distinguatur à forma.

Respon. primo: Forma exercet causalitatem, per suam propriam entitatem, non vero per aliquid illi superadditum, quod sit instar potentiæ actuandi.

Probatur primo, quia illud superadditum accidentale includitur intrinsece in composito, simul cum forma, ac proinde constituit ens per accidens. Probatur secundo: Quia potentia receptiua est materiæ essentialis ab ipsa indistincta, ex dictis ergo & potentia actuandi, seu informandi aliud similiter est essentialis formæ, & ab illa indistincta, hinc forma non potest concipi, quin concipiatur sub aptitudine ad informandum.

Dices, magna est disproportio inter materiam & formam substantialem maxime animam rationalem, ergo forma non poterit causare per seipsam, sed assignandum erit aliquod medium, quod sit immediata radix causandi.

Respon. negando consequentiam, ad antecedens dico, inter materiam & formam esse aliquam distantiam, in genere entis, quæ tamen includit sufficientem proportionem potentiæ & actus, qualis requiritur & sufficit inter materias & formas.

Respon. secundo: Causalitas formę est modus ex natura rei distinctus à forma: Probat. Quia forma potest esse sine causalitate, vt patet in anima rationali separata, & qualibet forma substantiali, quæ saltem diuinitus potest existere seorsum à materia, ergo causalitas distinguitur à forma, non vt res à re, vt patet, ergo vt modus.

Respon. tertio: Causalitas formæ respectu compositi est vnio ad materiam, & communicatio sui per modum informationis. Probatur, quia posita hac vnione formæ cum materia, & præcisis omnibus aliis, intelligitur forma exercere suam causalitatem, & sine hac vnione omnibus aliis remanentibus, non potest intelligi exercere causalitatem, ergo signum est, causalitatem consistere in hac vnione. Antecedens patet in anima rationali, quæ licet sit intime præsens corpori, non tamen constituit hominem, nisi mediante vnione substantiali. eaque posita non potest non constituere hominem. Confirmat Quia nihil aliud assignari potest, quod sit causalitas formæ.

Obiic. primo. In homine, verbi gratia, vnio animæ rationalis cum corpore, vel effectiue prouenit à generante, vel ab ipsa anima, quæ in primo instanti creationis intime præest humano corpori, seipsa effectiue producit vnionem ad corpus, ad quod propendet: verum vis dicatur, vnio non potest dici causalitas formæ, ergo. Minor probatur, quia pro priori parte, quia id, quod efficienter vnit formam composito, est causa extrinseca, & vnio illa est actio illius causæ efficientis, ac proinde ipsamet causalitas causæ efficientis, ergo non potest esse causalitas formæ. Pro posteriore parte minor probatur, quia sic vnio erit terminus formæ, prout habet rationem causæ efficientis, atqui terminus causæ efficientis non potest esse causalitas formalis illius formæ, à qua effectiue procedit, ergo.

Respon. negando minorem, pro vtraque parte. Ad probationem minoris, respon. ad vnionem, quæ est actio generantis, quæ rectius vocari posset vnitio, vel vnio actiua est causalitas causæ efficientis. Terminus vero illius vnionis vnitiuæ, siue vnio passio, quæ absolute & proprie dicitur vnio, est causalitas formæ. Ad probationem posterioris partis, resp. neg. minorem, vniuersaliter, tunc enim terminus, qui effectiue procedit ab aliqua forma, potest esse eiusdem causalitas formalis, quando terminus productus remanet in causa efficiente producente, quod fit in casu proposito, si quis existimet, vnionem effectiue ab anima dimanare: quamuis verisimilius sit fieri effectiue ab ipso generante, de quo ex professo *in lib. de gen.*

Respon. & dico quarto, primariu[s] causa formalis, est ipsum compositum [pro]batur, quia compositum naturale ma[teriale] constituitur ex forma simul cum materia [er]go forma est causa illius intrinseca, [&] compositum effectus. Confirmatur, [quia] compositum est effectus materiæ, ex eo, q[uod] materia intrinsece constituat composit[um,] ergo potiori iure erit effectus formæ, [quæ] subliminiori modo concurrit ad constitu[tio]nem compositi, scilicet dando illi esse sp[eci]ficum, & compositum. Dixi compositum effectum primarium, quia licet forma p[rius] natura actuet materiam, quam consti[tuat] compositum, tamen cum actuatio illa sit [tan]tum via ad constitutionem compositi, [&] ipsa causalitas formæ, scilicet vnio per [mo]dum informationis, non recte dicitur e[ffe]ctus formæ, nedum primarius

Obiic. secundo: Effectus nequit esse n[obi]lior sua causa, sed compositum est nob[ilius] forma, ergo non potest esse effectus for[mæ.] Minor probatur, quia præter perfectio[nem] formæ includit materiam & vnionem.

Respon. ad maiorem, axioma hoc ve[rum] esse, in causa efficiente principali, quæ formaliter, vel eminenter debet conti[nere] effectum, ac proinde aliquo saltem m[odo] esse nobilior: non autem de causis intri[nse]cis, materia scilicet & forma, quibus hoc [pe]culiare est, quod simul sint causæ composi[ti] partes intrinsece illud continentes.

Peres primo, an forma non exerceat [ali]quam causalitatem, respectu materiæ, [&] materia respectu formæ.

Respon. negando licet enim materia dependeat à forma, vt sine illa natura[liter] non possit existere, illa tamen depende[ntia] saluari potest sine causalitate, nimirum [vt] sit dependentia a posteriori, tanquam ab [ali]qua conditione, vt cum materia sit ord[ina]ta ad hoc, vt cum forma constituat com[po]situm, naturaliter requirat formam, sine [qua] nequeat existere. Sic enim multa sunt, [quæ] tanquam conditiones necessariæ alicuiu[s] requiruntur, cuius tamen non sunt ca[usæ,] verbi gratia, compositum Physicum n[on po]test naturaliter existere sine multis acci[den]tibus, quæ tamen non sunt causæ compo[siti;] approximatio est causa necessaria ad con[sti]stionem, non tamen est vera causa com[bu]stio.

stionis, quod autem forma nullum habeat influxum in materiam, ac proinde non sit causa illius, ex eo probatur, quia materia habet esse procreationem, ac proinde non dependet ab alio, præbente aliquem influxum realem, præter à solo Deo. Deinde prius natura, quam forma concipiatur, esse habet existentiam, ergo forma non habet influxum in materiam, alioquin enim non posset concipi existere materia, quia simul conciperetur formam in illam influere.

Quare forma dependet à materia, & contra, sed diuersimode. Forma enim dependet à materia à priori, velut à causa. Materia vero dependet à forma à posteriori velut à conditione necessaria. Sic compositum naturale est causa quarundam proprietatum, à quibus etiam tanquam à conditionibus necessariis dependet, vt conuenienter suę naturę existat. Vide Suarez *disp.* 15. *sect.* 8.

Petes secundo, quæ sint conditiones necessariæ, vt forma & materia exerceant suas causalitates.

Respond. Conditionem absolute necessariam etiam respectu diuinæ potentiæ esse instantiam, scilicet vt sint sibi mutuo intime propinquæ, quæ indistantia non est ipsa vnio, potest enim reperiri sine vnione, in angelo, verbi gratia, bono, vel malo, Deo item, qui est indistans corporibus. & tum illis non vnitur substantialiter, neque constituit cum illis vnam substantiam, quia scilicet deest vnio informans. Secunda conditio est quantitas in materia, & dispositiones præuiæ ad formam, vnde videmus corruptionem rei naturalis inchoari per destructionem dispositionis, ex quo colligitur formam separandam indiguisse dispositionibus, siue peculiaribus, sine quibus in materia remanere non posset, & formam perducendam indigere aliis ad hoc, vt informet materiam. Hæc autem conditio est necessaria, secundum statum naturalem, alioqui per absolutam Dei potentiam videtur fieri posse, vt forma & materia exerceant suas causalitates, sine quantitate, aut aliis dispositionibus vt censet Suaretz *disputat.* 13. *sect.* 8.

(***)

QVÆSTIO VI.
Quid sit causa efficiens?

EXplicatis causis intrinsecis compositi naturalis, materia scilicet & forma, superest, vt disputemus de extrinsecis: Efficiente scilicet & formali, inter quas licet finis sit prior, ordine intentionis, in executione tamen & in modo causandi, prior & perfectior est causa efficiens. ideoque nomen causæ illi conuenit antonomastice: cum enim simpliciter aliquid dicimus alicuius rei esse causam, solemus intelligere efficientem.

Respon. Causa efficiens est id, vnde primum principium ducitur mutationis. Ita Arist. *secunda Phys.* Si pro mutatione ponatur actio, & dicatur causa efficiens, esse primum, per se, à quo primo est actio, Definitio conueniet Deo, respectu creationis, quæ alioqui proprie non est mutatio, nec Deus creans principium mutationis.

Dices hæc descriptio videtur conuenire omnibus causis, & probatur primo, de forma, quia eodem instanti, quo fit mutatio, forma est producta, adeo vt concipi non possit mutatio, sine productione formæ, ergo forma etiam est primum principium mutationis.

Respon. primo, particulam vnde in definitione designare habitudinem principii externi, vnde per illam excluditur forma.

Resp. secundo, formam non esse primum principium mutationis, quia vt summum mutatio dependet à forma & termino.

Dices secundo, Materia simul tempore concurrit in suo genere, cum causa efficiente, & quidem æque primo, ergo si causa efficiens est primum principium, vnde ducitur mutatio, etiam materia erit primum principium.

Respon. primo, Materiam esse principium intrinsecum, vnde excluditur per particulam vnde.

Resp. secundo, ad Antecedens, licet eodem instanti temporis materia exerceat suam causalitatem, quo efficiens, eo quod simul efficiens perducat formam, & materiam illam recipiat, non tamen in eodem instanti naturæ, sed prius materia est causam efficientem producere formam, quam illam recipere in materia: recipi enim supponit esse.

Dices tertio, Causa efficiens mouetur à fine, vel causa finali, ergo causa finalis erit primum principium, vnde incipit notatio.

Respon. negando consequentiam, quia licet causa finalis sit primũ principium, ordine intentionis, à qua causa efficiens obiectiue, & metaphorice mouetur, ordine tamen executionis, & via originis, causa efficiens est primum principium, & quidem influens Physice, reali omnino influxu.

QVÆSTIO VII.

Quotuplex sit causa efficiens?

Respon. plures sunt diuisiones causæ efficientis, quarum frequens est vsus in Philosophia.

Prima diuisio est causarum, alia est prima, alia secunda, siue quod idem est, alia est vniuersalis absoluta, alia partialis, causa prima dicitur independens ab omni alia, qualis est solus Deus, qui etiam vocatur causa vniuersalis, quia omnis omnino effectus attingit. Causa secunda est, quæ in suo esse & operari dependet à prima, causæ omnes creatæ à Deo, quæ dicuntur etiam partiales, quæ ad tantum effectus naturæ suæ accommodatos concurrunt.

Secunda diuisio est, causarum alia est Physica, alia moralis, Physica est, quæ vere ac realiter influit in effectum, sic ignis est causa Physica, suarum operationum. In qua diuisione illud Physicum latius patet, quam communiter, hic sumi solet pro corporeo, quia Deus & angeli dicuntur hic causæ Physicæ: Causa moralis est, quæ per se non efficit effectum, ita tamen se gerit, vt secundum moralem, seu prudentem æstimationem effectus ei imputetur: talis est causa imperans, consulens, verbi gratia, homicidium. Vnde latius hic sumitur causa moralis, quam sæpe sumi solet, pro ea, quæ libere aliquid operatur, quia talis causa non condistinguitur hic à Physica. Voluntas enim libere amans, est vere causa Physica amoris.

Tertia diuisio, causa efficiens alia est totalis, alia partialis. Totalis est, quæ habet sufficientem virtutem in genere suo, ad producendum effectum. Dico in suo genere, quia omnis causa creata dependet à causa prima, quantumuis habeat virtutem com[...] tam suo effectui, & forma substanti[...] pendet à materia, tanquam à sustenta[...] quæ tamen non supplet defectum alicuiu[s] virtutis, intrinsece, & sunt dependentia in alio genere. Vnde satis est ad causam totalem, vt non dependeat ab alia concausa efficiente eiusdem ordinis. Causa partialis est, quæ in suo genere sola non sufficit, sed requirit alias concausas efficientes, talis est homo, respectu tractationis nauis, quæ tamen trahi potest, à decem hominibus.

Quarta diuisio. Causa efficiens alia est principalis, alia instrumentalis. Principalis dicitur, quæ habet vim commensuratam, & proportionatam ad productionem alicuius effectus, ita vt ab alio assumi non debeat, talis causa est ignis respectu productionis alterius ignis. Causa instrumentalis est, quæ ab alia assumitur, & eleuatur ad aliquem effectum, sese præstantiorem, eo quod virtus illius intrinseca ita sit imperfecta, vt compleri debeat per causam principalem. Vt calamus, respectu scriptionis, penicillus, respectu picturæ, & omnia instrumenta artis, quæ indigent motione alterius, vt suum effectum producant, aliquando tamen causa instrumentalis paulo aliter accipitur, nimirum pro virtute accidentaria per quam suppositum operatur, ipsum vero suppositum, quod operatur, dicitur causa principalis: sic calor interdum dicitur instrumentum ignis.

Quinta diuisio: Alia est causa per se, alia per accidens. Causa per se, est à qua directe procedit: Causa per accidens est, à qua effectus non dependet directe, secundum proprium suum esse, & hæc causa iterum est duplex, vel enim tenet se ex parte causæ, vel ex parte effectus, ex parte causæ, dicitur causa per accidens id, quod coniungitur principio causandi per se: hoc modo aqua, verbi gratia, calida, dicitur causa per accidens, caloris producti in carne, vel manu, quia scilicet substantia aquæ vnita est calori, per accidens, qui calor est causa per se caloris. Ex parte vero effectus illud dicitur causa per accidens, quod est causa per se alicuius effectus, cui ex accidente, & non necessario coniunctus est alius effectus, hoc modo fodiens agrum, qui est causa per se, fossionis, est causa per accidens inuentionis thesauri, & nix, quæ ratione frigoris est cau[...]

..t se frigoris in manu, est deinde accidens caloris, qui consequitur antiperistasis de qua *in libro de gene- ..re.*

..exta: diuiditur causa efficiens in vniuo..am, & æquiuocam. Vniuoca dicitur, quæ ..roducit effectum eiusdem rationis, quem ..ormaliter in se continet, vt homo producens ..ominem, ignis ignem, & inæquiuoca est, ..uæ producit effectum sibi dissimilem in na..ra diuersæ rationis, quem non continet ..rmaliter, sed eminenter tantum. Vnde non ..m dicitur tendere ad producendum simile, ..iam ad producendum proportionale, scili..t actu, secundum proportionem actui pri..o, seu virtuti operatiuæ, vt sol producens ..rum & alia in hisce inferioribus, lux pro..ucens calorem, semen producens formas ..rtiales, in viuentibus, & Deus respectu o..nium creaturarum.

QVÆSTIO VIII.

Quid sit causalitas causæ efficientis?

..Vnt qui dicunt, causalitatem causæ efficientis esse, effectui dare esse efficiendo. Ita ..oncinas *5. Metaph. quæst. 4.* sed hæc opinio ..l non satis explicat rem, vel coincidit ..m communi sententia modernorum pro ..a.

Respon. causalitas causæ efficientis est a..io: Ita D. Thom. *5. Met. cap. 2.* Suarez *disput.* ..*sectione* 10. Probatur, quia causalitas cau.. est id, quod immediate additur causæ su..a potentiam, seu virtutem agendi, vt con..tuat actu agens: sed tale quid est actio, ergo ..nfirmat. quia causalitas causæ est id, quod ..ediat inter ipsam, & effectum: sed inter cau..m & effectum non mediat, nisi actio, ergo ..tio est causalitas, quæ quia habet rationem ..uiusdam viæ, & tendentiæ, respicit princi..um à quo, scilicet causam & terminum ad ..uem, scilicet effectum.

Probatur secundo, quia præcise omni alio, ..iam per intellectum, causa efficiens intelli..tur actu agens per actionem, ergo illa est ..usalitas illius. Consequentia probatur, ex ..mmuni conceptu causalitatis, antecedens ..tet discurrenti. Confirmatur, quia nihil aliud assignari potest, nam res producta non est causalitas, sed effectus, & id quod per causalitatem attingitur.

Obiic. primo, cessante actione causa efficiens dicitur efficiens, ergo causalitas non consistit in actione. Antecedens probatur, quia in homine respectu filii, etiam adulti, in sole, respectu metallorum, etiam post productionem.

Respon. negando antecedens, cessante enim actione, tantum dicitur causa effectrix, vel efficiens nominaliter, id est, quæ habet virtutem & vim efficiendi, non autem dicitur efficiens actu.

Obiic. secundo. Actio est realiter identificata cum termino, seu effectu, distinguitur etiam ab eodem ex natura rei, & modaliter, vnde effectus reperitur sine actione, vt patet ex prima obiectione.

Obiic. tertio. Causalitas debet esse intrinseca causæ, sed actio non est intrinseca causæ, efficienti, sed extrinseca, quia est in passo, ergo actio non est causalitas. Maior patet, in causalitate materiæ, & formæ, minor est communis sententia Philosophorum, cum Aristotele *tertio Physicorum.*

Respon. negando maiorem, ad probationem dico, causam efficientem distingui natura à materia & forma, vnde mirum non est, si habeat causalitatem & modum causandi peculiarem, est enim causa extrinseca, ac proinde habet causalitatem sibi extrinsecam, quæ tamen dicat ordinem essentialem ad ipsam, & potens sit illam constituere inesse formali causæ, maxime cum relationes in ratione sua formali constitui possint per terminos extrinsecos, materia vero & forma sunt causæ intrinsecæ, ac proinde habent causalitatem sibi intrinsecam. Ad minorem, licet nihil faciat contra nostram conclusionem, respon. actionem Physice consideratam, prout est realiter idem cum termino producto, esse in passo, & denominare agens, non vt actus receptus in illo, seu actus in agente, sed vt actus profluens ab agente, actionem vero Metaphysice, prout est modus ipsius agentis, esse in ipso agente, vt diximus in Logica, à qua tamen non constituitur actu agens, tanquam à causalitate, & immediate, quia consequitur actionem Physicam, seu terminum in fieri, ad cuius esse resultat in agente. Ex dictis colligitur,

gitur, primo, quomodo causæ efficientes & agentes à termino transeunte, & ad extra, non mutentur intrinsece, ignis, verbi gratia, producendo calorem in manu, Deus creando & rebus naturalibus cooperando, quia scilicet causalitas ipsis est extrinseca, & intrinseca effectui.

Colligitur secundo, in productione compositi naturalis, si spectetur secundum totam seriem tot interuenire causalitates, quot actiones, verbi gratia, quando ignis producit ignem primo est alteratio materiæ, tum formæ productio &c.

QVÆSTIO IX.

Vtrum causæ creatæ vere aliquid efficiant?

VEterum quorundam opinio fuit, res creatas nihil operari, sed Deum ad præsentiam illarum omnia efficere, tribui autem operationum igni, verbi gratia, aquæ ex causis propter exteriorem apparentiam, & quia Deus statuit non efficere tales effectus, nisi ad præsentiam talium rerum. Vnde res creatæ haberent se, vt signa actionis diuinæ. Hanc opinionem refert Diuus Thomas *q.*10 5. eamque probabilem censet Gabriel *in quarto q.* 1. *a.* 3 *dub.* 5. licet eam non audeat asserere. Alii concesserunt vim efficiendi creaturis spiritalibus, non tamen corporibus, vt Auicen. *in libro Frontes V.* eo scilicet quod ad actionem requirat intimam præsentiam agentis ad passum, quæ soli spiritui potest competere. Alii dixerunt, res etiam corporeas posse vere efficere accidentia, non tamen substantias, & res artificiales creatas posse efficere substantias inferiores, sed nulla harum opinionum vera est, aut probabilis, vide de illis, Toletum 2. *Phys. q.* 8. per Suaretz *disputatione* 185. *sect* 1.

Respon & dico primo, Res creatæ vere ac proprie efficiunt effectus sibi connaturales, & proportionatos; opposita sententia est contra lumen naturæ & fidei.

Probatur primo quia sensus docet solem illuminare hæc inferiora, ignem calefacere & producere alium ignem, aquam frigefacere, dicere autem solem etiam producere suos effectus, quia Deus ex quodam pacto naturali ad illorum præsentiam operatur, si uolum est, petitur enim, quare potius ad præ sentiam caloris & ignis calefaciat, & produ cat ignem quam ad præsentiam aquæ, cum i la nihil efficiant, potest enim Deus ad pr sentiam aquæ producere calorem. Deind cur ad præsentiam nigredinis non produc albedinem.

Probatur secundo, quia ex operationib & proprietatibus Philosophi colligunt r rum naturas, & essentias, quod sine fund mento fieret, si nulla actiuitas rebus crea competeret. Potest enim Deus quoduis pr ducere ad cuiusuis præsentiam. Confirmat quia opinio contraria tollit discrimen int actiones vitales & non vitales, inter imm nentes & transeuntes, vitales enim sunt, q requirunt principium vitę, immanentes su quorum idem est efficiens, & recipiens, q omnia coincidunt, si Deus operatur se solo rerum præsentiam Deinde sic frustra esse tot instrumenta, congenita creaturis, ad op randum. Vlterius non producerentur mo stra, quæ sunt alterationes naturæ, non co uenientes Deo.

Probatur tertio, quia secundum propo tam sententiam, homo generans tam v creat animam rationalem, quam ignis pro cit ignem, quia sicut Deus ad pręsentiam ig facit ignem, & actio tribuitur igni, quia conditio, qua Deus infallibiliter producit gnem. Ita Deus ad præsentiam humani sem nis, infallibiliter creat animam.

Probatur quarto, quia si in rebus crea nulla daretur vera efficientia, omnes res sent æque incorruptibiles, quia illud dici incorruptibile, quod nequit corrumpi, ab ctione agentis creati.

Probatur quinto, quia vera actiuitas n repugnat rebus creatis, & maxime decla Dei bonitatem, sapientiam & potentiam lucet enim Dei bonitas, quod creaturis n tantum communicauerit esse verum eti virtutem, aliis sese communicandi. Elucet pientia quod singulis rebus indiderit virtu naturæ suæ proportionatas: Elucet potent quod non tantum ipse possit operari, sed iam efficere, vt res aliæ idem suo modo p sint. Ex quibus conclusio ita est certa lum naturæ, vt opposita sententia à D. Th. dica stulta.

D

,ppositam sententiam esse contra Iu-
dei, quia scriptura pluribus locis con-
. vim actiuam, vt *Gen* 1. Germinet terra
bam virentem *Marc.* 4. Vltra terra fructifi-
at. Secūdo, quia sancti Patres id diserte affir-
ant. Inprimis Augustinus 7. *de ciuitate Dei*
3. de Deo ait, sic omnia quæ creauit, admini-
rat, vt ipse eis proprios exercere, & agere mo-
ts sinat. Et 3. *de Trinit.* 7 dicit, Deum indidis-
elementis & aliis causis creatis seminales
rum rationes, id est, principia generatio
im, & motuum naturalium. Tertio, Fides
ocet, in Christo Domino esse duas virtutes
perandi, scilicet duas voluntates diuinam &
imanam, ergo supponitur voluntas huma-
a proprie aliquid efficere. Quarto, voluntas
imana saltem effectiue, elicit volitiones
alas, quæ vel sunt peccata, vel habent ratio-
em formalem peccati connexam, quia im-
um est dicere, Deum illas operari ad præsen-
am voluntatis. Denique Concilium Trid.
*s.6. can.*4. damnat eos, qui dicunt liberam
ominis voluntatem nihil omnino agere, sed
ibere se mere passiuam, & *can.* 6. damnat
os, qui dicunt Deum operari proprie, & per
opera mala, sicut bona, quod tamen sequi-
r, ex opposita sententia. Ad fundamentum
abrielis, quod scilicet frustra fiat per plura,
uod fieri potest per pauciora, Deus autem se
lo possit producere. Deinde causæ creatæ
on possunt creare, ergo neque aliquid pro-
cere, quia omnis productio est ex non esse
ad fieri rei, ac proinde creatio.

Respon. non æque commode, & conformi-
: diuinæ bonitati & sapientiæ fieri per pau-
ora, & à solo Deo. Deinde productio causæ
eatæ supponit subiectum, à quo dependeat,
de non est creatio.

Obiic. Scriptura quibusdam locis insinuat
ppositum, 1. *Corinth.* 13. Dicitur Deus ope-
ri omnia in omnibus, & 2. *ad Corinth* 3. nos
on esse sufficientes cogitare aliquid in no-
s. *Isaiæ* 26. omnia operatus es in nobis Do-
ine, ergo creaturæ nihil agunt.

Respon verba indicate creaturas habere ef-
ientiam, dicuntur enim opera nostra co-
are.

Respon secundo Ibi tantum explicari de-
ndentiam causæ secundæ, à Deo, in ope-
ionibus, de qua *infra*. Subinde etiam scri-
ura loquitur de operibus supernaturali-
bus, ad quæ Deus peculiari modo concurrit.

Respon & dico secundo, etiam substantiæ
corporeæ habent veram efficientiam, & pro-
ducunt substantiam. Probatur ex rationibus
allatis, prima conclusione, nam quia illæ,
quoad vnitatem numericam pereunt, omni-
no conueniebat talem illis communicari fa-
cultatem, qua saltem in effectu suo ac in spe-
cie perseuerarent. Ad fundamentum illius
Philosophi respon ad actionem non requiri
penetrationem agentis cum passo, sed suffi-
cere, vt sint sibi sufficienter propinqua.

Vbi Nota, licet causæ sublunares & cor-
poreæ possint ex materia præsupposita ge-
nerare substantiam, ignis ignem &c. non pos-
se tamen producere totam substantiam, ex
nihilo, quia hoc esset creare, quæ etiam cau-
sa est, cur substantia spiritalis, seu immateria-
lis non possit producere substantiam sibi si-
milem, quia cum substantia spiritalis sit o-
mnino Physice simplex, non includens mate-
riam, & formam, non potest produci de no-
uo, nisi totaliter, quod est creare.

Respon. & dico tertio, substantiæ spirita-
les vere ac proprie efficiunt operationes im-
manentes, & circa corpora immediate effi-
ciunt motum localem, nequeunt tamen pro-
ducere substantiam corpoream, educendo
immediate formam substantialem, ex poten-
tia materiæ.

Prior pars patet, quia vere eliciunt opera-
tiones immanentes, & multa operantur in
his inferioribus, applicando actiua passiuis,
quæ applicatio fit per modum localem. Dein-
de Angelis tribuitur motus circularis cœli.

Posterior pars probatur, quia spiritus sunt
improportionati ad tales productiones, nec
refert, quod sint in entitate perfectiores,
quam substantiæ corporeæ, quia non quæ-
libet perfectior natura continet aliam im-
perfectiorem, eminentia virtuali. Vnde spi-
ritus non continent hoc modo res corpo-
reas, cum non sint formæ, sed substantiæ ab-
stractæ, in materia & limitati ad proprium
suum gradum, quo fit, vt sint improportio-
natæ, etiam ad qualitates Physicas, in cor-
poribus immediate efficiendas, vt
communior habet sen-
tentia.

(***)

QVÆ-

QVÆSTIO X.

Vtrum Deus concurrat immediate ad actiones omnium creaturarum, ita, vt sine eius concursu nihil possint operari?

ERrori precedente quęst. refutato è diametro repugnat opinio Durandi, qui *in secundo sent. dist. 1. quæst. 5. & dist. 37. q. 1.* docet, Deum quidem res omnes conseruare, sed in illarum actiones immediate non fluere, sed tantum mediate, quatenus scilicet conseruat illarum entitates, & vires actiuas. Quæ sententia habetur erronea.

Respon. Deus per se, & immediate, concurrit ad actiones omnium creaturarum, ita vt sine eius concursu nihil possint operari. Est cōmunis Philosophorum & Theologorum. Vide Suarez *disp. 22. sect. 1.*

Probatur primo, ex sacris literis, *Actorum 17.* In ipso viuimus, mouemur & sumus. *Iob. 10.* Manus tuæ Domine fecerunt me, huc faciunt loca præcedente quæst. in argumento citato.

Probatur secundo, ratione, quia omne ens per participationem dependet à Deo, sed omnis effectus causæ creatæ est ens, per participationem etiam eo instanti, quo fit, ergo eo instanti quo fit, pendet à Deo, ergo Deus immediate concurrit, quia idem est actionem pendere à Deo, & Deum concurrere.

Probatur tertio. Quia creaturæ dependent à Deo, in esse, vt hic, suppono, ergo etiam in operari. Probatur consequentia, quia creatura non est maioris perfectionis, in sua operatione, quam in suo esse, sed ipsum esse est dependens à Deo, ergo etiam ipsum operari.

Probatur quarto. Quia alioqui effectus tantum per accidens dependeret à Deo, quatenus scilicet causa illius dependet à Deo, in conseruatione, vnde non posset à Deo proprie annihilari, quia cum per se non dependeat in fieri, per consequens, non dependebit in esse, & sic non poterit annihilari, quia annihilatio fit per substractionem concursus conseruatiui. Vnde necessario ad effectum illum destruendum, deberet Deus rem aliam producere, vel assumere, quæ haberet vim destructiuam illius effectus. Confirmatu[r] quia alioqui effectus vnico durans instant[i] nullo modo per se dependeret à Deo, quia ipsius esse est tantum fieri.

Obiic. primo, effectus productus non [su]perat virtutem causæ creatæ, ergo non vid[e]tur implicare creaturam attingere suum eff[e]ctum independenter, ab immediato concu[r]su Dei, ergo verisimile est, ita fieri, maxi[me] cum hic modus operandi creaturæ illustri[o]rem reddat diuinam potentiam, quod scilic[et] non tantum possit omnia facere per se, sed e[t]iam communicare creaturis virtutem op[e]randi, & agendi independenter.

Respon. effectus creaturarum non exced[e]re virtutem suæ causæ, solitarie sumptæ, qu[o]ad entitatem, neque enim ignis ab igne pr[o]ductus ex ligno vel stuppa perfectioris est e[n]titatis, quam ignis producens, accedunt t[a]men, quoad modum efficiendi, ita quod v[is] effectiua creaturæ solitariæ sumpta non [sit] causa sufficiens, sed includat influxum co[n]seruatiuum Dei, & concursum in actu prim[o] præparatum ad omnes actiones, vnde si ef[fe]ctus esset independens ab immediato infl[u]xu, esset nobilior sua causa, quę necessario d[e]pendet, neque hoc commendat diuinam p[o]tentiam, quod creatura independenter ag[e]ret à creatore, quia repugnat, & potius dic[e]ret aliquam imperfectionem in Deo, scilic[et] creaturam non esse essentialiter & necessar[io] ordinatam creatori, quippe quæ posset ager[e] independenter ab illo.

Obiic. secundo: Si Deus immediate co[n]currit cum causis secundis, ergo causæ secu[n]dæ non erunt causæ principales, sed instr[u]mentales tantum, quia agent motæ à D[eo] scilicet vt instrumenta Dei actu simul i[n]fluentis.

Resp. negando consequentiam, quia cau[sa] principalis non excludit dependentiam ab [a]lia superiori, sed tantum dicit causam a[li]quam in suo genere, & ordine præcipuum t[e]nere locum, quod fit in præsenti negoti[o] nam creaturæ possunt esse principales in g[e]nere causæ secundæ, & ordine creaturaru[m] verbi grat. ignis respectu ignis, quod additu[r] de promotione Dei, per modum instrume[n]torum inferius suo loco explicabitur, hic a[b]solute negatur.

Obiic. tertio: Si Deus immediate concur[rit] ad omn

d omnes effectus semper concurrunt duæ usæ immediate. Vnde sequitur primo, v-amque esse causam partialem, secundo v-amque esse imperfectam, tertio, non esse bordinatas inter se.

Resp. negando tria illa illata: ad primum spondeo, non esse partiales, sed totales, quia raque causa producit, quicquid est in effe-, vnde vtraque dicitur totalis totalitate ef-ctus, licet influxus cuiusque sit partialis, à o denominari possunt causæ partiales, par-litate influxus, quod non includit aliquam perfectionem in Deo, quia accommodat creaturæ, & potest se solo producere o-nia, si velit influxum suum augere. Ad se-ndum respond. tantum sequi alteram cau-n esse imperfectam, scilicet creatam eo, od ex intrinseca sua conditione non pos-agere, nisi adiuta à Deo. Ad tert respond. le recte probari subordinationem Dei, & aturæ inter se, quod creatura sit depen-ns necessario à Deo, & sine eo non possit ere.

Obiic. quarto: Deus non concurrit ad cau-itatem causæ materialis, vel formalis, sed conseruatæ possunt se solis exercere suam salitatem, ergo etiam non concurret ad salitatem, causæ efficientis.

Respon. negando consequent. Est enim di-sa ratio, quia concurrere immediate ad a-onem causæ efficientis, nullam ponit im-fectionem in causa, vnde potest conueni-Deo. Concurrere vero per modum mate-, vel formæ, includit imperfectionem, hæc m causant suos effectus, per exhibitionem ipsius ad constitutionem compositi, idque diante vera vnione, quod à Deo est alie-m.

Obiic. quinto: Peccatum non fit Deo con-rente, ergo non omnes actiones. Respon. paulo post explicaturos, quomodo Deus currat ad peccata.

Vbi nota, Deum concurrere immediate ad iones omnium creaturarum, immediatio-uppositi, & immediatione virtutis, Prius et, quia est intime præsens omnibus rebus, o substãtia illius immediate contingit ad ctum quod est operari immediatione sup-iti. Posterius patet, quia omnia operatur virtutem sibi formaliter & immediate in-tentem.

QVÆSTIO XI.

Vtrum concursus Dei cum causis secundis sit prædeterminatio.

PVLCHRA determinationis quæstio est, & acerrime à 30. retro annis exagitari cœpta, propter affinitatem, quam habet cum quęstione Theologica, de gratia prædeterminante. Quam quæstionem, vt pro dignitate examinemus, aliquot articulis opus erit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicatur sensus Quæstionis, & proponitur sententia affirmatiua.

QVod hic controuertitur, est etiam ratione necessariæ subordinationis & dependentiæ, quam habent causæ secundæ, siue creaturę ad causam primam, scil. Deum in suo operari, an requiratur certus Dei concursus, qui causas secundas prius natura, quam operatur, determinet, adeoque prædeterminet ad suas operationes, vel effectus, ita vt causa secunda habens intrinsecam virtutem operandi debite applicata passo, vel obiecto cum concursu Dei, in actu primo, omnibus agentibus ex pacto naturali, præparato ad hoc, vt agere postulet nouam aliquam motionem in se, quæ sic & vocari possit prænotio, determinatio, vel determinatio causæ secundæ, hæc enim omnia hic idem significant, verbi gratia, an ignis conseruatus à Deo, cum ingenito suo calore, & vi combustiua, ad hoc, vt comburat stuppam, inuectam, indigeat aliquid de modo sibi à Deo indito.

Prima sententia est affirmatiua, docens causam primam determinare secundas illas directe & Physice, mouendo per communicationem alicuius qualitatis eo fere modo, quo volutatur, & mouetur globus impressa illi qualitate motiua. Huius sententiæ tria fere

sunt præcipua puncta. Primum est priusquam causa aliqua, vel potentia, siue illa sit necessaria, siue libera, minimum quid agunt prærequiri, Deus immediate ante actionem aliquid producat, in ipsa, verbi gratia, in igne, vel voluntate, quod sit causa actionis productæ, verbi gratia, calefactionis, amoris, odii, &c. & hanc necessitatem oriri ex essentiali subordinatione & dependentia causæ secundæ, à prima in agendo, vt proinde, aliter absolute fieri non possit, cum impossibile sit causam secundam agere, siue concursu Dei, concursus autem sit necessario prædeterminatiuus. Secundum punctum est eorum, qui consequenter loquuntur, & hanc opinionem, cum primis authoribus sincere defendunt. Posita hac præmotione Dei in causa secunda, illam omnino non posse cohibere suam actionem, siue non agere. Ratio est, quia præmotio illa in se est efficax, & præsupponit in Deo, à quo emanat, absolutā & efficacem voluntatem determinandi causam secundam, vnde fit, vt causa secunda prius natura quam agat sit determinata ad agendum. Tertium punctum est creaturarum actiue quidem se habere ad suos effectus, effectiue scilicet in illos influendo, sed habere passiue, respectu prænotionis, vel prædeterminationis, quæ effectiue procedit à Deo, & excipitur in causa secunda. Quæ omnia si voluntati humanæ potentiæ, scilicet libere agenti applicentur, illico occurrit difficultas, quomodo cum hac doctrina constare possit libertas, vel saltem illius vsus. Ad quam sententiæ huius authores respondent, Deum hac prædeterminatione mouere voluntatem, conformiter suæ naturæ, scilicet libere, & hoc prouenire ex infinita Dei sapientia, potentia & efficacitate, quia potest cum singulis causis concurrere, prout illarum natura postulat. Quod si cui hoc videatur implicare, ac proinde Deo esse impossibile, promouere scilicet voluntatem efficaci motione illi impressa, quam non possit non subsequi actio, & nihilominus voluntatem libere exercere suas actiones, ita vt omni momento possit non agere: ac proinde voluntatem esse subditam prædeterminationi, quod requiritur, vt prænotio sit efficax, & simul prædeterminationem esse subditam arbitrio voluntatis, vt ea vti possit, vel non, quod requiritur ad libertatem.

Respon. illam esse SS. Patrum scholastic[orum] & Philosophorum doctrinam, rem [ita] se habere, licet explicatu sit difficilis, qu[a] captiuandum esse intellectum, Verum li[cet] hæc responsio sic recte adhibeatur in dogm[a]tibus fidei, quæ licet excedant intellectus n[o]stri capacitatem, in dubium tamen reuoc[ari] non possunt, in quæstione tamen libera, q[ua]lis est de concursu prædeterminante, loc[um] habere non debet. Esset enim indoctis Phi[lo]sophis & Theologis asylum ignorantiæ, [&] vnguentum ad omnes plagas, imo & in m[y]steriis fidei quantumuis sublimibus osten[dere] Theologis solet, eo non includere repugn[an]tiam, & licet sint supra & præternatur[am], non tamen esse contra naturam, Sic *in* 1. *p.* explicatur ex natura rei, non implicare [v]nam eandemque numero naturam, subsi[stere] in diuinis personam, & *in* 3. *p.* Deum e[sse] immutabilem, & in tempore hypostatice [v]niri naturæ humanæ. Quartum punctum [il]lius sententiæ est, quod difficultatem au[get], quod non sit in potestate causæ creatæ, [et]iam liberæ habere pro arbitrio suo il[lam] motionem, qualitatem, vel entitatem præ[de]terminantem, quam Deus prius causa im[mit]tit voluntati, hinc enim sequi videtur o[mis]sionem actus nemini esse liberam, au[t ra]tio vertendam, vt infra ostendere con[a]mur.

His positis nota, primo, alio etiam mo[do] intelligi posse causam primam determi[nare] secundam, quam per impressionem rei [p]uiæ modo supra explicato, scilicet per so[lum] antecedentem actum efficacem volunt[atis] diuinæ, quo vult, causam secundam ager[e], quam Dei volitionem statim sequatur a[ctio] causæ secundæ, non propter aliquid de n[ouo] causæ impressum, sed propter naturalem [sub]ordinationem, & quasi sympathiam ha[rum] causarum, eo fere modo, quo ad nutu[m] imperium voluntatis manus aut pes m[oue]tur, & potentia motiua existens in illis m[em]bris efficit illum motum, propter solam [na]turalem sympathiam, & subordinatio[nem] talium potentiarum voluntatis, scilicet & [po]tentiæ motiuæ. Et huiusmodi prædeterm[ina]tionem videtur admisisse Scot. vt ex doct[rina] illius colligit F. Suar. *lib.* 1. *de conc. Dei. c.* 5. Et hunc etiam modum includunt auth[ores] sen-

sententiæ expositæ, licet illum à præcedenti per impressionem alicuius rei præuiæ non satis distinguant, cum prædeterminatio illa Physica includit efficacem volitionem, & concursum causæ primæ cum causa secunda, & illam efficaciter protrahit, vt secum operetur. Hanc doctrinam profitentur fere doctores recentiores, Ordinis D. Dominici, & multi alii. Ex antiquioribus vero, qui eandem vti a nobis declarata est, tradiderit, nullus comparet: Nam licet attribuatur D. Thom. propter quosdam illius loquendi modos, videtur tamen is potius fauere contrariæ sententiæ, altem nihil solidum ex illius doctrina proferri potest, in confirmationem huius concursus prædeterminantis, vel specialiter *infra* ostendemus, vbi & argumenta, quibus hæc sententia suaderi posset, & solet, proponemus & soluemus.

Nota secundo, licet hæc opinio adeo difficilis sit, vt quibusdam & nominatim Bellar. *lib. 1. de grat. & lib. arbitr cap. 12.* videatur nihil, aut parum differre ab opinione Caluini & Lutheranorum, à nobis tamen validis argumentis impugnari potest, sed ea modestia, & lenitate, quæ offensionem non pariat, tum vt ostendamus, nos memores præcepti Apostolici, ad *Rom. 12.* si fieri potest, quod ex vobis, cum omnibus hominibus pacem habentes, tum vt non tam rixari, aut contendere, quam veritatem amare, & indagrare velle, videri possimus. Omnino autem à grauiori censura & nominibus abstinendum est, nisi quis velit incidere in excommunicationem latæ sententiæ, ab Illustrissimo Nuntio Apostolico authoritate Apostolica vibratam anno 1588. & iterum 1591. occasione difficultatum exortarũ inter Societatis nostræ Theologos & Doctores Academicos Louanienses & Duacenses. Lata autem est in eos, qui vel hanc sententiam, vel eius contrariam hæreticam, suspectam, aut periculosam esse dicere ausi fuerint, temere scilicet damnando, quod necdum damnauit Ecclesia, quæ iudex est controuersiarum, vt mirum sit, quosdam modernos huius Bullæ non ignaros, qui vt leniter dicant, in sensu suo abundant, & sibi solis sapere videntur, sententiam negantem prædeterminationis ita reiiciant, vt illius assertores præsertim Societatis nostræ Philosophos & Theologos, quorum etiam doctissima totius orbis iudicio extant opera, adeo contemptui habeant, vt nec opera eorum lectione dignentur, nec nomina, nisi grauate ad aures admittant, imo, quod grauius est, doctrinam nostram non obscure damnant erroris Pelagii, vel reliquiarum ipsius, scilicet cum hæreticis, qui docent, Iesuitas esse Pelagianos, quod Physicas prædeterminationes vniuersim reiicerent, sed ab hac calumnia nos egregie defendit Iacob. de Phina. *l. 1. orthodox. expl.* Nos quidem & despectum, & conuitia, & calumniam libenter pro Christo, & veritate patimur, & condonamus cum Apostolo, 1. *Cor. 6.* Exhibeamus nos Dei ministros, in multa patientia, & cum eodem dicere possumus, maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus. Viderint tantum, qui imprudenter iudicium sedis Apostolicæ, apud quam hæc lis pendeat, imprudenter præuertunt, quomodo se excusent ab excommunicatione. Superest, vt ostendam sententiam nostram negantem prædeterminationes S. Scripturæ, Conciliorum & SS. Patrum, authoritate fultam esse, firmissimis rationibus septam, & ipsa denique veritate munitam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Asseritur sententia negans, & probatur authoritate.

PRo veritate respond. concursus causæ primæ cum secundis ad agendum non est prædeterminatio. Quid vero sit, & quomodo se habeat ad actionem, infra dicemus, nunc partem hanc negatiuam probemus authoritate, contra obtrectationes quorundam, & quia nobis cum solis Philosophis, negotium non est, pauca è Theologia mutuanda erunt.

Probatur igitur primo, ex sacris literis, quæ multis in locis indicant, positis his omnibus, ad agendum prærequisitis voluntatem creatam esse indifferentem ad agere, & non agere seipsam determinare, quod est negare prædeterminationem, quia si illa sit necessaria, & prærequisita ad agendũ, non erit in potestate voluntatis, sese flectere in vtramq; partem, sed ex necessitate simpliciter, volet id, ad q̃ tendit p̃determinatio, & similiter ex necessitate simpliciter,

pliciter, omittet, siue non volet, quicquid omittit, & non vult. Fatentur enim, & sæpe docent aduersarii, sine prædeterminatione causam creatam omnino non posse agere, & posita eadem prædeterminatione, non posse non agere, quod confirmat authoritate D. Thom. 1.2.*q.*10.*a.*4. *ad* 3. vbi sic agi ait, Si Deus moueat voluntatem, ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas non moueatur.

Huiusmodi sunt loca Ios. 24.*c.* optio vobis datur, eligite quod vobis placet. Atqui frustra daretur optio ei, cuius voluntas ad alteram partem determinata, vel determinanda, per aliquam motionem præuenientem, quæ non esset eius voluntatis. *Eccles.* 15. Deus reliquit hominem in manu consilii sui, adiecit mandata & præcepta; si volueris seruare, seruabunt te. At quomodo est in manu consilii sui, qui non potest consultare de actu futuro, & libere eligere, sed necessario consequitur determinationem aliunde immissam, quæ non est in eius potentia. Et quomodo dicitur, si volueris, si nemo potest velle, nihil aliũde determinetur. *Num.* 30. In arbitrio viri erit, vt faciat, vel non faciat, si necessaria est prædeterminatio, non est in arbitrio viri, sed Dei tantum, vt quis faciat, vel non faciat. *Eccl.* 31. Laudate, qui potuit transgredi, & non est transgressus, ergo talis erat indeterminatus, alioqui non erat laude dignus.

Huc etiam faciunt loca, quæ præscribunt precepta & consilia, bene viuendi, bonis præmia promittunt malis pœnas. Vlterius, & multo efficacius querimoniæ Dei, quibus per Prophetas conqueritur, homines non sequi vocationem, non credere, non obedire: &c. hæc omnia supponunt in potestate nostra esse agere, & non agere. *Esa.* 5. Dicit Deus, quid est, quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci: quasi dicat, per illam stetit, quo minus bene illi esset. Per vineam intelligit populum electum, si prædeterminatio est necessaria, vltra debuisset facere, scilicet prædeterminare. *c.* 65. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, &c. Ecce vocatur, inuitantur, per gratiam, & sufficienter iuuantur à Deo, & tamen non veniunt, ergo est necessaria homini prædeterminatio, quia sine illa non possent venire. *Matth.* 11. Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corazin, &c. vbi exprobrat Christus Dominus isti genti obstinatam infidelitatem, quod vocati ad fidem tot sig[nis] & prodigiis, quibus si alii adiuti fuissent, inuitati consensissent, ipsi tamen non cre[di]derint, sed quæ causa querelæ, si non habu[e]rint prædeterminationem, quæ erat neces[sa]ria, & *c.* 23. *Matth.* Quoties volui congreg[are] filios tuos, quemadmodum gallina cong[re]gat pullos suos sub ala, & noluisti. Respon[de]re possent vanæ querelæ, non habuimus p[ræ]determinationem, omnino necessariam [ad] volendum. Huiusmodi varia sunt in sacris [lit]teris, vbi Deus iuste conqueritur de pecca[to]ribus obstinatis, quibus sufficientia contu[lit] auxilia, quibus si vellent, conuerti potuisse[nt], vt planum sit, non requiri præuiam deter[mi]nationem: sic enim non contulisset suffici[en]tia, aut necessaria, adeoque non essent iu[stæ] querimoniæ.

Probatur secundo: authoritate Concil[io]rum. Et primo authoritate negatiua Con[ci]liorum, potissimum Arausicani 2. & Trid[en]tini, in quibus exacta tradita doctrina de [ef]ficacia gratiæ, quam aduersarii constitu[unt] in prædeterminatione, & tamen vbi nu[llibi] prorsus fit mentio prædeterminationis, [cu]ius nomen tempore Concilii Tridentini e[rat] in ore omnium, præter exurgentes hære[ses], ergo signum est, Concilia non agnouisse p[ræ]determinationem, ad actus supernaturales [&] ab eorum sensu recedere, qui illam inueh[unt]. Secundo, Concil. Trident *sess.* 6. *cap.* 5. *&* [*c.*] 4. definit etiam in actibus supernaturalib[us] posse liberum arbitrium à Deo motum [mo]tioni consentire, & resistere, si velit, eam ab[ij]cere: &c. Quæ doctrina à fortiori procedit [in] actibus liberis ordinis naturalis, tum quia [ra]tio, quæ Concilium mouit, scilicet indust[ria] libertatis, eadem est & debet esse respectu [o]mnium actuum, tum etiam, quia multo m[a]ior motio, & efficacia Dei necessaria est, in [a]ctibus supernaturalibus, quam in natur[ali]bus. Sed respondent aduersarii, Concili[um] loqui in sensu diuiso, nimirum vt sensus [sit] hominem qui à Deo, per gratiam mouet[ur] priusquam illi inexistat, posse consentire, [&] non consentire, posse se flectere in vtram[que] partem, & hoc verum esse, non autem [lo]quendo sensu composito, quasi posita [ea] motione in voluntate, voluntas adhuc po[ssit] agere, & non agere. Ad hanc euasionem re[sp.] primo, friuolam esse decisionem Conci[lii]

si i

i ille sit sensus, hoc enim est commune etiam aufis agentibus necessario per determinatio- em extrinsecus aduenientem, & omnium onsensu necessitantem, verbi gratia, globus, cum in plano dextrorsum impellitur motu vo- rationis, à proiiciente per vim motiuam mpressam in sensu diuiso, id est, vt considera- r sine vi impellente in dextram partem, est differens, vt moueatur in sinistram partem, l anteriorem, potest enim æqualiter in iamuis partem impelli à proiiciente. Ex io patet, sensum diuisum nihil facere ad opum Concilii, qui erat declarare, homi- m in operibus supernaturalibus, cum in- fferentia & libere operari, alioqui ex illa ctrina ad summum posset colligi actus su- rnaturales Deo, & causæ primæ esse libere, pote qui libere, & arbitrio suo dat, vel non t motionem, nullo autem modo sequere- r, esse liberos, respectu voluntatis creatæ, ut motus globi dextrorsum est liber, respe- u hominis proiicientis, non tamen respe- u globi, quamuis ipse ex se sit indifferens ad iemuis motum, & in sensu diuiso sinistror- m, antrorsum, &c possit moueri.

Respon. secundo, euasionem illam nullam e, quia Concilium aperte agit de sensu mposito, id est, de voluntate, vt actu mo- ta ad gratiam, siue vt subest motioni gra- e, & de motione, vt est actu coniuncta vo- ntati, dicit enim voluntatem illi posse resi- re, non consentire, illam posse abiicere, iæ omnia supponunt inexistentiam, mo- onis in voluntate, nihil enim abiicitur, nisi iod habetur, nulli possumus dissentire, si on sit, cum quo sentiamus, adeo vt parum te loqueretur, qui diceret hominem posse iicere gratiam, dissentire vocationi, in sen- diuiso, id est, antequam illam habeat non sensu composito, id est, quando illum ha- et, & hoc omnino conuincit natura gratiæ ctualis, quæ est, verbi gratia, motio & actus oluntatis, illustratio intellectus excitata in obis à Deo nobis aliud agentibus, vnde in a origine non est nobis libera, huiusmodi ratiæ dicimur consentire, si post aduerten- am rationis eam amplectitur, in ea persistit, cimur dissentire, quando aduertentes il- m vel negligimus suspendendo consen- m, vel positiue actu reiicimus, eo quod dis- iceat, qualis esset, verbi gratia, pia affectio voluntatis ad perfectionem vitæ, quæ homi- ni in cuius voluntate à Deo excitaretur dis- plicetet Tertio, Concilium Tridentinum *sess 6. can. 6.* diffinit Deum eodem modo non operari, bona & mala, cum omnibus, sed ope- rari mala permissiue, hoc autem non videtur posse dici, si Deus per prædeterminationem voluntatem creatam præueniat, & impellat, quo vocabulo quidam aduersæ partis asser- tores vtuntur, ad omnes actiones etiam in- trinsece malas, verbi gratia, odii Dei, inuidiæ, &c. quia in omnibus voluntas creata depen- det à concursu Dei, vnde si prædeterminat voluntatem, etiam ad actus malos, efficaci, & absoluta voluntate, illos vult & decernit, & non tantum permittit. Nec satisfaciunt ad- uersarii, dum respondent Deum permissiue tantum operari mala opera, & peccata, quia solum prædeterminat voluntatem, ad Physi- cam & positiuam voluntatem actus, odii, ver- bi gratia, Dei, adeoque ad materiale peccati tantum, non tantum ad rationem formalem peccati, quæ est priuatio bonitatis debitæ, maxime cum illam nolit, non intendat, imo puniat, opera vero bona directe intendit, & proinde illa proprie & per se, dicitur operari. Sed contra, primo omnium consensu Theo- logorum, hæretici nostri temporis faciunt Deum authorem peccati, eo quod proprie, & per se, illa operetur, cuius contrarium defini- uit Concilium, & tamen aperte profitentur, Deum non velle ipsam malitiam peccato, seu entitatem mali annexam, sed solum velle i- psa opera positiua, quibus malitia est annexa, vnde Caluin. *lib. 1. Instit. cap. 18. §. 6.* ait, Deum nolle perfidiam, sed opus, in quo est perfidia, idque ob bonum finem, scilicet in pœnam o- riginalis peccati, & ad iustitiæ suæ ostensio- nem, ergo illa explicatio Concilii non vide- tur esse conformis scopi illius, & consenta- nea sanæ doctrinæ. Contra secundo, respon- sio ista supponit formale peccati esse priua- tionem, & aliquid ab entitate positiua di- stinctum, hoc dato saltem malitia formalis est omnino inseparabilis ab entitate positi- ua, respectu voluntatis liberæ, prout hic & nunc, in hisce circumstantiis actus fit. Vnde sic argumentor, qui prædeterminat ad ali- quid antecedens, cui necessario coniunctum est consequens, etiam moraliter & imputati- ue determinat ad illud consequens. Atqui

Deus prædeterminat ad entitatem actus, cui necessario connexa est malitia formalis, ergo saltem moraliter, ita vt imputari illi possit, prædeterminari ad malitiam formalem, & per consequens, erit author peccati, sicut homo. nec refert, quod Deus nolit malitiam, quia etiam homo sæpe & plerumque non vult ipsam, sed tantum entitatem actus, & dolet illi entitati annexam esse malitiam.

Probatur tertio, ex SS. PP. qui cum loquuntur de concursu Dei ad actus liberos creaturarum, siue naturales tantum, siue supernaturales, per gratiam, nunquam Physicæ determinationis nomen vsurpant, nisi negando, docendo, quæ cum Physica prædeterminatione non tantum non cohærent, sed vel maxime videntur pugnare. Requirunt enim aperte indifferentiam in voluntate, & potestatem flectendi se in vtramque partem, vt cum docent, hominem esse liberi arbitrii, eo quod solutam ab omni necessitate, & in sua potestate sitam, à conditore vitam acceperit. Secundo, cum dicunt hominem per voluntatem esse dominum suarum actionum, non esse dominum significat nullam suarum actionem esse astrictam, sed vnamquamque dum elicit, sic elicere, vt possit non elicere. Tertio, cum dicunt, in potestate voluntatis esse eligere, & non eligere, flectere se semper in vtramuis partem, cuique suæ voluntatis habenas esse commissas. Quarto, ex nominibus, quibus S. Patres hanc potestatem voluntatis explicant, sensus ipsorum colligitur. Latini enim vocant liberum arbitrium, liberam potestatem. Dicitur liberum, scilicet ab omni determinatione, & vinculo constringente ad alteram partem contradictionis, scilicet ad agere, vel non agere. Quod si in eo ponatur aliqua determinatio ad alteram partem, iam non videtur esse liberum, sed seruum arbitrium, quomodo illud aduersarii ponentes prædeterminationes vocant, qui etiam fatentur, prædeterminationes inferre necessitatem, quo à Catholicis Doctoribus, quos impugnamus, discrepant, qui id constanter negant. Dicitur arbitrium, quia est potestas faciendi quod velit, nam & hoc quoque arbitrium significat, vnde dici solet, res ista non est mei arbitrii. Græci hanc vim vocant αὐτεξούσιον, quasi sui habens potestatem, quo nomine vtitur D. Dion. Areop. licet Caluin. *lib.* 2. *Instit. c.* 2. dicat, nomen esse nimis arroga[...] Significatur autem hoc nomine, quod [...]luntas sit sui iuris & potestatis, nempe v[...] moueat ad suos actus, vel vt se cohibeat, t[...] quam indifferens, & tamen sufficiens. Pa[...] hic ex illustribus locis subiungemus.

Clemens: Romanus Pontifex tertius à Petro, anno Christi 68. *in ep. [...].* 3 Si aliqu[...] inquit, esset, quod audientis fidem, vel ad [...]dendum, vel non credendum determina[...] præter arbitrium tolleretur meritum, & [...]bertas, loquitur de concursu ad actus su[...]naturales, nec admittit determinationem [...]go multo minus admittet in concursu ge[...]rali ad actus & effectus naturales. Iusti[...] mart. *q.* 8. *ad orthod.* ait, Non igitur caus[...] Deus virtutis nostræ, aut vitii, sed proposit[...] nostrum, aut voluntas. Ergo Deus non [...]terminat voluntatem ad actus bonos, [...] malos, sed voluntas seipsa, quia certum [...] D. Iustinum fateri, Deum esse causam [...]tutis, & actus boni, excitando interius c[...]sulendo & iuuando, vnde tantum negat [...]se causam Physice, & efficaciter illum [...]determinando. Arnold. *in Psalm.* 50. negat[...]quit, libertatem arbitrii, si dixeris, si D[...] vult, bonus sum, si non vult, bonus non [...] id est, si necessaria est prædeterminatio, c[...]modo omnia non tribuuntur Deo? Hila[...] Pictau. Episc. *in Psalm.* 1. Vnicuique nostr[...] inquit, libertatem vitæ, sensumque perm[...] non necessitatem in alterutrum affigens [...]est, quomodo non affigit in alterutrum [...] prædeterminaret. Chrysostom. *homil.* 1 [...] *Ioan.* Corporis, inquit, natura, quo eam [...]fex ducere velit, eum sequitur, neque res[...] anima autem sui iuris vim in se habet [...]randi, neque vlla in re Deo, nisi velit obt[...]perat, inuitam enim & coactam minime [...] Deus. Et *homil.* 12. *ad Hebr.* Omnia, in[...] Dei sunt, sed non ita, vt nostrum lædatu[...]bitrium. Et *infra.* Non antecedit nostras [...]luntates, ne nostrum lædatur arbitrium [...] *homil.* 4. *in laudem D. Pauli.* non cogit [...] homines vocando, sed post vocationem [...]mittit propriarum esse libertatum D. Au[...] *l. de spiritu & litera, c.* 31. legimus, inquit, [...] est potestas, nisi à Deo, non autem non es[...] luntas, nisi à Deo, & recte scriptum nor[...] quia verum non est hoc scilicet sensu, [...] actus voluntatis ex vi sui concursus effica[...]

non

ión prædeterminat, & *l.7.de ciuit. Dei c.3.* Ita Deus administrat res, quas condidit, vt eas motus suos agere sinat, si prædeterminat, non potest dici sinere agere suos motus, & *l.3 de libero arbitrio, c.18.* Si laboriosum est, inquit, omnia mandare memoriæ, hoc breuissimum tene quæcunque ista est causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur: ergo si voluntas Dei ita nos præuenit, per prædeterminationem, vt non possimus ei resistere sine peccato, ei cedimus operando male scilicet sine libertate. D. Anselmus *l. de concordia prædestinationis c.1.* neque aliquid (inquit) facit necessitatis, vbi operatur sola electio voluntatis, & *in caput sextum Matthæi in illa verba fiat voluntas tua:* Ait, voluntatem diuinam non cogere humanam, quia semper illam relinquit cum potestate resistendi. Plura de apud Suarez *lib.1. de concursu Dei cap.13. numero 9.* & Ferdinandum Mascareniam *in tract. de diuina gratia auxilio disp. 2. p 6 num. 3.* Ex his planum est, nihil vnquam à sanctis Patribus traditum fuisse, aut admissum, quod aliquâ ex parte voluntatis indifferentiam infringeret, qualis videtur Physica illa determinatio.

Probatur quarto, ex doctoribus scholasticis, & primo ex D. Thom. quem aduersæ partis authores à se stare existimant. Is primo respectu voluntatis creatæ nunquam vtitur verbo Determinandi, quod argumento est, illum non sentire causæ creatæ necessariam esse prædeterminationem, ex vi subordinationis essentialis, ad causam primam, quod enim in aliqua materia sentit, id luculenter explicat, & alibi vsurpat verbum determinandi, ut non fuerit ipsi ignotum. Secundo aperte declarat, non posse stare libertatem & dominium actus, cum determinatione à proprio extrinseco, vt *in secundo sent. d. distinct. 25. quæst. ad tertium articulum.* Determinatio, inquit, actionis & finis in potestate liberi arbitrii constituitur, vnde remanet sibi dominium sui actus, & *tertio 1.2 q 9 a.6. ad tertium.* cum docuisset, hominem per rationem se determinare, (nota) ad volendum, addit eos, qui per gratiam excitantur, specialiter à Deo moueri ad vnum determinate volendum, scil. cùm iis immittit pias affectiones sunt motus producti à Deo singulari influxu volũtate necessario cooperante, vnde potius tribuuntur Deo, tanquam authori quam voluntati, & mediantibus hisce affectionibus, tanquam virtute à se impressa, & diuino quodam semine, mouet voluntatem ad eliciendum actum liberum, verbi gratia, fidei, spei, charitatis, &c. vbi clare docet, generalem Dei concursum, vt causæ primæ non determinare voluntatem ad vnum, sed hæc peculiare esse gratiæ excitantis, cum qua post modum voluntas libere operatur. Quarto. Si D. Thom. existimasset, causas omnes creatas, adeoque voluntatem in actibus liberis prædeterminari efficaciter à Deo, docuisset sine dubio, Deum cognoscere futura contingentia in sua prædeterminatione, hic enim modus obuius erat Et tamen *1.p. quæst. 14 a.13.* docet, cognitionem futurorum contingentium, in sua causa esse coniecturalem, quare vt cognitio Dei respectu futurorum, sit omnino certa, addit Deum illa cognoscere in præsentia æternitatis, siue per coexistentiam cum Deo, in nũc æternitatis. Quinto *p.2.q.10.a.4* dicit, Deum ita mouere voluntatem, ex se, indifferentem, vt non ex necessitate ad vnum determinet, Necessitas autem, quam excludit D. Thom. non potest esse alia, quam quæ infertur ex tali præmotione, & *q.3. de potentia a.7. ad decimum tertium* expresse dicit, determinationem actus relinqui in potestate rationis, & voluntatis. Ex his satis colligitur, quid D. Thom. senserit de concursu prædeterminante, loca quæ contra nos faciunt, suo loco explicabimus. E schola D. Thom. plures alii fauent nostræ sententiæ, vt Capreolus *in primo dist.38.q.1 a.1. ad secundum. contra quartam conclusionem.* vbi conatur ostendere, præmotionem causę primę in secundam, non esse aliud, quam comitantem Dei concursum, in quo solum potest esse prioritas ordinis, non naturæ, aut causalitatis, quæ sicut non est realis, nec officit libertati actus, ita voluntatem nõ prædeterminat. Et *in secundo distinct. 28. q.1. a.3. ad duodecimum. contra secundam conclusionem,* ex D. Gregorio refert, duos modos, quibus Deus voluntatem nostram in operationibus iuuat, primo est efficiendo, simul cum illa, quod facit voluntas. Secundus est applicando, & præmouendo voluntatem motione aliqua speciali, quem secundum modum dicit esse peculiarem auxiliis gratiæ, quibus excitantur in nobis.

Conra-

Conradus *l.2. q.80. a.1. ad tertium* expresse dicit, voluntatem seipsum determinare ad bonum partiale, per consilium rationis. Scotus *l.1. de natura & gratia c.16.* aperte asserit, Deum ita moderari suum cum causis creatis concursum, vt quando cum libero homine concurrere non velit, inquit fieri quicquam nisi salua humana natura, & libera voluntate, quæ idcirco potest Deo resistere.

Huc accedunt alii Theologi Doctores, extra scholam D.Thom. & primo Alexander Halensis *1.p. quæst 23. membro tertio a. 4.* vbi ait, causam superiorem non esse determinatam, & ideo non cogere inferiorem, & *q.24. membro 5.* generatim amplectitur doctrinam D.Anselmi, quod scilicet necessitas antecedens qualis oritur ex prædeterminatione, tollat libertatem, & *quæst.40. membro 4 a.3.* dicit, Deum velle actus liberos, sine prædeterminatione illorum, quia sic vult illos, vt relinquat nostræ voluntati, & si fiat contrarium, non fit contra eius voluntatem (scilicet absolutam) sed contra voluntatem beneplaciti.

D.Bonauentura *in secundo dist. q.6. & dist. 37. quæst.1.* satis expresse hanc docet sententiam. Sot. *in 1. dist.8. quæst.5. parag. ad argumenta* sic scribit: Et voluntas nostra est indeterminata ad vtrumlibet contradictorium, & ex se potest determinari ad hoc, vel illud: Itaque huius quæstionis, quare voluntas voluit hoc, nulla est causa, nisi quia voluntas est voluntas, sicuti huius, quare calor est calefactiuus, nulla est causa, nisi quia calor: & *in secundo dist.37 quæst. 1. parag. ad solutionem.* Sed propter defectum (inquit) causæ secundæ, quæ in potestate sua habet concausare causæ primæ, vel non concausare, & si non concauset illi, vt tenetur, non rectitudo in effectu communi amborum, & *in 4. distinct 49. q.6. parag. dico ergo*, aperte dicit, tolli libertatem, si voluntas prius applicetur à Deo ad agendum, quam ipsa se determinat, addit determinationem voluntatis diuinæ non tollere voluntatem creatæ, quod intelligit de determinatione concomitante, quæ non est applicatio præuia, & *in tertio dist.18* loquens de actu meritorio, voluntas inquit in primo instanti, vt prior natura suo actu, ita contingenter elicit actum, ac si præcessisset actum.

Henricus à Gandauo *quodl.9. q.5.* cum voluntas sit libera, & domina suorum actuu[m] impossibile est, (inquit) vt ab alio proced[at] ad actum volendi, hoc enim repugnat volu[n]tati; nam non minus ageretur voluntas, qua[m] appetitus sensitiuus, vnde si Deo agente (s[ci]licet prius natura) fieret de non volente v[o]lens, non esset ille actus liber, nec laudabi[lis] nam actio libera debet esse in potestate ipsi[us] agentis, ita vt ab alio non moueatur, licet a[b] quo assistente, & cooperante, vt spiritu sa[n]cto, vel per se, & immediate, vel per aliq[ua] dona, vel vtroque modo Hæc ille; nihil p[o]test dici clarius, contra prædeterminati[o]nes. Similia habet *quodl.2. quæst.6. & quodl.[...] quæst.26.*

Marsilius *in secundo quæst.16 a.4.* de natu[ra] agentis liberi est, vt omnibus eodem modo habentibus possit in opposita, itē vt possit in nō opposita determinare, ad acceptione[m] & refutationem, & *infra.* Causa determina[ns] voluntatem ad volitionem liberam, non [est] aliud, quam ipsa voluntas, per suam volu[n]tatem.

Gabriel *in prima distinctione 37. a.1* ape[rte] defendit nostram sententiam, & negat ca[u]sam primam determinare, aut præmoue[re] causam secundam autem aliquo signo age[re] sine secunda, sed agere tantum cum illa. [In] causis liberis (ait) in earum potestate est, qu[od] causa prima efficiat nec ne. Addit ad liber[ta]tem necessarium esse, vt Deus offerat conc[ur]sum modo indifferenti, ita vt velit coeffic[e]re omnem actum, quem voluntas elegerit.

Occamus *quodl.1 q.16.* libertas inquit, [est] potestas, qua possum eundem effectum ca[u]sare, & non causare, nulla diuersitate cir[ca] ipsam potentiam facta, & *infra.* Omnib[us] requisitis ad actum volendi positis potest v[o]luntas actum volendi elicere, & nō elicere, [si]ne omni actione extrinseca solum propt[er] suam libertatem. Et *in secundo sententiaru[m] q.5.* Deus non attingit effectum prius, qua[m] causa secunda, nisi quia perfectius & illimit[a]tius & independentius.

Durandus *in secundo distinct.24. q.1. nu.[...]* Libertas arbitrii est, inquit, qua quis potest aliquem actum, vel eius oppositum, contr[a]rie, vel contradictorie & sic libertas exclud[it] omnem necessariam habitudinem.

Adamus *in tertio dist.14. quæst.3. dub 2.* a[it] Deum non determinare voluntatem suar[um] simp

implicitcr ad vnum actum causæ liberæ, sed indifferenter, ad omnem illum, quem ipsa voluerit *Et dub. 3.* falsum est, (inquit) omnia sic præordinata à causa prima, quia sic omnia euenirent de necessitate, quod est error.

His accedunt Fonseca *6 Met. cap. 2. quæst. 5. s. 10.* Molina *in concordia ad quæst. 14. disp. 12. 35. & in Commentario 1. p.* Ia. Vastes *1. p. in Thom tom. 1. disp. 88. & 99.* & doctissime ac culenter Suarez *in opusculis de occursu, motio. & auxilio Dei*, tribus integris libris. Et nouissime Ferdinandus Mascarenias *tractatu de* [...] *gratia disp. 2. p. 6.* qui etiam plures alios ar.

Hæc omnia volui ita prolixe & operose ferre, vt testatum facerem, doctrinam nostram non esse nouitium inuentum, vt quidam loquuntur, sed semper in Ecclesia viguisse; sicuti enim sancti Patres & Doctores Theologi, omni æuo indifferentiam & libertatem voluntatis in omnibus summis actionibus libere professi sunt, & tutati, ita consequenter videntur negasse Physicam prædeterminationem, quæ illi videtur repugnare, & vlterius causam secundam ex essentiali subordinatione & dependentia à causa prima, non indigere concursu prædeterminante per impressionem alicuius præuii, vel aliquomodocunque. Finio hasce authoritates cum Mascarenia *supra p. 7. num. 11.* Scio non deesse aliquos, qui ea quæ ex Patribus & Doctoribus Scholasticis adduximus, concludere, & ad suam aptare opinionem, quasi eo modo legentibus possint imponere, contixari non amo, hoc tantum in memoriam reuocandum, omnes authores, qui voluntatem nostram in operibus pietatis libertatem & indifferentiam ad operandum, & non operandum, relinquunt, nobiscum sentire necessario, quia nullo modo concipi potest, quod quis causam aliquam ad agendum Physice prædeterminet, & nihil minus ipsam ad agendum, & non agendum indifferentem relinquat, qui aliter sentit, necesse est alterum è duobus non percipiat, aut quid sit indifferentia, & libertas, aut quid sit Physica prædeterminatio.

ARTICVLVS TERTIVS.

Probatur eadem sententia, ratione tam de concursu cum causis necessariis, quam cum liberis.

SVppono inter causas efficientes creatas, quasdam esse varias, seu necessario operari, alias esse liberas, seu libere operari. Causa necessaria est, quæ positis omnibus antecedenter requisitis ad agendum, non potest non agere, vnde dicitur determinata ex natura sua, verbi gratia, sol necessario illuminat aerem, ignis necessario calefacit aerem circumfusum, aliaque corpora approximata, quia per calorem est determinatus ad illam actionem, oculus necessario videt rem obiectam, positis omnibus necessariis ad visionem, scilicet lumine, specie, obiecto, tunc enim per speciem est determinatus ad illam visionem. Idem est de omnibus aliis potentiis operatiuis, siue creatis, siue increatis, excepta voluntate; & determinatio huiusmodi causæ necessariæ ordine saltem naturæ est prior, quam ipsa operatio. Causa, seu potentia libera est, quæ positis omnibus antecedenter requisitis, ad agendum indifferens est, ita vt possit agere, vel non agere, prout libuerit, verbi gratia, voluntas, quæ sola est potentia libera proposito per intellectum obiecto sub ratione boni, verbi gratia, bonum esse amare proximum, dolere de peccatis, &c. est indeterminata ad consensum, ita vt possit non consentire, & non elicere actum amoris proximi, doloris, &c imo & respectu actus supernaturalis, charitatis, pœnitentiæ, &c. etsi Deus immittat illi pias affectiones, quibus ad illas afficiatur, manet tamen indeterminata ad consensum, ergo id absolute velit, & potest illum cohibere, seu non elicere, & in hoc differt voluntas, seu suppositum voluntate præditum, ab omni alia potentia operatiua, seu agente per potentiam distinctam à voluntate. Vnde notandum, ad libertatem requiri duplicem quodammodo potestatem in voluntate. Prima est, potestas eliciendi actum, ita nimirum, vt voluntas sit in actu primo completa,

pleta, & expedita ad operandum, & nihil aliud requiratur, vt possit exire in actum, quam proposito obiecti per intellectum, alioquin si non sit sufficienter constituta in actu primo, sed desit aliquid illi ex parte ad operandum qualis, verbi gratia, est habitus supernaturalis charitatis, in homine ethnico, non erit libera, respectu omissionis ipsius actus. Altera potestas est, abstinendi ab actu, ita vt omnibus ad agendum positis, in omni instanti temporis, & naturæ (si detur) antecedente operationem, possit cohibere, vel non elicere operationem, quæ potentia ad non agendum, supponit in voluntate omnia adesse prærequisita scilicet virtutem sufficientem attingendi obiectum, & propositionem obiecti, alioquin carentia actus non oriretur in voluntate ab intrinseco, sed ab extrinseco, scilicet defectu virtutis, vel conditionis necessariæ ad agendum, vt patet in voluntate Ethnici respectu actus supernaturalis charitatis, & sic non tam esset potentia quædam non agendi, seu non cohibendi actum, quam impotentia quædam agendi, quæ potentia non agendi adeo est necessaria ad vsum libertatis, vt eo ipso instanti, quæ voluntas desinit habere potentiam non agendi, ipsa necessario, & non libere operetur, & actus desinat liber esse, laude dignus, & meritorius.

His positis, probatur nostra sententia, primo: Si concursu, Dei est præmotio, sed prædeterminatio causæ secundæ, cuius terminus recipiatur in causa secunda, ipsa passiue concurrendo, quæro, an Deus præter hunc concursum, quo communicat aliquid causæ secundæ, quicquid illud sit, præbeat alium concursum, quo immediate attingat effectus, vel non, neutrum dici potest, ergo. Minor probatur, pro priore parte, Quia si Deus immediate influit & concurrit ad effectus causæ secundæ, aperte, superflui est alius ille concursus communicatiuus præuii alicuius, quia concursus ille immediatus in effectus causæ secundæ abunde sufficit, sicuti ex parte creaturæ immediatus inflexus in effectus. Deinde, si dentur duo illi concursus, datur processus in infinitum, quod probatur, quia terminus illius præmotionis receptus in causa secunda est aliquid creatum, & in vi sua concurrenti dependens à causa prima, ergo non potest exire in actum, nisi per aliam præmo[...] nem etiam mouentur à Deo, & sic deinc[...]

Posterior pars probatur, quia ex eo euide[...] sequeretur, Deum non influere immed[...] in effectus causæ secundæ, sed tantum [...] diante illo præuio causæ secundæ in[...] per prædeterminationem, sed hoc dici [...] potest, quia sapit erroneam opinionem [...] randi.

Probatur secundo: Si daretur concursu[...] le prædeterminans, sine influxu imme[...] to in effectum, sequeretur non implicare [...] ri agens independens in actione sua ab act[...] li Dei concursu, quia ponamus Deum c[...] seruare illud præuium, causæ secundæ imp[...] sum, ita vt permanenter illi insit, hoc [...] non agit sine concursu Dei actuali, sed [...] tum per consequentiam.

Probatur tertio: Non potest explicari, q[...] lis sit entitate, quæ communicetur per p[...] determinationem, non enim est ibi aliq[...] quia multa agentia agunt sine motu lo[...] ita & concursus causæ primæ non sit im[...] sio quædam localis, non est etiam q[...] tas, (quod solum vt in speciem probal[...] ter dici potest,) quia illa qualitas, etiam [...] set possibilis, est tamen superflua, si (q[...] concedendum est) Deus immediate ad [...] influat in effectus creaturæ. Calor enim, [...] bi gratia, per entitatem suam nudam o[...] alia qualitate seposita, vna cum conc[...] Dei in actu primo, omnibus agentibus p[...] paratis est adæquatum, & sufficiens propr[...] caloris à se producti, idem est de omni ag[...] naturali respectu effectus sibi proportio[...] & conuentionalis.

Dices, qualitas illa non est complemen[...] virtutis actiuæ, & est conditio aliqua re[...] sita ad hoc, vt causa secunda actu operetu[...] determinetur.

Respon primo, gratis hoc dici, quia q[...] que conditio potest requiri ad hoc, vt i[...] comburat, præter passum approximatun[...] gnem conseruatum à Deo, concursum i[...] ctu primo, quo Deus immediate attinga[...] lorem productum.

Respon. secunda. Causæ necessariæ sun[...] se determinatæ, ad suas actiones, vt pate[...] initio Articuli, ignis scilicet ad calefactio[...] & ignitionem, & sic de cæteris causis parti[...] bus. Causæ autem vniuersales, verbi grat[...]

&

& alia corpora cœlestia, quæ pro vario concursu causarum sublunarium varios producunt effectus, determinantur ad effectus certę speciei, partim à dispositione materiæ, partim à causis partialibus concurrentibus, hinc sol cum tali semine producit flores purpureos, cum alio candidos, cum alio varii coloris, ergo non opus est illa prædeterminatione, si dicas agentia necessaria esse quidem ex se prædeterminata ad certę speciei operationes non tantum ad operationem & effectum in indiuiduo, & ad hoc opus est concursu prædeterminante. Contra primo, hoc est multiplicare entia, siue necessitate, quia talis determinatio petitur, vel ex limitatione diuini influxus, hic & nunc immediate collati ad effectum, vel ad circumstantias, v.gr. loco passo, tempore, &c. Contra secundo: nulla potest fingi res à Deo producta in igne, v.gr quæ determinet ignem ad hanc numero calefactionem, vel ignitionem huius paleæ, quia illud productum erit aliqua qualitas, pertinens ad habitum, vt dicunt aduersarii. Quomodo eadem numero & specie qualitas potest impedire ignem ab omni alio effectu, præterquam ab vno, cum nulla vis actiua ita sit limitata, vt non possit plura indiuidua producere intra eandem speciem, ac proinde illa etiam qualitas poterit, cum eodē numero calore ignis plurimos numero distinctos calores efficere, v.g millenos aliquot in granis frumenti, aut seminibus ingenti numero igni admotis, quia negari non potest eundem calorē ignis hosce omnes calores numero distinctos attingere. Contra 3. sequeretur hinc, tot debere imprimi igni, qualitate, specie distinctas quot ignis producet calores, v g. in pilis canis adiacentis, quod videtur absurdum. Antecedens probatur, quia si illæ qualitates sint tantum numero distinctæ (quod ipsum etiam est absurdum) cur singulæ illæ qualitates ex se dicent ordinem ad hunc effectum numero, & non ad alium eiusdem speciei, nulla potest dari vel apparens ratio.

Quoad causam liberam illa semetipsam determinat ad speciem, & ad exercitium, vnde non opus est vlla determinatione, maxime cum illa videatur destruere ipsius rationem agendi propriam, vt iam dicemus.

Dicunt alii terminum istius prædeterminationis esse applicationem causæ creatæ. Sed contra, non potest dici applicatio localis, quia hæc tantum fit, vt agens loco coniungatur cum passo, quæ coniunctio supponitur facta, & talis applicatio non potest habere locum in intellectu, & voluntate, neque etiam dici potest applicatio intentionalis, qualis; v. gr. est propositio obiecti per intellectum, respectu voluntatis, vel imperium vnius potentiæ, in aliam, vel eiusdem potentiæ in seipsam secundum diuersos actus: quia causæ secundæ per se & immediate efficiunt hanc applicationem, vnde non potest tribui rei præ infusæ à Deo. Deinde hæc applicatio erit actio Dei transiens, in causam secundum, ac proinde habebit terminum suum in causa secunda, sed nihil excogitari potest, quod sit terminus, ergo.

Sunt, qui dicāt terminum illius esse rationem causæ secundæ, sed contra primo, Ad actionem non datur actio, secundo, hęc applicatio dicitur ab aduersariis esse, quid præuiū ad actionem, ergo actio causæ secundæ, nō est terminus intrinsecus illius applicationis, sed vt summus finis extrinsecus, ad quē applicatio ordinatur, sicuti illuminatio aeris in nostro hemisphærio, vt finis applicationis solis, quæ fit per motū localem, & ortum supra nostrum Horizontem, hic autē inuestigatur terminus intrinsecus huius applicationis, qui scil. vel formaliter, vel fit ipsa applicatio, vel proxima per illā fiat. Certe nil afferri potest. Si dicas, per applicationē fieri maiorem coniunctionem, non quidem localem, sed virtualem agentis ad passum, vel potentiæ ad obiectum. Contra hæc cōiunctio virtualis in actu primo nihil aliud, quam ipsa virtus actiua sufficiens, & proportionata effectu: coniunctio vero in actu secundo, fit per ipsammet actionem, vnde non est quid præuium.

Respond. alii, terminum prædeterminationis esse excitationem virtutis actiuæ, quæ inest causę secundę. Sed contra excitatio proprie tantum locum habet in potentiis animæ, quarum vna excitatur ad agendum per actum alterius voluntas. v. gr ad conceptionem boni elicitam ab intellectu, &c. idq; ob naturalem sympathiam, quam habent potentiæ inter se, eo quod radicentur in eadem anima, aliquando tamen excitatio tribuitur rebus naturalibus, quæ ad actionem prærequirunt aliquam alterationem, quæ alteratio

vocatur excitatio virtutis actiuæ, sic odorifera non emittunt odorem, vel saltem minus, nisi calefiant, piper non calefacit, nisi contundatur, vnde hæc excitatio vel est complementum virtutis actiuæ, per alterationem, vel est dispositio, vt agens melius applicetur ad agendum, vt in contusione piperis, per hanc enim fit, vt pars interior, cui virtus calefactiua maxime inest, melius applicetur: sed causa secunda præcise ex vi subordinationis ad causam primam, nihil horum requirit, habet enim secluso omni alio virtutem actiuam completam, verbi gratia, calor ad producendum calorem, & passum, vel obiectum debite approximatum, vt præsupponatur, ergo nulla fingi potest necessitas, huius prædeterminationis, nullus terminus, vel effectus formalis, ergo non datur.

Huc accedit, quod nō possit assignari subiectum illius prædeterminationis, siue applicationis, siue excitationis, &c. verbi gratia, prædeterminatio ad calefaciendum, an sit in calore, an in subiecto, an in vtroque. Deinde, quando virtus actiua prima constat ex pluribus, vt verbi gratia, efficacitas videndi ex potentia visiua, & specie sensibili, quæritur an vnaquæque harum indigeat prædeterminatione, & virtute de nouo indita, vel vna tantum, & cur potius vna, quam alia Hæc & similia explicatu difficillima occurrunt examinanti attentius opinionem astruentem prædeterminationem.

Rationes hactenus allatæ satis probant, causam etiam liberam ex vi subordinationis ad primam, & sola generali ratione causæ secundæ non indigere, hac prædeterminatione, cum voluntas tam ex se sit potens ad suos actus connaturales, quam sint aliæ causæ ad actiones suas. Nunc ostendendum, huiusmodi determinationem non tantum non esse necessariam, vtilem aut congruam, sed etiam noxiam, vtpote qua posita videatur tolli vsus libertatis.

Probatur primo, ex communi Theologorum & Philosophorum sententia, potest Deus ratione perfectissimi dominii, quod habet in omnes res creatas voluntati nostræ inferre necessitatem, atque ita illum applicare ad actum volendi, vel nolendi, vt necessario velit, vel nolit, atqui hoc non potest aliter facere, quam illam prędeterminando ad actum, vel immediate per se, vel per aliquam form[...] voluntate expressam, qua Deus vtatur, t[...] quam instrumentis, si aliter potest, id ost[...] datur, certe non incurrit alius modus, si n[...] potest, sequitur non posse saluari vsum lib[...] tatis in actibus, in quos tendunt Physicæ il[...] prædeterminationes Dei.

Dicent, posse quidem Deum ita volun[...] tem prædeterminare, vt imponat illi nece[...] tatem, sed simul etiam posse ita prædeter[...] nare ad exercitium actus, vt illi non infe[...] necessitatem, sed liberam relinquat. Vnde [...] uersus est modus prædeterminationis, c[...] Deus prædeterminando necessitat, & ab il[...] quo prædeterminat ordinario suo concur[...]

Sed contra, hoc gratis videtur dici, q[...] nulla potest assignari differentia, in hi[...] modis prædeterminandi, quia vtrobique v[...] luntas ita applicatur ad agendum, vt neque applicanti resistere, & in eo consistit neces[...] tas agendi. Si dicas voluntatem posse resi[...] re prædeterminationi ordinariæ, ac proin[...] non necessitati. Respon. hoc esse contra pr[...] cipia illius opinionis, & sic non esset præ[...] terminatio efficax

Probatur secundo: vel eiusmodi prædet[...] minatio est necessaria voluntati ad elicie[...] dos actus bonos, vel malos, vel omnes om[...] no, vt dicendum, si consequentes velint, qui: sed hoc dici non potest, respectu actui[...] malorum, cum Deus non possit voluntati[...] imperio suo prædeterminare efficaciter, [...] impellere ad actum peccati, quin sit vere a[...] thor, & propria eius causa. Quod si volun[...] non indiget prædeterminatione ad actus m[...] los, non indigebit etiam ad actus bonos o[...] nis naturalis, sæpe enim actus bonus mora[...] tam est facilis, verbi gratia, verum dicere, [...] re eleemosynam, ex naturali compassio[...] &c. quam actus mali, vt peierare, blasphem[...] re, &c. à quibus natura abhorret.

Probatur tertio: Actus qui pertineat ad [...] dinem gratiæ, quibus Deus præuenit nos, i[...] mittendo scilicet pias affectiones, volunta[...] sunt necessarii, & soli Deo tribuuntur, cu[...] ratio est, quia excitantur in nobis indepe[...] denter à libero arbitrio, ita vt non sit in p[...] testate nostra illas habere, vel non habe[...] cum scilicet oriantur à Deo; qui sola sua e[...] cacitate immediate nullo præuio impre[...] voluntatem ad illas prædeterminat, er[...] omn

›mnes actus voluntatis ſunt neceſſarii. Con-
ſeq. prob. quia ad omnes Deus voluntatem
›rædeterminat, ſicuti ad pias illas affectiones
& gratias prævenientes, quæ voluntati ſunt
eceſſariæ.

Probatur quarto, ſi voluntas prædetermi-
aretur ad actum liberum, idem actus eſſet
ber, & neceſſarius quod implicat, & eſt da-
nnatum à duobus Pontificibus, in hac pro-
oſitione. Id quod voluntatis fit, libere fit, et-
mſi neceſſario fiat: ſecundum quam propo-
ionem actus amoris Dei, clare viſi eſſet li-
er, quia voluntarius eſt beatis, quod eſt fal-
um, cum ſit neceſſarius. Id autem probatur,
uia eſſet liber ex ſuppoſitione & eſſet neceſ-
arius, quia non eſt in poteſtate voluntatis a-
um cohibere, in quem tendit prædetermi-
atio, hoc autem eſt actũ eſſe neceſſarium, vel
ſignetur aliud, in quo conſiſtat neceſſitas
ctus, certe quod voluntas non poteſt impe-
re, id illi eſt neceſſarium. Confirm. Deter-
inatio ex parte obiecti, neceſſitat volunta-
m. Vnde amor beatificus eſt beatis neceſ-
rius, ergo multo magis prædeterminatio
fectiua.

Probatur quinto: Vſus libertatis duo in-
udit, vnum eſt omittere actionem, ex in-
inſeca vi voluntatis ſufficienter & proxime
pe‹d›itus ad operandum, & non ex impoten-
a imperandi. Alterum eſt, exercere opera-
onem, cum intrinſeca vi illam cohibendi &
ontinendi, vt patet ex authoribus, tum PP.
m ſcholaſticorum allatis, ſed ſi prædeter-
inatio Phyſica voluntati eſt neceſſaria ex vi
bordinationis ad cauſam primam, neu-
um reperietur in voluntate, ergo neceſſitas
ædeterminationis deſtruit vſum libertatis.
inor probatur, pro priori parte, ſcilicet
uod ſi prædeterminatio eſt neceſſaria vo-
ntas, nunquam actum ex neceſſaria pote-
ate, & quod inde ſequitur, omiſſionem ali-
ius actus ei poſſe naturaliter imputari, vel
lpę attribui, quod eſt erroneum. Et quidem
probatur: Si prædeterminatio eſt neceſſa-
a, ergo voluntas abſolute non poteſt moue-
ſine prædeterminatione, non magis quam
anus, ſine potentia motiua, quia multo in-
mius præcedet voluntas ab hac prædeter-
inatione, quam manus à potentia, ergo
am diu Deus non imprimit hanc præde-
rminationem, licet cetera omnia ad agen-
dum prærequiſita adſint, non eſt in poteſtate
voluntatis operari. Conſequentia eſt clara,
quia non eſt in poteſtate voluntatis, operari
ſine prædeterminatione. Res euidens fiet, ſi
propęnatur practice in exemplo. Ponamus
aliquem actu conſiderare ſtudium eſſe hone-
ſtum, & ſibi eſſe vtile. Hoc iudicio poſito vo-
luntas adhuc eſt indifferens ad volendum,
aut nolendum. Si talis neutram partem velle
poteſt, ſi non prius accipias prædetermina-
tionem à Deo Quæro ſi ad neutram partem
acciperet prędeterminationē, an poſſet alter-
utrum. Si conſequenter loqui velint, dicent
non poſſe. Tunc vlterius quæro, an voluntati
vitio verti poſſit, quod non velit ſtudere, ſi-
ue non habeat voluntatem ſtudendi: videtur
reſpondendum, quod non, quia non habuit
determinationem omnino neceſſariam, ergo
ſi Deus conferat determinationem ad alte-
ram partem, verbi gratia, nolle ſtudere, non
poterit voluntati imputari, quod non habuę-
rit voluntatem ſtudendi, quia non habuit de-
terminationem, ad velle ſtudere, nec potuit
ſine prædeterminatione, quę etiam non eſt in
poteſtate ipſius, nam quotieſcunque non ha-
bendi in poteſtate noſtra principium opera-
tionis, & antecedens, non poteſt etiam eſſe in
poteſtate noſtra, conſequens ex illa eſſentia-
liter dependens, quod probatione egęre non
videtur. Hinc etiam in negotio Gratiæ non
videtur, Pelagio hæretico interroganti, quo-
modo nobis imputari poteſt omiſſio ope-
rum ſupernaturalium, verbi gratia, Fidei, ſpei,
charitatis, &c. Si ad opera illa præſtanda ne-
ceſſaria eſt Dei gratia, quæ non eſt in noſtra
poteſtate, ſed confertur pro arbitrio & bene-
placito Dei. Huic quæſtioni reſpondent SS.
Patres. In poteſtate noſtra eſſe habere hanc
gratiam, quam Deus nemini denegat, imo ſæ-
pe ſæpius offert, vide Suar. *lib. 1. de conc. Dei.
cap. 12.* ita vt PP. ſupponant non poſſe libere,
aliquid omittere, niſi vel habeamus in nobis
principium operationis completum, vel ſal-
tem in poteſtate noſtra ſit illud habere.

Dicunt aliqui, in poteſtate voluntatis eſſe
habere hanc prædeterminationem.

Sed contra hoc pugnat cum fundamentis
contrariæ ſententiæ, qua docent Deum pro
arbitrio ſuo dare, vel non dare hanc præde-
terminationem, & efficacem mutationem,
quibus vult, & quando vult, abſque vlla de-

pendentiæ, atque vsu, vel consensu libero nostræ voluntatis. Deinde si est in potestate voluntatis, habere hanc prædeterminationem. Quæro an voluntas possit aliquid facere, quo obtineat hanc prædeterminationem, an non. Si nihil potest facere, ergo non est in eius potestate, vt habeat se mere passiue, ad illam scilicet recipiendo, si aliquid potest facere quo obtineat. Quæro quid illud sit, an volitio efficax, an desiderium &c. Quicquid dicant, quæro vtrum ad illum ipsum actum, quem voluntas elicit, & obtineat prædeterminationem, necessaria sit determinatio, nec ne, si affirmant, euidenter proceditur in infinitum, si negant, sequitur euidenter voluntatem posse se libere determinare ad agendum, sine prædeterminatione, & per consequens prædeterminatio non erit per se necessaria, ex vi subordinationis causæ secundæ, ad primam. Neque etiam dici potest determinationem esse in potestate voluntatis mediate, id est, media aliqua dispositione, vel conditione, quam si adhibeat, recipi & illam determinationem, quomodo receptio gratiæ habitualis dici aliquo modo potest esse in potestate nostra media scilicet dispositione per actionem, quæ est in potestate nostra, cum diuina gratia actuali. Quia de illa dispositione, vel conditione, quæ erit aliquis actus voluntatis, vel aliquid saltem dependens ab illo, quæritur, quomodo habuerit determinationem, ad illam, si à Deo redit argumentum, quomodo in potestate ipsius sit habere determinationem, ad illam dispositionem, si à se, ergo poterit aliquid voluntas sine prædeterminatione Cum igitur vt omissis aliis: sit voluntaria, necesse sit, vt is proxime sit potens, & expeditus, vt possit facere, quod omittet, & postea necessitate prędeterminationis non sit in potestate nostra facere, quod omittimus, (vt ostendi) sequitur necessitatem prædeterminationis inferre nullam omissionem nobis esse voluntariam, quod dici non potest. Et hæc adeo vera sunt, vt quando non est in potestate nostra, omittere, quod facimus, omissio non sit voluntaria, etiamsi esset pressse volita, verbi gratia, si ob grauem morbum non possit audire sacrum, vel recitare sacrum officium, omissio ista, etsi ex malitia forte tibi placeet, non censetur tamen voluntaria, quia non pendet à tua voluntate, sicut effectus à causa, sed pendet à morbo, adeo vt e lata esset excommunicatio in omittente non incurreret illam. Idem est, si quis omi soluere debitum, cum non possit, omissio il non est illi voluntaria, neque contra ius tiam. In talibus enim circumstantiis pot quis velle omissionem per modum obiec non autem per modum effectus moralis.

Respondent quidam posse esse in potes te nostra consequens, cuius antecedens men cum sit in nostra potestate, & oste dunt clare exemplo, vt ipsis videtur, scili volare non est in potestate hominis, mou est in potestate, volare autem est antecede mouere consequens, recte enim sequitur, v lat, ergo mouetur.

Respond. illam instantiam adeo esse i pertinentem ad propositum, atqui si affere ti omnem hominem esse risibilem, obiicer hic homo (designando imaginem) non risibilis, nam sicut homo differt ab homi picto, vel imagine, ita differt antecede de quo est sermo, in probatione, ab ante dente illius instantiæ, nam in probatione gitur de principio operationis, & antecede te Physico effectiuo, quale antecedens e in materia illius instantiæ, potentia vol di. Instantia vero assumit antecedens Lo cum, seu terminum inferentem alium ma vniuersalem: in huiusmodi autem anteced te & consequente falsum esse illud axio nostræ probationis tritum est apud Logic æquiualet enim argumento ab opposito a tecedentis ad oppositum consequentis, ac ceres, homini non conuenit potentia vol di, ergo non conuenit potentia motiua, q illatio est contra regulas consequentiæ, similis huic, homo non est asinus, ergo n est animal.

Alii confugiunt ad prouidentiam Dei, dicunt, nemo potest operari sine Dei pro dentia, quæ tamen non est in cuiusquam testate, ergo consequens potest esse in po state, licet antecedens non sit.

Respond. neque hanc instantiam esse rem, quia vel prouidentia Dei non est pr cipium operationis, & antecedens Ph cum effectiuum vel est in potestate nostra, tura, vel si loquamur de prouidentia D cum sancto Thoma 1. *p. quæst. 22. art.* 1. & 2 sit actus intellectus diuini, concipienti ordin

rdinantis res omnes, secundum suos fines, :media, non habent rationem principii o-erationis, quia omnis effectus procedit à oluntate & potentia executiua Dei, & in oc sensu non magis est ad propositum hæc stantia, quam si dicas, homo non po-st operari sine processione spiritus San-i, à Patre & Filio, quia illa scilicet neces-io est, & antecedit nostras operatio-s, duratione, cum sit ab æterno, & ta-n in nostra potestate est, operari, &c. si ro loquamur de prouidentia Dei, cum holasticis, supra *quæst. illam* 22. prout in-idit varios actus diuini intellectus, & vo-ntatis, quicunque scilicet pertinent ad gu-rnationem vniuersi, & perfectam pruden-m, scilicet circumspectionem, vti sunt pri-o conceptio, finis tum generalis omnium um, tum partialis singularum. Secundo æuisio absoluta futurorum euentuum, imo conditionalis, seu media, vt loquuntur holastici, quomodo scilicet quæuis creatu- vteretur mediis in quibusuis circumstan-s, si compararentur. Tertio præuisio medio-m necessariorum ad finem. Quarto, pro-ssio multorum euentuum, relinquendo usas secundas suæ naturæ, & ordinationem orum ad finem, si non partialem, creaturæ eranti, saltem ad generalem totius vniuer- qui est manifestatio perfectionum diuina-m, quem finem prouidentia Dei in omni-s consequitur, partialem non item, vt pa- in damnatis, ita Deus permittit mala cul-, scilicet peccata, & vt probabile est, quæ-m etiam mala pœnæ, vt verbi gratia quod ns frangatur, domus concidet, vel tegula ecto in caput delebatur. Quinto specialis ocuratio & ordinatio multorum euen-um, quos causæ secundæ sibi relictæ non oducunt, & tamen expedit eos fieri, verbi atia, procreatio famis, pestis, serenitatis, ris, &c. Sexto, impeditio multorum euen-um, quos causæ secundæ sibi relictæ pro-icerent, ita Deus auertit tempestatem, pe-m &c. placatus precibus bonorum Deni-ie omnes alii actus, quomodo pertinent ad rfectam prudentiam, quæ idem est, quod ouidentia.

Ex his patet Responsio ad illam instan-m prouidentiam scilicet Dei, secundum a-uos, actus nimirum intellectus non esse antecedens operationis, secundum alios a-ctus non esse absolute antecedens, verbi gra-tia, secundum promissionem, illa enim vel se-quitur, vel vt summum comitatur euentus, quos relinquit cursui causarum secundarum, & iustas ob causas permittit, secundum alios, vt verbi gratia, voluntatem operandi, & coef-ficiendi omnes effectus, cum creaturis, prout natura illarum exegerit, & peculiariter, pro-ut voluntas elegerit esse in potestate nostra, vt supra constat ex authoritatibus allatis & testatur Buga *lib.6. in Tridentinum cap.6.* se-cundum ait concursum Dei generalem, sci-licet in actu primo, (voluntatem & poten-tiam executiuam Dei, quatenus materia est ad actus nobis naturales, esse in potestate no-stra, etiam quando non operamur, scilicet quoad vsum. Vnde D. Augustinus *serm.13. de verbis Apostoli* dicit, si tu non esses operator, ille (scilicet Deus) non esset cooperator, quo dicto insinuat ordine causalitatis moraliter saltem priorem esse voluntatem, cui tribuit operari, Deo autem cooperari, & rationem primam, cur voluntas operetur, esse potius, quod voluntas vult, quam quia Deus opera-tur, licet hæc sint inseparabilia.

Posterior pars minoris quintæ probatio-nis probatur, scilicet necessitatem determi-nationis tollere potestatem cohibēdi actum, & per consequēs actum nec esse liberum, nec posse imputari ad culpam, quia prædetermi-natio illa Physica imprimit voluntati aliquod præmium ad actionem, quod est formalis de-terminatio causæ secundæ vt docent autho-res contrariæ sententiæ, de illo premio, quæri-tur an voluntas sit indifferens actiue ad illius vsum, vel non vsum: an vero voluntas neces-sario illo vtatur, ita vt non possit non vti, al-terutrum dici debet, quia non datur me-dium, si prius dixeris, non erit potestate ter-minatio efficax, nec habebit necessariam con-nexionem cum actione voluntatis, quia re-linqueret illam indifferentem ad agere, vel non agere, per vsum illius determinationis, vel non vsum. Si posterius dixeris, aperte se-quitur, actionem voluntatis omnino esse in-separabilem à prædeterminatione à Deo in-dita voluntati, & non subdita illius impe-rio, ergo actus non erit liber voluntati. Con-sequentia probatur, quia vt actus sit liber, requiritur, vt voluntas in omni instanti

naturæ

naturæ præcedente actum, ex sua intrinseca vi, possit actum non elicere, imo & in ipso actus exercitio, quouis instanti designabili debet suspendere vlteriorem influxum, & actum abrumpere: nam vbi definit hæc potestas, definit vsus libertatis, & actus non est amplius liber, cum libertas in actibus voluntatis nihil sit aliud, quam habitudo ad causam, ex se indifferentem, & indeterminatam, à qua immediate procedit, & assidue pendet, atqui nullo instanti, quo voluntas operatur, potest actum cohibere, cum sit imbuta prædeterminatione formali, efficaci, à Deo impressa, habente necessariam connexionem, cum actione independenter à libero consensu voluntatis, idque non tantum pro inchoatione actionis, sed etiam pro tota continuatione eiusdem, quia concursus prædeterminans confertur creaturæ, ex vi dependentiæ essentialis in operando, à causa prima, ac proinde quolibet instanti suæ operationis, adeo vt omni momento, quo operatur, debeat vrgeri ad opus, à Deo per instantem semper prædeterminationem, ergo actus ille non potest dici liber voluntati, non magis, quam igni calefactio. Confirm. Prædeterminatio illa efficax procedit ex efficaci absoluto, ac definitiuo, diuinæ voluntatis decreto, quo absolute vult fieri à voluntate id, ad quod eam prædeterminat, vt aduersarii concedunt dum docent, voluntatem creatam nihil vnquam velle, nisi increata efficaciter velit, & præordinet illam velle, atqui nec voluntas humana, nec creatura vlla possibilis potest resistere efficaci, & absolutæ prædeterminationi, ac voluntati Dei, ergo posita in voluntate prædeterminatione, ita operabitur voluntas, vt non possit cohibere operationem, aut resistere in hisce motioni Dei, ergo actus, seu operatio illa non erit libera, respectu voluntatis creatæ, nec enim aliud reperitur in actu omnium consensu necessario, quam in potentia huiusmodi non operandi.

Solent hic confugere ad sensum diuisum & dicere, voluntatem prædeterminatam à Deo in sensu composito, non posse non operari, posse tamen in sensu diuiso, & hoc sufficere ad vsum libertatis, sed huic subterfugio respondimus *supra artic. 2*, in secunda probatione ex Concilio Tridentino, v ostendimus ad vsum libertatis requiri, vt v luntas etiam in sensu composito, prout su est prædeterminationi, possit non agere, i que ex intrinseca vi, in quo consistit oper ri cum dominio sui actus, qui modus op randi competit voluntati, & per illum d stinguitur à causa naturali necessaria, qu ita operatur, vt non sit in potestate ipsi non operari. neque sensus compositus l ita explicatur, vt in elenchis solet, vt sign ficetur, verbi gratia, voluntati simul p se inesse actionem, & negationem acti nis, hoc enim implicat, sicuti accipi s let sensus compositus, dum dicitur, impos bile est sedentem stare, id verum est se su composito, hoc modo, quod sessio, statio non possunt eidem simul inesse, tantum significatur volentem, quando su est prædeterminationi, vel quando actu git, habere potestatem non operandi, q sunt longe diuersa, & adeo clara, vt q dam hoc subterfugio vtentibus obiiciat los vel rem non capere, vel certe capitosi qui apertam veritatem volunt occulta ne à sua sententia decedant. Adde hui modi potestatem in sensu diuiso, etiam re in voluntate, si Deus necessitatem ferret voluntati, in aliquo actu, prout p test, quo tamen casu voluntas non opera tur libere.

Respondent alii, per huiusmodi deter nationem non tolli libertatem volun tis, quia ipsa manet indifferens ad ha vel illam prædeterminationem accipiend à Deo.

Sed contra, talis indifferentia est sol passiua, quia voluntas solum se habet pa ue, respectu talis determinationis, vt fate tur aduersarii, & sic voluntas erit indif rens, quia capax vtriusque determination & ex se neutram habet in actu, sed in pot tia receptiua tantum, quomodo materia p ma est indifferens, ad varias formas, & m nus ad varios motus, quos imperare pot voluntas, sed hæc differentia citra cont uersiam est insufficiens, ad libertatem intr secam voluntati, vt summum talis indiffere tia supponit libertatem formalem, in ca prima, scil Deo dante hanc vel illam det minationem, pro suo libito, sicuti motus n

r

us in hanc, vel illam partem est liber volun-tati imperanti, & applicanti potentiam mo-uam.

Sunt qui Respondent, prædeterminatione voluntate impediri quidem vsum liberta-, non tamen tolli facultatem liberam.

Sed contra hæc responsio admitti non po-est, quia fides docet, non tantum nobis esse dicalem liberam facultatem, sed etiam po-tatem illam volendi, & certe, si vt volun- maneat libera, in suis actibus, satis est eam inere facultatem naturalem, tendendi in ntrarium, sine potestate vtendi, nulla est atrouersia in re cum hæreticis de libertate, solum in verbis, nam ipsi facile hec omnia nittent: Accedit, quod si prædeterminatio pediat vsum libertatis, euidenter sequatur, essitatem prædeterminationis etiam tol- ipsam radicalem facultatem libertatis, a hæc necessitas secundum aduersarios, o-ir ex vi subordinationis voluntatis creatæ à eo, ac proinde ex indigentia, & impoten intrinseca voluntatis, vt impossibile sit, untatem operari sine prædeterminatione, le sequitur, sine prædeterminatione vo-tatem non esse proxime aptam, vel poten- ad aliquid volendum, & postulare ex na-a sua hunc modum operandi, per præde-minationem ab alio, quo impeditur vsus ertatis, ergo voluntas non postulat ex na-a sua liberum operandi modum, neque et naturalem facultatem, libere operan- quia alioqui ex natura sua haberet duas ditiones, omnino repugnantes.

Ex his omnibus conficitur causas secundas i suæ dependentiæ, non indigere concur-prædeterminante, & speciatim voluntatem posse illum admittere, sine dispendio li-ertatis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quid sentiendum sit de concursu Dei, & quo modo loquendum?

REfutato concursu prædeterminante, reli-quum est, vt satisfiat authoritatibus & ar-gumentis quibus probari solet, quod vt me-lius & clarius fiat, præmittemus, quid de con-cursu Dei secundum veritatem, sentiendũ sit.

Resp. concursus diuinus cum causis secun-dis habet se per modum actionis, mediate, at-tingentis effectum causæ secundæ non vero ipsam causam secundam, adeoque est ipsum fieri effectus, prout manat à Deo, non inclu-dens actionem in causam secundam.

Probatur primo, quia reiecta priori sen-tentia, hic tantum modus superest explicandi concursum Dei.

Probatur secundo, quia hoc modo clare ex-plicatur, quo modo Deus immediate attingat productionem omnium rerum, & abunde saluatur dependentia causæ secundæ à prima, in agendo, vt declarari potest, in causis creatis essentialiter, sibi subordinatis. Nam anima influit immediate in operationes vitales, nullo præuio communicato ipsis potentiis, similiter potentia cum habitu.

Probatur tertio, ex communi hominum sensu, posito actuali Dei concursu ad extra, implicat non sequi, vel non esse actionem creaturæ, quia ille concursus est absolute effi-cax, ergo non potest esse aliud, quam ipsum fieri effectus, siue ipsa emanatio effectus à Deo. Consequentia probatur, quia posita in causa secunda, qualibet entitate, quæ se ha-beat per modum principii effectiui, vel com-plementi actualis virtutis actiuæ, vel applica-tionis, excitationis, determinationis, &c. ad-huc non implicat causam secundam non age-re, potest enim Deus quoduis creatum, in qui-busuis circumstantiis impedire ab actione.

Respond. & dico, Concursus Dei, & actio causæ secundæ, sunt vna eademque numero actio.

Probatur primo, quia sicuti vnus & idem numero effectus procedit à Deo, & creaturis, vtpote causis subordinatis, ita etiam eadem numero actio, quæ realiter identificatur effe-ctui, & conf. vel actio creaturæ est aliquid ex natura rei, distinctum ab effectu, vel non, si non, cum effectus de numero procedat, à dua-bus causis, vt omnes fatentur, etiam actio ea-dem numero ab vtraque procedit, si sit quid distinctum ab effectu, & aliquid à parte rei, dependebit à Deo, ergo Deus immediate per se ad illud concurret; & non per aliam actio-nem, tum quia alioqui daretur processus in infinitum, tum quia actio formaliter, vt est via ad effectum, quomodo hic accipitur, non potest esse terminus alterius actionis,

ergo vnica erit actio Dei, & causæ secundæ.

Probatur secundo, si concursus Dei & actio causæ secundæ, non essent vna actio, sed duæ, quarum vna esset solius Dei, altera solius causæ secundæ, quam Deus immediate non attingeret, sequeretur euidenter, dari aliquid à parte rei, quod non esset, vel dependeret immediate à Deo, quod dici non potest pertinet enim ad opinionem durandi. Si quis dicat actionem causæ secundæ non esse ab ipsa sola, sed etiam à *Deo*. Infero ergo illa saltem actio vna & eadem numero erit à *Deo*, & creatura. Si quis dicat actionem causę secundæ, esse à *Deo*, sed per aliam actionem, distinctam ab actione causæ secundæ. Resp. Si datur actio ab actione, dabitur processus in infinitum.

Adde actionem *Dei* non esse viam ad actionem creaturæ, cum actio creaturæ non possit esse terminus intrinsecus actionis *Dei*, sed est via ad effectum eius.

Ex hoc fundamento sequitur, primo, concursum *Dei* generalem, cum omnibus causis creatis esse multiplicem, pro distinctione & varietate actionum creaturarum, adeo vt concursus, quem præbet *Deus*, cum hoc numero igne ad productionem caloris sit distinctus numero ab eo, quem præbet cum altero igne numero distincto, & specie ab illo distinctus, quem præbet cum aqua ad productionem frigoris, &c. Sequitur secundo. Inter concursum *Dei* & actionem causæ secundæ, respectu eiusdem effectus, non reperiri realem prioritatem naturæ, quæ sit prioritas causalitatis, quia inter ea, quæ sunt vnum & idem, non potest interuenire vera causalitas, alioqui idem causaret seipsum. Quod si qui dicant actionem causæ primæ esse priorem natura, actione causæ secundæ, id intelligi debet, de actione *Dei* interna, quæ est voluntas dandi concursum, & potentia executiua *Dei* præparata ad cooperationem, non autem de actione ad extra, quæ est via ad effectum, seu effectus in fieri. Quamuis vita & eadem illa numero actio, prout dicit respectum ad causam secundam, quia scilicet respicit causam primam, vt agens vniuersale, independens, & nobilius, vnde prioritas illa dici potest independentiæ, vel nobilitatis. *Deinde* quia influxus causæ primæ genere est quid communius quam influxus causæ secundæ, vt patet in creatione animæ rationalis. Vnde inter influxum causæ primæ, & causæ secundæ, non est necessario mutua conuersio. Licet enim recte sequatur, est influxus causæ secundæ ergo & causæ primæ, non tamen sequitur est influxus causæ primæ, ergo & causæ secundæ. Huiusmodi autem magis vniuersalia dicuntur ab Aristotele in *Categoriis cap. 6 Priori*, habere quandam naturæ proprietatem, quæ tamen tantum est rationis, reperitur enim inter gradus magis & minus vniuersales, sola ratione distinctos.

Sequitur tertio, quod ad modum loquendi attinet, effectum creaturæ recte dici pendere à concursu Dei, quia actio creaturæ & concursus actualis Dei, sunt idem, idem autem non pendet ab actuali concursu Dei, id verum est de concursu in actu primo, id est de potentia *Dei* præparata, & sic etiam concursus *Dei* scilicet actualis, siue in actu secundo, pendet à concursu *Dei*, scilicet in actu primo.

Respond. & dico tertio. *Deus* libere præbet concursum suum causis omnibus secundis, tam necessariis, quam liberis, ex pacto tamen naturali, cum creaturis inito, siue obligatione naturis rerum debita infallibiliter illum paratus est dare, & de facto semper dat, quando causæ secundæ se ad agendum applicant, adeo vt concursus *Dei* dici posset esse in potestate creaturæ, scilicet quoad vsum, *Deo* nimirum se accommodante causas secundas.

Prior pars probatur, quia *Deus* est agens liberum, & à nemine potest necessitari.

Posterior pars probatur, quia positis omnibus prærequisitis ad agendum, causæ necessariæ actu agunt, & *Deus* concurrit, ergo signum est *Deum* semper paratum concurrere: Quoad causas liberas, experimur nos pro libito nostro operari, & tantum dependenter à concursu *Dei*, ergo signum est *Deum* esse paratum concurrere ad quemuis actum voluntatis. Neque hinc sequitur creaturam aliquid posse agere in ipsum Deum, quasi concursus *Dei* ita esset in potestate, vt illi possit aliquid imprimere, illum

moue

mouere, &c. Quia vt dicatur esse in potestate creaturæ, sufficit, vt Deus liberaliter & sponte se obliget, vt eo ipso, quo creatura influit in aliquod opus, Deus quoque simul influat, idque, quia hoc debitum est rebus creatis, quæ operari & finem suum partialem consequi non possunt sine concursu & cooperatione Dei, simile quid reperitur in habitu, & potentia, in potentia & substantia animæ, nam verbi gratia hoc ipso, quo potentia intellectiua influit in intellectiones, etiam anima influit, cui intellectus subordinatur, & habitus, si insit, & iam influit, quia subordinatur potentiæ, & tamen neque anima aliquid producit in potentia, nec potentia in habitum, nec contra habitus in potẽtiam, vel potentia in substantiam animæ.

Sic imaginari possumus, potentiam Dei esse instar habitus cuiusdam, non quidem inhærentis, sed subsistentis intime omnibus rebus creatis præsentis, ordinati ad omnem operationem, & de facto cum omnibus operari: Sic etiam virtus Solis præparata est ad omnes res iuuandas, sublunares, in suis operationibus, cum singulis concurrendo, secundum ipsarum capacitatem, exigentiam, &c.

Vbi nota, Deum ob iustissimas causas aliquando in hac infallibili lege, & pacto dispensare, scilicet denegando, vel subtrahendo concursum, idque vel in punitionem, & pœnam improborum, vel tutelam proborum, exempla passim obuia sunt in sacris literis, & historiis sanctorum, sic tres pueri in camino ignis, non fuerunt absumpti ab igne, S. Iohannes Euangelista non sensit acrimoniam olei feruentis, S. Cæcilia non percepit calorem balnei, S. Lucia cum raperetur ab impuris hominibus, non ponit moueri loco. Sic frequenter brachia tortorum obriguerunt, &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

In quo declaratur concursum Dei cum causis secundis, ex se esse indeterminatum.

DIsputari hic solet, vtrum in productione alicuius effectus causa secunda determinet primam, secundum speciem actionis & effectum, an vero prima determinet secundam, siue quod idem est, vtrum concursus Dei externus & actualis ex se sit indifferens indeterminatus, ad certam speciem actus, ac determinetur à concursu secundæ causæ: quæ quæstio non supponit concursum esse distinctum à concursu causæ secundæ. Hoc enim præcedenti articulo refutauimus, neque etiam supponit in effectu esse aliquid à parte rei indeterminatum, verbi gratia, ens, substantia, qualitas, &c. Et aliquid determinatum, verbi gratia, homo, amor, odium, &c. Quia quicquid est à parte rei intrinsece est singulare, adeoque determinatæ speciei, sensus igitur quæstionis est, an vna & eadem actio pendens in simplicem etiam effectum, prout respicit causam primam, à qua dependet, habeat, quod sit actio talis speciei, an vero hoc habeat præcise, prout pendet à causa secunda, ita vt prima ratio currit, & nunc voluntas verbi gratia humana producat amorem, non sit concursus, vel influxus in amorem, prout est à Deo, sed prout est à voluntate.

Respon. Concursus Dei est ex se indeterminatus, & indifferens secundum speciem actionis, determinatur autem à causa secunda, vt ratio, cur concursus Dei terminetur ad effectum, talis rei ratio sit concursus causæ secundæ.

Pro quo nota, verisimile esse Deum ab æterno non decreuisse sigillatim ad singulos actus creaturarum concurrere, sed vnico tantum generali actu voluisse cooperari omnibus causis secundis, tanquam causam vniuersalem, cuius decreti virtute potentiam suam executiuam omnibus causis secundis præparauit, & in actu proximo ad agendum applicuit, ac quasi ipsis assistentem in ipsarum potestate posuit, ita vt sine nouo decreto, tanquam concausa ex parte sui præparata in tempore exeat in actum concurrendi licet ad prouidentiam ipsius pertineat, antequam in particulari concurrat, perspicere, an expediat, præbere concursum, aut suspendere.

Probatur primò, Quia causa secunda est partialis, causa prima vniuersalis, atqui causæ partialis generalem concursum causę vniuersalis determinare.

Probatur secundo: Effectus semper producitur secundum exigentiam causæ secundæ, vt patet, non causa vniuoca producit effectū, prout variantur concausæ, conditiones, ex parte materiæ, ergo quod his & nunc producatur effectus huius, vel illius speciei, oritur à determinatione causæ secundæ.

Probatur tertio: Quia hoc est commune omnibus causis, sibi mutuo subordinatis in productione effectus, vt illa, quæ est vniuersalis, determinetur à minus vniuersali, seu partiali, sic concursus solis cum plantis & seminibus, quatenus à sole est, est generalis, & indifferens ad cuiusuis plantæ productionē, est autem determinatus, & talis speciei, quatenus est à semine. secundo concursus potentiæ illectiuæ ad illectionem est indifferens, indeterminatus, quatenus est ab intellectu, determinatur autem ad illectionem ve gr equi, hominis, &c. à specie intelligibili. Tertio, concursus potentiæ motiuæ inanimali, indifferens est ad varios motus, determinatur autem ad huius, vel illius motum, per artem, vel ad claudicationem, per neruum male affectum. Quarto, licet in diuerso genere causæ influxus materiæ in cōseruationem & productionem formæ materialis, v.g auri, argenti, lapidis, ignis, &c. cui in genere causæ materialis tribuit esse de se, est indeterminatus ad omnē effectum, determinatio vero fit à causa efficiente, dispositionibus, &c. ita concursus Dei de se, secundum speciem est indeterminatus, determinatur autem in operatione, & effectu, à causa secunda Idem explicari potest, in artificiatis, rota figuli in orbem agitata est indifferens ad productionem, siue confectionem cuiusuis speciei vasis, determinatur autem à manu figuli, & furnus est indifferens ad coctionem panis triticei, magni vel parui, &c. determinatur autem à pistore

Simili modo Philosophandum est de concursu Dei, sed cum proportione.

Obiic. primo, Causa prima est perfectior, & nobilior, quam causa secunda, ergo ipsa determinat potius concursum causæ secundæ.

Resp. neg. conseq. quia quod causa prima, quoad concursum actualem, determinatur à causa secunda, id non prouenit ex insufficientia, aut necessitate naturæ, quasi non poss producere effectum determinatæ speciei, hc enim inuoluit imperfectionem, sed tantu sequitur ex pacto naturali consentaneo natu ris rerum, quibus Deus voluit se accommo dare & cooperandi secundum ipsarum ex gentiam.

Obiic. secundo: Concursus Dei non tan tum attingit in effectu gradum genericum & indeterminatum, sed etiam specificum, determinatum, quia est causa totius entitat productæ, ergo concursus illius etiam est d terminatus & certæ speciei.

Resp. Antecedens verum esse, quia grad genericus & specificus in effectu sunt indisti cti, ex natura rei, adeo vt impossibile sit atti gere vnum sine alio: sed distinguo consequē Concursus Dei identice, id est, id quod concursus Dei, est determinatæ speciei, qu idem est cum concursu causæ secundæ, se concursus Dei formaliter, id est, concursus i le, vt respicit Deum præcise, non est determ natæ speciei. Explicatur in simili, concurs solis attingit productionem, v.gr. pomi, int lectus attingit in fluxu suo intellectionem I tri, potentia motiua claudicationem, sed ta tum identice, quia scil. idem concursus est minis speciei intelligibilis Petri, & nerui m affecti, à quibus habent determinatam sp ciem, vnde Deus est causa omnium, omniu graduum, sed modo ex parte sui indetermi to, & vniuersali, cui rei lucem afferre potest genere causæ formali, gradus entis intime i clusus in omnibus gradibus inferioribus, determinatis, v g. auro, argento, &c & tam non est causa formalis, cur res sit aurum & a gentum. Similiter materia in genere cau materialis influxu suo attingit formam, cundum totam suam entitatem realem, summo gradu ad infimum, ex se tantùm est i differens ad quamuis formam corporea Quod magis mirum videri potest, in effec causarum partialium non subordinatarū quæ operantur cum mutua dependentia. T tus enim effectus dependet ab vtraque, cu tamen neutra seorsim habeat sufficient vim, respectu illius, vt in duobus trahentib nauem, vel leuantibus aliquod pondus. Vn dici solet talis effectus produci à singulis p tialiter, non tamen partialitate effectui, q sc

il. totum effectum attingunt, sed partialitate causæ, quia neutra seorsim habet vim proportionatam effectui, neque in effectu discerni potest id, quod à singulis causis produci tur, sed tantum per terminum extrinsecum, id est, potentiam cuiusque causæ, à qua effectus pendet in illo, distingui potest dependentia, processio à singulis ipsarum, vt in vnam actionem vnus influit intense, alter remisse. Quare duæ causæ hoc modo concurrentes, se mutuo ad talem effectum ita determinant, vt effectus non habeat à singulis, quod ab omnibus simul, quo fit vt singulæ solæ non producerent totum effectum in illa specie, ia productus est à pluribus; ac proinde licet physice omnibus simul totus, & totaliter, singulis tamen ita ascribi non potest, multo igitur magis Deus concurrens cum causa secunda, influxu generali attingit totam entitatē effectus, maxime cum Deus & causa secunda habeant rationem causæ totalis, & non partialis tantum. Ratio vero omnium est, quia causis subordinatis, quæ agunt cum mutua dependentia, altera est alteri vicissim conditio quædam concomitans ad agendum, nō antecedens, vel subsequens, in eo enim consistit ratio subordinationis, & mutuæ dependentiæ. vnde effectus totus dependet ab vtraque, ita tamen, vt non habeat omnia intrinsece, ex dependentia præcise alterutrius, quoad formalem & radicalem causalitatem, quasi ratio cur talis potius sit, quam alius, sit dependentia, & egressus à tali causa.

Obiicit. tertio. Concursus Dei & creaturæ, sit vna eademque numero actio, ex dictis præcedenti artic. ergo concursus Dei non est indeterminatus, & actio creaturæ determinata. Consequentia patet, quia alioqui idem esset determinatum, & indeterminatum, quod implicat.

Resp. admisso antecedente de concursu & actione Dei externa, quæ est propria via ad effectum, ac terminum actionis creaturæ, nego consequentiam. Ad probationem dico, implicare idem esse absolute determinatum, & indeterminatum, non vero respectiue secundum varias habitudines. Ita enim hic concursus Dei identice est indeterminatus, præcise ratione ordinis, & dependentiæ, quā dicit à Deo. Ad hoc enim non requiritur, vt in effectu sit aliquid indeterminatum, quod habeat rationem termini concursus diuini, nec etiam requiritur, vt totus effectus aliquo instanti temporis, aut naturæ fuerit indeterminatus, sed sufficit, vt id quod absolute est, & in omni instanti fuit determinatum, non sit tale præcise, vt respicit vnam causam, à qua dependet.

Dices illa determinatio est actio, ergo etiam fit à causa prima.

Resp. Determinationem illam esse actionem, sed indistinctam ab influxu causæ creatæ, & primæ, est enim actualis influxus in effectum, qui vt dicit ordinem ad causam secundam, & partialem, cuius est determinare causam primam & vniuersalem, dicitur determinatio, prout dicit ordinem ad causam primam cooperantem, dicitur concursus. Vnde determinatio fit, & dependet à causa prima cooperante, siue concomitanter se habente, quia sine illa causa secunda operari non potest. Quoad primam vero, & propriam radicem, siue quoad efficientiam attributionis, dependet à causa secunda. Sic enim tribuitur voluntati amor, quia formaliter determinat, & flectit concursum ad speciem potius amoris, quam odii, & amor, vt prouenit à Deo, nō est potius amor, quam odium, quia à Deo emanat per influxum generalem, in quo conueniunt omnes effectus Deo concurrente producti, ita vt sicuti ipsi concursus est quodammodo idem, secundum speciem, ita omnes res, sub eadem ratione, sunt effectus Dei concurrentis, sicuti omnes effectus materiæ, sc. formæ corporeæ, sub eadem ratione sunt ipsius effectus.

Dices, quomodo influxus causæ secundæ potest esse concursus Dei, cum concursus Dei illi videatur extrinsecus, nam concurrere dicit aliquid extrinsecum.

Resp. influxū causæ secundæ dici concursum, ex ordine & respectu ad concursum Dei, in actu primo, siue ad applicationem potentiæ diuinæ quæ est actus ad intra, & nō comparatur ad terminum, seu effectum ad extra productum, vt via, sed vt principium agendi, sed vt applicans vim agendi, & hic concursus est extrinsecus creaturæ, cui cooperatur. Neque hac in re potest esse difficultas, nisi ratione imaginationis, quæ vere apprehendit in influxu, & effectu distinctas entitates, pro distinctione causarum concurrentium, quod

vlterius oritur ex eo, quod influxu causæ efficientis apprehendi solet, per modum egressionis alicuius entitatis, ex ipsa causa, & quidem per motum localem, quæ imaginatio est corrigenda.

Obiic. quarto, Deus subtrahendo suum concursum, potest impedire agens à certa specie actionis, simul concurrendo & coefficiendo effectus alterius speciei, ergo concursus illius est determinatus secundum speciem. Antecedens patet, quia sic oculi discipulorum Christi Domini ad tempus fuerunt impediti, ne Christum agnoscerent, quo tamen tempore videbant alia obiecta Sic Deus absolute potest impedire, ne eliciam actus odii, & cooperari, interim ad actus amoris. Consequentia probatur, quia si concursus Dei, ex parte ipsius, non esset determinatus ad speciem actus, per illius subtractionem, non posset agens magis impediri ab vna actione, quam ab alia.

Respond. negando consequentiam, quia hoc fieri potest per subtractionem concursus generalis, quatenus necessarius est ad talem actionem, habet enim suam latitudinem, & extensionem, vnde concursus, qui sufficit ad amorem, non sufficit simul ad odium, sed requiritur alius numero, quo deficiente, voluntas est impotens ad eliciendum odium.

Obiic. quinto. Si Deus applicaret virtutem & potentiam suam, eodem omnino modo, sine causa secunda, sicuti concurrente causa secunda, prodiret effectus determinatæ speciei, ergo ille concursus tendit ex se in effectum determinatum.

Respon. Antecedens implicare, quia Deus concurrens applicat virtutem, vt exeat in actum, dependenter à causa secunda, tanquam à causa concomitante, & causa cooperante, quia illi se accommodat, vnde influxus ille non est sufficiens, vt se solo attingat effectum, maior enim est actio, & actiuitas Dei, quando solus agit, quam quando causa vniuersalis concurrit, vel conseruat. Temere igitur Deus applicaret virtutem operatiuam tali modo, & declaratur magis, dubium non est, maiorem esse actiuitatem, & applicationem virtutis diuinæ, in creatione angeli, quam verbi gratia animæ, vel rei alicuius imperfectioris, dicat aliquis, si Deus præbeat dimidiatum influxum, vel actiuitatem, requ[...] tam ad productionem angeli, quid p[...] ducet?

Resp. nihil producendum, sic in præsen[...]

Obiic. sexto, Deus ad omnes actus, & o[...] rationes concurrit, determinata idea, sec[...] dum gradum specificum, & indiuiduum, ei[...] concursus est determinatus.

Respon. negando antecedens, & pate[...] operibus malis & monstris, vnde non conc[...] rit, nec conseruat omnia per ideam, quia i[...] non determinat, aut prædefinit omnes e[...] ctus, sed quasi agens naturale, per modum [...] turæ in generali influxu operatur, secus [...] quando ipse solus operatur.

Obiic. septimo, Deus specialiter deter[...] nat effectum, secundum gradum ind[...] duum, seu singularitatem, nam causa est [...] differens, ad quoduis indiuiduum illius [...] ciei, cuius actus vult producere, ergo eti[...] concurrit determinate secundum speci[...]. Consequentia probatur, quia determin[...] secundum singularitatem, includit dete[...] nationem secundum speciem.

Respond. ad antecedens, licet quidam [...] losophi ita doceant, non tamen esse [...] rum, vt patet in opere malo, nullo e[...] modo Deus definit, aut determinat pe[...] tum, secundum gradum indiuiduum. D[...] de retorquendo argumentum, non dete[...] nat secundum speciem, ergo nec secun[...] singularitatem, qua includit speciem, ne[...] ea differt, nisi ratione. Ratio est, quia De[...] concursus Dei, potius se accommodat c[...] secundis, quam vt illas vllo modo dete[...] net, & licet causa secunda secundum se, [...] differens ad hoc, vel illud indiuiduum a[...] quam secundum speciem vult producere [...] modum tamen naturæ determinatur ad [...] indiuiduum, non à Deo, sed ab omnibus [...] sis & circumstantiis concurrentibus.

Obiic 8. Deus distincte, & determi[...] vult concurrere, ergo concursus est dete[...] natus.

Respon. distinguendo antecedens, D[...] velle distincte, voluntate distincta, ex [...] te sui termini, vel obiecti proximi, ve[...] mediati, quia distincte vult concurrere [...] cursu generali, non autem distincta ve[...] tate ex parte effectus, vel obiecti totalis [...] vltimati.

Obiic. nono, Deus est causa operis boni, go saltem respectu illius determinate con- rrit, consequentia probatur, quia esse na- ram denotat, vel causam totalem, vel certe terminatam.

Respond negando consequentiam, quia oad concursum generalem præcise eadem do est causa operis boni, & mali, sed a- n ob causam dicitur causa operis boni, a scilicet ad istum finem dedit causæ se- ndæ virtutes operandi. Deinde, quia ad bo- opera sæpe excitat sua gratia, consiliis, eaque intendit.

Obi c. vltimo. Scriptura videtur insinua- es saltem naturales, etiam secundum spe- m prodire à Deo, hinc 1. *ad Corinth.* 15. *tur*; Deus autem dat illi, (scilicet semi-) corpus, sicut vult, & vnicuique semi- n proprium corpus, & *Matth.* 6. Fœnum i sic vestit Deus, vbi aperte indicatur, um tribuere rationem specialis entis.

Respond. Deum hæc omnia operari con- nitanter, & simul cum causa secunda, cui m contulit virtutem peculiarem, qua currit determinate, quo sensu D. Thom. *quæst.* 105. *art* 1. *ad* 3. Causas secundas ha- e à Deo. quod determinentur ad determi- os effectus, quia scilicet habent à Deo operandi.

Ex hac doctrina patet responsio ad 5. ar- mentum, *quæst.* 10 *supra*, scilicet Deum, t concurrat ad opus malum, & pecca- , non tamen esse vel dici posse causam, authorem peccati. Non enim est cau- Physica, quia concursus Dei & generalis x se indifferens, non magis tendens in o- malum, quam bonum, effectus autem n potest tribui causæ Physicæ, nisi quate- n ex parte sua influat in illum, siue quate- n pendet ab illa, secundum rationem po- tiæ, qua procedit ab illa. Sic claudicatio n tribuitur potentiæ motiuæ, sed neruo le affecto, nec generatio monstri cœlo, causæ partiali. Similiter actus vitiosus untati creatæ, quæ formaliter inflectit cursum Dei ad actum peccati, & influ- generali Dei, per accidens est & præ- Dei intentionem, quod ea potentia cau- secundæ, seu quatenus ab ea procedit, ha- esse speciei vitiosæ. Vnde licet actus pec- cati, secundum omnem gradum suum, de- pendeat à Deo specificatiue, non tamen, si accipiatur reduplicatiue, verbi gratia, qua- tenus odium Dei, inuidia &c. Sic enim de- signat causam determinantem, quæ est vo- luntas, esse enim causam, authorem, produ- cere, &c est causæ totalis, vel saltem deter- minantis. Non est etiam causa moralis pec- cati, quia licet concurrat, & cooperetur ad actum peccati, non tamen censetur mora- liter, seu interpretatiue velle, aut intende- re peccatum, etiamsi sciat concursum suum hic & nunc tendere in peccatum, vitio cau- sæ secundæ, quia scilicet iustas habet cau- sas concurrendi, vt communis prouidentiæ cursum suum habeat, ne turbetur ordo vni- uersi, vt relinquatur homini vsus libertatis, &c. vnde malitia voluntatis creatæ, non po- test tribui Deo. Sic vniuersaliter malitia al- terius non imputatur causæ concurrenti, iu- stas nisi habeat & sufficientes causas con- currendi ad opus cui malitia est annexa, ex parte alterius. Ita qui iusta de causa, & ex necessitate petit mutuum ab vsurario, non est causa moralis vsuræ ipsius, & mu- lier quæ decenter ornata die festo vadit ad templum, non est causa moralis scan- dali alterius, etsi peccatum præuideat futu- rum, & qui iusta de causa vtitur opera ali- cuius, in contractibus, vel sacerdotis in per- ceptione Sacramentorum, etsi sciat illos suo vitio peccare, male contrahendo, vel indi- gne administrando, non censetur causa mo- ralis illius peccati, & hæc ita se habere in Deo, inde patet, quia alioquin ipse etiam es- set causa moralis mortis, aliarumque pœna- rum temporalium, & æternarum, quia conse- quuntur peccata, quod tamen est alienum à diuina bonitate.

Hinc intelligitur veritas illa fidei, de- finita in Concilio Tridentino, Deum scilicet per se, & proprie non operari opera mala, sed tantum permissiue, quia influxus gene- ralis Dei habet se permissiue, respectu ope- rum malorum, etiam secundum Physicam entitatem, secundum quam ab hæretico di- citur ea operari, quod alioqui difficile est explicatu, si enim Deus illa produceret determinato, & specifico influxu, pro- prio illorum operum, proprie & per se

opera

opera illa operaretur, quia homo non aliter ea operatur, imo sicuti causa prima magis ac perfectius influit in effectum, quam secunda, Deus magis operaretur opus malum, quam homo.

ARTICVLVS SEXTVS.

Respondetur ad authoritates, quibus probari solet concursum Dei se habere per modum prædeterminationis.

OBiiciunt aduersarii, loca quædam scripturæ quæ putant insinuare concursum prædeterminantem, vt cum dicitur omnia in nobis operatus es Domine *Isaiæ 6.* & *Genes.* 43. Deus autem meus faciat illum placabilem. *Esther* 15. Conuertitque Deus Spiritum regis in mansuetudinem. *Iob.* 12. Qui immutat cor principum. *Prou.* 25. Cor regis in manu Domini, & quocunque voluerit, inclinabit illud: *Ieremiæ* 10. Non est in homine via eius, sed à Domino diriguntur gressus eius.

Respond. Illis locis non explicari, quid sit necessarium causæ secundæ, ex vi subordinationis & dependentiæ à causa prima, nec de generali concursu causæ primæ, sed tantum, quid Deus possit, & subindere facere solet, ex speciali prouidentia, mouendo & inclinando hominum, voluntates per illustratiores affectiones immissas, ad actus bonos, nam si de generali concursu hic esset sermo, Deus etiam immutaret corda principum, quando conuertuntur ad hæresin, ad Idololatriam, & diceretur dirigere gressus prauorum, &c. Ita communiter explicant Theologi, & SS. Patres, nominatim D. Chrysostomus *hom.* 1. *de Helia.* exponens illud, quod *libro* 3. *Reg. cap.* 17. Dixit Deus Eliæ, præcepi mulieri viduæ, vt pascat te nomine præcepti intelligit inclinationem, quam indidit viduæ Sareptanæ, vt Eliam hospitio exceptum cibo reficeret: Imo & scriptura sæpe promissionem Dei explicat, vt operationem eius, & actionem. Sic dicit Deum excæcare oculos, (scilicet mentis) indurare corda, &c. & quidem per modum imperii, vt vos implete mensuram Patrum vestrorum, soluite templum hoc. Quod facis fac cito, &c.

Secundo obiiciunt quosdam modos loquendi, D. Thom. quibus videtur insinu[are] prædeterminationes, vt 1. *p. quæst.* 105. *a.* 1 *tertium* & *a. quartum* & *quintum* vbi d[icit] causas secundas habere à Deo, quod ad de[ter]minatos effectus determinentur. Secu[ndo] causam primam mouere secundam ad o[pe]randum. Tertio causam primam applic[are] secundam ad opus. Quarto causas secun[das] non agere, nisi in virtute primæ vt inst[ru]menta eius & expressius *quæst.* 3. *de potentia* 7. *ad septimum.* vbi dicit id, quod additur c[au]sæ secundæ, ex vi influxus primæ, esse vi[r]tem quandam intentionalem, quæ est virt[us] veluti instrumentalis, quæ illam comple[t ad] agendum. Alia multa à Iunioribus Thomi[stis] ex D. Th. citantur. Sed hæc sunt præcipua quia specialiter curæ est authoritas D. Th. ad singula respondebimus.

Ad primum locum respond. Ibi non d[icit] determinare causas secundas, ad omnes o[pe]rationes, sed tantum causas secundas hab[ere] à Deo quod determinantur, quia scil. hab[ent] vim creatam specialem, quæ determinato [in]fluxu concurrunt ad effectus.

Ad secundum respon. causam primam m[o]uere secundam, motione per inclinatio[nes] naturales, agentibus creatis inditas ad e[x]tendas suas operationes, quo modo quid[am] Philosophi & in his D. Thom. docent, gr[auia] moueri à generante quia acceperunt à [ge]nerante virtutem, & propriam inclinationem, [qua] quam sursum vel deorsum mouentur, [non] quod actu ad ipsum motum recipiant à generante aliquem impulsum, quia potest [ge]nerans non existere. Eodem sensu doce[t D.] Thom. *prima, secundæ, quæst.* 9. *ar.* 4. Volu[nta]tem in primis suis motibus, qui scilic. in q[uo]uis negotio sunt primi, & non oriuntur e[x] prioris voluntatis, vt est amor, cuius vis fi[nis], appetitus sanitatis, honoris beatitudinis, docet inquam non mouere seipsam ad exe[rci]tium actus, sed moueri ab exteriori princi[pio] scilicet Deo. Ex qua doctrina male intell[ecta] perperam inferunt quidam Thomistæ [vo]luntatē habere Physice, nec moraliter, se[mo]uere ad primos suos actus, sed à Deo solo [in]fundi, quæ est aperta hallucinatio, consta[t e]nim illos actus esse vitales, & spontan[eos,] adeo

deoque effectiue procedere à voluntate, vt primo intrinseco. Quantum igitur hic D. Thom. voluntatem non moueri à se ipsa ad primos actus, quia existimauit, non proprie aliquid à seipso effectiue moueri, nisi quando motum exercet, mediante aliqua virtute à se distincta, ne scilicet cogeretur admittere, idem esse actu & potentia agens & patiens, respectu eiusdem. Quare maluit dicere, voluntatem moueri ab extrinseco, scilicet eo, qui dedit inclinationem in bonum, sicuti elementa mouentur à generante, quod contulit essentiam, & qualitates motiuas consequenter. Fatetur autem voluntatem moueri à se ipsa, ad motus, seu actiones secundas, id est, ad electionem mediorum, quia producit illa mediante alia virtute, scilicet ex vi intentionis, in ipsa existentis. Vnde quæstio hic est, de modo loquendi, & non de re, & licet hic modus loquendi quibusdam placeat, non tamen videtur necesse, vt vis mouendi sit distincta ab eo, quod mouet, & mouetur (vt *infra* suo loco) sed posset aliquid seipsum mouere, per vim simul naturalem, magis tamen apparet, quomodo res seipsa moueat, quando est distinctio inter mouens & virtutem mouendi, neque inde sequitur, idem esse actu & potentia, respectu eiusdem, sed diuersorum, quia est in actu respectu virtutis effectiue, & in potentia, respectu effectus, seu formæ efficiendæ. Ex quibus patet, voluntatem & causam secundam in genere dici à D.Thom moueri à Deo, quia naturam ad tales operationes instituit. Quod D.Thom. *prima secundæ quæst.9.art.6.* vocat mouere, vt author est voluntatis: sic nimirum solet dici causa actus, qui dat inclinationem ad actum, & qui imprimit sagittæ impetum, est causa motus, & dicitur vapores trahere sursum, quia imprimit leuitatem, qua sursum trahuntur, quod intelligo de actibus illis, propter quos datur inclinatio, vt respectu Dei excludantur mali actus, qui non proueniunt ex inclinatione voluntatis, prout subest intentioni Dei, sed vt ab ea declinat, sicut cum quis vtitur gladio, non ad sui defensionem, ad quam fit ab artifice, sed ad latrocinium, artifex non censetur causa latrocinii. Secundo dicitur causa prima mouere secundas, concomitanter dum scilicet concurrit cum secundis, ad suas operationes, qui concursus dici potest motio causæ secundæ, scilicet concomitans, quia eo ipso, quod concipitur, in actu causa secunda agit, & mouet seipsam agendo, & sic dicitur mouere causam per cooperationem, sic aliquo modo vnus è duobus trahentibus nauem, dici potest mouere alterum, quia per actionem & concursum illius fit, vt alter moueatur, & hunc sensum videntur habere aliæ quædam locutiones D. Thom. vt *1.p.q.105.a.4.* vbi dicit, Deum intime inclinare voluntatem, efficiendo in ea ipsum velle, quia scilicet velle est inclinari, & Deus concurrens ad velle, inclinat. Tertio subinde *D.*Thom. agit de motione *D*ei morali, scilicet per gratiam promouentem, vt in actibus supernaturalibus, & in tota materia de gratia, vt videre est 1.2.*quæst.*109. *art.6. ad tertium.*

Ad tertium locum respon. applicationem illam, qua causa prima dicitur applicare secundas ad opus, non esse applicationem præuiam, seu Physicam, seu prædeterminationem, sed ipsum concursum immediatum, qui dicitur applicatio formalis, & respectu *D*ei dici potest applicatio concomitans. Et hæc est omnino intrinseca actioni, vel potius est ipsamet actio, vt inchoata, quo sensu dicitur quis applicari ad opus, dum operatur & voluntas applicare ad amorem, dum amat. vocatur autem operatio applicatio, quia dum agens operari incipit, coniungitur quodammodo actioni suæ, vel materiæ circa quam operatur, & quia hæc applicatio, sicuti & ipsa actio fit à causa secunda dependenter à prima dicitur causa secunda applicare ad agendum, dum à causa prima non sola, sed concurrente cum ipsa, se applicante. nomine igitur applicationis significatur actio, vt primo egrediens ab agente, quo modo etiam dependet à *D*eo, quæ *D.*Thom. explicatio probatur, ex eodem loco *art.5.* Vbi *D.*Thom. assignat quatuor modos, quibus causa prima operatur effectus secundarum. Primus est, dando illis virtutes actiuas, vt paulo ante diximus. Secundus conseruando eas in esse. Tertius, quasi applicando formas, & virtutes rerum ad operationes. Quartus, per modum finis, vnde in solutione ad tertium concludit, dicendum, quod *D*eus non solum dat formas rerum, sed etiam conseruat

has in esse, & applicat ea ad esse, & est finis omnium actionum. Hic nulla est mentio influxus immediati in ipsum effectum. Vel ergo Diu. Thom. per tertium illum modum, scilicet quasi applicatione intellexit concursum, & influxum immediatum, quo maxime proprie Deus operatur effectus causarum secundarum, vel dicendum ipsum sentire cum Durando, & non agnoscere influxum immediatum, quod absit & confirmatur, quia in solutione ad secundum, ex dictis suis colligit vnam & eandem actionem esse à primo, & secundo agente, quod in rigore non esset verum, si primum agens non influeret immediate in effectum secundi agentis. Probatur secundo, hæc explicatio, quia *prima secundæ quæst.* 109. *a.* 1. 2. & 3. Sæpe dicit, in agente creato, duo requiri, ad agendum, propriam scilicet virtutem agendi, & motionem primi agentis, scilicet Dei, si per motionem primi agentis, intelligit applicationem præuiam, qua Deus indat aliquid de nouo creaturæ, iam falsa est ipsius doctrina, quia sic non tantum duo sunt necessaria, sed tria, requiritur enim insuper concursus immediatus ad effectum, ne dicamus Diu. Thom. esse in errore Durandi ergo per motionem primo agentis, & quasi applicationem intelligit Diu. Thom. concursum immediatum, & cooperationem, & sic illum explicat Caietanus. Cur autem concursum vocet motionem, & quasi applicationem iam diximus. Deinde etiam, quia concursus generalis datur ex vi illius prouidentiæ, qua causa prima gubernat secundas, & ad fines suos producit, quod est genus quoddam motionis, & applicationis.

Ad quartum respondeo, Illud exemplum sensibile de instrumentis afferri, ad explicandam subordinationem, & dependentiam rerum creatarum à Deo. Alioqui in rei veritate non sunt instrumenta Dei, sed causæ principales, quia agunt propria & proportionata virtute, & reddunt effectum sibi similem, quamuis subinde per comparationem quandam vocentur instrumenta Dei, Primo, quia sicuti instrumenta accipiunt virtutem à principali agente, ita & naturæ creatæ habent vim actiuam à Deo, & sicuti actio instrumenti solet esse actio principalis agentis; Ita actio causæ secundæ est etiam actio Dei, & sicuti instrumenta nituntur in sua actio[ne] in principali agente, ita omnia creata nitur[tur] in virtute diuina, & dicuntur agere in vi[r]tute Dei, quia sunt participationes diui[ni] esse. Secundo sicuti principale agens sol[et] subinde influere in ipsum instrumentum maxime si sit coniunctum: Ita Deus influ[it] in causas secundas, non præueniendo pr[o]prie, sed conseruando. distinguuntur ergo [ab] instrumentis artis, quod non indigeant co[m]plemento actuali per præmotionem, sic[ut] instrumenta, quia necessitas præmotio[nis] in instrumentis oritur ex eo, quod tota ill[o]rum actio fiat, vel deferendo aliquod corp[us] per varia loca, vt in scriptura & pictura, quibus calamus & penicillus circumfert [a]tramentum, vel colores, siue inferendo [ali]quod corpus, è suo loco, quod fit in sectio[ne] seu diuisione per securim, serram, &c. Cau[sæ] autem secundæ habent intrinsecam vim, [re]spectu sui effectus.

Ad quintum respondeo, primo Diu[um] Thom. *in illo loco* agnoscere prædetermi[na]tionem, sed doctrinam illam tacite retrac[tas]se in summa Theologica, & opere con[tra] Gentes, quæ putantur velut esse testam[en]tum Diu Thom. Quod probatur, nam *pr[ima] parte quæstion.* 105. *a* 5. Vbi ex professo agit [de] modis, quibus causa prima operatur effe[ctus] secundarum. & *tertio contra Gentes cap...* omittit modum hunc, per communica[tio]nem, & immissionem nouæ virtutis, q[ua] aliquando attulerat *quæstion.* 3. *de potentia.* [quæ] omissio merito habetur pro retractati[one]. Cum enim talis modus operandi effe[ctus] creaturarum, inter omnes sit præcip[uus], non poterat eo loco à Diuo Thom. om[itti], nisi quia existimabat, tunc non esse ver[um]. Ita Suarez *libro primo, de concursu capite* [...] *numero septimo*, & alii. Quod si cui hæ[c re]sponsio nimium videatur fauere adu[ersæ] parti:

Respondeti potest, secundo, Diu. Th[om. in] verbis ibi allatis describere concursum [ge]neralem, qui pro varia habitudine tur[n ad] causam, tum ad effectum varia sortitu[r no]mina.

Pro quo nota, voces (quandam) & (vol...) esse particulas diminuentes, ac indicare [non] proprie ita se non habere, Influxum igit[ur] concu[...]

concursum generalem vocat additamentum virtutis cuiusdam, scilicet non inhærentis, sed concomitanter se habentis, & veluti assistentis, quia operatio Dei habet se per modum virtutis superadditæ, quare dicitur complere causam secundam ad agendum, ob quam etiam causam Diu. Thom. 1.7. *quæstion.* 09. passim vocat, concursum *Dei*, auxilium Dei mouentis, quia scilicet sine illo non est potens creatura operari. Dicitur autem virtus potentialis, quia occulta est, & extrinseca, causis secundis competens ratione subordinationis ad causam primam, ob similem etiam rationem actus, quo voluntas applicat potentias ad agendum dicitur applicatio intentionalis, quia non fit per communicationem alicuius intrinseci, ipsis potentiis, quas voluntas applicat, sed ex vi subordinationis illarum, ad voluntatem, dicitur virtus, veluti, el est, quasi instrumentalis, tum quia ex se est generalis, & flectitur ad determinatam speciem, per causam secundam, tum quia semper expositus est concursus hic causæ secundæ, & semper patens, sicut & quando causa secunda volet operari, in quo imitatur aliquo modo modum operandi instrumentorum, & hunc esse sensum Diu. Thom. probatur ex discursu ipsius. Ostendit enim causam secundam non posse propria virtute conferre effectui existentiam, & ideo à sola causa prima fieri posse, si autem virtus illa, quam hic vocat instrumentalem, est aliquid creatum, receptum in causa prima, cum & illud ipsum sit causa secunda, non poterit esse etiam causa existentiæ, ergo per virtutem illam necessario intelligit concursum Dei, immediate influentem in effectum causæ secundæ, & concomitanter complentem causam ad agendum.

Ex his verisimile est, Diu. Thom. à nobis stare, dicat igitur sæpe tanquam causam primam mouere, & applicare causas secundas ad agendum, & similia, sed motionis & applicationis nomine non intelligit motionem, & applicationem præuiam, sed vel immediatum actualem, concursum ad effectus causarum secundarum, adeoque cooperationem formalem, vel intelligit motionem per inclinationes naturales, creatis agentibus inditas, ad exercendas suas operationes, vel in negocio salutis loquitur de motione præuia, quæ fit per gratiam excitantem, suadendo, alliciendo, &c.

Obiic. tertio, verba Catechismi Tridentini in explicatione Symboli Apostolorum, ibi creatorem cœli & terræ, circa finem, vbi hæc habentur.

Non solum autem Deus vniuersa, quæ sunt, prouidentia sua tuetur, atque administrat, verum etiam, quæ mouentur & agunt aliquid intima virtute, ad motum & actionem ita impellit, vt quamuis secundarum causarum efficientiam non impediat, præueniat tamen, cum eius occultissima vis ad singula pertingat.

Respond. primo, Nos fateri iuniores discipulos Diu. Thom. ex familia D. Dominici esse in illa sententia, & ex illorum numero, forte fuisse Doctores illos Theologos, quibus Pius quintus Pontifex, qui & ipse erat ordinis D. Dominici, absoluta iam Tridentina Synodo, ad Pontificatum assumptus, anno scilicet 1565. compositionem huius Catechismi commisit, constat certe plurimum contulisse operæ Franciscum Forerium Theologum ordinis D. Dominici, quidquid sit, verba illa, vti nec totus Catechismus non habent vim & authoritatem definitiuam, sicuti ipsa concilii verba.

Respond. secundo, Non fieri ibi mentionem prædeterminationis, si autem dicas æquiualens poni, dum scilicet dicitur impellit, & præuenit. Respond. Si vis fiat in verbo, non tantum significare prædeterminationem ad actionem, sed etiam necessitatem operandi, (quam tamen negant aduersarii) Nam qui ad actum impellitur, necessario agit, quomodo igitur voluntas creata erit libera, quomodo verum erit, Deum tantum permissiue operari mala, vt definit concilium, quomodo hæc conuenient cum iis, quæ idem Catechismus docet, in explicatione orationis Dominicæ, ad verba Fiat voluntas tua, vbi dicit, Nos similes esse pueris, qui suo relicti arbitrio, temere inducuntur ad omnia. Certe non relinquimur arbitrio nostro, si impellimur, neque temere mouemur ad omnia, si à Deo prædeterminamur, & quidem per impulsum.

Vnde verisimile est, impulsum ibi significare concursum generalem, qui dici potest impulsus, eo sensu, quo à Diuo Thom. dicitur motio, & applicatio. Vnde etiam non dicit simpliciter impellit, sed leniendo (ita impellit), &c. vocat autem impulsum præuenientem, quia licet concomitanter se habeat, generalis tamen est, & habet prioritatem aliquam rationis, eo quod à causa vniuersali procedat: quare rationem addit, quod occultissima eius vis ad singula pertineat, quasi dicat, quia est causa vniuersalis. Vnde verba illa Catechismi vrgeri non possunt nisi cum Luthero, apud Rochensem velimus dicere, hominem multa solere proponere, coactum Dei prouidentia, & non sicut nos, sed sicut ille, (id est, Deus) vult, ita nos viuere, facere, &c. & his similia cum aliis hæreticis.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Respondetur ad rationes, quibus vtuntur assertores prædeterminationis.

ARgumenta sunt duplicis generis, quædam pertinent ad omnes causas indifferentes, alia specialiter ad causas liberas. A prioribus exordium sumemus.

Dicunt primo, Deus est Deus totius creaturæ, & omnium causarum, ergo vtitur illis, prout vult, ergo determinat illas ad opus.

Resp negando vltimam consequentiam, quia vsus dominii non consistit in hac prædeterminatione, sufficit, quod omnia subsint ipsius potestati, ita vt libero suo arbitrio possit illa impedire ab actione & effectu connaturali, ignem à combustione, aquam à fluxu, & assumere ad effectus nobiliores elementa, verbi gratia, ad productionem saltem moralem gratiæ transformare in res alias naturæ distinctissimæ, vt aquam in vinum, &c.

Dicunt secundo, Deus ante, vel citra præuisionem actuum futurorum illos prædefiniuit, id est, absolute decreuit, ergo in executione huius prædefinitionis vtitur prædeterminatione causæ secundæ. Consequentia probatur, quia alioqui posset concidere, & cassa reddi definitio, & creatura se subtrahere, aliud agendo, quam Deus prædefiniuisset, ve bi gratia, Deus ab æterno prædefiniuit, & a solute voluit, vt ego, hic & nunc hæc tali v cis contentione, apud vos eloquerer, si n iam ad hæc omnia non determinat, posse silere, alia effari submissius, &c. & sic non fi ret, quod Deus absolute voluit. Antecede probatur, quia sine huiusmodi prædefiniti ne non est perfecta Dei prouidentia.

Respon. primo, etiamsi hæc omnia esse vera, non tamen inferri, concursum prędet minantem esse causis secundis necessariu præcise ex vi dependentiæ essentialis à cau prima, in agendo, sed ex alio capite.

Resp. secundo, negando antecedens, qu inde sequeretur, primo primam rationei cur loquar, comedam, rideam, ambulem, & esse, quia Deus præordinauit, & prædefiniu vt hæc fierent. Secundo, sequeretur omn contingere ineluctabili fato, & necessitat Deinde non potest Deus prædefiniuisse pe cata, & actus malos, neque etiam opera b na, quæ supponunt peccata, verbi gratia, p nitentiam Petri, Magdalenæ, &c. vel illa i cludunt, verbi gratia, passionem Christi, m tyrium sanctorum, saltem ante præuisione absolutam, vel conditionatam futurorum uentuum. Vnde D. Damascenus *lib. 2. de f. c. 30.* in terminis dicit, Deus omnia præsc sed non omnia prædefinit: & Cyrillus *lib. in Iohrnem.* in illud, nemo ex illis perit, n &c. sic dicit: Non omnia, quæ Deus nou aut vult, aut imperat, & D. Prosper nihil amplissima hac totius creaturæ fit republic quod non de inuisibili illa summi Imperat ris aula, aut videatur, aut permittatur. Sed h sunt negotii Theologici, & non faciunt co tra illos, qui existimant omnia prædefini dependere à præuisione, siue post præuisi nem absolutam, vel conditionatam, & ab mnibus Theologis admittitur aliqua salte hoc modo à Deo prædefinita.

Vnde respond. negando consequentia quia omnia infallibiliter potest Deus exeq per præscientiam conditionaliū futurorur qua Deus ab æterno cognouit, quid vnaqu que res creata, posita quauis conditione, m dio & circumstantia, esset operatura, ex q prædefiniendo certas aliquas operationes p test seligere, illas conditiones, & circumsta tias in quibus pręsciuit ab æterno infinita s

vi inte

intelligendi causam secundam, si confer-ntur, & in illis constitueretur re ipsa tale ... id operaturam, & sic infallibiliter fit, quod ... us præordinauit, vt fieret, & fiet libere, ... ia infallibilitas illa tantum dicit necessita- ... connexionis effectus, cum præscientia ... i, quæ dici solet necessitas consequentiæ, ... autem cum sua causa, quæ dicitur neces- ... s consequentis, quare ad executionem ... definitionis, non est necessaria prædeter- ... natio.

... d probationem antecedentis obiter di- ... , perfectiorem esse prouidentiam, qua ... is se accommodat naturis rerum, sufficit ... Deus in omnibus consequatur finem, si ... particularem singulorum, vt patet in da- ... atis, saltem vniuersalem omnium, qui est ... nifestatio perfectionum diuinarum, & ad ... sufficit concursus omnibus præparatus.

... icunt tertio, causa secunda non mouet, ... mota à prima, secundum axioma com- ... ne & Aristotelem *Phys. 2. cap. 5.* Sed hæc ... io prærequisita non potest esse, nisi deter- ... atio, ergo.

... espon. ad minorem, axioma illud, quod ... maiori assumitur, non intelligi de motio- ... liqua præuia, & prærequisita, tendente in ... ctum causæ secundæ, sed vel de motione, ... ctione, à qua causa secunda accepit vir- ... m agendi, vel de influxu conseruatiuo, ... e motione præuia, quæ sit conditio præ- ... isita ad operationem, qualis, verbi gra- ... est motio localis, qua approximatur a- ... ad passum, motio mentalis repræsenta- ... obiecti precedens actum voluntatis, mo- ... imperatiua, quæ interuenit in operatio- ... is potentiarum, quæ subsunt imperio, vo- ... atis. Scopus Aristotelis *dicto v. 5.* est pro- ... definiri tantum ad vnum primum mo- ... , quod sit principium & auctor omnium, ... intelligi potest, de motione communi- ... a virtutis agendi: potest etiam axioma ... mode explicari de motione concomitan- ... eu cooperatione causæ primæ, sine qua ... potest moueri causa secunda.

... icunt quarto. Determinatio creaturæ, si- ... pplicatio ad opus, est aliquid distinctum ... o, & à supposito creat... eiusque virtute ... a, & quidem antecedens ipsam opera- ... ergo fit à Deo, idque priusquam creatu- ... eretur.

Respon. negando antecedens, pro vltima parte, quia applicatio formalis creaturæ ad opus, est ipsamet actio creaturæ, vt *supra* ostendimus. Vnde non est quid antecedens, verbi gratia, applicatio aliqua prædeterminans, quæ fiat à solo Deo, vt imaginantur aduersarii, dependet autem, & fit à Deo, concomitanter operante.

Dicunt quinto. Id à quo aliquid dependet, est prius eo quod dependet, sed operatio creaturæ dependet ab operatione, & influxu Dei, adeoque à Deo, non tamen, vt est & causa in actu primo, sed etiam vt operans est, & causa in actu secundo, ergo influxus Dei, vel Deus, vt operans, est prior natura causa secunda, vt operante, ergo concursus habet se per modum determinationis.

Respon. primo: Negando vniuersaliter maiorem, quia id, à quo aliud dependet, dependentia concomitantiæ, non est necessario prius altero, nec id quod dependet, posterius, vtrumque enim est vicissim dependens ab altero, vt patet in duobus trahentibus simul nauem, neutrius enim actio prior est actione alterius. Maior igitur vera est, de eo, à quo aliquid dependet, dependentia causalitatis directe Et hæc responsio satisfacit argumento; etiamsi actio Dei & creaturæ essent duæ actiones, quod tamen non est verum.

Vnde respondeo, negando minorem, quia operatio creaturæ est eadem, cum operatione Dei, ergo non dependet ab operatione Dei, cum idem non dependeat proprie à seipso, neque dependet à Deo operante in sensu composito, sic enim Deus includit operationem, sicuti non dependet à causa secunda, vt operante, quia sic idem iterum penderet à seipso, nam Deus & causa secunda operantes sunt causa & effectus simul, sed dependent à Deo, sicuti à causa secunda, in sensu diuiso, sic enim datur dependens, & id à quo. Quod si aliquando actio creaturæ dicatur dependere à concursu Dei, id verum est primo de concursu in actu primo, id est, de potentia Dei, præparata, ad cooperationem, secundo verum est de concursu in actu secundo, quatenus idem comparatur cum seipso, per respectum ad duas causas, à quibus procedit, & quæ operantur cum mutua dependentia, vti sunt Deus, & causa secunda Nam cum idem sit effectus vtriusque, vterque etiam est causa, vel

vel concauſa actionis, vel influxus alterius, & effectus, vt eſt actio cauſæ ſecundæ, pendet à Deo, vt à concauſa, vt vero eſt actio Dei, ſimili modo pendet à cauſa ſecunda, & à concauſa. Deinde aliquo vero ſenſu dici poteſt, influxum Dei in effectum eſſe priorem natura influxu cauſæ ſecundæ, intelligendo de influxu Dei, in genere, prout complectitur etiam influxum præuium, ſcilicet collationem, & conſeruationem virtutis actiuæ. Secundo. Ipſe concurſus intimus effectui cauſæ ſecundæ, prout egreditur, vel pendet à Deo, dici poteſt prior, prioritate naturæ, quæ vniuerſalitatis dicitur, ex ſe enim eſt generalis, & ad omnia creata ſe extendit. Deinde eſt nobilior, quia ex vi potentiæ à qua procedit, poteſt eſſe independens. Sed hæc prioritas non eſt realis, quæ dici ſolet cauſalitatis, & reperitur, verbi gratia, inter ſolem & lunam, lucem & calorem, &c.

Dicunt ſexto, ſi cauſa ſecunda nihil de nouo accipiat, à cauſa prima, quod ſit præuium ad actionem, non erit illi ſubordinata.

Reſpon. negando ſequelam, quia recte intelligitur ſubordinatio inter potentiam & habitum, vnam potentiam & alteram, licet potentia nihil communicet habitui, aut alteri potentiæ, & in præſenti ſubordinatio ſita eſt in intrinſeca natura cauſæ primæ, quæ talis eſt, vt neceſſario poſtulet cooperationem cauſæ primæ, & per conſequens independentiam.

Pro determinatione cauſæ primæ, ſpecialiter argumentantur, primo, cauſa libera eſt ex ſe indeterminata, ergo non determinat ſeipſam, ergo determinatur à Deo.

Reſpon. negando conſequentiam. Imo oppoſitum ſequitur ex antecedente, niſi enim determinaret ſeipſam, non differret à cauſa ex ſe determinata, & neceſſaria, vel vt ſummum eſſet indeterminata paſſiue, quia ſcilicet capax determinationis extrinſecus aduenientis, hoc igitur eſt de ratione cauſæ, ex ſe actiue indeterminatæ, & indifferentis, qualis eſt voluntas, vt ſe determinet exeundo in actum ſecundum, & determinatio illa formalis, per operationem eſt effectus indeterminationis, & indifferentiæ actiuæ: vnde indeterminatio, & determinatio non ſunt pugnantia, vt imaginantur, ſed ſunt ſubordinata, vt potentia & actus.

Argumentantur ſecundo, à cauſa inde
minata, & indifferente, non poteſt radical
prodire effectus determinatus, ſed volu
eſt talis, ergo debet aliunde determinari, ſ
cet à Deo, qui vt author voluntatis ſolus
teſt directe in illam agere.

Reſpon. diſtinguendo maiorem quæ
eſt de cauſa habente indifferentiam p
uam, quæ oritur vel ex imperfectione
tutis, vel ex defectu alicuius conditio
requiſitæ ad operandum, qualis eſt in
teria, reſpectu formarum, in oculo re
ctu viſus, vel non viſus, defectu lum
vel obiecti, &c. non autem de cauſa ha
te indifferentiam actiuam, quæ oritur ex
fecta, & eminente virtute, per quam h
verum dominium ſui actus, poſitis omn
ad agendum requiſitis, huic enim proxi
eſt, eſſe cauſam radicalem, determina
fectus, in eo enim conſiſtit dominiu
ctus.

Argumentantur tertio, quod volunta
terminetur ad certam actionem, id e
vel ex eo, quod velit, vel ideo vult, qu
alio determinatur; prius dici non p
quia ex eo ſequeretur, radicem deter
tionis eſſe ipſam actionem, adeoque ip
met velle eſſet cauſa determinationis i
luntate, & determinatio eſſet effectu
tellectus velle, quod implicat, ſic eni
lunras eſſet determinata, ante ſuam det
nationem, quia haberet velle, ac proin
terminationem, quod tamen cauſaret
minationem, ſicque eſſet determinat
non eſſet, ergo dicendum eſt poſterius, ſc
voluntatem ideo velle, quia determina
alio, ſcilicet Deo.

Reſpon. negando minorem, ad prob
nem dico, diſcurſum illum ſupponere
ſeu volitionem, eſſe cauſam effectiua
terminationis, tanquam effectus à ſe
cti, ſed hoc eſt falſum: Eſt enim cauſa f
lis determinationis. Vnde verum eſt, id
luntatem determinare, quia vult, & vi
ideo velle, quia ſeipſum determinat, vel
ticula cauſalis, (Quia) indicat cauſa
malem.

Argumentantur quarto. Non eſt de
ne actus liberi, vt voluntas prius t
re & natura, quam operetur ſit ad ill
determinata, ergo concidit præcipu

mentum contra prędeterminationem causæ liberæ, quod erat impedire vsum libertatis. Antecedens probatur, quia, si hoc esset necessarium ad libertatem actus, Deus non esset liber, quia eius voluntas non est prius tempore, vel natura indeterminata, ad suum actum, quam velit, nam ab æterno voluit, quicquid voluit, æterno autem nihil est prius, Deinde Angeli & Adamus in primo instanti suæ creationis non potuissent habere actus liberos, nam ante primum instans suæ creationis, non exstabant in rerum natura.

Respon. Non dici esse de ratione actus liberi, vt voluntas prius tempore, & natura sit indeterminata, quam operetur, nam hoc signat debere præcedere aliquod instans, & sic locum habet argumentum, sed dicimus requiri, vt in omni instanti priori temporis, & naturæ, quam actum eliciat, sit indeterminata, quæ multum differunt. Sensus enim est, si detur instans prius, siue temporis, siue naturæ, in quo voluntas existat, in eo instanti, voluntatem debere esse indeterminatam, ad suum actum, in quo distinguitur ab aliis potentiis, quæ semper prius natura, quam agunt, sunt determinatæ ad actum. Quod ad actionem diuinam attinet, non est actus aliquis realiter, à diuina voluntate elicitus, de quali nobis hic est sermo, sed est ipsa Dei essentia, vnde non est necessarium in diuina voluntate assignare aliquam naturæ prioritatem, qua voluntas sit prior, suo actu, hæc enim includit dependentiam, & processum vnus ab alio, vt patet in sole, & lumine, assignari tamen potest instans rationis, habens fundamentum in reipsa, nam prius ratione voluntas diuina est indeterminata, vt velit creaturas esse, quam ipsas velit, adeo vt in illo priore, sicuti potest illas velle, ita potest nolle.

Argumentantur quinto, ex prædeterminatione tantum oritur necessitas, ex suppositione, scilicet prædeterminationis, sed necessitas ex suppositione, non officit libertati, ergo neque prædeterminatio. Minor probatur ex suppositione, quod Deus prouideat voluntatem tali momento operaturam, ipsa non potest aliter operari, & tamen libere operatur, ergo similiter & suppositione, quod Deus prædeterminet voluntatem, non poterit non operari, operabitur interim libere.

Respond. distinguendo maiorem, necessitas ex suppositione consequente, siue quæ est in potestate voluntatis, ita vt illam possit habere, vel non habere, non repugnat libertati, & talis est suppositio præuisionis Dei: nam præuisio sequitur nostro modo intelligendi, operationem voluntatis, qui in ratione obiecti est prior, ac proinde sicuti in potestate voluntatis est operatio, ita & præuisio. Vnde dicunt sancti Patres, Deus præscit, quia voluntas vult, non contra: similis etiam est suppositio determinationis, qua voluntas semet formaliter determinat, quia hæc est operatio, ac proinde in plenissima eius potestate, ita vt possit eam habere, & non habere, prout voluerit, vnde secundum se est actiue indeterminata ad hanc determinationem, Imo dum est determinata, per liberum suum influxum, adhuc secundum, & quatenus est natura prior suo velle, semper manet ad illud velle indeterminata, potest enim ex sua indifferenti potestate omni momento suspendere velle, & elicere nolle, in quo distinguitur à causa determinata, prius natura, quam operetur. Verum necessitas ex suppositione antecedenti, siue tali, quæ non est in potestate voluntatis, ita vt possit illam habere, vel non habere, impedit libertatem, & talis est suppositio prædeterminationis, non enim est in potestate voluntatis habere, vel non habere prædeterminationem, vt patet ex dictis, & principiis aduersariorum, & hæc distinctio suppositionis antecedentis, & consequentis sumitur ex communi doctorum sententia, & à nemine potest negari. Certe si nulla suppositio obesset libertati, nec prædeterminatio hæreticorum obesset, quæ etiam posset dici necessitas ex suppositione.

Argumentantur sexto, prædeterminatio in genere non impedit vsum libertatis, ergo neque prædeterminatio concursus Dei.

Antecedens probatur, quia iudiciũ rationis practicum, præcedens actum voluntatis, prædetter

determinat voluntatem ad volendum id, quod iudicando proponit, & in operibus pertinentibus ad salutem gratia efficax prædeterminat voluntatem, vt multis in locis docet D. Augustinus, vt dum dicit, per gratiam Dei, nos non tantum posse, sed & velle, & alia eiusdem generis, quæ afferuntur à Theologis.

Respon. negando antecedens, ad probationem dico, vtrumque illud exemplum esse æque, vel magis dubium, atque id, quod controuertitur, & quidem, quoad iudicium rationis practicum, communis sententia Doctorum, *in.* 1.2.*quæst.*9.*art.*2. negat tale iudicium prærequiri ad actum voluntatis, quod illam determinet, eo, quod videatur euertere intrinsecam libertatem voluntatis, nam qui hoc iudicium prærequirunt, dicunt, illo stante in intellectu voluntatem non posse non consentire, aut velle, ergo non relinquit liberum vsum libertatis.

Si dicas, esse in potestate voluntatis, non consentire, quia iudicium hoc practicum de eliciendo consensu, est in potestate voluntatis.

Respon. & quæro, per quid sit in potestate voluntatis, si per aliquem ipsius actum, ad hunc iterum prærequiritur iudicium rationis practicum, prædeterminans, & sic deinceps dabitur processus in infinitum, vel tandem deuenietur ad aliquod iudicium rationis, quod non sit in potestate voluntatis, & ad quod necessario sequitur actus voluntatis.

Quod ad gratiam efficacem: respond. acriter disputari in quo consistat efficacia gratiæ, negamus constanter consistere in prædeterminatione Physica, ex eodem capite, quo negamus concursum Dei habere se per modum prædeterminationis.

Quod ad authoritatem D. Aug. respond. loca, quæ magno numero ex illo citantur, tantum constituere, & indicare discrimen inter gratiam efficacem, & non efficacem, sui sufficientem tantum, quod scilicet illa infallibiliter moueat voluntatem, non quidem Physice determinando, seu suadendo & alliciendo, ita vt licet absolute & secundum se spectata respui queat, adeo tamen congrue confertur, vt nunquam de facto respuatur, hæc vero, scilicet sufficiens tantum non ita moueat voluntatem, vt sortiatur effectum, quare vt summum efficacia gratiæ potest c[...] tinere determinationem moralem, quali[...] in eo, qui aliquem ad opus vehementer vr[...] vel importune suadendo, vel blanditiis in[...] cit, huiusmodi suasiones & modi con[...] niendi ad opus alterius subinde vocantur [...] pulsus, sic dici solet ille sua importuni[...] coegit, & impulit me ad illud faciend[...] Dicitur autem determinatio moralis, t[...] quia communiter, & infallibiliter sequ[...] effectus, tum quia sicuti determinatio Ph[...] ca consistit proprie in eo, quod determin[...] applicet determinatum ad aliquid, ad q[...] erat indifferens, ita qui suasionibus, p[...] bus, &c. aliquid ab alio obtinet, moralim[...] applicat ad aliquid faciendum, verbi gr[...] dandam eleemosynam, ad quod erat indi[...] rens, non potest autem dici determinatio [...] soluta & Physica, quia relinquit veram, & [...] lem potentiam ad oppositum, ita vt deter[...] natus hoc modo simpliciter possit resist[...] quia Physica nulla causalitate ligat volu[...] tem, aut naturalem eius industriam impe[...] sicuti Physica prædeterminatio, quæ appl[...] tio gratiæ diuinæ satis explicat, nihil eff[...] cesse efficacitatem constituere in prædet[...] minatione Physica, cum sine illa infallibi[...] sequi possit effectus, præsertim cum [...] longe aliter mouere possit voluntatem [...] bonum, scilicet per illustrationes interna[...] pias affectiones, quas immediate excit[...] intellectu, & voluntate, quam homo h[...] nem mouere possit imperio, blandime[...] consilio, &c. In quo autem præcisa sita sit [...] cacitas gratiæ, negotii est Theologici, a[...] gumentum sufficit, hic ostendere, non c[...] stere in determinatione Physica.

Argumentantur septimo, Deus est infi[...] sapientiæ & potentiæ, ergo non deest illi [...] dus, quo voluntatem præueniat determi[...] do, & tamen ita suauiter, vt ipsa libere op[...] tur, secundum illud, attingit à fine vsqu[...] finem fortiter, & disponit omnia suauite[...]

Respon. primo, non quæri, quid abso[...] Deus possit, sed quid naturis rerum sit c[...] sentaneum: & dicimus non esse consen[...] neum naturæ liberæ, vt ad suos actus de[...] minetur eo modo, quo explicant aduersa[...]

Respond. secundo: per nullam potent[...] fieri posse, vt voluntas determinetur de[...] minatione præueniente, qua non sit in [...]

pot[...]

potestate, de quali hic disputatur, & tamen libere operetur, hoc enim implicat, esse enim liberum, est esse indifferentem, & indeterminatum, & ita agere, vt possit non agere, idque ex extrinseca potestate. Quare fortitudo illa prædeterminans est incompassibilis, cum suauitate libertatis. Et vt nihil omittamus, quod in hac materia contra nos facit:

Dices, Christus libere acceptauit præceptum moriendi, pro redemptione generis humani, & tamen non poterat non acceptare, ergo non est de ratione vsus libertatis, ita agere, vt possimus non agere. Antecedens probatur, quia alioquin acceptatio ista & obedientia non fuisset meritoria, quia meritum supponit necessariam libertatem. Non poterat etiam non acceptare, quia non poterat omnino peccare, quia erat impeccabilis, vtpote Deus, quem repugnat posse peccare, non acceptando autem peccasset, & si poterat non acceptare, poterat peccare.

Respond. hoc argumentum tangere difficultatem de concilianda libertate Christi, cum impeccabilitate eiusdem, & licet fide tenendum sit, Christum Dominum fuisse liberum in actibus, quos salutis nostræ causa exiuit, & tamen fuisse simul impeccabilem, difficulter tamen soluuntur argumenta, quæ contra afferri solent à scholasticis, *3. p. quæst.* 18. *art.* 4. Ex his vnum est, quod hic obiicitur, in quo soluendo etiam laborant nostri aduersarii. Quidam respondent, Christum Dominum libere acceptasse illud præceptum, quia erat affirmatiuum, & non obligabat pro omni momento, vnde poterat præuenire tempus illud, quo vrgebat, atque libere acceptauit. Quæ responsio satis solida est, sed supponit præceptum moriendi non fuisse Christo Domino propositum, in primo instanti conceptionis, in quo erat acceptandum, cuius oppositum forte est probabilius, & supponamus hoc ad maiorem vim argumenti.

Respond. alii, Christum necessario acceptasse, sed necessitatem illam non impediuisse vsum libertatis, quia erat necessitas, ex suppositione, scilicet præcepti diuini: sed hæc responsio nulla est, quia est necessitas ex suppositione antecedente, quæ non erat in potestate voluntatis Christi Domini, Nam præceptum illud non erat in illius voluntate.

Respond. alii, illum acceptasse necessario, quoad substantiam actus, non autem quoad intentionem, & ita actum, quoad hoc fuisse liberum, licet enim necessario eliceret voluntatem moriendi, ex præcepto æterni Patris, libere tamen eliciebat volitionem, huius, vel illius intentionis, & poterat elicere remissionem, &c. Sed contra substantia actus non potest fieri, sine aliqua intensione, ergo aliquis saltem gradus in confuso erat necessarius, deinde sic non fuisset meritorius, secundum substantiam, sed tantum secundum aliquos gradus liberos, quod non videtur dicendum, quia tota acceptatio erat libera.

Respond. igitur alii, & solidius, voluntatem Christi libere acceptasse, quia præceptum illud præcisa visione beatifica non determinabat ipsius voluntatem, ad acceptionem, quia solum proponebat voluntatem diuinam, quæ propositio erat seclusa visione beatifica, non erat propositio summi boni, vel eius, quod necessario cum possessione summi boni est coniunctū. Deinde nullū auxiliū gratiæ Christo Domino, ratione vnionis hypostaticæ collatum determinabat eandem voluntatem quia Deus proponens animæ Christi Domini hoc præceptum, ita excitabat eius intellectum, & afficiebat voluntatem per gratiam præuenientem, sicuti non erat illum infallibiliter illam accepturam, facile enim est illi, cum vult, efficere, vt voluntas infallibiliter hic, & nunc consentiat, & tamen libere dando ei talem excitationem, cum qua præscit voluntatem consensuram. Sed adhuc superest difficultas, ergo absolute poterat non acceptare.

Respond. distinguendo, si voluntas Christi Domini consideretur secundum se, & intrinsecam suam dispositionem, poterat non acceptare, & consequenter etiam peccare, si vero consideretur eadem voluntas, vt suberat custodiæ suæ personæ, siue verbi diuini, non poterat absolute non acceptare, sed vt actus dicatur liber, respectu voluntatis, sufficit, vt quantum est ex intrinseca dispositione illius possit agere, & non agere, & ideo simpliciter verum est, quod Christus Dominus libere acceptarit, quia si in-

si intrinsecam dispositionem voluntatis spectemus, poterat non acceptare. Vnde non sequitur, non poterat non acceptare, ergo necessario, & non libere acceptauit.

Finio igitur cum Christo Domino, & concludo, concursum Dei agentibus creatis necessarium non habere se per modum prædeterminationis Physicæ, causis inhærentis, sed sufficienter explicari dependentiam essentialem omnium causarum, in agendo, à causa prima, per influxum immediatum in effectum ipsum, & adeo probabiliter, vt nemo prudenter ad saluandam hanc dependentiam, possit recurrere ad prædeterminationes, tum quia non est prudentis, sine necessitate consentire cum hæreticis, in aliquo principio Philosophico, ex quo ipsi inferunt dogma aliquod hæreticum, tum etiam quia facile patet difficulter cum istis prædeterminationibus conciliari vsum libertatis, & hic subsistamus, donec aliquid noui ab aduersariis excogitetur.

Quæ autem in decursu quæstionis contra Physicam prædeterminationem, ex inhærenti prænotione passim allata, facile accommodari possunt, contra Physicam prædeterminationem, ex causa extrinseca, scilicet per efficaciam extrinsecæ diuinæ voluntatis, & potentiæ: quia nulla illius est necessitas, & ægre consistit cum libertate, ita vt huic sententiæ, quæ Scot. tribuitur, non sit vlterius immorandum.

QVÆSTIO XII.

Quænam sint causæ necessariæ, quænam liberæ.

QVæ præcedent. quæst. occasione probationis, vel argumentorum de proposita quæstione dicta sunt, hic seorsim breuiter explicanda sunt.

Et primo: Omnia agentia, quę rationis vsu sunt destituta, sunt causæ necessario operantes, & communiter dicuntur causæ naturales.

Probatur primo, quia causæ omnes irrationales, si habeant omnia prærequisita ad agendum, non possunt non operari, atqui in eo consistit necessitas operandi, ergo. Probatur secundo: Modus operandi libere sequitur ex vsu rationis, ergo vbi non est vsus rationis, ibi non est libertas operandi, sed necessit... quæ necessitas tanta est, in ipsis causis na... ralibus, vt positis omnibus prærequisitis, agendum, actio illarum à nulla causa exte... possit impediri, quod si impediatur, id ... subtrahendo vnã ex conditionibus prære... sitis, ad agendum, sic Deus impediuit, ne ig... fornacis Babylonis exureret tres pueros, negando suum concursum, & ne leones ... uorarent Danielem, impediendo, quo mi... repræsentaretur phantasiæ ipsorum sub... tione alimenti conuenientis.

Petes, quæ sint conditiones prærequi... ad agendum.

Respon. plures enumerari, præcipue ... hæ, vt causa habeat virtutem intrinsecam ... efficientem ad agendum, vt subiectum si... pax actionis, & debite approximatum, vt ... ior sit actiuitas agentis, quam resistentia ... si, vt passum sit aliquo modo dissimile age... vel secundum speciem formæ, quam agen... tendit introducere, vel secundum gradu... tensiores, & existat actio prærequisita, ... gratia, cognitio obiecti, respectu appet... Similiter concursus Dei in actu primo, ... eet expositus & præparatus ad coope... dum. Denique omnes concausę necessar... hoc, vt causa efficiens possit exire in a... habent se instar conditionum prærequ... rum.

Respond. secundo. Creatura rationa... agens liberum per voluntatē: est certum ... fide. Probatur experientia. Experimur ... nos nulli rei esse astrictos agere, posse ... uis, vel omittere, consultamus & deli... mus, quid, quomodo faciendum sit, r... manæ reguntur legibus & præceptis, pr... & pœnis, quæ omnia frustra adhiberen... homo non esset liber.

Obiic. Voluntas creata nihil potest ... nisi mota à Deo, & posita illa motio... cessario agit, ergo actus voluntatis nun... est homini liber. Maior patet, Minor p... tur, quia impossibile est, Deum moue... luntatem, & ipsam non moueri, quia ... diuina est efficax, & mouere, ac mou... cunt necessariam concomitantiam, siu... tionem.

Respon. admittendo maiorem, de r... ne concomitante, vt præcedente quæ... mus, & nego minorem. Ad probat...

consequentiam, quia, quod posita motione Dei voluntas non possit non moueri, est, quia motio Dei concomitans est intrinseca, imo identificata actioni liberæ. Vnde idem est, ac si dicas posita motione voluntatis, non potest non agere, id est, eo ipso instanti, quo actio procedit à voluntate, fieri non potest, vt simul non dependeat & non procedat, hoc enim aperte implicat, quamuis eo ipso instanti quo agit, habeat potentiam intrinsecam actiuam, non agendi, quæ potest exire in actum immediate post quoduis instans designabile, suspendendo, & cohibendo actionem, sic qui ambulat, etiam dum ambulat, libere ambulat, quia simul habet potestatem sese sistendi, omne instanti designabili. In quo voluntas distinguitur ab agente necessario, quod dum agit, non habet simul potestatem intrinsecam actiuam, non agendi, ratione cuius, quouis instanti designabili possit abstinere ab actione vt summum potest non agere immediate post quoduis instans, ex potestate illi extrinseca, scilicet Dei, vel hominis, subtrahentis aliquam ex conditionibus necessariis ad agendum, quæ potentia non operandi, non sufficit ad libertatem, vt patet, sed ad libertatem requiritur, (vt hoc iterum dicamus) vt agens in actu determinatum, per suam actionem, etiam supposito quod agat, & in sensu composito, seu componente actionem, & significatum formale, cum agente & significato materiali habeat potestatem ex se intrinsecam actiuam, & expeditam, non agendi immediate, post quoduis instans, quo supponitur agere, & non tantum in sensu diuiso, tum quia talis potestas non agendi, in sensu diuiso, omnium consensu etiam reperitur in voluntate, dum necessitatur à Deo. Tum quia in sensu diuiso, sine seclusa actione, omne agens, siue sit necessarium, siue liberum, creatum, siue increatum, non tantum potest non agere, sed etiam necessario ex suppositione non agit. Impossibile enim est, esse diuisum ab actione, siue non agere & agere. Friuolum igitur est dicere, voluntas prædeterminata à Deo potest non agere, in sensu diuiso, ideoque libere operatur. Posset etiam distingui consequens, hoc modo, ergo necessario agit, necessario absolute negatur, necessario ex suppositione consequente, scilicet actionis liberæ, quæ est in potestate voluntatis conceditur, sed ita necessario agere, est libere agere, de hac enim necessitate in genere verum est, omne quod agit, quando agit, necesse est agere, & extendit se etiam ad ipsum Deum.

Si maior propositio Argumenti intelligatur, de notione præuia, tum qua Deus præuenit voluntatem, in actionibus liberis, supernaturalibus, pertinentibus ad salutem. Respon. motiones illas proprias esse voluntati necessarias, non tamen actiones liberas, ad quas diriguntur à Deo, motus illi præuenientes, & quibus veluti cœlesti quodam semine elicit, & operatur actus liberos voluntatis.

QVÆSTIO XIII.

Quid sit libertas formalis.

RESpon. libertas formalis est potentia indifferens, ex se, sufficiens ad exercendam, & non exercendam operationem. Dico ex se, siue positis omnibus ad agendum requisitis, quia potentia non exercendi operationem, defectu alicuius prærequisiti, non sufficit ad libertatem, & habet potius rationem impotentiæ.

Includit igitur libertas duas potentias partiales, ratione saltem ratiocinata, per ordinem ad diuersos actus distinctos, prima est potentia operandi, quæ reperitur etiam in agentibus necessariis, Altera est potentia cohibendi actum, & hæc tantum est in liberis, quæ licet sit positiua, perfectio naturæ rationalis exerceri tamen potest per nudam carentiam actus. (vt probabilior habet sententia) possunt enim aduertere me non audire sacrum, & tamen non elicere nolitionem, positiuam audiendi, sed nude omittere volitionem audiendi etiam inefficacem, in eo enim consistit potentia cohibendi, vt posito obiecto voluntas possit non appetere, vel omittere appetitionem, quamuis communiter in liberis omissionibus maxime rerum præceptarum, coniuncta sit positiua nolitio voluntatis, etiamsi subinde à nobis nō aduertatur, quia aduertentia ista sit

per quandam reflexionem intellectus, quæ non necessario semper fit.

Ex his nota, primo, Libertatem sic explicatam, vocari libertatem, quoad exercitium, siue libertatem contradictionis, quia est potentia, dicens habitudinem, & carentiam actus, quæ sunt contradictoria, & hæc potentia absolute sufficit ad libertatem, potest tamen etiam esse in voluntate potentia, ad actus contrarios, respectu eiusdem obiecti, verbi gratia, ad amorem Petri, & odium Petri, quæ dicitur Libertas, quoad specificationem, siue contrarietatis quia est potentia, dicens habitudinem ad actus specie diuersos, imo & contrarios.

Nota secundo. Libertatem non esse potentiam aliquam passiuam, talis enim aperte non sufficit ad libertatem. Sic enim materia prima esset libera, respectu motus: est enim indifferens, ad motum, & quietem, similiter ad formam lapidis, & negationem eiusdem. Similiter & manus, respectu scriptionis, & non scriptionis. Est igitur potentia actiua, & vis interna positiua flectendi sese in alterutram partem, & determinandi illam in differentiam habitualem, per actum. Alioquin enim voluntas ex se esset in æquilibrio, donec determinaretur ad alterutrum, ab aliquo agente extrinseco, illa determinatio esset posset libera, non tamen voluntati humanæ, sicuti, verbi gratia, materia ex se, nec est sub forma lapidis, nec sub forma ignis, quæ virtute continet negationem formæ lapidis, sed hoc habet à causa efficiente, extrinseca, hanc potius formam introducente quam illam: quod dici non potest, quia Concilia & Patres definiunt, & docent, hominem ita velle, ita consentire diuinæ gratiæ, vt possit scilicet ab intrinseco principio actiuo, non velle non consentire.

Petes primo, quid sit illa potentia indifferens, quæ dicitur libertas.

Respond. Libertas formalis nihil est aliud, quam ipsa vis voluntatis, vt indeterminata, & tamen proxime sufficiens ad velle, & nolle, seu non velle, vnde differt sola ratione à voluntate, quia est ipsa voluntas, considerata inadæquate, scilicet respectu obiectorum & actuum, in quibus notatur aliqua ratio boni, & aliquis defectus. Similiter libertas fundamentalis, seu radicalis, est ipsa amplitudo intellectus, & vis intelligendi, comparata ad omnia obiecta, siue illa sint res, siue actus in quibus potest considerare aliquam rationem boni, & aliquem defectum, & sic etiam differt ab intellectu, sola ratione quia est ipse intellectus inadæquate spectatus.

Petes secundo, quid sit proprie libertas, in ipsis actibus liberis.

Respond. Libertatem in actibus liberis, elicitis voluntatis, præter entitatem actus nihil esse aliud, quam habitudinem ad causam indeterminatam, à qua immediate procedunt, & assidue pendent, quæ habitudo est dependentia, tanquam à causa efficiente, indeterminata. Libertas vero in actibus imperatis, est denominatio extrinseca, ab actu libero voluntatis, à quo impetantur, quia omnes respectu potentiæ, & principii à quo immediate procedunt, sunt necessarii.

QVÆSTIO XIV.

Quænam sit ratio, cur quædam fiant necessario à suis inferioribus, quædam contingenter?

Qvæstio hæc aliter solet proponi. Quænam sit prima radix necessitatis, & contingentiæ, in effectibus agentium creatorum. Et in ea est aliqua sententiarum diuersitas. Quidam volunt radicem primam contingentiæ, esse voluntatem diuinam, ratione suæ libertatis, ita vt ratio, cur quædam contingenter fiant, sit, quia Deus libere agit, sed hoc est impossibile, quia inde sequitur, si per impossibile Deus concursum suum generalem vellet, ex necessitate actiones causæ creaturis esse liberas, quod est falsum, haberet enim se Deus, tali casu, sicuti actus voluntatis supernaturalis, verbi gratia, charitatis, ad actus supernaturales charitatis, sequitur deinde omnes effectus causarum creatarum esse liberos, & contingentes, quia ad omnes Deus libere concurrit.

Alii igi-

Alii igitur volunt, primam radicem vtriusque, tam contingentiæ, quam necessitatis, esse infinitam efficaciam, diuinæ voluntatis, quæ potest cum agentibus creatis omnia producere, & omni modo, siue libere, siue necessario. Sed hæc sententia supponit, Deum ab æterno ante præuisionem absoluram effectuum futurorum, efficaciter voluisse, omnes effectus, qui in tempore fiunt, à quauis creatura, idque tam secundum substantiam, quã secundum modum. Deinde ad executionem illius decreti, accommodasse effectibus necessariis causas necessarias, liberis liberas. Sed fundamentum hoc reiicitur à Theologis, *prima parte 9* 18. & de eo pauca diximus 5. *supra* q. 7. Ad secundum argumentum, quia ex eo sequitur, Deum efficaciter velle, & decernere peccatum, saltem secundum entitatem physicam, quod videtur alienum à Deo, quia illud detestatur & vetat fieri, & quicquid est entitatis naturalis in actu peccati, vt res quædam, ita cum tanto malo intime est implicitum, vt contra omnem rationem sit absolute velle tale quid fieri, quare etiam definiuit Concilium Tridentinum (vt supra diximus) Deum operari tantum permissiue, opera mala.

Quare respondeo, licet diuina voluntas ratione suæ libertatis & potentiæ, sit prima radix necessitatis, & contingentiæ, in effectibus per modum causæ efficientis, ipsa tamen natura & intrinseca conditio causæ liberæ creatæ, est radix prima attributionis contingentiæ suorum effectuum, in quam, velut in principium formale, vltimo resoluitur ratio contingentiæ effectuum, ac conditio causæ necessariæ, est principium formale, & attributionis effectuum necessariorum.

Prior pars probatur, quia Deus omnia a... produxit, omnibus dedit virtutem operandi cum omnibus concurrit, ergo est aliquo modo prima radix, & origo eorum, quæ ... & modorum, quibus fiunt.

Posterior pars probatur, quia si quis quærat cur effectus talis sit libere contingens, a... Philosophiæ respondetur, quia dependet, procedit à causa libera, non vero, quia Deus voluit. Similiter quærenti, cur effectus ... necessarius, respondetur, quia procedit à causa necessaria, ergo in naturam ipsius causæ, tanquam in primum formale resoluitur contingentia, & necessitas effectuum, &c. si quis quærat, cur voluntas creata sit libera, ignis agens necessarium non recte respondetur, quia Deus ita voluit, quia responsio illa, supponit, Deum potuisse voluntatem creatam facere non liberam, idque conuenienter naturæ. Similiter ignem facere liberum. Ratio igitur est, quia natura illius rei id exigit, & iuxta æternas illas rationes, seu exemplaria illa quæ sunt in mente diuina, voluntas postulat fieri libera, & ignis agens necessarium.

QVÆSTIO XV.

Vtrum à causa necessaria procedere possit effectus contingens?

RESpondeo, si vna cum causa necessaria concurrat causa libera, effectus erit contingens. Probatur, quia eo casu effectus causæ necessariæ potest esse, & non esse, pro arbitrio causæ liberæ, sic licet ignis necessario comburat, & ventus flatu suo necessario flammam eliciat, conflagratio tamen domus est effectus contingens, si ab incẽdiario ignis libere sit admotus, Ita segetes sint effectus contingentes, licet enim semen, sol, terra, &c. Necessario agant, seminatio tamen & cultura libere facta est à colono. Aqua necessario humectat, & frigefacit, humor tamen & frigus est effectus contingens, si homo libere se committat aquis.

Resp. secundo, Si inter causas concurrentes ad aliquem effectum, nulla interueniat libera, effectus non potest esse intrinsece contingens.

Probatur, quia est absolute necessarius, nam procedit adæquate à causis determinatis, & agentibus ex necessitate. Dixi non posse esse contingentem intrinsece, quia si effectus necessarius, qui erit ex pluribus causis necessariis, ita inter se concurrentibus, vt vna impediat connaturalem effectum alterius, vel vim illius alio detorqueat, cum vna ex illis causis seorsim poterit dici contingens, quod sole existente in canicula, sint vel non sint calores, &c. Quia licet planetæ & sol sint causæ necessariæ suorum effectuum, potest tamen eorum virtus impediri à ventis, vaporibus, &c. Dicitur autem hæc contingentia, extrinseca,

trinseca, & respectiua, quia conuenit effectui comparato ad vnam, ex tota serie causarum concurrentium, quæ ratione virtutis imperfectæ impediri potest ab effectu suo connaturali, cum interim absolutè respectu totius seriei causatum sit necessarius, quia nulla illarum est libera. Contingentia autem intrinseca, & absoluta, de qua procedit conclusio, oritur ex virtute & perfectione intrinseca causæ liberæ, habentis dominium sui actus, idque vel immediate, vt in actibus voluntatis, vel mediate, vt in effectibus aliarum potentiarum, hominis & aliorum agentium naturalium, quæ applicantur ad actionem à voluntate.

Petes, quid propriè sit contingentia in effectu.

Respond. præter entitatem effectus, nihil esse, quam denominationem extrinsecam, illius à potentia causæ, à qua immediate, vel mediate, in ordine agentium creatorum dependet, quæ denominatio concipitur, tanquam habitudo quædam ad causam, prout illum effectum producere, vel non producere potuit.

QVÆSTIO XVI.

Quid sit fatum, & an detur?

FAtum nomen habet à fando, quasi sit aliquod effatum, vel præordinatum à causa superiori, quo gentiles olim varios designabant errores. Hinc factum, vt priscis Christianis, nomen fati valde fuerit exosum, quidam enim volebant fatum esse seriem quandam causarum necessariarum, à cœlo, & astris dependentem, quæ omnia necessario produceret, etiam quæ à voluntate humana procedunt, idque independenter à Deo, qui error valde stupidus est, aufert enim Deo omnipotentiam, eo quod non possit seriam illam interrumpere, aufert etiam libertatem Deo, & voluntati creatæ. Alii voluerunt hanc seriem dependere à Deo libere operante, sed omnia determinante antecedenter causas secundas necessitando, & sic errant hæretici nostri temporis, vnde non subtrahunt se periculo, sed dicunt, sicut fuerit voluntas Dei in cœlo, sic fiat. Qui error Deo omnipotentiam, & libertatem relinquit, non tamen [...] mini. Stoici existimarunt fatum esse mut[...] le, & dependere à Deo, qui possit placari [...] stiis, & à proposito dimoueri, illique eo [...] mine offerebant caput agnæ albæ, pe[...] put Dei scientiam significantes, per ag[...] Dei mansuetudinem, per album, o[...] se vt euentum ex infausto faustum redde[...].

Respond Fati nomine Christianis [...] est vtendum, quia est male sonans, si qu[...] men fati nomen intelligat collationem [...] sarum materialium, necessario prodi[...] tium suos effectus, nihil dicet erroneu[...] hoc sensu datur fatum: Sic videntur locu[...] neca, & Plutarchus, qui à serie illa exi[...] hominis libertatem.

Respond. secundo. Si quis fati nomi[...] telligat Dei prouidentiam, vel seriem [...] rum creatarum, prout subest diuinæ [...] dentiæ, ac infallibiliter sequitur effe[...] Deo præuisos, etiam datur fatum. Qui [...] Dei prouidenti generalis omnia reli[...] suis motibus, infallibiliter tamen euei[...] quæcunque aliquando euentura ab [...] prouidit.

Respond. tertio. Fatalis necessitas a[...] ta, gentilium & hæreticorum impia est [...] aufert homini libertatem, & constant[...] rita, ac demerita, præmia ac pœnas, [...] consultationes, &c.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum agens corporeum im[me]diate attingat effectum s[ub]stantialem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Proponitur, & probatur sen[ten]tia Scoti.

SCotus in primo distinctione 37. & [secun]do distinct. 17. Occam. in secundo di[...] docent, attingere immediate vir[...] stantiali siue per suam substantiam: [...]

cidens, verbi gratia, calorem posse per viam substantialem, scilicet ignitionem intrinsece attingere formam substantialem ignis, sed naturam extrinsece, per viam accidentalem, scilicet calefactionem, attingendo præuiam dispositionem connaturalem formæ ignis. Fundamentum huius sententiæ est, quia terminus substantialis non potest contineri in virtute accidentis, ergo non potest intrinsece actiue ab accidente attingi. Consequentia patet, quia actus est Via, & ratio communicandi, siue esse effectiue, à se extrahendo effectum per efficientiam. Antecedens probatur, quia nobilius non potest contineri in virtute ignobilioris, sed terminus substantialis est nobilior accidente, ergo non potest contineri in virtute accidentis. Confirmatur, omnis causa vel est nobilior suo effectu, si nimirum sit æquiuoca, vel saltem æque nobilis, nimirum sit vnivoca, vt communiter fatentur Philosophi. Sed accidẽs absolute est ignobilius forma substantiali, ergo non potest esse illius causa immediata: Si dicas accidens in ratione entis esse ignobilius effectu substantiali, non tamen in ratione principii actiui, vel secundum actiuitatem. Respond. accidens est principium actiuum, per suam entitatem, & ratio principii actiui tantum superaddit entitati denominationem extrinsecam. Si dicas accidens agere, & attingere effectum substantialem, in virtute substantiæ, & principalis agentis, cuius est accidens. Contra illud (in virtute) intelligitur vel intransitiue, vt loquitur Caietanus,) id est, ratione alicuius intrinseci, & hic vrget argumentum, quia nihil est aliud, quam virtus accidentalis, cum relatione ad agens principale. Si vero intelligitur transitiue, id est, vt denotet virtutem identificam substantiæ, iam accidens non attingit intrinsece terminum substantialem, sed forma substantialis, quę ratio reddit hanc sententiam probabilem. & confirmat. si accidens posset producere substantiam, adeoque effectum se nobiliorem, male Philosophi & Theologi ex perfectione creaturarum colligerent perfectiones naturæ diuinæ, & vniuersæ, ex effectibus perfectionis creaturarum.

Probatur secundo, hæc sententia. Accidens, verbi gratia, calor, est sufficiens principium ad producendum calorem, sibi similem, sic vt nullius alterius causæ influxu indigeat, ergo & forma substantialis poterit sibi similem producere. Si ipsa possit, non est, quod accidenti hæc vis tribuatur. Confirm. Virtus productiua substantiæ illi formæ substantiali identificata, non repugnat illi ratione perfectionis, quia reperitur in Deo, nec ratione imperfectionis, quia virtus identificata entitati reperitur in accidente, ergo nulla est ratio negandi substantiæ vim productiuam, & de facto formæ substantialis, virtute sibi identificata producunt qualitates sibi connaturales retractas ab agente contrario, vt patet in aqua se reducente ad frigus, & forma producit sibi potentias & proprietates, vt videre est in anima, quæ etiam est principium immediatum actiuum vitalium, ergo si sit principium immediatum accidentium, non est ratio, cur non possit dici immediatum principium alterius substantiæ, neque enim repugnat ex parte formæ productæ, neque producentis, quia producet sibi similes imo & anima vegetatiua, & sensitiua producit per nutritionem animam sibi similem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Proponitur & præfertur sententia D. Thomæ.

DIu. Thom. 1. *parte quæstion.* 45. *articul.* 5 *& articul.* 8. *ad secundum & tertium. & quæstion.* 73. *articul.* 1. *& alibi*, quem sequuntur communiter Philosophi & Theologi, docet accidens proxime, & per se attingere formam substantialem, in virtute substantiæ, cuius est instrumentum. Discrepant tamen huius sententiæ authores, in modo explicandi.

Caietanus enim censet, terminum substantialem non fieri per actionem substantialem, ipsius accidentis, sed resultare tanquam terminum extrinsecum, ad actionem propriã accidentis, sicuti in artificialibus, ex situali collocatione trium virgularũ resultat figura trianguli, sine vlla noua actione, sed hic modus est improbabilis, vt *infra* ostendemus.

Suarez

Suarez *disput.* 8. *sect.* 9. existimat, accidens non producere effectum substantialem, solo suo influxu, sed debere coniungi formæ substantiali, per cuius associationem, & influxum eleuetur ad productionem substantiæ, quod si contingat, formam substantialem non posse influere simul, cum accidente, vel quia non est in debita distantia, vel quia non existit, tum concursus illius debet suppleri à causa superiori, vel prima, quæ tali casu concurrit cum accidente, duplici concursu, vno vniuersali, & altero particulari, supplente concursum, & eleuationem actiuam formæ substantialis, & hic modus videtur coincidere cum sententia Scoti.

Alii igitur docent, accidens solo suo influxu intime attingere effectum substantialem, adeo vt si separetur substantia, cuius est instrumentum, possit adhuc exire in actum, & hunc modum explicandi sequimur, & licet difficultatem patiatur, ab argumentis primæ sententiæ, minora tamen secum incommoda trahit, quam illa.

Probatur primo, ex Aristotele *secundo Phys. t.* 14. *l.* 8. *t.* 62. *l. de sens. & sensib.* vbi sæpe ait, ignem non agere, aut pati, quatenus ignis est, sed quatenus subit contrarietatem, quasi dicat, non per formam ignis, huic enim, vtpote substantiæ nihil est contrarium, sed per formam caloris, & *primo de cœlo. t.* 3. *secundo de generat. ca. p* 1. docet, semen esse instrumentum, quo viuum animal effectiue generat aliud, sc. per virtutem accidentalem illi communicatam, sed hisce testimoniis, facile respondent scotistæ.

Probatur secundo ratione, quia accidens & forma substantialis materialis habet eundem modum existendi, sc. in materia, ergo possunt habere ad inuicem proportionem causæ & effectus. Confirm. sicuti est connaturale substantiæ, operari per accidentia, sibi proportionata, ita connaturale est illi, fieri per accidentia, sed nec hæ rationes multum vrgent. Modus enim essendi in materia, est specifice diuersus, & tantum connaturale est substantiæ operari per accidentia, terminos accidentales.

Probatur tertio, variis experientiis. Aurũ, argentum, & alia mineralia producuntur in visceribus terræ, vnitate influentiarum, & accidentium cœli, calor receptus in ferro candenti producit ignem in stuppa, aut ch[...] In collisione silicis cum ferro, vel silicu[...] ter se, emicat ignis, qui producitur à calo[...] raritate aeris, per collisionem istam cale[...] & rarefacti: Radii solares circa speculum [...] cauum, producũt in materia stuppæ, vel c[...] tæ, formam ignis; Accidentia vini conse[...] conuertunt aquam admixtam in vinum [...] rum hisce experientiis satis fit ab aduers[...] partim per actionem indistans, parti[...] concursum Dei, supplentem defectum c[...] secundæ.

Probatur quarto, efficacius, duabus experientiis, quia semen plantæ concurr[...] productionem plantæ, ipsa planta, à qu[...] cisum est, corrupta, vel procul dissita. Fa[...] autem Scotus, *in secundo dist.* 17 semen ess[...] perfectius quouis animato, quia sc. viuit [...] tum potentia, non actu; licet enim nutri[...] quando coniunctum est plantæ, separa[...] tamen nullas vitæ functiones exercet. Ar[...] enim est actus corporis organici, semẽ at[...] non est organicum, sed plane similare, [...] quis gratis concedat, semen plantæ viuer[...] huc anima illa erit essentialiter imperfec[...] anima & forma ipsius plantæ, & sic non [...] terit attingere productionem plantæ. Q[...] dicendum, vim accidentalem seminis pr[...] cere formam plantæ. Secunda experienti[...] milis est de semine deciso, ab animali, q[...] concurrit ad productionem animæ sensit[...] vel absente, vel etiam corrupto anima[...] quo decisum est, cum tamen non ipsum [...] habeat aliam sensitiuam. Concurrit igitu[...] instrumentum animalis, per virtutem a[...] dentalem, ipsi à generante inditum, & nor[...] formam substantialem, illi enim, vt summ[...] tribui posset organizatio, per formas pa[...] les, quas dici posset eminenter continere.

Resp. Scotus, *in primo & secundo supra*, [...] lii, formam in viuentibus produci à c[...] prima, neque hoc esse nouum in Philoso[...] recurrere ad efficientiam causæ primæ, [...] de omnibus formis substantialibus hoc [...] nuerint magni quidam Philosophi, Plato [...] uicenna, Philoponus & alii, neque est dif[...] le, Deum concurrere, supplendo defec[...] causæ secundæ, cum sit intime præsens om[...] bus rebus.

Sed contra, neque etiam difficile est [...] creare, quæuis miracula patrare, &c. V[...]

si[...]

...let dici, non sunt multiplicanda miracula, ne necessitate. Vnde similiter, non videtur osse tolerare recursus ad efficientiam Dei in ordinaria, & connaturali productione viventis: Sic enim Deus non suppleret defectum usæ particularis, quæ in actu aliquo extra ordinario, ex accidenti deesset, sicuti in speciebus consecratis, hoc admitti posset, sed tuta lege & ex institutione naturæ, & modo generandi viuentium, concurreret & haberet vere rationem causæ partialis, vnde primo sequitur, concursum generalem Dei ad generationem viuentium, non esse ex se indeterminatum, secundum speciem, vt *supra* diximus.

Secundo, Deum non instituisse naturam sufficientem ad conseruationem speciei, per naturalem generationem, quod est contra communem sensum.

Tertio, plus collatum esse à Deo rebus inanimatis, se virtutem sufficientem, ad producendum sibi simile, quam rebus animatis.

Dices viuentia habent virtutem sufficientem in actu primo, ad producendum sibi simile, sed Deus supplet illorum defectum, & exercitium illius virtutis, quando absunt, vel non existunt.

Resp. Frustra esset actus ille primus, collatus à Deo, ergo non inest viuentibus Consequentia patet; quia nulla potentia secundum speciem frustra à Deo, vel natura confertur. Antecedens probatur, quia vel viuens, & euidenter animal generans est absens, vel corruptum tempore generationis, ita vt nunquam possit concurrere, ergo esset frustra vis illa generandi.

Dices cum Scoto *in tertio distinct. 4. quæst. 1.* animam fœminæ producere animam sensitiuam.

Sed contra, primo, nihil simile saltem, reperitur in productione plantarum, quarum semen non fouetur in vtero alicuius fœminę, sed in terra inanimata.

Contra secundo, Etiamsi demus, fœminam concurrere actiue ad generationem, vt probabilior habet sententia Medicorum, & docet experientia, quia ex asino & equa producitur mulus, si equa non concurreret, actiue, procederet asinus non mulus, quod multum accedit ad naturam equi. Tamen hinc non sequitur, fœminam solam attingere totum effectum, alioqui in casu proposito prodiret equus, & non mulus, & sic vniuersim plus tribueretur in generatione fœminæ, quā mari, contra apertum testimonium Aristotelis *secundo de generatione cap.* 1. Deinde frustra esset vis substantialis generandi marem nunquam enim exiret in actum. Vnde non satisfaciunt dicendo Deum supplere partialem concursum maris, redditenim absurdum scilicet semper recurrendum ad *Deum*. Vlterius quod hic dicitur de fœmina non habet locum in ouiparis quorum fætus sit extra vterum matris.

Si dicas parentes incubantes influere: contra sic, gallina ex ouis anserinis, vel anatum, produceret gallinas, non anseres, vel anates, vel saltem consurgeret media quædam species inter gallinam & anserem, *Deo* supplente concursum, quem præberet anser, vel anas, cuius tamen contrarium docet experientia. *Deinde* sæpe tales fœtus excluduntur, calore furni, vel alio artificio, vt signum sit incubatione tātum excludi virtutem seminalem.

Contra responsionem Scoti facit secundo: Ranæ, vespæ & alii vermes magno numero, qui indies producuntur, è putri materia, in luto sterquilinio, caseo, &c. Producerentur à *Deo*, vt causa particulari, quod videtur absonum. Si dicas huiusmodi animalcula habere etiam modum naturalem sese propagandi, & primos etiam parentes à *Deo* in loco aliquo produci.

Respon. id ipsum videtur absonum, deinde sæpe sæpius producuntur magna copia, independenter à se ipso, quia simul, vel in loco dissito

Si quis possit deuorare hæc incommoda, poterit amplecti oppositam sententiam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Refutantur quædam explicationes D. Thomæ.

AD vberiorem explicationem difficultatis propositæ, resp. & dico secundo: Accidēs attingit formam substantialem, per nouam actionem se substantialem, distinctā ab alteratione. Est communis Thomistarum contra Caietanum.

Probatur primo, ex Aristotele qui *primo de generatione & 5. Phys.* ait, generationem substantialem, seu motum ad substantiam esse actionem distinctam ab alteratione;& 2. *Phys. t.*14. docet, eductionem formæ substantialis esse nobiliorem alteratione, ergo est actio distincta, Confirm. quia terminus substantialis non potest esse terminus intrinsecus motus alterationis, ver. gr. calefactionis, sed tantum extrinsecus, qui cum sit realiter distinctus, & primo à natura intentus, fiet per nouam actionem distinctam ab actione dispositiua accidentali.

Ad exemplum Caietani de figura resultante, sine noua actione, respondeo, hoc aliquo modo posse dici, quia figura est quid imperfectius corpore terminato, vnde est quid consectarium, & resultans, forma vero substantialis, non est imperfectior accidente, sed potius perfectior.

Resp. & dico tertio, vt Accidens possit producere substantiam, non est necesse, vt habeat consortium cum influxu agentis naturalis: Est contra Suar. *Disput.*18. *sect.*2. Quare Accidens producere substantiam in virtute substantiæ, nihil est aliud, quam producere, quia est virtus substantiæ, & id quo substantia producit substantiam, & dicitur substantia causa vniuoca, & primaria, non quasi agat seipsa immediate, sed quia producit sustentat ac determinat qualitates quarum actio ipsi est radicalis.

Probatur hæc conclusio, experientiis præcedentis articuli: Nam si virtus seminalis non esset agens totale, semper esset recurrendum ad causam primã, quæ duplici modo concurreret, altero vniuersali, altero particulari, supplente concursum causæ secundæ plantæ scilicet & animalis absentis, vel corrupti, cuius est semen, quod est contra ordinem vniuersi.

Respond. Suarez, tantum esse præter ordinem vniuersi, vt viuens totaliter producatur à causa prima, non autem quod fiat partialiter, Deo supplente eleuationem formæ substantialis actiuam respectu accidentis.

Sed contra etiam in hoc partiali concursu, causa prima suppleret vices, & quidem ex exigentia modi operandi naturalis causæ secundę, quod iterum est extraordinarium, imo & absurdum, cum causa secunda, scilicet generans, sit potens in actu primo, ex ipsius potentia, cum solo concursu generali produ[...] re effectum substantialem, & sic potenti[...] frustra, quia nunquam poterit exire in act[...] Deinde si concedatur formæ substan[...] concursus immediatus partialis, ad effe[...] substantialis, nulla est apparens ratio, [...] non debeat concedi, cum Scoto totalis, [...] æquata, vt sola, sine opere causæ instru[...] tariæ accidentalis attingat suum effec[...] Certe hoc tantum videtur speciose dici [...] sustinendam aliquo modo sententiam [...] Thomæ. Vnde non satisfacit Suarez, dice[...] naturam tribuisse causæ principali, sc[...] substantiæ, solum concursum partialem, [...] contingit sæpe illam vel abesse, vel esse [...] ruptam, quo casu potest concurrere ir[...] mentaliter, cum causa prima, quia Deus [...] per, & ordinarie supplebit concursum p[...] lem causæ secundæ partialis.

Probatur secundo. Quia Suarez exco[...] uit hunc concursum partialem, causæ pr[...] palis, propter argumentum Scoti. *supra*[...] Sic enim videtur euadere vim argument[...] cendo, quod concursus accidentis ele[...] à concursu substantiæ, & principalis [...] tis.

Sed contra instrumentum, seu acci[...] per hanc vnionem cum causa principali [...] recipit aliquam actiuitatem, aut ele[...] nem intrinsece actiuam, sed tantum e[...] quod relatiuum, ad causam principalẽ, [...] non est actiuum, ergo ad huc effectus sub[...] tialis ignis genitus, non continetur in vi[...] accidentis ipsius, nec totaliter, nec pa[...] ter, cum virtus ipsius non fiat substanti[...] per coniunctionem cum concursu [...] principalis, sed tantum retinebitur in v[...] substantiæ eleuantis. Potest quidem co[...] actio concausæ reddere causam potente[...] producendam aliquem effectum, sed [...] quando causæ sunt partiales eiusdem or[...] tunc enim vna per se non est sufficiens [...] fectum, associata autem alteri, est suffi[...] non quia illi aliquid accedit, sed quia e[...] bus integratis, in eodem ordine, vnus co[...] sus est immediatus totalis adæquatus [...] ctui.

Dices, si accidens est causa totalis, e[...] principalis, ergo sic ignobilius erit [...] principalis nobilioris. Prior consequ[...] probatur, quia calor ignis est causa prin[...] lis

alius caloris, in aqua, vel aere producti, ia immediate se solo attingit ipsius produ- onem.

Resp. negando consequentiam. Ad proba- t nem dico, illam non esse rationem adæ- q atã, cur dicatur causa principalis, sed quia p ducit assimilando sibi effectum. At vero a idens producens formam substantialem, n i attingit illam, assimilando sibi, sed sub- st tiæ, cuius est virtus.

Dices, si accidens est causa totalis effectus su stantialis, non producet in virtute sub- st tiam, sed per suam entitatẽ, & posset pro- d cere, etiamsi non esset virtus substantiæ, & n am diceret relationem ad substantiam, q a hæc ratio virtutis nihil superaddit enti- ta intrinsece absolute.

Respon negando sequelam, quia accidens p entitatem suam est virtus substantiæ, ne- q potest præscindere à ratione virtutis, & in rumenti talis substantiæ, vnde si non esset vi us substantiæ, non esset talis entitas.

Dices ergo, etiam accidens remissum, ver- gratia, calor, vt quatuor poterit producere ca rem, vt octo, in virtute substantiæ, quia ca or vt octo, est imperfectior forma sub- st tiali.

Respond. negando consequentiam, quia ca or respectu caloris, non est virtus instru- m talis, sed agens principale, effectus au- te non potest esse nobilior causa princi- .

Dices etiam, vt producit calorem est vi us substantiæ, & agens instrumentale.

Respond. hoc non proprie dici, licet enim si irtus, dependens à substantia, non pro- p tamen est virtus instrumentalis substan- ti, sicut creatura est agens, vel virtus creati- u Dei, proprie tamen non est instrumen- tu Dei.

Pro quo nota, in accidente duplicem esse p entiam, ratione ratiocinata distinctam. V a est potentia, seu virtus producendi vir- t em sibi similem, per viam accidentalem, v bi gratia, per calefactionem, & præcise p hanc calor, verbi gratia, non est instru- m ntum, nisi dispositiuum, cum sit causa p ncipalis. Altera est potentia attingendi f mam substantialem, idq; per viã substan- t em, scilicet ignitionem, & secundum hanc proprie calor est instrumentum ignis, & idem est de aliis qualitatibus actiuis, respe- ctu sui subiecti.

Instabis, saltem introductione vermium, & aliorum quæ ex putredine oriuntur, acci- dens erit causa principalis, nulla enim alia potest dari, non cœlum, quia est inanima- tum, neque temperies elementorum, ob eandem rationem, vel recurrendum erit ad Deum causam primam, quod improbamus.

Respond. negando assumptum. Ad proba- tionem dico, omissis quorundam responsio- nibus, recte posse dici, Deum esse causam principalem, non ratione peculiaris concur- sus, quo supplet defectum causæ secundæ, sed ratione primæ creationis, & institutionis na- turæ. In qua partim aquis, partim terræ com- municasse videtur qualitates aliquas actiuas, quæ sunt veluti virtutes seminales, quibus proucuntur quædam viliores plantæ, & ver- mes. Et hic modus nihil inuoluit incommo- di. Constat enim terram aliqua sui parte non esse Elementum purum, sed imbutum mul- tis peregrinis qualitatibus, vt indicant ca- lor, &c.

Responderi posset secundo, Causas princi- pales esse animalia quædam perfectiora, quæ in aquis ac terra degant à quibus per vapo- res, exhalationes spirituum, & excrementa egrediuntur qualitates, quæ attingunt huius- modi formas, quæ habent se ad instar semi- nis æquiuoci, assimilantis effectum principa- li agenti inadæquato.

ARTICVLVS QVARTVS.

Respondetur ad argumenta primæ sententiæ.

AD primum & præcipuum fundamen- tum oppositæ sententiæ respondeo ne- gando antecedens: Quia terminus substan- tialis potest contineri in virtute accidentis, vt quo modo contineatur in causa princi- pali, vt quod, & effectus extrahitur à causa principali, mediante accidente, vt instrumen- to, adeo vt actio accidentis non tam sit com- municatio sui esse, quam esse ipsius agentis, cui assimulat effectum.

 Ad pro-

Ad probationem dico, id non esse vniuersaliter verum, quia materia prima est ignobilior, forma substantiali, & tamen in virtute sua aliquo modo continet formam substantialem, materialem, cum talis forma, quoad esse, dependeat à materia, similiter materia, & forma seorsim sumpta, sunt quid ignobilius composito, in illis tamen diuisim sumptis, continetur aliquo modo virtute compositum, quamuis non effectiue. Deinde accidens non videtur absolute ignobilius substantia creata, quia primo multæ substantiæ ordinantur tantum mediate ad productionem accidentium, vt sunt substantiæ spirituales, vt Angeli. Secundo, quia accidens ex genere suo est capax alicuius ordinis, & virtutis, cuius non est capax substantia. Nam ex communi Theologorum sententia, non potest dari substantia supernaturalis, cui scilicet connaturalis sit gratia Dei, vel lumen gloriæ, quæ tamen sunt accidentia. Quoad modum autem existendi, licet concedi possit, antecedens esse ignobilius forma substantiali, quia hæc imperfecte saltem subsistit, ex se illud inhæret subiecto, tamen si quis attentius rem consideret, ex iis omnino est differentia inter inhærentiam accidentis, realis Physici, & subsistentiam imperfectam formæ substantialis, adeo vt termini magis inter se distinguantur, quam quæ terminis illis significantur. Et si quæ sit disproportio, illa ex parte accidentis superatur per concursum materiæ, è cuius potentia educitur forma substantialis, virtute accidentis. Si dicas, concursum illum esse effectiuum,

Respond. id ita esse, conferre tamen ad efficientiam, adeo quidem, vt concursus ille materialis, si desit, suppleri debeat, per potentiam infinitam, quia productio formæ substantialis extra materiam, vel sine concursu materiæ, est creatio, quæ ex communi sententia soli Deo conuenit. Vnde effectus substantialis continetur in virtute causarum, quæ immediate ad illius perductionem concurrunt, scilicet accidentis, & materiæ. Si dicas, accidens ne quidem imperfecte subsistere, ac proinde non posse communicare effectui imperfectum modum subsistendi Respond. negando consequentiam, primo, quia iuuatur a concursu materiæ, secundo materia prima se sola non potest existere, & tamen concur-

rit ad sustentationem formæ. Deinde m[...]
ria & forma seorsim ex se, non habent [...]
stentiam independentem, & perfectam [...]
imperfectam, ita vt neutra semetipsam [...]
sit conseruare: & tamen vtraque conc[...]
ad existentiam alterius, præter existen[...]
independentem ab illo, quod iuuatur, i[...]
dere videtur virtutem quandam super[...]
tam communicandi aliquo modo coex[...]
tiam alteri. In quibus imaginandis, n[...]
videtur esse difficultas, quam in quæs[...]
proposita, & vt in genere causæ effici[...]
demus exemplum, habitus, ex commu[...]
sententia, attingunt substantiam actus [...]
lis; & si intelligi potest, quomodo al[...]
non vitale, vt est habitus, attingat v[...]
ita etiam intelligi potest aliquid non [...]
stens attingere subsistens imperfecte: Si [...]
subitum attingere actum, vt causam n[...]
principalem, & partialem.

Respond. parum referre ad nostrum [...]
positum, modo immediate attingat. [...]
exemplum est in artificialibus, nam e[...]
tu locali directo per ideam artificis re[...]
figura artificiali, viua effigies, hominis [...]
est nobilior ipso motu, & tamen conti[...]
tur suo modo in Virtute motus localis [...]
omnia, licet rem non faciant ita euide[...]
reddunt tamen minus paradoxam, cum [...]
ta sint apud multos, certa, quorum ex[...]
tio est difficilis, & in proposito diffic[...]
plicatu est, quomodo causa æquiuoc[...]
sit producere effectum diuersæ à se s[...]
cum nihil videatur posse dare, quod [...]
habeat formaliter, effectus enim est [...]
dam communicatio esse ipsius causæ [...]
cas habere effectum perfectiori mod[...]
spond hoc non satisfacere difficultati, [...]
stat enim naturam perfectiorem no[...]
per posse producere imperfectiorem [...]
angelus per se, non potest producere m[...]
imo ne calorem, &c.

Ad primam Confirmationem Respo[...]
id verum esse, de causa principali, [...]
vt causa minus principalis, seu instr[...]
talis virtute contineat effectum, lic[...]
modo nobiliori, & eminentiori, dis[...]
tur enim continentia eminentialis, [...]
tualis simul à sola eminentiali, & fo[...]
tuali.

Ad secundam confirmationem respon. recte ex effectibus colligi, perfectionem causæ principalis, quæ semper vel est nobilior, vel saltem æque nobilis, ac effectus. Vnde modus ille indagandi perfectionem causæ, ex effectibus, non destruitur per nostram sententiam, quia non dicimus, quoduis accidens posse producere quamuis substantiam, & quoduis nobilius, quomodocunque nobilius, sed tantum accidens connaturale alicui subiecto, quod vel est perfectius effectu, vel æque perfectum.

Ad secundum argumentum respon. negando sequelam, quia frustra esset talis virtus in forma substantiali. Vnde ad confirmationem respon. virtutem illam identificatam formæ substantiali, non repugnare illi, præcise ratione perfectionis, vel imperfectionis, vt recte probat argumentum, sed ratione propriæ, & talis perfectionis, cui connaturale est effectus suos producere, per virtutem superadditam, & quia repugnat aliquid esse frustra in rerum natura, talis autẽ virtus frustra esset in plantis, & animali. Quod autem substantia habeat virtutem intrinsecam, immediate producendi accidentia sibi connaturalia id recte dicitur, quia virtus hæc non est frustra, nam substantia semper est coniuncta cum effectu, quem producit, in se, vnde dispar est ratio. Ad id quod additur de nutritione, respon. consequenter ad generationem illam partialem fieri, virtute caloris actiui, &c.

QVÆSTIO XVIII.

Quodnam sit principium productiuum accidentium in genere?

RESpondeo, frustra substantialis est effectiua quorundam accidentium, saltem efficientia emanationis. Patet in anima, à qua immediate dimanant potentiæ vitales, & in elementis, quorum quantitates, quia contrario retractantur, de nouo immediate emanant è subiecto, sic aqua in vaporem resoluta, à raritate & calore reducit se ad densitatem, & frigus, & ratio est, quia si non detur aliquod accidens, quod immediate fluat à forma substantiali, sed omne accidens fiat mediate per aliud, dabitur processus in infinitum. Neque possunt dici hæc accidentia resultare ad productionem formæ substantialis, & non effectiue ab ea produci, quia sunt termini realiter distincti, ac proinde requirunt diuersas actiones scilicet generationem, seu actionem productiuam substantiæ, & alterationem, quæ est productiua accidentis connaturalis, resultantiæ illæ fere conueniunt modis.

Respon. secundo, frustra substantialis simul cum accidente producit quædam accidentia. Patet in actibus vitalibus qui fiunt ab anima, concurrente immediate cum potentia vitali. Dicuntur enim vitales, quia fiunt à principio vitæ, scilicet ab anima, & licet, hoc quidam negant, ex eo tamen probatur, quod anima vehementer intenta vni operationi, alia potentia non exerceat suas functiones, vt dum quis profunde speculatur, non percipit visu res obiectas, etiamsi species visiua sit recepta in oculo, cum tamen ipsa potentia visiua non concurrat ad speculationem. Nec satisfacit, si dicas, hominem intentum speculationi non videre, quod spiritus deferant organum visus, & concurrant ad phantasiam, quia multitudo spirituum potius impedit speculationem, deinde non requiritur magna spirituum copia, vt res bene vicina videatur. Ratio igitur est, quod anima tota incumbat cum intellectu in speculationem.

Respon. tertio, Frustra accidentalis est sola potens producere accidens. Patet, quia calor in subiecto præternaturali, aqua scilicet vel ferro, producit calorem in manu, & accidentia vini consecrati producunt alia sibi similia. Ratio est, quia accidens actiuum est causa vniuoca, & principalis accidentis sibi similis.

Dices actiones sunt suppositorum, ex Aristot. 1. *Met. cap.* 1. ergo non sunt accidentium.

Respon. ad antecedens, esse suppositorum, quoad denominationem, & vt quod, quia accidentia naturaliter insunt suppositis, alioqui ipsa accidentia attingunt suos effectus, & sunt id, quo suppositum operatur. Ratio autem suppositi nihil influit.

Respon. secundo. Aristotelem *ibi* insinuare actiones esse suppositorum, seu singularium terminatiue, id est, tendere in suppositum, vnde

vnde ibi affert exemplum, medicus non sanat hominem, sed Petrum.

Petes, quænam accidentia sint actiua.

Respon. sola accidentia, quæ pertinent ad prædicamentum Qualitatis, non tamen omnia. Prius probatur, quia quantitas est tantum passiua, sicuti materia prima, cuius est proprietas, de cæteris patet, quia sunt entitates modales, insufficientes ad rationem principii actiui. Dices, actio videtur actiua.

Respon. Si de actione loquamur, vt constituit peculiare prædicamentum, est tantum modus agendi intrinsecus, & insufficiens ad agendum. Si de actione loquamur, vt est causalitas efficientis, & effectus in fieri, sic est via, & tendentia in terminum, non autem principium effectiui.

Dices secundo, Actio immanens est productiua habitus. Respon. actionem immanentem secundum Physicam entitatem, per quam est productiua habitus esse qualitatem. Posterius probatur, quia qualitates quartæ speciei, cum sint puri modi, non sunt actiuæ, habitus vero & dispositio, quæ sunt primæ speciei qualitates, & pleraque secundæ, & tertiæ speciei, sunt actiuæ.

Dices figura iuuat incisionem, vt motum, ergo est actiua.

Respond. negando consequentiam, quia quod figura acuminata conferat ad inclusionem, aut diuisionem corporis, vt patet in secuti, cultro, cuneo, &c. non oritur ex eo, quod effectiue concurrat, sed quia est dispositio aptissima ad rationem instrumenti, pro talibus effectis, quo enim corpus est magis acuminatum, eo minorem habet resistentiam in corpore secando, quia pauciores partes occurrunt. Hinc fieri videmus, vt exigua terræ gleba aquam ilico diuidat, & subsidat: vas vero testacium, vel æneum, multo grauius, si latum sit, non subsidat. Simili modo corpus sphæricum cum minima sui parte tangat planum, & habeat partes eleuatas, quæ naturali suo pondere deorsum tendant, fit, vt minimo impulsu, quantumuis magni sit ponderis, volutetur.

(***)

QVÆSTIO XIX.

Quomodo causa efficiens expellat à subiecto formam, incompossibilem cum effectu.

RESpon. Causa efficiens expellit effectiu formam præexistentem in subiecto, ips vero effectus productus, seu forma introducta eundem expellit formaliter.

Prior pars probatur, quia id solum effecti ue expellit aliquam formam, quod produci formam illi incompossibilem, sed sola caus efficiens est talis, quia effectus non efficit se metipsum.

Nota tamen, efficientiam causæ efficienti tantum concomitanter, & consecutiue ten dere in expulsionem formæ, quatenus scilice directe producit formam incompossibilem ad cuius positionem sequitur, naturaliter de sitio præcedentis, quia efficientia realis est a terminum positiuum, vnde nihil directe agi ad corruptionem alterius, quæ est priuatic sed consecutiue tantum.

Posterior pars probatur, quia effectus pe suam entitatem, & præsentiam excludit alt ram formam, quod est expellere formalite vel in genere causæ formalis, & hoc etiam t concomitanter, quia forma introductiua e realis, ac proinde effectus formalis illius pr marius, & per se, est realis, quia tamen eff ctum formalem primarium comitatur natu raliter cessio alterius formæ, incompossib lis, dicitur forma producta expellere form liter, cum proprie causa formalis expulsi nis potius sit ipsa priuatio formæ, quæ exp litur.

Dices, forma introducta videtur exp lere efficienter formam præexistentem, n formaliter tantum, sicuti corpus, quod su intrat alterius, expellit illud efficienter loco.

Respon. disparem esse rationem, quia co pus, quod expellit aliud è suo loco, impetu producit in illud, & sic ibi est vera efficient non ita vna forma in aliam, quia nunqu sunt simul in eodem subiecto. Deinde exp sio localis est transitus ad alium locum, & l bet terminum positiuum, desitio autem fo mæ est quid priuatiuum,

Pe

Petes, an prior sit productio formæ, an vero desitio formæ præexistentis.

Respon. tantum posse esse quæstionem de prioritate naturæ, de qua D. Thom. *prima secunda q.*114. respondet, ex parte mobilis, seu subiecti, prius natura esse desitionem præexistentis, per eam enim fit capax formæ productæ, ex parte vero agentis, prius natura esse productionem formæ oppositæ, quam per se intendit agens Alii id paulo aliter explicant, &dicunt, quando forma desinit informare materiam, defectu alicuius dispositionis, qui fiatur ab intrinseco, vel ab extrinseco, non potente per se attingere formam productam, tunc prius natura est desitio formæ prioris, quam introductio contrarii, si vero aliquod agens agat, in subiectum, ex intentione, vt producat sibi simile, verbi gratia, ignis in lignum, tunc prior natura est introductio formæ, quam expulsio contrariæ.

Consistit enim hæc prioritas naturæ, in eo tantum, quod est esse rationem alterius. Vnde res explicari potest hoc simili, apertio fenestræ & ingressus aeris, sunt simul tempore, nam eodem instanti cedit fenestra suo loco, & ingreditur aer, si tamen fenestra aperiatur, propter impulsum aeris, à vento, tunc in omni genere causæ prior est natura ingressus aeris, in locum fenestræ, quia est causa cessionis fenestræ, si vero fenestra aperiatur intus ab homine, tunc prior natura est apertio fenestræ, quam successio aeris, quia aer ingreditur ratione cessionis fenestræ è suo loco.

QVÆSTIO XX.

Vtrum agens debeat esse realiter distinctum à passo.

Ex conditionibus requisitis ad actionem, duæ maxime controuerti soleat. Prima est distinctio agentis à passo, de qua hac quæstione, altera est coniunctio agentis cum passo, (de qua *quæst. seq.*) Aristoteles, & plerique Thomistæ, affirmant, vnde dicunt elementa moueri ad loca naturalia, à generante, & vniuersim nihil moueri per se posse, sed vel ab alio supposito, distincto, vel à parte sui ipsius, quæ est per se mouens, & distincta à parte per se mota, vt fit in animalibus,

Fundamenta huius sententiæ sub finem quæstionis proponemus.

Contra sentiunt Scotus *in secundo dist.* 2 *q.* 10 Gregorius *dist.* 6. *q.* 1. & Gabriel *ibidem.* & alii, Vide Suar. *disp.* 18. *sect.* 3. mihi videtur quæstio de nomine potius, quam de re.

Respon. & dico primo, Actio emanatiua est eiusdem in seipsum, vnde in illa non distinguitur realiter agens à passo. Dicitur autem actio emanatiua, quæ est immanens, & completiua agentis, qualis est productio illa, qua intellectus & voluntas fluunt ab anima, frigus à forma substantiali aquæ, &c. Ex quibus patet conclusio, quia idem subiectum producit potentias, aut qualitates connaturales, & eas recipit, quod si quando huiusmodi effectus tribuantur authori naturæ, seu generanti, hoc est tantum, quoad denominationem, & secundum illud axioma, Qui dat formam, dat consequentiam ad formam, quod intelligitur de communicatione radicali, aut fundamentali, non de effectiua, aut formali. Vere enim & realiter tales effectus producuntur à proprio intrinseco actiuo.

Respon. secundo. Grauia & Leuia scil. elementa, mouentur loco naturali, à seipsis, non ab agente distincto, seu generante.

Probatur primo. Ex Aristotele *quarto de cœlo c.* 4. vbi dicit, grauia & leuia habere in se incitamenta motus, & 4. *Phys. c* 9. ait, densum & rarum, quatenus prædita sunt grauitate, & leuitate, esse effectiua lationis. Vnde quando 2. *de generation.* negat grauitatem & leuitatem in elementis esse, principia agendi, intelligit de principio alterandi aliud, quo scilicet elementa concurrunt ad generationem mixtorum.

Probatur secundo. Quia elementa mouentur à seipsis, motu alterationis, vt patet in aqua calefacta, seipsam reducente ad frigus, ergo etiam mouentur à seipsis localiter. Consequentia patet, quia tam intrinsecum est proprium motus localis, quã alterationis. Conf. Elementa habeãt intrinsecam inclinationem ad loca sua naturalia, ergo & potentiam se permouendi ad illa, quia quando natura imprimit inclinationem ad aliquem finem, confert etiam potentiam, & media necessaria ad eius consecutionem.

Probatur tertio, quia non possunt dici moueri ab alio, verb. grat. à generante, vt loquuntur Tho-

tur Thomistæ, ergo à se. Antecedens probatur, primo, quia actus alicuius potentiæ Physice tribuitur illi cuius est potentia, & non alteri, sed qualitates motiuæ sunt potentiæ propriæ elementorum, ergo motus, qui est actus illarum potentiarum, tribui debet elementis, & non generanti. Probatur secundo, vbi est nouus effectus, ibi est noua actio, & nouus influxus, per quem fit, ergo debet abesse causa efficiens; ergo quando mouentur elementa potest desiisse, & non esse generans, vel ita abesse, vt nihil possit conferre ad motum, tertio elementa subinde habent qualitatem à seipsis, & non à generante, verbi gratia, cum aqua amittit grauitatem, quam in sua origine accepit, dum resoluitur in vapores, per calorem ignis, aut solis, & aliam grauitatem accipit, à sua forma reducente se ad statum suum naturalem, scilicet frigus, densitatem, & grauitatem, vti fit in media aeris regione, quo casu non possunt dici moueri à generante, nisi valde remote.

Petes, cur motus elementorum non possit tribui loco naturali, vt principio actiuo abstrahenti.

Respon. quia non habet virtutem, quam immittat in corpus, adeo à se dissitum, vt verbi gratia, in ignem, qui est in visceribus terræ, nec refert, quod elementa eò velocius moueantur, quo propinquiora loco naturali, quia id non oritur præcise ex propinquitate loci naturalis, quasi is vehementius trahat magis vicinum, nam si lapis è loco parum edito, verbi gratia, è scammo, deturbetur, non mouebitur celerius, prouenit igitur ex parte medii, per quod fit motus, quia medium in fine motus, scilicet locum naturalem, minus resistit diuisioni suiipsius, quæ ad motum elementi necessaria est, idque, quia est in minori copia. Accedit, quod medium transitione mobilis separatum diuisum, magna celeritate sese iterum coniungat, & contingat ad impediendum vacuum, quo fit, vt mobile eo magis propellatur, quo maior medii copia fuit à mobili diuisa. Ex opposita ratione fit, vt motus procul à loco naturali, & initio sit tardior, quia maior tunc est resistentia, & minor à tergo impulsus.

Respon. tertio In actionibus violentis, vel, præternaturalibus, agens distinguitur supposito à patiente, saltem initio actionis.

Probatur, quia nihil habet potentiam intrinsecam actiuam, ad motum sibi violentum, aut præternaturalem, cum omnis potentia dirigatur à causa, ad subiecti complementum, & perfectionem. Dixi saltem initio actionis, propter motum proiectorum, qui ab homine, verbi gratia, mouentur per qualitatem impulsiuam impressam vt verior habet opinio quæ post impressionem agere potest etiam proiiciente subito extincto.

Respon. quarto, Creans & generans distinguuntur supposito à creato, & genito. Probatur, quia idē non potest creare, aut generare seipsum, alioqui esset, antequam esset, quia generationem supponitur generans. Idem de nutritione seu substantiali aggeneratione in qua agens in principio actionis distinguitur supposito ab elemento, in ipso autem instanti aggenerationis, peracta iam alteratione, prærequisita, non est suppositum distinctum, quia per aggenerationem alimentum fit pars suppositi aliti.

Respon. quinto. Vna pars compositi Physici potest agere in alteram, sic in corpore animalis cerebrum influxu suo infrigidat stomachum: Cor vero euaporationibus calidis calefacit cerebrum, pars aquæ proxima igni calefacit remotiorem, & contra igne semoto pars frigida infrigidat calefactam.

Ex hisce conclusionibus patet, non esse ex necessitate causæ agentis, quod distinguatur supposito à passo. Vnde si in aliquibus talis distinctio est necessaria id non peruenit ex generali ratione causæ efficientis, sed ex speciali ratione talis causæ efficientis, verbi gratia, creantis, generantis, mouentis localiter, motu violento &c.

Obiic. 1. Aristoteles *9. Met. t. 20.* dicit, potentiam actiuam esse principium transmutationis, in alio, vt aliud est, ergo ad actionem requiritur distinctio realis agentis à passo.

Respon. Aristotelem ibi loqui de potentia actiua Physicæ transmutationis, ordinata ad generationem, in qua fatemur agens distingui à passo.

Dices secundo. Aristoteles *7. & 8. Phys.* repetit id, quod mouetur ab alio moueri, similiter D. Thom.

Resp. Id verum esse, de motione late sumpta, quæ comprehendit communicationem virt

virtutis, aut potentiæ motiuæ, & ita se explicat D. Thom. dum dicit, sphæram esse principium motus localis, in quantum alicui corpori, secundum suam formam, debetur aliquis locus, in quem mouetur, vi suæ formæ tendentis in illum locum, quam quia dat generans, dicitur esse motor, non quasi effectiue actu in motum influat.

Obiic. tertio. Si agens non distinguatur à posse, idem erit actu, & potentia respectu eiusdem, contra Arist. 8. *Phys.t.*46.

Respon. negando assumptum, quia idem erit in actu virtuali, & in potentia formali, ac proinde respectu diuersorum, sic aqua calida habet actu virtutem frigefactiuam, & frigus formaliter in potentia, & voluntas dormientis est in actu virtuali, ad volitionem, & simul in potentia formali, quia tunc de facto non habet volitionem.

Obiic. quarto. Inter agens & patiens debet esse relatio realis, sed eiusdem ad seipsum non potest esse realis, ergo idem non potest agere in seipsum. Confirmat. quia omne agens debet approximari passo, sed idem non potest sibi approximari, ergo non potest agere in seipsum.

Respon. negando maiorem. Quia vt summum requiritur relatio inter agens & productum, siue causam & effectum. Vnde illa debent distingui, quod requiritur in actione, qua aliquid agit in seipsum. Ad confir. Resp. maiorem tantum esse veram, quando agens distinguitur supposito, à patiente, non vniuersaliter. Deinde identitas agentis & passi est propinquitas quædam eminentialis.

Obiic. quinto. Res inanimata non potest habere actionem reflexam, supra seipsam, hoc enim est proprium naturæ spiritali, ergo item illa non agit in seipsam, verbi gratia, elementum.

Respon. Negando antecedens, tantum enim proprium est naturæ spiritalis, semper & vbique posse habere operationem reflexam, supra seipsam. Res autem inanimata, & corporea tantum id potest, quando est extra statum suum naturalem, vt scilicet illum acquirat.

Obiic. sexto, Peculiare est animantibus, quod moueant sese localiter, ergo id non debet tribui elementis, alioqui nulla esset distinctio inter motum elemēti & inanimantis.

Respon. negando antecedens, sed peculiare est animantibus mouere se ad omnes positionum differentias, idque etiam dum versantur in loco naturali, & quod inchoare, & sistere motum possunt, accelerare, remittere, prout fert appetitus. Vnde dicitur se mouere organice, quibusdam scilicet partibus effectiue concurrentibus, ad motum, instar instrumentorum, verbi gratia, neruis & musculis, aliis vero partibus, carnibus scilicet &c. solummodo motum recipientibus, & hoc sensu solet distingui in animalibus promouens à motu, elementa vero simpliciter mouentur, singulis partibus suum motum efficientibus, sic vt totum se totum moueat.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum detur actio in distans?

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicatur sensus quæstionis.

EXperientia clare docet, agens agere posse in distans per propinquum, sic ignis, verbi gratia, producit calorem in manu, per aerem. Sed grauis difficultas est, an aliquid possit agere in passum, localiter à se distans, nihil agendo in medium, per virtutem sibi insitam, adeo vt si vel non detur medium reale, sed vacuum, possit tamen immutare passum distans.

Pro veritate nota primo, passum variis modis distare ab agente, primo, vt non inter illa sit medium reale, sed vacuum, quæ distantia saltem est possibilis, per Dei potentiam. Secundo, vt interiaceat medium reale, sed indita pars actionis, seu effectus, tertio vt medium illud reale sit quidem capax alicuius effectus, producti per vnam virtutem agentis, non tamen effectus producibilis per aliam virtutem, per quam agens immediate agat in distans. Quarto, vt medium sit capax, & de facto admittat eundem effectum, qui producitur in passo, quo casu adhuc dupliciter se potest habere medium, primo, vt agens immediate tantum agat in passum, contiguum,

verbi gratia, ignis in aerem circumfusum, & mediante calore aeris agat in manum distantem, ita vt effectus passi distantis scilicet manus tantum dicat habitudinem immediatam ad calorem aeris, sibi contigui, mediatam vero & remotam, ad ignem distantem, quatenus scilicet calor aeris ab ipso procedit. Secundo vt ignis agat in manum distantem, per virtutem à se diffusam, scil. calorem productum in aerem, & simul per virtutem sibi insitã, peculiari modo actiue influat in partem remotam.

Nota secundo. Quæstionem hanc institui de actione transeunte, quia per se notum est agens, actione immanente, non agere in distans, quia idem est agens, & patiens: dicitur autem actio transiens, non quasi virtus actiua, agenti formaliter inexistens, realiter sese extendat per medium, velut permeando usque ad passum, hoc enim est imaginarium, cum accidens non possit vltro citroque commeare, & transire de subiecto in subiectum, vel de vna parte subiecti in alteram, sed dicitur transiens, quia terminus productus est in passo extrinseco, & quia virtus agenti inexistens, transit medium, secundum efficacitatem, & virtualiter per habitudinem effectiuam, ad omne passum positum intra certam distantiam, adeo vt ad actionem realiter exercendam tantum opus sit coexistentia passi, receptiui effectus, producibilis ab agente, ex quo etiam intelligitur effectum egredi ab agente, non quasi secundum entitatem suam illi inextiterit, sicut vinum egreditur ex vase, & vapor ex aqua calida, sed quia per virtutem agentis educitur ex potẽtia materiæ cui inest.

Nota tertio, per sphæram actiuitatis (cuius in hac quæstione frequẽs est mentio) Philosophos intelligere spatium agenti adiacens, in quo potest agere, & extremum terminans, illud spatium dicitur terminare sphæram actiuitatis, & quidem vltimum, quod sit spatii, vel medii, id est, vltimum, quod attingitur ab agente, & in quo producitur effectus, dicitur terminus intrinsecus.

Primum vero, quod non scilicet attingitur, dicitur terminus extrinsecus. Vocatur autem hoc spatium sphæra actiuitatis, & non triangulum, aut quadrangulum actiuitatis, quia agens naturale non impeditum, agit ab omni parte ad æqualem distantiam, per modum rei sphæricæ.

Nota quarto, duplicem à Philosophis assignari contactũ agentis, & passi. Prior est suppositi, & quãtitatis, quo res alteri est propinqua, & coniuncta, secundum suppositũ & extremitatem, quo modo ignis attingit aerem, immediate circumfusum, & lignum admotũ, & quæ se hoc modo tãgunt, dicuntur esse immediata immediatione suppositi. Posterior contactus est virtutis, quo sc. res vna alteram attingit, non supposito, sed virtute sua aliquid in illam producendo.

Nota quinto, In eo conuenire omnes Philosophos, quod quando medium est capax actionis, & effectus producẽdi in distans, prius agens saltem natura agere in medium, ratione ordinis, & si sit melius dispositum, quam distans, perfectius in illud operari, si minus bene, etiam minus perfecte.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Decisio quæstionis.

RESpon. Licet pars negatiua quæstionis [...] valde probabilis, vtpote D. Tho. & com[...] munes Philosophorum, & Theologorũ, pa[...] tamen affirmans æque, vel magis videtur pr[o]babilis, & illam docent Auicenna *l. de anim. p. 4. c. 6.* Alexand. *primo Met. com. 8.* Scot. *in p[ri]mo dist. 37. q. vnica,* & nominalis *ibidem* Va[...]sius *q. Phylosophica* 40. & alii quidã recẽtior[es].

Probatur primo, Si agens non possit im[me]diate agere in distans, sed necessario requi[rat] propinquitatẽ passi, debet assignari radix a qua necessitatis, sed nulla potest afferri, q[uæ] hoc suadeat, ergo, minor probatur, quia esset ex eo, quod actio in distans, haberet quodammodo, sicut motus localis, ab ext[re]mo in extremum, sine medio, qui putatur i[m]plicare, vel quia agentia creata sunt limit[atæ] virtutis, vel quia agens & patiens haben[t] vt actus & potentia, quæ inter se debent c[on]iungi, nihil præter hæc excogitari potest, [sed] nihil horum infert necessitatem propinq[ui]tatis situalis, immediate agentis ad passi[m], ergo. Minor probatur, pro prima parte, [quia] actio in distans non habet se tali modo, vt [pa]tet ex secũdo notabili articuli superioris, [quia] effectus non fit in passo, per egressum alic[uius] entitatis, vel virtutis Physicæ, & realis tr[ans]euntis ex agente in rem distantem, sed per quod virtus agenti intrinseca & inexis[tens]

ed[...]

educat illum, & potentia passi, quod est intra sphæram actiuitatis, agentis, adeo vt virtus agendi ad extra non extendat se extra suum suppositum, quantitatiue, sed virtualiter tantum, id est, secundum efficaciam, qua totam sphæram suæ actiuitatis peruadit, quæ persuasio & penetratio virtualis in eo consistit, quod agere possit in omne corpus, quod in illa extiterit, si sit capax effectus, vnde nihil ponit reale in ipsa sphæra, seu medio, præter ipsum effectum, quem virtute sibi intrinseca producit. Secunda pars minoris probatur, quia limitatio virtutis tantum euincit limitatam esse sphæram agentium, creatorum, vt non possint agere ad quamuis distantiam. Deinde hæc ratio non potest ab aduersariis afferri, qui ne quidem virtuti increatæ & infinitę Dei concedunt actionem in distans. Pro tertia parte probatur minor, quia talis coniunctio requiritur inter actum formalem, & potentiam substantialem, non autem inter agens, (quod dici potest actus actuans respectu passi, quatenus producit actum aliquem, seu formam in passo) & passum; Deinde vniuersim concedi potest, actum & potentiam esse simul, vel loco, vel saltem virtute, ita vt virtus agentis se extendat ad passum, modo explicato.

Probatur secundo, si non possit fieri actio in distans, nulla erit latitudo sphærę actiuitatis, agentium naturalium, quia agent tantum immediate in superficiem passi contiguam, si enim ignis, verbi gratia, ageret in partem aliquam diuisibilem, ageret immediate in distans, quælibet enim pars illius non est immediate coniuncta agenti, sed ab eo distat, quæ videntur esse cōtra communem sensum.

Probatur tertio. Agens secundum omnes suas partes agit in quamuis partem circumferentiæ, ergo in distans. Antecedens probatur, quia medium, per quod agerent partis agentis sunt partes, eadem qualitate imbutæ, ac proinde incapaces actionis aliarum partium, explicatur exemplo: ignis vnius pedis secundum partem, qua respicit orientem, agit in aerem adiacentem parti, qua respicit occidentem, & contra, quia nisi omnes partes cooperarentur, non posset producere calorem, in passo, vel medio remotiori, vel non ita celeriter, hinc enim petitur ratio, cur ex multitudine formæ crescat vis agēdi, saltem quoad modum, quia scil. quo materia est densior, & plures continet partes formæ vnitas, eo plura veluti agentia sunt viciniora passo, quę proinde facilius vincunt illius resistentiā, ergo supponitur, suppositum non agere non tantum per extimam suam superficiem, sed etiam per partes exteriores, & distantes à passo.

Probatur quarto. Si non detur actio in distans, nulla erit ratio, cur sensim debilitetur effectus, quo medium est remotius, maxime si medium non repugnet, per qualitatem contrariam formæ producendæ, verbi gratia, in illuminatione solis, aut candelæ, quia cum pars propinqua in propinquo possit effectum producere, & illa in alteram remotiorem, & sic deinceps, non dabitur terminus actiuitatis, neque agens deficiet, accedente maxime peculiari simul influxu ipsius agentis, (vt quidam explicant,) imo quo remotius erit medium eo celerius, & perfectius recipit effectū, quia omnes partes medii cum agente operabuntur, quæ sunt contra experientiam, per actionem autem in distans commode explicatur, quo modo virtus immanens agentis sensim debilitetur, secundum habitudinē, ad partes passi, seu medii, minus, vel magis remotas, vnde oritur actio vniformiter difformis, à summo gradu, vsq; ad non gradum est difformis, quia quælibet pars medii habet inæqualem gradum effectus, & vniformis, quia in ea proportione, qua pars medii distat ab agente, minuitur perfectio effectus in illa parte.

Probatur quinto. Agens aliquando effectū suum producit in distans, Antecedens probatur primo, in magnete attrahēte ferrum, partim abstractiuam, magneti dissito immediatē impressam, quia mediam non videtur capax istius virtutis, imo & natura illius postulat produci immediate in distans, quia ordinatur ad coniunctionem rei distantis. Secus est de vi diuulsiua, quæ ordinatur ad rei separationem, simile est de osse milui piscis artum trahente, succina trahente paleas, & ramenta metallorum, &c. Secundo luna dicitur esse causa fluxus, & refluxus maris, per impressionem occultæ qualitatis, quæ non potest dici fluere, & diffundi per medium, sic enim non esset stabilis, & ordinatus ille effectus, quia medium vi tempestatis sæpe ita agitatur, vt necesse esset effectum variari, si dependeret à virtute illi inexistente. Idem est

de acu nautica, affrictu magnetis temperata, quæ septentrioni se obuertit, & polum arcticum semper, veluti in æquilibrio fixa demonstrat, quia scil. stella polaris vel partes cœli vicinæ, occultam qualitatem illi imprimunt, causam huius effectus. Quæ si diffunderetur per medium, videtur posse impediri ab effectu, per agitationem vi tempestatis.

Probatur sexto. Agens sæpe intensius agit in remotius, quam medium vicinius, ergo tali casu agit in distans, consequentia patet, quia ille excessus qualitatis passi remotioris, immediate debet prouenire ab agente principali. Antecedēs probatur, quia terra & aer, iuxta terram intensius calefiunt à sole, quam media aeris regio, vel partes aeris aliquanto à terra remotiores, & stellæ intensius lumen recipiūt à sole, quam aer, aut terra, interiecta, quæ tamen sine comparatione sunt soli viciniora, & speculum concauum soli expositum, per lumen & calorem accendit stuppam, aere interiecto parum calefacto.

Probatur 7. Sol multo clarius, & perfectius illuminat partes aeris, quas per fenestrā apertam directe respicit, etiamsi sint paulo remotiores, quā eas, quæ sunt ad latus fenestræ, ergo lux solis intensius illud lumen immediate producit in distans. consequentia probatur, quia si illuminatio partium remotarum tantum fieret mediāte parte proxima medii, quæ est intra latera fenestræ, & non immediate à sole, omnes partes æquæ vicinæ illi medio aquæ illuminarentur, quia illa pars medii imbuta lumine, est agens naturale, ac proinde agit in sphæricam, ac æqualiter versus omnem partem sibi vicinam, cuius tamen contrarium clara docet experientia. Si dicas vim directam illam solis esse fortiorem, quam sit obliqua. Resp. secundū aduersarios, vis soli inexistens, & per directam lineā passum respiciens, nihil immediate confert distanti, sed tātum lumen inexistens aeris intra latera fenestræ, atqui illud lumē tam directe respicit partes, quæ sunt ad latus fenestrę, quam quę sunt ex opposito. Si dicas cum Suaretz & aliis quibusdā, In virtute solis assistentis aerem intensius illuminari. Resp. vel sol assistens, & remotus attribuit aliquam intrinsecam medio, vel non, si prius, ergo mediū adhuc agit æqualiter ad omnem partem circumferentiæ, quia vis illa communicata agit naturaliter, si posterius, ergo operatur immediate in distās, quia sol seipso cum aere propinquiori influit in passum distans, & hoc est, quod intendimus, simile fere ex experientia videmus in igne fornacis longe vehementius calefaciente corpus directe oppositum ori fornacis, etiamsi paulo remotius, quā positum ad latus, quamquam hoc subinde referri possit in exhalationes igneas, quæ ex fornace prodeunt, & in directum vibrantur.

Probatur 8. si subito claudatur os fornacis, vel corpus solidum, vt asser interiiciatur, inter ignem & manū, ilico cesset vehemens ille calor, qui producebatur ab igne, & tamen medium passo vicinum retinet totum pene calorem, quem conceperat, à quo enim tantillo tempore esset destructus, maxime cum aliquo vtq; sit aeri connaturalis, ergo signum est calorem illum intensum proficisci immediate à vi calefactiua, intrinseca ignis: Deniq; per actionem in distans commode explicatur, quomodo medium non moueatur motibus contrariis, in reactione, de qua *in libris de gener.* quod alioqui est difficile intellectu.

ARTICVLVS TERTIVS.

Explicantur aliæ quædam probationes.

MVltæ aliæ experientiæ afferri solent in probationem nostræ sententiæ, quæ tamen minus vrgent, & circa actionem in distās explicari commode possunt. Primo pōdus lebetis moderate calet, aqua in eo feruescente, non quod ignis intensiorem calorem traiiciat in aquam, sine medio, quia pondus est subiectum, melius dispositum ad excipiendum calorem, & magis approximatum. Vnde nulla est ratio intensius operandi in aquam distantem, fit ergo eo modo, quem aduertit Aristot. *sect.* 24. *problematum q.* 5. & explicat Suaretz *disp* 8. *sect.* 8. *n.* 2. scilicet initio pondus lebetis, aqua pleni, satis intense incalescit, quia aqua densa adhuc est frigida, & calidas & ignitas exhalationes detinet in fundo, quę paulo post aqua sensim calefacta & rarefacta ascendunt, grauioribus simul & frigidioribus aquæ partibus ad imum descendentibus, q̄ assiduo succedunt in poros, in quibus calidæ illæ exhalationes continebantur, Vnde quicquid caloris

est in

[illegible] parte remotiori, id primo fuit in vici-[illegible]. Quæ explicatio ex eo probatur, quod [illegible]ndo totum corpus aquæ feruidum est, [illegible]dus etiam magis incalescat. Similimodo [illegible]icanda est experientia de oleo chartæ im-[illegible]o, cui si ignis subiiciatur, Charta illæsa [illegible]ftuat, & incalescit, vt oua etiam in eo [illegible]antur.

[illegible]cunda, fascinationes & contagia, quæ [illegible] naturaliter, per solum aspectum, fiunt [illegible]nmissionem noxiæ, & venenatæ alicu-[illegible]ialitatis, quæ continetur in naturali, vel [illegible]atitio corporis temperamento, & spiri-[illegible]ficit vitales, qui ex oculis fascinantium [illegible]iuntur, & vibrantur in eos, in quos at-[illegible]ıs figunt aspectum, studio nocendi, ex [illegible] inuidia, &c. Huiusmodi autem fascino [illegible]itur tenelli infantes, quibus ob teneri-[illegible]em temperamenti, hoc malum facile [illegible]. Inest autem hoc virus maxime vetulis, [illegible]ffæta sunt ætate vt notauit Diu. Thom. [illegible] satis patet. Vide Leonem Varum *libro de* [illegible]*o.* Simili modo explicatur, quod basilis-[illegible] su & sibilo dicatur interimere, vt Alber-[illegible]. *de apprehensione p.* 1. & alia animalia de[illegible] s Plinius *lib.* 8. *cap.* 21.

[illegible]rtio Torpedo pisciculus stupefacit ma-[illegible]ius, qui se arundine, vel filo tetigerit, ad-[illegible]iscatores retia laxare cogantur, vt Plin. [illegible] 21. & Aristoteles *lib.* 9. *de historia anima-*[illegible] 37. notant, sed qualitatem illam stupe-[illegible]tem non producit immediate in ma-[illegible] sed potest dici diffundere per medium, [illegible] tamen non apparet effectus, quia stu-[illegible] hebetudo sensus. Hinc teste Aristotele [illegible]*cato.* Piscis ille abdit se in limo fundi, & [illegible]antes pisces, quos appetit, eadem quali-[illegible]upefacit, & stupefactos corripit.

[illegible]arto, Naphta & candela recens extin-[illegible] aliquo spacio ignem concipiunt, non [illegible]tionem in distans, sed quia dum naphta [illegible]ncaluit, & candela recens est extincta, [illegible]nt pingues spiritus, qui dum ignem at-[illegible]it, flammam concipiunt, quæ per fu-[illegible] serpit vsque ad corpus fumigans, sic vi-[illegible] candelam non accendi à candela vici-[illegible] nisi fumus extinctæ attingat flammam [illegible]lææ accensæ.

[illegible]into, lupus inducit raucedinem homi-[illegible] è loco etiam remoto, sed non per a-[illegible]m in distans, quia soli timidi raucedi-nem contrahunt, viso lupo, quia timor cogit spiritus ad cor, quibus destituta membra, quæ ad vocem formandam concurrunt, fit vt ægre clamare possint, non enim omnes lupos aspicientes raucescere docet quotidiana experientia, & de se ipso testatur Scaliger *exerc.* 344.

Sexto, viri quidam principes in mensa collocant cornu cuiusdam serpentis, quod præsente veneno sudat, non quasi venenum cibis inexistens agat in distans, & partes illius cornu resoluat in humorem aqueum, sed quia cornu habet in se qualitatem venenatam, ratione cuius symbolizat cum veneno, cibis permixto, & attrahit vapores è cibo exhalantes quos frigiditate sua condensat, & vertit in humorem, vnde humectatio illa tantum est extrinseca, superficialis, qualis apparet in humoribus tempore humido.

Septimo. Ruta herba lætissime prouenit ficu, à qua tamen non tangitur, non per actionem in distans, sed quia ficus veneficas qualitates diffundit per aerem, quæ Rutam iuuant, cum enim sit calidissima, multo succo indiget, ac pingui exhalatione, à ficu frigida, & succulenta roboratur.

Octauo, Phantasia residens in capite mouet appetitum sensitiuum, existentem in corde, non immediate, sed quia facta apprehensione rei conuenientis, vel disconuenientis, spiritus vitales & humores concitantur, in corpore, & spiritus statim confluunt ad partem corporis, vbi residet potentia, cuius obiectum est apprehensum, vt scili. potentia illa actum suum possit elicere, v. g. dum quis imaginatur grauem iniuriam sibi illatam, ilico spiritus in arteriis contenti concurrunt, & excitant potentiam irascibilem, ad actum vindictæ, & ad imaginationem cibi gratioris spiritus concurrunt ad stomachum, & excitant appetitum, ita vt os repleatur aqua.

Nono, obiectum sensibile diffundit per totum medium species sensibiles, & cum ex quorundam sententia species non sint actiuæ, & productiuæ sibi similium, illæ, quę sunt in extima parte medii, immediate procedunt ab obiecto sensibili, adeoque per actionem in distans. Verum cum communis sententia sit: species etiam effectiue concurrere ad actum sensationis vitalem, dici etiam potest, esse actiuas, & sic eadem erit ratio specierum, & luminis.

& luminis producti in medio à corpore luminoso.

Decimo, locutio Angeli fit ad Angelum distantem, idque, vt videtur per actionem, qua tribuit illi facultatem intelligendi cogitationem liberam, quam antea non poterat percipere, aliquid illi de nouo imprimendo, scilicet species intelligibiles, vel illas saltem modificando, cuius effectus, cum medium plane sit incapax, videtur fieri per actionem in distans. Verum de modo locutionis Angelorum, variæ sunt Theologorum sententiæ, & res est difficilis, Verisimilius est, non fieri per actionem transeuntem, quia non potest commode assignari terminus illius actionis. Non species intelligibiles, quia illæ sunt angelis infusæ in creatione, non ipsa intellectio angeli, quia ipsum obiectum supponit proportionatum, quale non sunt species intelligibiles, neque fieri potest, per sympathiam naturalem, angelorum inter se, quia vt bene notat Suarez, difficile est explicatu, quomodo duæ facultates radicatæ indiuersis substantiis, habeant inter se necessariam concomitantiam, in agendo, quæ simul dependeat à libero arbitrio, & non agat naturaliter. Deinde saltem sympathia illa non sufficit ad locutionem illuminatiuam angeli superioris ad inferiorem. Dico ergo, fieri per specialem Dei concursum, qui dum vnus angelus sua secreta dirigit ad alterum, ei loquendo, Deus potentem reddat illius intellectum, ad vsum specierum, si illas habeat, vel etiam species, de nouo indat, vnde tota manifestatio effectiue prouenit à Deo, & non ab Angelo loquente.

ARTICVLVS QVARTVS.

Respondetur ad argumenta sententiæ negantis actionem in distans.

Dices primo, si daretur actio in distans, posset dari actio in distans, interiacente vacuo, quod aperte negat Aristoteles, *primo Meteoror.* Vbi dicit, idcirco mundum hunc inferiorem contiguum esse corporibus cœlestibus, vt ab eis virtus horum inferiorum regatur, insinuans, non posse hæc inferiora p[...] cœlestibus, si intercedat vacuum.

Resp. inprimis Aristotelem propende[...] oppositam sententiam, sed sicuti comm[...] ter doctrina ipsius reiicitur, qua negat p[...] bilem esse motum localem in vacuo, si d[...] tur, ita parum refert, si idem censeat de n[...] alterationis: ad argumentum igitur, sep[...] authoritate, concedo sequelam, incred[...] enim videtur, quod sol non posset illumi[...] hæc inferiora, vel etiam orbes subiecte[...] intercederet vacuum vnius palmi inter c[...] solis, & orbes inferiores, & quod lucule[...] ignis non posset calefacere manum a[...] tam, si interiaceret vacuum spacium vni[...] giti, & sic de cæteris.

Ob. secundo. Si medium non recipia[...] tutem diffusam ab agente, non fiet act[...] distans, positam intra sphæram actiuita[...] gentis, ergo euidens signum est actione i[...] corpus distans effectiue dependere à vi[...] diffusa per medium, & non immediate [...] tute intrinseca agenti. Consequentia [...] quia si virtus agenti inexistens possit i[...] diate educere è potentia passi distanti [...] ctum, non oberit, quod medium non a[...] tat, vel contineat in se affectum. Antec[...] probatur experientia, quia si ante passu[...] situm alioqui intra sphæram actiuitatis [...] tis, statuatur Corpus aliquod densum, [...] dietur actio in corpus illud distans, qu[...] semoto statim mouetur, vt si inter ign[...] manum interiiciatur asser, inter solem [...] rem cubiculo inclusum fenestra, bene [...] inter visibile & aspectum nostra corpu[...] cum.

Respon argumentum illud partem [...] uam reddere valde probabilem, quia [...] regula prudentiæ est, non recedere ab [...] opinione, quam rationes, & experient[...] clare probant, licet difficultas aliq[...] possit satis explicari, aliquo vsque sal[...] gumento satisfaciemus: Respond. igi[...] gando consequentiam. Non enim se[...] medium potest impedire actionem in[...] tius, ergo si fieret actio, fieret per vi[...] medio communicatam, vt habet ar[...] tum, quia calidum, vt octo calefacere[...] corpus vt octo, si non impeditetur à f[...] vt quatuor, non tamen mediante fri[...] quatuor potest calefieri aliud vt octo,

, si quis proiiciat lapidem, vel ageret ro-, lapis & rota agitantur vi impressa, si in m virtutis illius agitentur, & si occurrat pedimentum, non agitabuntur vlterius, ex tamen non sequitur, illud quod impedit, ere efficere motum, si vlterius agitaren-Ratio igitur, cur agens non attingat corpositum retro, impedimentum est, quia l impedimentum terminat sphæram acti-tis, agentis ob suam operationem, & den-em, ita vt corpus retro positum, non sit a sphæram, sicuti ante erat.

ices, corpus densum non aliter contra-phæram actiuitatis, agentis, quam ad-it in se, & singulis eius partibus virtutem tis, mediante qua fieret actio in retropo-n.

esp. illud esse signum à posteriori, à priori ır contrahit sphæram agentis, quia est a, cur virtus intrinseca agentis non perua-irtualiter per imperium, & efficatiam, m illud medium, quod sua densitate, & citate æquiualet magno spacio medii ra-diaphani. Vnde consequenter etiam im-t productionem effectus in se ipso, & par-s remotioribus.

ices, non potest intelligi, quomodo im-atur à corpore denso, metaphorica illa & ıalis persuasio, cum nihil ponat reale in io, quod possit retundi.

esp. cum persuasio illa non fiat ad quan-vis spacium, eo quod virtus agentis sit tata, potest terminari à spacio maiori, quasi retundendo positiue, sed negatiue, on excipiendo effectum illius virtutis, se-lum efficaciam peruadentis, vt aer adeo otus à candela, vt lumen non recipiat, inat sphæram actiuitatis, agentis, nihil tiue retundendo. Vnde eo præcise non lucitur effectus, in re magis distante, d virtus agentis, eo vsque non extendat, eri potest, vt agens non agat in corpus contiguum, si videlicet & densum sit, & i qualitati contraria imbutum, vel quali-eiusdem rationis, cum tamen alioqui o-um consensu posset agere in contiguum oosito à se diuersum, vbi non intervenit æsentatio, alicuius effectus, cum nullus Ita cogitandum est, non posse agere in si-corpus, à se remotius, neque illud pene-, vt agat in sequens retropositum, & quo-modo intelligitur agens, hoc modo impedi-tum non agere in propinquum, ageret autem sublato impedimento, immediate per virtu-tem sibi intrinsecam, ita intelligi potest, non agere in distans, propter impedimentum, quo ablato ageret immediate, & non tantum mediante virtute medio impressa, & cum non videtur vlla ratio implicantiæ, cur saltem nō sit possibilis creaturæ, quæ virtute ibi imma-nente, rem distantem immediate possit im-mutare producendo aliquem effectum, quo modo illud haberet se in possibili, eo modo habere se de facto, & ex huiusmodi impedi-mento tantum colligitur, omne agens prius natura agere in spacium propinquum, si ha-beat corpus capax effectus, quam in remo-tum, ita vt quandiu vis actiua est impedita, ad superandum propinquum, nihil efficiat in di-stans, non autem sequitur, agere tantum in corpus propinquum, secundum superficiem contiguam, & illud deinde agere in sequens, & sic deinceps sed tantum, vbi sistitur propter impedimentum actiuitatis, respectu prioris, ibi sistitur respectu posterioris.

Dices tertio. Si detur actio in distans, agen-tia naturalia non habebunt determinatam sphæram actiuitatis, sed poterunt agere ad quamuis distantiam, eo quod non sit supe-randum medium, in quo vim suam impende-rent.

Respond. negando sequelam, quia limita-ta virtus cuiusque agentis, determinat sibi sphæram, in virtuali sui extensione, vltra quam non possit agere, etiam remotis omni-bus impedimentis, adeo, vt si daretur corpus luminosum, ea magnitudine, qua est vniuer-sus orbis, adhuc posset à Deo creari aer in tanta copia, adeoque diffusus, vt non possit illuminari secundum omnes partes.

Dices quarto, nihil agit, vbi non est, sed a-gens non est spatio distante, ergo ibi non o-peratur.

Respond. negando maiorem, quia ex eo sequeretur, non agere etiam in propinquum, quia non est in spacio, qui occupat propin-quum, & de ratione agentis, actionis trans-euntis est, vt operetur vbi non est.

Dices quinto, Natura adeo constanter re-fugit vacuum, ne se impediatur actio defectu medii.

Resp.

Respond. refugere vacuum, quod per connexionem melius conseruetur, & quia affectat vnitatem.

Dices sexto, ex operatione Dei in aliquo loco infertur intima ipsius præsentia, secundum substantiam, ita sancti patres passim, & S. Paulus *act.* 17. non longe, inquit, est ab vnoquoque nostrum, (rationem reddit) in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, & *Psalm.* 138. Probat Dauid, Deum esse in extremis maris, quia manus ipsius eo deducit.

Resp. Præcise ex operatione non sequi, euidenter Deum intime, vel etiam extrinsecus, rebus esse præsentem, sed tantum ex modo operandi, qui non potest conuenire, nisi supposito secundum essentiam infinito, quia scilicet intime cooperatur, conseruat, &c Vnde bene sequitur, consecutiue agens infinitæ virtutis esse præsens, & quidem intime omnibus rebus, ita fere Theologi 1. *p. q* 8. Vide Greg. Valent. *tomo* 1. *disp. in* 1. *p. q.* 8. *puncto* 1. sequitur etiam, præsentia Dei ex operatione, per argumentum à similitudine attributorum Dei, & infinitate ipsorum, hoc modo, Deus vbique operatur, ergo vbique est, quia tam illimitata est ipsius essentia, quam potentia. Valet etiam ratione subiecti, sic scriptura ex præsentia Dei colligit, ipsius scientiam, quasi dicat, adest, ergo scit, & videt, vt *Ierem.* 23. Si occultabitur vir, & ego non videbo eum, dicit Dominus, nunquid cœlum, & terram ego impleo, supponitur scilic. subiectum præsens esse intellectuale. Ita hic supponitur, subiectum operans, esse perfectissimum, & operari ex virtute, & essentia simpliciter infinita, alioqui, si per impossibile Deus omnipotens non esset immensus, videtur dubium, an infinita illa virtus immediate in agens operari posset, cõsequenter, quia necessario omnibus rebus præsens est, ita vt à nullo possit distare, in distans operari, non potest, velut ex accidente. Vnde colligo agere in distans, supponere quandam imperfectionem, non quidem operationis, (quæ ex hoc quidem est perfectior,) sed suppositi, operantis, scilicet esse limitatum & circum scriptum, sic vt non possit esse præsens suo effectui, per substantiam.

(***)

QVÆSTIO XXII.

Vtrum possibilis sit reproductio eiusdem numero effectus corrupti.

CErtum est apud omnes Catholicos possibilem, respectu causæ primæ, creatæ, saltem quoad res permanentes. ex resurrectione, quæ est reparatio eoru numero hominum, & ratio est, quia in potentia non exhauritur vnica reprodu ne, & res in se est possibilis, semel auten tisse, non dat illi possibilitatem, essendi quia non habet essentialem depende ab hoc, vel illo tempore, neque quoa neque quoad produci, alioquin enim posset Deus eam quoduis tempore pro re, etsi non exritisset. Difficultas igitur e id possit causa secunda.

Affirmant Scotus, *in quarto dist.* 43. *q* & Rich. *ibidem quæst.* 1. *a.* 3. & probabile Toletus, 2. *de gen. c.* 11. *q. vlt.*

Resp. Verius est, eundem numero effe corruptum naturaliter non posse repr Est communior sententia D. Thom. *qu q.* 5. Dur. *in* 4. *dist.* 43. *q.* 1. 23. Gabrielis & rum *ibidem.*

Probatur primo authoritate Arist qui id dare docet 2. *de gener. cap vlt.* & *pr anima c.* 3. Ratio potissima est, quia di numero actionibus non potest natural dem numero effectus conuenire, sed act productiua effectus corrupti esset diuer mero, ab illa, qua primo fuit productus non terminaretur ad eundem numer ctum. Maior probatur, quia actio est e in fieri, ergo diuersæ actiones non tern tur ad eundem effectum. Minor pro quia illæ actiones haberent diuersas n circumstantias, vel omnes, vel aliquas, bus effectus extrinsece saltem determi ad singularitatem, quæ determinatio e seca inuoluit aliam intrinsecam, secu entitatem, licet hoc sensui non ita pate enim licet in re dispari obiectum, quod trinsecum, actui, illum determinat tan cundum speciem, scil. extrinsece, ita tan ex diuerso obiecto specie recte inferat trinseca, & essẽtialis specifica diuersitas

Ob. 1. Ergo etiam respectu Dei impossibi-is erit reproductio, quia actio reproductiua rit numero diuersa.

Resp. negando illatum, quia potentia Dei ıfinita, vtpote illimitabilis, non determina-ır à circumstantiis, sed eundem numero ɔncursum potest sæpius tribuere, & eundem ımero effectum sæpius reproducere, & qui-m quouis tempore & loco, siue generatio-;, siue aliter.

Obiic. 2. Detur idem numero agens, eadem rs materiæ, seu idem subiectum, eodem odo dispositum, vt in prima productione, ıod naturaliter fieri nihil implicat, poterit ɔroduci idem numero effectus.

Resp. 1. naturaliter non posse dari easdem mero dispositiones, si agatur de effectu ac-entali, qui non indiget dispositionibus sitiuis, vt v. g. est lumen.

Resp. secundo. Saltem tempus fore nume-diuersum, vnde & diuersa erit numero a-o, nec refert, quod tempus sit extrinsecum, ia id quod indiuiduat extrinseca, in ordine icet ad productionem, potest esse extrin-um.

ɔbi. tertio, Si partes corporis homogenii, is, v. g. aquæ, terræ, separentur, & iterum antur, vti fit, idem numero elementum, ɔd per separationem erat corruptum, re-abitur.

ʀespond. fore diuersum numero, in ratio-continui, secundum quam erat corruptũ, separationem, quia sc. est diuersa numero o partium.

ɔbiic. quarto. Materia habet potentiam uralem, ad formam semel amissam, ergo ur agens naturale, potens illam intro-cere. consequentia patet, quia omni po-tiæ naturali passiuæ respɔndet actiua na-alis, antecedens probatur, quia poten-materiæ est ipsa entitas materiæ.

ʀesp. ad antecedens, potentiam materiæ ad mam semel amissam, esse primam & remo-, seu potius obedientialem quæ respicit uam supernaturalem.

ɔbiic. quinto. Experientia docet, eandem nero actionem posse diu continuari na-liter, vt patet in visione, intellectione, & c ɔ naturaliter poterit reproduci.

ʀespond. negando consequentiam, quia interruptio illa impedit vnitatem & constituit dualitatem actionum.

Denique hanc sententiam probat communis sensus fidelium, qui censent, resurrectionem esse opus diuinæ potentiæ, non tantum quoad modum, quod scilicet in momento, in ictu oculi, fit per agenda, sed etiam quoad substantiam, si autem naturali virtute idem posset reproduci, id non esset verum.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum idem numero effectus adhuc existens, diuina saltem virtute possit reproduci?

Fatentur omnes, id naturaliter fieri non posse, alioqui enim idem posset esse naturaliter in duobus locis, vt si in loco distincto reproduceretur, vel naturaliter, aliud penetraret in eodem loco, & res tot habet difficultates, vt vix supernaturaliter videatur posse fieri.

Respondeo. Diuina virtute potest, idem numero effectus, adhuc existens reproduci, & sæpius poni in rerum natura. Ita communiter recentiores.

Probatur; quia idem numero effectus latet infinities in potentia infinita creatoris, vt manente perfecta ipsius bonitate, & entitate numerali, sæpius possit produci, & semel existere non confert rei incompossibilitatem essendi.

Probatur secundo, res spirituales, saltem creatæ, vt Angeli, & animæ rationales, sunt sæpius replicatæ secundum se totas in vno, eodemque indiuiduo, ita vt quælibet sit sæpius ipsa tota, & in toto loco adæquato, & in singulis eius partibus tota existat, adeo vt quodammodo sint diuisibiles, & entitates replicatæ, ex quibus constat, à se mutuo saltem diuinitus posse separari, non tantum loco, & situ, sed etiam in locis discontinuis, per dissolutionem vnionis ipsius substantialis, qua entitates illæ replicatæ inter se vniuntur. cur enim non posset Deus simul cum capite hominis separare animam informantem, etiam eadem relicta in corpore.

Probatur tertio, Corpus Christi Domini adhuc existens in cœlis, sæpius reproducitur,

 dum

dum accipit esse modo sacramentali sub speciebus Panis & Vini, per consecrationem, adeo vt etiamsi desineret esse in statu naturali, in cœlis maneret tamen sub speciebus, non enim intelligi potest, constitui sub speciebus, per actionem adductiuam, cum remaneat in cœlis, ergo per veram actionem substantialem, quæ terminetur intrinsece ad substantiam Christi Domini, quam propterea sancti Patres vocant transsubstantiationem: ergo hæc reproductio non inuoluit contradictionem.

Obiicies primo. Reproductio rei existentis erit actio numero diuersa, imo & specie, à productione prima, ergo habebit terminum numero distinctum & non eundem.

Respond. negando consequentiam, quia supernaturali virtute idem numero effectus diuersis dependentiis potest acquirere esse, vt patet in reparatione hominis, per resurrectionem, quæ specie & numero distincta à prima & naturali ipsius productione.

Obiic. secundo. Actio est fieri ipsius effectus, ergo vbi sunt diuersæ actiones, sunt diuersi effectus.

Respond. Distinguendo consequens, vbi sunt diuersæ actiones, ex habitudine ad terminum, ibi sunt diuersi effectus, non autem vbi sunt diuersæ actiones, ex modo operandi. Constat enim, eandem rem successiue productam, conseruari posse actione simultanea, conseruatiua substantifica, quæ distinguitur à productione successiua.

Obiic. 3. Indiuiduum dicit indiuisionem, ergo non potest sæpius esse, quia alioqui esset diuisum à se, & consequenter esset vnum, & non vnum.

Respond. negando consequentiam. Ad probationem dico, fore rem reproductam, diuisam à se, non tantum secundum locum, vt quidam respondent, sed etiam secundum entitatem eandem, iterato productam, nam distinctio secundum locum, est quid posterius, & consequens distinctionem rei replicatæ à seipsa. Vnde etiam tolli potest, manente ipsa diuisione rei, vt si replicationes se mutuo penetrarent.

Ad antecedens igitur dicendum, indiuiduum, non negare omnem diuisionem, nec quamlibet diuisionem repugnare vnitati numerali, vt patet. Nam vnitati essentiæ diuinæ non repugnat diuisio, seu distinctio personarum, sed tantum negare diuisionem vnius indiuidui in plura. Iterata autem producti[...] tantum ponit diuisionem vnius indiuidui, i[...] seipsum sæpius existens.

Dices, si sæpius existat, ergo vnum er[...] plura.

Respond. Si per plura intelligas plura ind[...]uidua, distincta, negatur, si intelligas idem g[...]minatum, vel sæpius existens, concedo, s[...] improprie dicitur plura: hoc enim modo l[...]quendi significantur plures res, & entitate[...] indiuidualiter differentes, res vero replica[...] est vna eademque pluries.

Obi. quarto. Sic vni & eidem poterunt i[...] esse opposita, imo & contradictoria, ver. gr[...] summus calor, & summum frigus, saturita[...] fames, ebrietas, sitis, mors, & vita, salus [...] damnatio, quies & motus, accessus & rece[...]sus, respectu eiusdem termini, idem potet[...] seipsum à loco excludere, esse sibi ipsi de[...]trum & sinistrum, quæ videntur absurda. In[...] vnus homo poterit conflare numerosum a[...]ditorium, & exercitum vna exilis candela [...] luminare totum mundum, vnus equus ges[...]re omnes milites.

Respond. nihil horum esse absurdum, q[...] opposita non inerunt eidem omnino, secu[...]dum idem, sed tantum secundum idem rep[...]catum, seu secundo existens, sicuti eidem [...]sentiæ diuinæ insunt opposita, in diuersis pe[...]sonis, & eidem animæ secundum diuers[...] corporis partes, quas informat, potest n. de[...]nere, in formare manum aridã, vel præcisa[...] perseuerante informatione capitis, mo[...] secundum entitatem, qua informat manu[...] quiescere, secundum eandem entitatem [...]plicatam, qua informat caput, pectus, vel a[...] membra, & ratio est, quia eadem res sæp[...] habet esse per productionem geminatam, [...] secundum quamuis dependentem replicati[...]nem, est plane independens à seipso, secu[...]dum aliam replicationem dependentem. V[...]de eadem varietas admitti potest, in eadem [...] sæpius existente, per replicationem, quæ [...] diuersis, adeo, vt possint desinere secundu[...] replicationem, qua est in se Duaci, & perse[...]rare in eodem esse secundum gemination[...] suæ entitatis, quibus coexistit spacio pat[...] dextræ huius scholæ, & perseuerare secu[...]dum eandem entitatem, qua coexistit spac[...] pari

artis sinistræ, & anima rationalis annihilari, secundum entitatem, qua informat manum, & conseruari secundum eam, qua informat cætera membra. Nam tot sunt partiales productiones, quot in substantia ipsius sunt replicationes, quo fit, vt vna possit desinere, manente altera. Reliqua, quæ adduntur non sunt absurda, quia idem sæpius existens æquiualet pluribus.

Dices, difficile erit agnoscere diuersitatem numericam, indiuidualem, & dici poterit, os non esse numero diuersos, sed eundem hominem sæpius replicatum, quia accidentium illa diuersitas potest consistere cum entitate numerali substantiæ.

Respond. nullam esse rationem, cur Deus indiuidua promiscue replicaret. Vnde quæ sensu nobis videntur diuersa, numero sunt diuersa, etsi per Dei potentiam idem homo in statu naturali, ita vt videri posset, replicaretur, nobis tamen, quorum cognitio dependet à sensibus, & eo quod est ordinis naturæ, videretur numero distinctus, licet Angelus entitatem numericam eiusdem replicati distincte cognosceret.

QVÆSTIO XXIV.

Vtrum ens successiuum diuina virtute possit reproduci?

MAior est difficultas de successiuo, quam de permanente, vt videre est apud Conimbr. *quæstio. vlt in lib. de generatione.* Negant plerique Thomistæ, & Tol. 2. *de generatione vlt.*

Respond. Probabilius est ens successiuum diuina virtute posse reproduci, vide Suarez *disputat. 6. sect. 3. numero 6. disputat. 50. sect. 9. numero* 14.

Probatur, non est ratio, cur magis limitetur potentia Dei infinita, in productione rei successiuæ, à circumstantiis, ita vt non possit eadem numero reparare, quam in productione rei permanentis.

Confirmat. Potentia Dei extendit se ad omne id, quod non inuoluit contradictionem, sed reproductio rei successiuæ non repugnat: ergo. Minor patebit ex solutionibus argumentorum.

Obiic. 1. Implicat rem successiuam esse permanentem, sed si posset reproduci, posset esse permanens, quia qua ratione semel reproduceretur, poterit assiduo reproduci, vt non sit influxus, & sic erit permanens, ergo non potest reproduci.

Respondeo negando minorem, non enim esset permanens, ita vt eius partes simul existerent, quo sensu permanens opponitur successiuo, & de eo vera est maior, cum tantum esset permanens quod perpetuo reponeretur in rerum natura, cum eodem partium fluxu, sic motus dicitur permanere, id est, perseuerare, scilicet secundum exigentiam suæ naturæ, partibus post se inuicem fluentibus.

Obiic. secundo. Implicat simul conseruari omnes motus: ergo non potest reproduci, difficilior enim videtur reproductio, quam conseruatio.

Respondeo negando consequentiam, quia simultanea conseruatio partium est contra essentiam motus, de cuius ratione est, vt partes fluant post se inuicem, & aliquid futurum sit, quod nec dum sit, easdem vero partes reparari, vt iterum fluant, non est contra ipsius essentiam.

Obi. tertio. Continuitas est de ratione vnitatis entis successiui, sed id quod reproducitur, non continuatur cum eo, quod desiit, ergo non est vnum cum illo.

Resp. Idem argumentum posse fieri de permanente reproducto, dico ergo continuitatem partium eiusdem motus esse de ratione eiusdem motus, & ille erit in motu reproducto secundo, continuitas autem eiusdem, ad seipsum reproductum, vel replicatum, non est de ratione vnitatis illius.

Obiic. quarto. Non potest dari potentia ad præteritum, ergo successiuum non potest reparari.

Respond. Nego consequentiam, sensus enim antecedentis est, non dari potentiam, quæ efficere possit, vt præteritum non sit præteritum, vel id quod fuit, non fuerit. Hoc enim implicat, ex reproductione autem successiui, non sequitur præteritum non fore præteritum: Erit enim præteritum, secundum esse, vel secundum dependentiam, quam primo habuit, qua coexstitit nostro modo concipiendi moræ imaginariæ præteritæ, & simul erit præsens, secundum iteratam

dependentiam, & esse reproductum, quo existit moræ imaginariæ præsenti. Idem argumentum fieri potest contra reproductionem rei permanentis. Quod hic de mora imaginaria dicitur, id ita accipiendum est, sicuti corporibus locatis respondere concipiuntur spacia quædam imaginaria, à quorum coexistentia, & veluti connexione, dicuntur esse hic, vel illic, magis vel minus à se inuicem distare. Ita etiam rebus tempori subiectis, respondent tempora, seu moræ imaginariæ, à quarum coexistentia, & connexione dicuntur fuisse ante, vel post fuisse, simul fuisse, prout scilicet coexistunt, eidem vel diuersis moris imaginariis, & sicut res vna & eadem numero potest naturaliter coexistere diuersis spaciis imaginariis, successiue per mutationem loci, & simul per diuinam potentiam, si reproducatur in alio loco, ita etiam supernaturali virtute potest res successiue correspondere diuersis moris imaginariis, per reproductionem, vel etiam replicationem eiusdem esse: in hoc enim non est maior implicantia, quam in alio, nam quod mora illa imaginaria præterita, cui coexistit res successiua, in primo suo esse, non possit à Deo reuocari, & fieri præsens, cum nihil sit producibile, tantum probat non successiuam formaliter, & reduplicatiue, vt coexistentem tali moræ, non posse produci à Deo, sed illa coexistentia nihil superaddit entitati reali ipsius rei: Vnde poterit secundum veram absolutam suam entitatem reproduci.

Obiic. tertio. Si tempus, seu duratio motus cœli, quo mensurantur res sublunares, posset à Deo reproduci, possent redire omnes anni, qui fluxerunt à mundo condito, & annus natiuitatis Christi Domini, coexisteret, imo præcederet annum natiuitatis Abrahami, & possent omnes illi anni ita reproduci, vt tantum coexisterent moræ imaginariæ, vnius quadrantis.

Respondeo, illa nihil continere absurdi, respectu diuinæ potentiæ, nam sicuti corpus extensum ad mille pedes, ita condensari potest, & in vnum compingi vt tantum occupet spacium vnius palmi, ita etiam mille anni, ita reproduci possunt, vt coexistant tantum vni quadranti, & sicuti idem homo, secundum substantiam, reproduci potest parte materiæ, quæ in prima productione erat in pedibus, in reproductione, existente in capite, & contr[a] ita etiam partes motus variari possunt, [vt] illa, quæ in primo esse præcessit aliam, ea[n]dem subsequatur in reproductione. Quo t[a]men casu dabitur quidem tota entitas [o]mnium annorum, & totius motus, non t[a]men habebit rationem mensuræ tot ann[o]rum, quia ad rationem mensuræ, præter e[n]titatem realem, requiritur vt horæ, dies, me[n]ses & anni inter se coordinentur, & se mut[uo] debito interuallo subsequantur, sicuti si co[r]pus mille pedum contraheretur ad vnum p[e]dem, remaneret quidem tota illius entita[s] sed desineret ratione mensuræ mille pedu[m] & per variationem partium, quoad ordi[nem] variabitur tantum res successiua, acciden[ta]liter, erit tamen idem numero, secundum [es]sentialia, quia non est de ratione entis su[c]cessiui, vt hæc pars, verbi gratia, d sequat[ur] hanc determinatam partem a & præced[at] partem c, sed tantum requiritur vt pars [sit] post partem quæcunque illa sit determinat[a] illa coordinatio est tantum quid acciden[ta]le, sicuti in agitatione aquæ, qua aliæ par[tes] aquæ aliis immediate vniuntur, nihil pe[rit] substantiæ aquæ.

QVÆSTIO XXV.

An idem numero effectus, qui ab vn[a] causa totali est productus, fuisset pro[-] ductus ab alio, si eidem passo eodem tempore & modo fuisset applicatus?

QVæstio est conditionalis, & vtrinque s[a]tis probabilis. Negant Diu. Thom[as] *quodlib. 5. ar. 8.* Fonseca *5. Met. c. 2. q. 14. secti[o]ne tertia.* & alii.

Affirmant Scotus *in secundo distinct. 20. q* & alii.

Respond. Probabilior videtur pars affi[r]mans.

Probatur primo, quia hodierna cœli ci[r]cum volutio, si ab alia intelligentia fieret, [a]quali impressione, esset eadem numero, qu[o] modo est, non enim apparet radix aliqua d[i]uersitatis.

Probatu[r]

Probatur secundo. Identitas numerica fectus intrinsece prouenit ex identitate formæ, & materiæ, si illis constet, sed potest quodlibet agens, verbi gratia, ignis agere circa eandem partem materiæ, quæ est indifferens, ad quamlibet numero formā, ergo potidem numero effectus prodire à quolibet agente. Cur enim esset forma numero distincta, hic & nunc, ex hac parte materiæ, edicta ab hoc potius agente, quam alio.

Probatur tertio, si hic numero effectus non posset produci, nisi ab hoc numero agente, daretur essentialis quædam subordinatio huius indiuidui, respectu alterius speciei, quod non potest admitti, sequeretur enim processus quidam in infinitum, in causis essentialiter subordinatis, scilicet in indiuiduis, quorum productio multiplicari potest in infinitum, sine termino. Confirm. neque ex parte causæ, neque ex parte effectus requiritur causa singularis determinata ad hunc numero effectum, ergo potest à quolibet produci. Antecedens probatur, pro prima parte, non ex parte causæ, quia si hæc sit æquiuoca potentia ipsius extendit se ex natura sua ad totam speciem, & quodlibet illius indiuiduum, si vniuoca potentia illius, extendit se ad omnia indiuidua, quæ necdum extiterunt, modo intra eandem speciem non sint substantialiter perfectiora. Vnde non videtur verum, quod quidam imaginantur, quamlibet scilicet causam, singularem continere virtute certam quandam seriem indiuiduorum, distinctorum ab iis, quæ continentur in virtute alterius. Probatur pro secunda parte, non ex parte effectus, hic non determinat sibi causam aliquam in particulari, sed quantum est de se, potest tam ab vna, quam ab alia produci: cum causa sit entitati ipsius extrinseca.

Obiic. primo. Ergo omnis causa efficiens est causa per accidens sui effectus, & non per se. Sequela probatur, quia effectus ita dependet à qualibet causa, vt ab alia potuisset procedere.

Resp. neg. sequelam, ad probationem dico, hoc non arguere causam per accidens, sed causam sufficientem, & non necessariam. Ad rationem enim causæ per se sufficit, vt per se, & propria causalitate directe influat in effectum, quod hic fit, nihil vero impedit, quod alia similiter posset per se influere, esse enim causam per accidens proprie est concurrere indirecte.

Obiic. secundo: Vnus numero effectus naturaliter postulat produci per vnam numero actionem, sed diuersæ causæ totales non subordinatæ habent diuersas actiones, ergo non potest esse idem numero effectus vtriusque.

Resp. ad maiorem, ad actiones ex habitudine ad causam diuersas, consequi posse effectum identitatiue, seu substantialiter, eundem, quia non necessario substantialiter variatur productio rei, ex eo, quod procedat ab hoc, vel illo agente, sed accidentaliter tantum, vnde erit idem terminus, quoad entitatem, licet formaliter, prout est terminus talis agentis, & actionis relatæ, ad talem causam efficientem, variatur accidentaliter, vt si hic ignis productus fuisset ab alio igne, quam est productus, esset solum diuersus, per diuersam relationem effectus, quod fatetur Fonseca, *supr. sect.* 4. & certum est respectu diuinæ potentiæ. Fides enim docet, eundem numero hominem a Deo resuscitandum. Vbi tamen interuenit diuersa causa, & diuersa actio.

Petes, an idem numero effectus ab eadem causa efficiente diuerso tempore fieri possit.

Respon. affirmat. quia minus difficile est intellectu, eundem effectum posse prouenire à causa diuersa, diuerso tempore operante, quam à diuersis causis eodem tempore diuisim operantibus: Sed hoc diximus, esse probabilius ergo, &c. Ita Capreol. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 1. & Paul. Ven. 2. *de gener.*

QVÆSTIO XXVI.

An idem numero effectus possit produci simul à pluribus causis totalibus, non subordinatis.

HActenus contulimus eundem numero effectum, cum diuersis causis diuisim sumptis, hinc quæritur, an possit præcedere à pluribus causis simul & coniunctim sumptis, ita vt vtraque concurrendo influxu sufficiente ad plenam effectus productionem, producat id, quod alterutra seorsim eodem influxu produceret, si sola esset. Scot. *in* 2. *dist.* 20. *q.* 2. & multi

& multi Thomistæ censent, hoc repugnare, adeoque nec de potentia absoluta, posse fieri. Idem tribuitur D. Thom. 1. *p. q.* 52. *art.* 3. 3. *p. quæst.* 82. *art.* 2. *ad* 2. sed ibi tantum dicit hoc esse impossibile, forte intelligit naturaliter. Caietan. 1. *part quæst.* 52. *artic.* 3. & contra censet id ne quidem repugnare, per se, ex natura rei, siue ex vi causalitatis etiam naturalis, sed tantum forte ex accidente, ratione applicationis causarum, quæ naturaliter non possit ita fieri, vt plures causæ simul omnino eundem effectum producant. Eadem sententia tribuitur quibusdam Nominalibus.

Respon. & dico, primo, non implicat contradictionem, eundem numero effectum à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis simul produci. Vnde per diuinam potentiam id potest euenire. Est contra Scot. *supr.* Vid. Suar. *disp.* 26. *sect.* 4. *n.* 9.

Probatur primo, quia lumen in aere, ab hoc sole productum posset produci ab alio sole, quem Deus posset creare in nostro hæmisphærio, nam vterque agit, quantum potest, nec vlla est ratio dicendi, vnum potius attingere effectum quam alium.

Probatur secundo. Multi Thomistæ docent, Sacramenta Physice concurrere, vt instrumenta ad productionem effectus supernaturalis gratiæ, scilicet vel etiam characteris, verbi gratia, vel alterius, quo posito, si duo, vel plures sacerdotes simul omnino baptizarent, in eodem instanti indiuisibilis, absoluendo rationem formæ, gratia & character baptizati dependeret à duabus, vel pluribus causis. Similiter plures sacerdotes circa eandem hostiam simul omnino finirent verba consecrationis, transsubstantiatio fieret à pluribus, quod de facto subinde contingere verisimile est, dum multi sacerdotes recenter ordinati simul cum episcopo, celebrante consecrant.

Obiic. primo: Vnius effectus vna tantum potest esse actio, sed duorum agentium totalium duplex erit actio, ergo.

Respon. ad minorem: Verum esse, tot esse actiones, quot sunt agentia totalia, vnica enim actio tantum procedit à pluribus causis totalibus, subordinatis, ex quarum coniunctione integratur vnus influxus totalis, vel à causis partialibus. Hic autem ex supp-ositione sunt causæ totales. Vnde ma[...] non est vera respectu diuinæ potentiæ, q[...] licet actio sit via ad terminum, vel termi[...] in fiet, non tamen in multiplicata acti[...] necessario multiplicatur terminus; seu e[...]ctus, potest enim absolute vnicus termi[...] pluribus viis acquiri, seu idem effectus duo fieri, procedere, & pluribus dependen[...] dependere.

Obiic secundo: Implicat esse causam t[...]lem, & producere cum alia concausa, e[...]dem ordinis, hoc enim est esse causam p[...]tialem.

Respon. neg. assumptum, Ad probation[...] dico, causam partialem esse, quæ indige[...] requirit consortium alterius causæ, hic [...]tem concausa habet se tantum abundante[...] concomitanter.

Obiicit. tertio. Effectus integre produ[...]tur ab vna causa, ergo altera nihil p[...]ducit.

Respon. neg. conseq. quia ita produci[...] ab vna, vt non excludatur concomitantia [...] influxus alterius vtraque igitur producit [...]fectum.

Dices, effectus necessario pendet à ca[...] quod hic non fit, nam altera sublata, ad [...] poneretur effectus.

Respon. id verum esse de causa necessa[...] à qua sola potest talis effectus procedere, q[...]lis est homo, respectu risus, non autem de c[...]sa sufficiente, de cuius ratione est ita effect[...] producere, vt ab alia etiam causa possit pro[...]re, talis est ignis, respectu caloris, quia à [...] potest produci, & huiusmodi sunt duæ cau[...] totales eiusdem ordinis.

Obiic. primo: Maior est virtus duarum c[...]sarum, quam vnius solius, ergo duæ causæ, [...] plures terminabuntur ad plures effectus.

Respond. ad antecedens, esse maiorem [...]tutem extensiue, quæ sufficeret ad pluri[...] effectuum productionem, si conditiones [...]cessariæ adessent, scilicet aliud passum, [...]lia approximatio. Vnde negatur consequ[...]tia.

Obiic quinto: Non possunt esse mater[...] aut formæ eiusdem compositi, ergo nec [...]cientes. Respon. neg. consequent quia ma[...]ria & forma sunt causæ intrinsecæ, ad q[...]rum multiplicationem multiplicatur com[...]situm causæ, aut efficientes sunt extrinse[...]

io neque repugnat eandem formam plures materias informare, siue sui replicatione, si intime sibi sint præsentes.

Respon. & dico, secundo: naturaliter fieri non potest, vt idem effectus à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis, simul producatur, idque non tantum defectu applicationis, sed per se ex natura rei, etiamsi à Deo, in natura poneretur omnimodo æqualitas, actiuitatis, & applicationis agentium. Est communis omnium sententia, excepto Caietano, licet probatio sit aliquantum difficilis.

Probatur, quia vnicus effectus naturaliter postulat vnica actione produci totali, vt sicut habet vnum esse, habeat etiam vnicum sibi proportionatum, sed causæ totales eiusdem ordinis habent diuersas actiones ex dictis, ergo non possunt tendere in eundem terminum. Quare si duo agentia æque actiua eodem modo applicentur eidem passo, vt duo ignes eidem stuppæ, duo luminosa eidem aeri, operabuntur eundem effectum, vt causæ partiales, altera enim propter combinationem alterius non præbebit influxum adæquatum, & sufficientem ad effectum, sicuti Deus concurrens cum causis secundis, & consequenter tali casu Deus etiam moderatur suum concursum, vt cum singulis coniunctim non concurrat, sicuti concurreret si applicaretur diuisim.

QVÆSTIO XXVII.

Vtrum possit aliquid produci per creationem, & id lumini naturæ sit notum.

Fide certum est, non tantum creationem à Deo esse possibilem, sed & de facto cœlum & terram creasse, & indies creari animas rationales. Sed difficultas est, vtrum intellectus viribus naturæ lumine fidei hoc possit assequi.

Nota creationem dici effectionem rei alicuius, ex nihilo, rei dico subsistentis, vel habentis se per modum subsistentis, vt sunt accidentia existentia seorsim à subiecto, vnde illud proprie dicitur creari, quod nihil sui præsupponit, & in sua productione non dependet à materia, licet fiat in materia, vt anima rationalis.

Respond. lumine naturali potest demonstrari creationem esse possibilem. Est communis sententia D.Thom. *in 2. dist.* 1. *q.* 2. *a.* 2. Scot. *in dist.* 8 *q.* 1.

Probatur primo: quia viribus naturæ intelligi potest, materiam primam de facto esse productam, per creationem, ergo multo magis creationem esse possibilem. Antecedens probatur, quia cum materia prima sit imperfectissima, facile intelligitur, illam non esse à se, sed ab alio, quia esse à se, est perfectio omnium maxima, sed non potest esse ab alio, per generationem, generatio enim supponit subiectum, præexistens, ergo debet esse per creationem.

Probatur secundo: Aristoteles lumine naturæ deprehendit intelligentias motores orbium cœlestium, atqui clarum est, illas etiam non esse à se, cum sint limitatæ perfectionis, neque etiam productæ per generationem, cum sint substantiæ simplices, ergo.

Probatur tertio: modus operandi per creationem non inuoluit contradictionem, ergo conuenit enti perfectissimo, & omnipotenti, quod dari lumine naturæ notum est, vt suo loco probabitur.

Obiic. primo: Creatio fuit incognita Arist. Platoni, & aliis veteribus, ergo signum est sola fide cognosci.

Respon. neg. consequent. quia lumen ipsorum non extendit se actu ad omne obiectum luminis naturæ, quia in multis hallucinati sunt contra lumen naturæ, verbi gratia, materiam primam esse à se, cum clarum sit, & in Metaphysica ostendatur esse à se, conuenire vni perfectissimæ naturæ.

Dices secundo: Implicat nihil esse materiam rei creandæ, quod sequetur, si productio ex nihilo, seu creatio sit possibilis.

Respon neg. sequelam, quia particula ex in definitione creationis non dicit habitudinem, & concursum causæ materialis, sed termini à quo.

Obiic. tertio. Implicat dari productionem eius, quod tantum est in potentia actiua, & non passiua, sed creatio est talis, ergo. Minor patet, maior probatur, quia implicat dari productionem eius, quod tantum est in potentia passiua, & non actiua, ergo à pari.

Respon.

Respon. neg. maiorem. Ad probationem respon. primo, nihil posse in potentia passiua tantum, cum potentia actiua Dei extendat se ad omne possibile.

Respon. 2. neg. sequelam, quia dispar est ratio, nam potentia passiua dicit essentialem ordinem ad potentiam actiuam, vt aperte impossibile sit, subiectum cui conuenit potentia actiua, actuari, nisi detur aliquid vim habens actuandi, at vero potentia actiua non respicit essentialiter passiuam subiectiuam, neque agens passum, sed effectum tantum, vnde res produci potest ex nihilo.

Obiic. quarto: priusquam res ponatur in rerum natura habet esse essentiæ, ergo non fit ex nihilo.

Respon. nego conseq quia esse essentiæ tantum nihil est reale subiectiuum, sed sola possibilitas rei, aut non repugnantia, fieri autem ex nullo reali subiectiuo præexistente est creari.

Obiic. quinto: Si creatio esset possibilis, ens quantum ens esset producibile, quia creatio est productio rei, secundum omnimodam realitatem suam, sed hoc dici non potest, ergo &c. Minor probatur, quia alioquin Deus posset creari.

Respon. neg. sequelam maioris, quia illud in quantum accipitur reduplicatiue, hoc enim sensu & acceptione procedit minor, & eius probatio, si autem accipiatur specificatiue, ita vt significetur, ipsam rationem entis, & non tantum vt determinate generis ens est, esse producibilem, vera est sequela maioris, nam ratio entis finita est producibilis.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrum vis creandi sit Deo ita propria, vt non possit communicari creaturæ.

SVppono, vt certum, nullam creaturam de facto aliquid creasse, vt videtur definitum *in c. Trinitas de SS. Trin. & fid. Cath.* Quæritur igitur, an licet non detur facto creatura, cui connaturalis sit virtus creandi, vt colligitur ex eo, quod nullus hactenus eius fuerit vsus, cum fides agnoscat solum Deum creatorem, saltem possibilis sit creatura, cui connaturalis sit hæc virtus.

Respon. negatiue, ita vnanimiter schola[sti]ci, excepto Durand. D. Thom. 1. *p. q.* 45. & communiter Thomistæ omnes, Scot. [in] suis *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. Occam. *in* 2. *q.* 7. & quos citat Suarez *disp.* 20. *sect.* 2. vbi *in n[um.] & seq.* luculenta adfert S. Patrum testimo[nia] quibus hæc sententia aperte definitur, it[a vt] certa sit, licet probatio ex ratione sit d[iffi]cilis.

Probatur primo, Modus operandi d[ebet] proportionari modo essendi operātis ex p[rin]cipio, & axiomate Philosophiæ, sed cre[atu]ræ omnes etiam possibiles subiacent muta[tio]ni, ergo modus operandi creaturarum d[ebet] includere mutationem proprie dictam [&] versari circa materiam.

Probatur secundo, Virtus illa creandi c[rea]turæ communicata esset accidentalis, [qui]a substantia non est operatiua ad extra, sed [ac]cidens habet connaturalem modum esse [in] subiecto, ergo etiam operandi in subie[cto], scilicet in materia, ergo non poterit cre[are], id enim, quod creatur, fit per operatio[nem] extra subiectum.

Probatur tertio: Potentia creandi est a[bso]lute infinita, sed creatura est incapax virt[utis] absolute infinitæ, ergo. Maior probatur, virtus agendi independenter ab omni causa coefficiente, est absolute infinita, [&] in solo Deo potest reperiri, ergo similiter [vir]tus agendi independenter à subiecto. seq[uela] probatur à pari.

Probatur secundo maior, potentia pa[ssiua] & virtus actiua ita se habent, vt quantum [mi]nuitur potentia passiua, per recessum a[b a]ctum tantum debeat crescere virtus act[iua], maior enim virtus requiritur, vt lignum [viri]de exsiccetur per idem tempus, quam sem[iar]eum, quia viride magis recedit ab actu, [scili]cet siccitate. Si igitur potentia passiua mi[nui]tur vsque ad non gradum, id est, vt null[a sit], tunc virtus actiua crescet in infinitum, se[qui]tur enim aggradatione, & proportione, [ergo] vis creandi debet esse infinita, quia res[picit] non potentiam passiuam. Probatur te[rtio]: Si esset possibilis vis creandi, creata sequ[eretur] virtutem producendi ex aliquo ex se [in]æqualem virtuti productiuæ ex nihilo, [sed] hoc est absurdum, ergo, sequela maioris [pro]batur, detur virtus finita productiua ex [ali]quo, vt vnum, & virtus productiua ex nih[ilo]

...t decem, verbi gratia, (cum negetur esse infinita) & potentia passiua, quam respicit virtus productiua ex aliquo decuplo magis recedat ab actu. Hinc virtus actiuæ crescet in deculum, & per consequens, æqualis erit, vel perfectior virtute productiua ex nihilo. Probatur quinto. Virtus creandi non potest conuenire substantiæ, vel accidenti materiali, quia modus operandi non potest excedere modum essendi, substantia autem materialis vel est materia, vel immersa materiæ, scilicet materia similiter accidens materiale inest materiæ, ergo non possunt operari extra materiam, neque etiam spiritalis, quia hæc est actus quidam coniunctus potentialiter, ergo operatio eius debet esse coniuncta potentialitati, ita vt terminetur ad finitum, & simul etiam obiectum, ergo creatio. quæ non supponit subiectum, non potest ipsi competere Prior consequentia pro posteriore parte probatur, quia actu coniuncto potentialitati, necessario ..., vt habeat modum subiectiuum, respectu earum operationum immanentium, ita vt ea operatio non possit esse sua substantia, hoc enim est proprium actus puri: & ab huiusmodi substantia per se subiectiua non potest egredi actio, quæ non postulet subiectum, ergo nec creatio. Minor probatur, actio immanens requirit subiectum, ergo & transiens. Consequentia probatur, quia requirere subiectum, non conuenit actioni immanenti, ex natura sua, quia cum actio Dei ad intra sit immanens, & non exigat subiectum, est enim idem cum substantia, ergo actio creaturæ, qua talis etiam transiens, egreditur cum illa imperfectione, vt exigat subiectum. Hinc D. Thom. *quæst.* 3. *de potent. a.*4. eo, quod actio immanens Dei sit sua substantia, infert actionem ipsius transeuntem, non requirere subiectum, ergo à contrario, cum actio immanens creaturæ, necessario sit receptiua subiecti, etiam actio transiens necessario erit talis, & per consequens, non poterit esse creatio.

Obiic. primo, Concursus materiæ ad productionem formæ est finitus, ergo potest suppleri per virtutem finitam effectiuam, ergo creatio supponit virtutem finitam.

Respon neg conseq quia non semper concursus finitus in aliquo genere causæ supple potest per virtutem finitam, maxime in alio genere causæ, sic concursus subiecti ad existentiam accidentis est finitus, non potest tamen suppleri, nisi à Deo, qui solus conseruat accidens extra subiectum: Similiter concursus, quem præbet Deus secundis causis, ad operandum est ex se finitus, nihil tamen genitum potest supplere vires illius & effectus formalis subsistentiæ in creaturis, est finitus, non potest tamen suppleri ex communi sententia, ab illa creatura, sed sola subsistentia increata potest terminare alienam substantiam. Nec refert quod terminus huius concursus materialis, scilicet forma producenda sit finitus, modus productionis includit quandam infinitatem, sic vnus & idem effectus specie, imo & non pro diuersa sui origine & modo producendi requirit diuersam longe virtutem, vt patet in generatione hominis, & eiusdem reparatione.

Obiic. secundo: Deus in creatione præbet influxum finitum, ergo creatio non est actus potentiæ finitæ.

Resp neg. conseq quia licet influxus, prout identificatur termino, sit finitus habet tamen quandam infinitatem, ex modo sui egressus à potentia, vnde est actus potentiæ finitæ, quoad modum.

Obiic. tertio: Creatura potens creare non est quid inuoluens contradictionem, ergo à Deo potest produci.

Respon neg antecedens quia licet non implicet in terminis in re tamen implicat, sequeretur enim creaturam non esse creaturam, quia de ratione creaturæ est in opinione sua dependere à causa prima, & à subiecto, nam cum creatura omnis etiam possibilis sit actus admixtus potentiæ, ita etiam necessario habet modum operandi proportionatum scilicet per actionem, quæ sit admixta potentiæ, & supponat materiam, seu passum.

Petes, an possit creatura saltem eleuari à Deo, vt sit instrumentum creationis, licet enim ex dictis sequatur virtutem creandi non posse conuenire creaturæ, vt agenti principali quomodo vis productiua ignis conuenit igni, neque etiam vt instrumento naturali, siue ex natura sua ad creationem instituto, & accommodato, quo modo vis productiua conuenit calori, vel immediate, & intrinsece, attingendo effectum vltimatum agentis principalis, ex nostra sententia, vel saltem, vt alii,

 attin-

attingendo extrinsece, & producendo dispositionem connaturalem ad effectum vltimatum. Hinc tamen non necessario videtur sequi, creaturam posse saltem assumi, vt instrumentum potentiæ diuinæ.

Resp. Quæstionem istam extendere se ad plures difficultates Theologicas, & licet Suarez *disp.* 20. *sect.* 6. *nu.* 7. Franciscus Albertinus *corollario primo. ex secundo principio Phil. diff.* 5. & multi alii existiment, id posse fieri, oppositum tamen mihi videtur verius, cum D. Tho. 1. *p. q.* 45. *a.* 5. Fonseca & aliis.

Probatur, quia implicat creaturam eleuari diuina virtute, ad agendum aliquid Physice, per suam entitatem, absque alio superaddito, quod naturalem suam potentiam & virtutem excedat. hæc enim esset agere sine virtute actiua. vnde instrumentum Physicum, seu Physice concurrens ad effectum, debet habere proportionatum modo principalis, sed causa creata ex suppositione nihil in se habet, aut potest intrinsece accipere, quod sit proportionatum creationi, ergo non potest assumi, vt instrumentum Physicum potentiæ diuinæ.

Dices primo, Creatura habet potentiam obedientialem, respectu Dei, ad quosuis effectus, quouis modo operandos, saltem instrumentarie.

Respon. negando assumptum, quia oculus non potest eleuari ad videndum sonum, vel saporem, auditus ad audiendum colorem, &c. potentia obedientialis tantum extendit, se ad productionem effectuum, perfectiorum, per virtutem à Deo superadditam, alioqui non potest intelligi, in quo consistat illa eleuatio, si non sit communicatio alicuius virtutis.

Dices secundo, signa sensibilia Sacramentorum, vt aqua, vel ablutio pronunciati, formæ inunctio &c. sunt instrumenta Physica Dei, ad productionem gratię, characteris, &c. similiter verba cõsecrationis sunt instrumentum transsubstantiationis, panis in corpus Christi Domini, & ignis est instrumentum Dei, ad torquendos Dæmones, & animas separatas, ergo poterit etiã creatura esse instrumentum Dei, ad creandum, per eleuationem.

Respon. verius esse, ex ratione supra allata, Sacramenta quoad signa sensibilia, materiam scilicet & formam, esse tantum instrumenta moralia, & concurrere ad productionem effectus spiritualis, moraliter, sicuti sente[ntia] iudicis ad punitionem rei, chirographum [ad] solutionem debiti, &c. qui aliter docent [ex] D. Thom. 3. *p. q.* 62. tantum probant, ill[a] entitatem Physicam esse instrumenta, [quod] verum est, sed entitas illa Physica tantum [con]currit moraliter, & non Physice, cum ne[c im]mediate attingat effectum spiritalem, [nec] mediate producẽdo aliquam dispositio[nem] connaturalem effectui supernaturali spi[ritua]li, quia talis non datur, vel si daretur, esse[t et]iam supernaturalis, de qua esset eadem [diffi]cultas, sed de his fusius Theologi *loco ci[t.]* Idem dicendum de forma consecrationis [re]spectu transsubstantiationis. Quod ad ig[nem] inferni attinet, dissentiunt Theologi qu[omo]do torqueat Dæmones. Vide Suarez 3. *p.* [...] *disp. de purg.* Vasten. 1. *p. disp.* 243 Francis. A[lbert.] *corol* 4. *ex* 2. *princip. Phil.* dico breuiter, ig[nem] non esse à Deo eleuatum, sed agere natu[rali]ter, virtute sibi propria, sicuti dum torqu[et a]nimam corpori coniunctam, Deus tan[tum] supplet ex parte Dæmonis, vel animæ mo[dum] existendi, quem haberet in corpore. Vnde [di]cit D. Augustinus *l.* 21. *de ciuit. Dei c.* 10. ig[nem] inferni torquere Dæmones, sicut vrendo [ani]mam coniunctam, sicuti enim potest [vniri] spiritus carni, vt illi vitam communice[t, &] cum ea simul gaudeat & patiatur, ita p[otest] vniri spiritus, vt ab illo pœnam trahat.

QVÆSTIO XXIX.

An & quomodo Deo conueniat c[on]seruatio omnium rerum?

DVplicem agnoscunt Philosophi co[nser]uationem, vnam directam, siue sub[stan]tificam vt loquuntur, quæ est influxus [con]tinuatus effectiue communicans esse rei[, al]teram indirectam, qua scilicet robora[ntur] dispositiones necessariæ ad rei conserua[tio]nem, vel retunduntur contraria. Quæsti[o] est de prima.

Respon primo, Deus res omnes substa[ntia]lice conseruat. Est certum, Ita omnes Ph[ilo]sophi, Theologi & Sancti Patres. Vnde D. [An]selmus *in Monologia c.* 12 sicut inquit nihi[l fa]ctum est, nisi per creatricem potentiam, [ita] nihil viget, nisi per seruatricem eius po[ten]tiam. Vide alios citatos à Suarez *disp.* 21. *se[ct.]* *nu.* 4. & 5.

Pro

Probatur ratione, quia res omnes creatæ exigentia suæ naturæ, postulant influxum causæ primæ, vt sint, seu primo existant, ergo etiam, vt perseuerent, quia semper habent eandem naturam necessario dependentem.

Probatur secundo. Deus potest res quasuis proprie annihilare, ergo eas substãtifice conseruat, consequentia probatur, quia proprie annihilatio fit per mediam subtractionem influxus conseruatiui, seu per cessionem ab actione conseruatiua.

Dices, si ita res omnes à Deo conseruantur, per continuatum influxum effectiuum, qui potens est, & sufficiens, vt det esse rei, si non haberet, ergo res omnes etiam substantiæ permanentes sunt in perpetuo transitu, & fluxu, ꝙ tamen est peculiare rebus successiuis.

Respon negando illatum, tantum sequitur, esse in perpetuo quodam fieri, non tamen in transitu, & fluxu successiuo, quia fluxus significat vnam partem rei perire, alteram vero succedere, vt videre est in motu, per cõseruationem autem idem esse indiuisibile, continuo confertur, quæ communicatio licet sit indiuisibilis, ratione termini, coexistere tamen potest moræ, seu temporis successiue extenso, sicuti entitas indiuisibilis angeli coexistit spatio promanente extenso, & anima rationalis diuersis corporis partibus.

Respon. & dico secundo. Conseruatio substantifica substantiæ creatæ est Deo propria, & nulli creaturę conuenit, est communis sententia.

Probatur, quia vel substantiæ sunt incorruptibiles, vt angeli, & animæ rationales, & hæ, sicut pendent à Deo, in solo fieri, ita etiam in conseruari, vel sunt corruptibiles, & hæ nec pendent à corruptibilibus, quia quælibet substantia corruptibilis perseuerare potest etiam, postquam desiit causa producens, neque etiam ab incorruptibilibus, quia hæ non possunt educere formam è potentia materiæ, vt supra diximus, ergo nec substantifice, & intime conseruare: eadem enim est vtriusque ratio.

Respon. tertio. Conseruatio substantifica quorundam accidentium conuenit etiam effectiuis creatis, ita vt non sit propria soli Deo.

Probatur, quia sol vel aliud lucidum ita conseruat lumen in aere, potentia actus vitales obiectum sensibile, species sensibiles, mouens motum, & formæ elementorum, vt verisimile est, qualitates sibi connaturales saltem præsente contrario, quæ tamen conseruatio etiam immediate est à Deo, cum sit quædam operatio effectiua, omnis autem operatio creaturæ est immediate à Deo. Vide de his Suarez *supra sect.* 3.

Petes, vtrum huiusmodi conseruatio distinguatur à creatione?

Respond. conseruationem, vel creationem eiusdem rei non distingui, ex natura rei, sed sola ratione & connotato. Ita D. Thom. 1. *p. quæst.* 104. *art.* 1. & communiter Suarez *disp.* 2. *sect.* 2.

Probatur, quia illæ actiones non distinguuntur ex natura rei, quæ habent idem principium effectiuum, eundem terminum, idem subiectum, si detur & fiunt eodem tempore, nõ interrupto, sed hæc omnia reperiuntur in conseruatione & creatione eiusdem, ergo non sunt duæ actiones, distinctæ, sed vna. Maior patet. Minor probatur, quia effectus creatus, vt existens primo instanti suæ creationis, est idem secum, post illud instans, quia & terminus permanens, & indiuisibilis, qui totus est simul & initio durationis, & quouis alio instanti, eadem etiam est causa, scilicet Deus. Certum autem est, vnam & eandem numero actionem, aliquandiu posse continuari, vel ꝑ propriã successionem, vt est alteratio, cum scilicet terminus est diuisibilis, vel per virtualem, & eminentem successionem, si terminus est indiuisibilis, scil. substantia maxime spiritalis.

Dices, creatio est instantanea, conseruatio vero coexistit tempore, ergo realiter distinguitur.

Resp. ad Antecedens, illam productionem, secundum rem, quæ vocatur quandiu durat conseruatio, licet quoad nomen duret, solum primo instanti, eo quod creatio sit prima collatio esse, connotans negationem esse prius, non habitu, quod tantum conuenit actioni productiuæ, pro primo instanti, & conseruatio termini dici potest, esse in tempore extrinsece, per coexistentiam sc. cum tempore vero, vel imaginario, alioqui in se est indiuisibilis, & durat instanti permanenti, sic angelus ęque est indiuisibilis, dum coexistit spatio extenso, ac dum coexistit puncto indiuisibili.

Petes secundo. An productio naturalis procedens à causa creata, distinguatur à conseruatione substantifica Dei.

Respon. affirm. quia conseruatio est actio, diuersa à prima creatione, nam effectus primum vnum esse accipit ab influxu substantifico causæ primæ, & secundæ, in conseruatione vero à solo influxu causæ primæ, iam roborato, & se solo suffic ente, ad conseruendum, esse effectui independenter à coefficientia causæ secundæ, vnde non identificatur actioni causæ secundæ, cum actio causæ secundæ possit desiisse, in prima vero productione influxus Dei est quodammodo dimidiatus, & insufficiens, ad dandum esse, se solo independenter à causa secunda, quia tamen est idem influxus continuatus, qua Deus res conseruat, dici aliquo modo potest idem cum prima productione, sicuti calefactio quæ initio est remissa, & postmodum intensa, vel potius identitas, imperfecta desumitur à ratione viæ, & tendentiæ, quia tendit ad eundem terminum indiuisibilem. Quicquid sit, hæc distinctio actionum non includit distinctionem termini. Vnde sequitur, quando res ab alio pendet in conseruatione, quam in prima productione, vel ab eodem aliter influente, conseruationem esse diuersam actionem, à prima productione, vt si lumen à sole productum in aere conseruetur à face, & calor successiue productus ab igne, in ligno influxu simultaneo conseruetur à Deo.

Petes tertio In quo consistat distinctio rationis inter creationem & productionem eiusdem.

Respon. in eo, quod creatio connotet rem ante non fuisse. Conseruatio vero connotet rem ante iam fuisse.

Petes quarto. An actio replicatiua eiusdem rei dici deberet conseruatio, an creatio.

Respon. esse quid medium, non enim est proprie creatio, quia hæc est primo collatio ipsius esse rei, per quam res ex non ente fit ens, iterata autem productio est collatio esse, quod iam erat, non erat proprie conseruatio, quia conseruatio est eadem numero actio cum creatione: hęc autem non est eadem cum prima collatione.

Nota, nullam fieri mentionem conseruationis indirectæ: Constat enim illas rebus creatis competere, & distingui à prima creatione, homo enim producit hominem, a mentum autem conseruat, Deus materi primam, formam conseruat forma produ tur à causa efficiente, conseruatur à materi

QVÆSTIO XXX.

Ad quod genus causæ reducantur i strumentum & Idea?

NOtat Suarez *disp.* 17 *sect.* 2. nomen inst menti, seu causæ instrumentar æ, & n men principalis esse valde ambigua, & va tum à Philosophis, tum à Theologis su pro diuersitate sententiarum, in quibusd difficultatibus.

Primo, Causa principalis vocatur, qua peratur sine actuali præmotione, instrum talis, quæ cum præmotione, vt sunt inst menta artis, vt securis, serra, penicillus, q nisi mota à principali ex se nihil produ rent, assumpta autem ab artifice effici t motum localem, expellendo partes lig coniungendo colores, tabulæ, membrana quo moto varia vbi resultant, figuræ, ac p portiones. His instrumentis proxime a dunt ea, quæ concurrunt ad productior effectus, se nobilioris, vt habitus respecti ctus vitalis, & hæc acceptio instrument maxime propria, licet in hoc rigore rarius cipiatur.

Secundo. Causa principalis vocatur, q immediate attingit effectum, instrument quæ mediate tantum.

Tertio. Principalis dicitur, quæ est or virtutis, accidentalis, à quibus immediat actio, seu ipsæ virtutes accidentales dicun instrumenta, alii aliter.

Respon. primo Quomodocunque nor instrumenti accipiatur, reducitur ad ge causæ efficientis. Patet, quia eff ctiue attir effectum, saltem mediate, & est complem tum quoddam virtutis, causæ efficientis id, quo illa operatur.

Respon. secundo. Idea seu causa exempl pertinet ad genus causæ efficientis Ita Ale 1. *p. quæst.* 23. *in* 4. *art.* 1 Scotus 1. *dist.* ... 2. & alii contra Caietan. 1. *part quæst.* 6. *arti* Fonsecam 1. *Met. cap.* 7. *quæst* 1. *sect* 5. Conit 2. *Phys. c.* 7. *quæst.* 4. qui reuocant ad formal causam.

Pro q

Pro quo nota, licet plura sint, quæ nomine ideæ à Philosophis & Theologis significantur, proprie tamen idea est conceptus practicus, operis faciendi, latens in mente artificis, est enim actus quidam, procedens ab habitu artis, actus autem artis est conceptus effectiuus operis, & quia ad hunc conceptum sæpe concurrit exemplar aliquod externum, quod imitandum proponitur, similiter & illius speculatiua repræsentatio, hæc etiam aliquo modo designantur ideæ, quia iuuant ad conceptum operis faciendi, expressius in mente formandum, hinc pictores sæpe oculos figunt in prototypum, proprie tamen non sunt ideæ, quia in illis ratio exemplaris tantum consistit obiectiue, obiectum autem tantum concurrit ad alterius rei productionem, per modum imitabilis, & non Physicæ, idea vero communi sensu concurrit Physice.

Ex quibus collige primo, Ideam tantum reperiri in causa intelligente, secundo ideas diuinas, de quibus Theologi 1. *p.* esse proprie conceptiones rerum creandarum, nam licet in Deo omnia sint summe ac simplicissime vnum, quatenus tamen ratione ratiocinata, à se inuicem distinguuntur, secundum habitudines, ad varios effectus, varias subeunt denominationes. Vnde Ideæ non sunt ipsa diuina essentia, vt sic, sed vt est susceptio rerum creandarum, quamuis diuina etiam essentia, quatenus habet rationem imitabilis, dici possit idea obiectiua, sicut imago externa, respectu pictoris, quia conceptus mentis diuinæ modo nostro intelligendi, dirigitur per essentiam propositam & imitabilem.

His positis, probatur Conclusio, primo ex Aristotele *primo de partibus animalium cap.* 1. vbi docet, agentia etiam per artem producere sibi simile, & in illis principium efficiendi esse artem, scilicet secundum actum, qui est idea, quam vocat quidditatem operis, separatam. & 7. *Met. t.* 23 dicit, principium efficiendæ sanitatis esse sanitatem, in mente artificis, seu medici.

Confirm. Quia conceptus ille mentis dirigit, & applicat membra externa, & est id quod complet virtutem causæ efficientis: nam ab idea habet artifex, quod contineat in se effectum virtute, ergo concurrit effectiue.

Probatur secundo. Quia habitus artis omnium consensu concurrit effectiue sed non concurrit, nisi per actus, quales etiam sunt ideæ ergo.

Probatur tertio. Non concurrit tantum obiectiue, seu formaliter, extrinsece, imitatione quadam passiua, quatenus est id, cui artifex conatur assimilare effectum, vt volunt Conimb. *supra.* ergo concurrit effectiue. Antecedens probatur, nam artifex in agendo non imitatur suam ideam, sic enim actu semper reflexo deberet illam intueri, sed tantum per illam, tanquam principium quo agit, sicut agens naturale, per suam formam producit sibi simile. Vnde non est necesse, vt actu reflexo cognoscat ideam, sed sufficit, vt cognoscat eam implicite, sicuti qui intelligit implicite, intelligit se intelligere, & qui vult, implicite vult velle. Idque patet experientia, artifex enim tantum reflectit se ad ideam, quando secum perpendit opus, & illud comparat, & mensurat, cum idea seu conceptione.

Confirmat. Quia agenti per intellectum, intellectus est causa efficiens, ergo etiam id complet, & dirigit intellectum, vt est pro idea.

QVÆSTIO XXXI.

De Causa Finali.

De natura finis, eiusque modo causandi, eius diuisionibus, &c. Ex professo agitur in Ethicis. Quare ad complementum huius disputationis, de causis, rē totam aliquot conclusionibus comprehendemus.

Dico primo, Finis est vere ac proprie causa.

Probatur, quia est id, cuius gratia aliquid fit, ergo est causa. Consequentia probatur, quia id, quod alterius gratia fit pendet ab eo, cuius gratia fit, ergo habet rationem effectus, respectu illius.

Confirmatur, quia quæstioni propter quid res sit, qua petitur causa, respondetur per finem, ergo finis est causa.

Si dicas, causam definiri id, ad cuius esse sequitur aliud, ad esse autem finis non sequitur aliud, quia simul ac finis habet esse, cessat actio.

Respondet ad esse reale acquisibile, futurum finis, sequi aliud, non ad esse præ-

 sens,

ens, sic enim est effectus causæ efficientis.

Dico secundo, Agentia omnia, etiam naturalia, agunt propter finem, non quidem cognitum à se, & volitum appetitu elicito, sed naturali saltem, quo res quælibet tendit in suam perfectionem, nam propria cuiusque rei perfectio est finis proprius, & immediatus illius, in quem dirigitur, bonum vniuersi est finis immediatus, minus proprius, & homo est finis omnium rerum naturalium, materialium, vltimatus vero totius creaturæ, est Deus.

Dico tertio, Virtus, seu ratio causandi finis, est realis ipsius bonitas, vt acquisibilis, siue ea sit vera, & reipsa possibilis, siue putata & apparens tantum, apprehensu illius seu vt loquuntur, esse intentionale illius concurrit, vt conditio sine qua non, & vt applicans.

Si dicas esse reale futurum, cum re ipsa non sit causare, tantum Metaphorice, & non Physice.

Respon. causare realiter per sui appetitum, qui est rerum absentium, dicitur autem causare metaphorice, comparatione facta cum efficiente, quæ causat influxu magis Physice.

Si dicas, effectum habere relationem realem ad suam causam, effectum autem finis non posse habere talem relationem, ob esse futurum, cum relatio realis terminetur ad terminum existentem.

Respond. relationem effectus ad finem non esse prædicamentalem, sed transcendentalem, quæ terminari potest ad aliquid non existens, vt patet in obiecto voluntatis, & intellectus.

Dico quarto. Causalitas finis videtur esse ipsa actio operantis, vt dependens à fine incitante agens ad agendum, quæ prout procedit à fine, dicitur motio, prout vero dicit ordinem ad causam efficientem, dicitur actio, & est causalitas causæ efficientis. Ratio est, quia finis non est causa in actu secundo, nisi efficiens sit in actu secundo, ergo eadem secundum rem, est vtriusque causantis, sola habitudine diuersa.

Dico quinto. Effectus causæ finalis sunt omnia illa, quæ gratia finis fiunt, de quibus vide Conimb. 2. *Phys. c. 7. q. 22.* respectu causæ intellectualis, effectus finis sunt amor, desiderium, intentio, consultatio, electio mediorum, executio, gaudium de fine adepto, &c. Imo & res ipsa in actu est aliquo modo effectus sui ipsius, secundum esse futurum, acquisibile, sub quo habebat rationem causæ formalis, sic sanitas adepta est effectus sanitatis speratæ, & intentæ, vt finis per medicament: vnde dici solet, finem in intentione esse causam sui ipsius, in executione.

Dico sexto. Inter diuisiones finis præcipua est, qua diuiditur in finem qui, & finem cui: finis qui est id, quod intenditur per media, vel per actionem causæ efficientis, vt sanitas per potionem, vt genitum per generationem, hic finis proprie habet rationem finis, eique accommodata est definitio. Finis cui est suppositum, cui bonum illud, seu finis qui appetitur, vt sic homo est finis cui appetitur sanitatis.

QVÆSTIO XXXII.

Quot sint genera causarum?

QVidam veterum finem à numero causarum excluserunt, alii quatuor Vulgaribus causis addiderunt instrumentum, & ideam. Verum ex dictis patet, dari causam finalem, instrumentum vero & Ideam pertinere ad causam efficientem.

Quare respond. quatuor esse causarum genera, Ita Aristoteles passim, & communiter Peripatetici. Probatur, quia nulla res facta à se, ergo habet causam efficientem, sed causa efficiens agit propter finem: habet enim scopum suæ actionis, ergo dantur efficiens, & finis: Composita porro Physica constant materia, & forma, vt causis constitutis intrinsece, ergo dantur quatuor genera causarum.

Probatur secundo, dantur in rerum natura productiones, ergo datur causa efficiens, secundo causa naturalis nihil producit ex subiectum, ergo datur materia. Tertio Agendo actuat & perficit formam, ergo datur forma. Quarto agendo intendit aliquid, ergo datur finis. Quicquid præter hæc ad effectum concurrit, siue sit dispositio, approximatio vel alia conditio, reducitur ad aliquod genus causæ illud nimirum, ad cuius causalitatem pertinet.

Dices primo, Forma, Finis, & efficiens coincidunt, vt docet Aristoteles *c. 7. t. 70.* ergo erunt tantum duæ causæ.

Respond. Formam & efficientem tantum po

posse coincidere, quoad speciem, forma vero & finis possunt esse vnum, & idem numero, sed materialiter sumpta, quia forma est res in actu determinans materiam, & constituens compositum. Finis vero est res eadem, secundum esse futurum, ratione cuius est causa extrinseca compositi.

Dices secundo. Obiectum est causa actus, quia ab illo actus sumunt essentiam, & specificationem, atque obiectum non videtur posse reduci ad aliquod genus causæ, è quatuor latis, ergo.

Resp. negando minorem, nam primo obiecta possunt reduci ad causam efficientem, quia constituunt potentiam productiuam actus, in actu primo sufficientem, ad operandum, & habet se quodammodo, sicuti Idea. Secundo. Reduci possunt ad causam formalem, quatenus terminando ordinem intrinsecum, quem actus dicunt, ad obiecta illos specificant terminatione, & ab omni alio distinguunt, quod est proprium causæ formalis.

Ex dictis facile colligitur, has quatuor causas tantum concurrere ad composita naturalia, siue Physica, quia ad effectus spirituales non concurrit materia, aut forma, proprie loquendo, efficiens tamen & finis ad omnes omnino concurrunt effectus.

Petes primo, vtrum causæ sint sibi mutuo causæ, vt Aristoteles 2. *Phys. c.* 3.

Respond. dictum Aristotelis esse verum, indefinite, non vniuersaliter, nam sanitas est finis deambulationis, ac proinde deambulatio eius effectus, & deambulatio est causa efficiens sanitatis, vt existit in rerum natura sic enim fore causam sui ipsius, quia erit causa suæ causæ: Deinde idem erit prius, & posterius se ipso, quæ implicant.

Resp. hæc non implicare, si conueniant eidem, sub diuersa ratione, vti hic, nam finis vt in intentione, & secundum esse futurum, est causa mediorum, quæ sunt causa effectiua, finis, vt est in re & actu existens.

Petes secundo Quis sit ordo inter causas?

Respond. duplicem inter causas ordinem posse considerari, scilic. ordinem causandi, & ordinem dignitatis, ordine causandi omnium prima est finis, vt expresse Aristoteles *secundo Phys. t.* 31. Secunda est causa efficiens, quæ mota à fine applicat se ad opus, Tertia est materia, quæ suscipit formam, Quarta est forma, quæ perficit materiam, quam supponit, vt subiectum. Ordine vero dignitatis efficiens excellit omnes, quia eius influxus est magis realis, hanc sequitur finis, cuius influxus est minus realis, & ratio causandi harum duarum nullam includit imperfectionem. Vnde etiam Deo conuenit, ratio vero causandi formæ, & materiæ includit imperfectionem, eo, quod concurrant per suam entitatem, intrinsece constituendo compositum, quo fit, vt Deo non possit conuenire. Forma tamen est perfectior materia, quia causat determinando materiam, materia vero recipiendo.

Petes tertio, Vtrum causa sit nobilior suo effectu.

Resp. primo. Si causæ & effectus præcise & formaliter sumantur, omnis causa etiam instrumentalis est nobilior suo effectu, ratio est clara, quia effectus, qua talis, dependet à causa & accipit esse.

Respond. secundo. Causa & effectus, si accipiantur secundum entitatem suam, absolutam, causa efficiens principalis semper est nobilior suo effectu, vel saltem æque nobilis. Patet, in causis vniuocis, & æquiuocis, si sit instrumentalis, potest esse imperfectior: Patet in virtute accidentali, producente substantiam. Causa finalis subinde est nobilior suis effectis, vt beatitudo hominis excedit perfectione opera, quæ exercentur ad illam obtinendam, aliquando vero ignobilior, vt lucrum, verbi gratia, vel vana gloria, quæ homo sibi proponit in scientiis, vel virtutibus. Causa materialis & formalis sunt ignobiliores effectu primario, scilicet composito, quia compositum plus continet, quam altera illarum seorsim.

Hæc de causis per se dicta sufficiant, de causis per accidens, fortuna scilicet & casu, vide dicta in explicatione textus *l.* 7. *c.* 5. *&* 8. qui plura requirat consulat Toletum & Conimbricenses.

(***)

DISPV-

DISPVTATIO IV.

DE INFINITO.

Respondens potiori parti libri tertii Physicorum.

DIsputationem de motu, quam initio *lib.*1. inchoat, commodius differemus; quia illam fusius persequitur *lib.*5.7. & 8. Hic autem dicemus de infinito, de quo agit potiori huius libri parte.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Deus poßit creare aliquod infinitum actu?

ARTICVLVS PRIMVS.

Prænotanda.

INfinitum, vt nomen indicat, est id, quod caret fine, aut termino. Vnde sicuti res multis modis tum intelliguntur finitæ, & habere terminum, scilicet quoad perfectionem essentię, durationem, extensionem, intensionem, & numerum. Ita etiam concipi potest aliquid esse infinitum & carere termino, vel secundum perfectionem essentiæ, durationem, &c.

Pro decisione quæstionis Nota, primo, quæstionem esse de infinito actu positiue, seu categorematice, non vero de infinito potentia, seu syncategorematice quod est finitum actu, sed habet annexam potentialitatem, quam repugnat totam actuari, & ratione illius dicitur infinitum potentia, quia potest semper fieri adiectio, vel detractio, ita vt nullibi sit status verbi gratia, binarius numero est finitus actu, infinitus potentia, quia nunquam adeo potest excrescere, quin plus semper possit illi addi, & continuum est res finita actu, tamen infinitum potentia, quia semper per diuisionem detrahi potest mini & minor quanta, ita vt nunquam sit deueni re ad partem, non quantam, & indiuisibile eiusmodi infinitum dari palam est.

Nota secundo, licet nomen infiniti connotet negationem finis rem tamen sig ficatam esse positiuam, sicut irrationale, i corporeum, significant positiuam natur: bruti, & spiritus; ex quo colligas inefficaci esse rationem, qua à quibusdam proba non posse dari infinitum, eo quod ut nega uum, negatio vero non possit creari, cons enim infinitum posse esse, cum sit in Deo, posse produci, vt patet in secunda & tert persona SS Trinitatis, & sicut ratio infi non est in Deo, negatiua ita infinitum, quo hic disputatur, est positiuum, vel certe cet infinitas præcise ac formaliter, vt dicit i gationem, vel carentiam finis, per se cre non possit, res tamen carens fine produci p terit sicuti aliæ res producuntur, cum neg tione aliqua, vel priuatione, vt homo cæc &c.

Nota tertio. Certum esse apud omn Deum posse creare infinitum, secund quid, & improprie, primo comparatiue, quod æquiualeat, vel superet imperfectio infinitas res inferioris ordinis, si darentur homo infinitas muscas, gratia Dei infini diuitias, secundo obiectiue, eo quod verse circa obiectum, vel simpliciter infinitum, est visio beatifica, vel saltem syncatego matice, id est, intellectus & voluntas. Tert secundum potentiam, quatenus extendi in aliquo genere ad effectus plures, & plu in infinitum, quomodo intellectus angeli hominis in æternum eliciens infinitas cog tiones. Quarto, continentia eminentiali virtuali, quomodo sol continet infinita t talla, lapides & alia, quæ virtute sua produ Sed quæstio est, an Deus possit creare quod actu, & absolute infinitum, vel seci dum essentiam, vel secundum intention magnitudinem vel multitudinem. De infin secundum durationem *infra* agemus.

Nota quarto, Philosophos communi & Theologos negare omne infinitum a D.Thom. 1.*p.q.7.art.*3 & 4 Scotus *in sui d.st.*..*quæst.*3. & omnes Thomistæ ac Scoti D Bonauentura *in pr m.o dist* 3.*st.*4.*quæ* 3 Durandus *ibid. quæst.*2. Toletus 3.*Phys* 9.

Sua

ſuarez *d.ſp.35.ſect.3.n.26.* & probabilius exi-
ſtimant Pererius *l* 10 *c.*10. & Conimb. 3. *Phyſ.*
*c.q.*2. contra tamen ſentiunt multi Nomi-
nales, Gabriel *in ſecundo d ſt.*1.*q.*3. Occam *ibi-
dem.* & probabile cenſent Pererius & Conimb.
ſup. a. quorum præcipuum fundamentum eſt,
quod in infinito creata nō oſtendatur aperta
implicantia. Vnde ſi quæ incredilia, & abſo-
nda ex infinito ſequi videantur, reſpondent
illa nobis mira videri, ex eo, quod naturam
infiniti non penetremus. Sed nos ſingula
examinemus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum creari poſſit infinitum in eſſentia?

Certum eſt, non poſſe creari infinitum in
eſſentia, ſub tota latitudine entis, quia
hoc aperte implicat, quia ſub hac latitudine
ens creati tantum, quod habeat infinitam
perfectionem, dependentem tamen à Deo,
idque in omni genere entis creati, poſſibilis,
ſic v.g. infinita lux eſſet infinita indetermi-
nata ſpecie lucis.

Reſp. non poteſt dari creatura infinita ſe-
cundum latitudinem entis creati.

Probatur primo, quia illa creatura natura-
liter videret Deum, & eſſet naturaliter in gra-
tia ſius, impeccabilis, & creata, quæ ſunt
impoſſibilia, etiam ſecundum Nominales,
ſequela probatur, quia alioqui non haberet
omnem perfectionem poſſibilem, ſub latitu-
dine entis.

Probatur ſecundo, quia illa creatura poſ-
ſet creare, & agere independenter à Deo co-
gnoſcere, ſecreta cordium, & futura contin-
gentia, imo comprehendere Deum, quia ha-
beret intellectum infinitum, ſed partim ex
fide partim ex ratione naturali, cognoſcimus
hæc ſoli Deo eſſe propria, ergo

Probatur tertio, Potentia illius creaturæ
eſſet æqualis potentiæ diuinæ, licet enim
potentia Dei, ſecundum intrinſeca, infinite
illam ſuperaret in eſſendo, ſpectata tamen
obiectiue, in ordine ad effectus, non eſſet ma-
ior vnde talis creatura poſſet creare, & gu-
bernare mundum huic ſimilem, vel etiam
perfectiorem, quod parum conſonum eſt S.
Scripturæ, quæ gloriam, virtutem & diuini-
tatem Dei teſtatur cognoſci ex creaturis hu-
ius mundi. Si vero à creatura etiam infinita
fieri poſſent, non eſſent Deo argumentum
diuinitatis.

Obiic. primo, Deus poteſt creare creatu-
ram perfectiorem, & perfectiorem in infini-
tum, ergo poterit creare infinite perfectam.
Conſequentia probatur, quia in collatione
creaturarum poſſibilium, debet eſſe aliqua
infinitæ perfectionis.

Reſpon. negando conſequentiam, ad pro-
bationem dico, quamlibet poſſibilem eſſe
infinitæ perfectionis, neque in illa collectio-
ne reperiri infinitam, quia collectio illa non
eſt quid determinatum, ſed confuſum, ac infi-
nitum negatiue, id eſt, excurrens in infini-
tum, ac includens ſemper vlteriorem tenden-
tiam, ita vt non habeat terminum intrinſe-
cum, ſiue vltimam creaturam poſſibilem, ſed
tantum terminum extrinſecum, ſcilicet infi-
nitum abſolute, qui terminus non poteſt at-
tingi qualibet interim data poteſt produci
perfectior, & perfectior, ita vt nullibi ſit ſta-
tus, quælibet enim eſt finita, & adhuc infini-
ta, & adhuc infinite diſtat ab infinito.

Solutio declaratur exemplo. Deus poteſt
ſeparare à continuo partes minores, & mino-
res in infinitum, non poteſt tamen infinite
minimam: talis enim non datur, ſed tantum
poteſt ſeparare intra latitudinem finiti, mino-
res, & minores in infinitum.

Dices, in infinita illa tendentia, & colle-
ctione factibilem perfectiſſima creatura,
quam Deus nouit, non eſt finitæ perfectio-
nis, qualibet enim finita nouit perfectiorem,
ergo erit infinitæ perfectionis, ergo poterit
à Deo produci.

Reſpon. ad antecedens, in collectione poſ-
ſibilium nec eſſe, nec cognoſci à Deo perfe-
ctiſſimam, licet Deus totam collectionem
comprehendat, ratio eſt, quia hæc collectio
non eſt quid determinatum, vt in eo poſſit re-
periri vltimum, ſeu perfectiſſimum, ſed eſt
quid confuſum.

Si dicas, ergo Deus non nouit diſtincte ef-
fectum perfectiſſimum, à ſe producibilem.

Reſpond. concedendo, quia talis nullus eſ-
ſe poteſt.

Obiic. ſecundo, Finitæ potentiæ actiuæ de-

Eee bet

bet respondere effectus proportionatus, scil. infinitus. ergo

Respon. nega. ass. Quia talis effectus infinitus, negatiue, siue successiua productio in exhaustam perfectioris, & perfectioris, sine statu, quæ nulli potentiæ finitæ potest competere. Deinde effectus proportionatus infinitæ potentiæ, est quælibet res finita, vt modo productionis per creationem.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum possit dari infinitum intensione.

RESp. negatiue, Probatur primo, Quia alioqui posset dari potentia, & virtus actiua infinite intensa, & lumen gloriæ, quo natura comprehenderet Deum, qui tamen est incomprehensibilis à creatura, similiter charitas infinita, qua amaret Deus, quantum est amabilis.

Si dicas, Deum esse infinities infinitum, vnde non comprehendetur lumine gloriæ, simul infinito.

Respond. primo, ad antecedens, Deum formaliter, & à parte rei, non esse infinities distincte infinitum, cum sit simplicissimus, sed æquiualenter tantum, vt sensus sit, Deus habet perfectissimam infinitatem. Vnde

Resp. secundo. Negando consequentiam, quia licet lumen sit semel infinitum, est tamen absolute tale, & ex natura sua aptum coefficere cognitionem infinitam Dei, & per consequens, comprehensionem: nam inter cognoscens & cognoscibile non requiritur adæquatio, seu proportio naturæ: alioqui enim Deus nullo modo posset cognosci, vt in se est ab intellectu creato, per habitum etiam supernaturalem, sed sufficit, vt sit adæquatio potentiæ, & obiecti, vt sicuti obiectum est infinitum, in ratione cognoscibilis, ita potentia sit infinita, in ratione cognoscentis.

Probat. secundo. Quia sic posset dari motus in instanti, quod implicat. Probatur, pes grauitatem infinitam, lapis v. g. moueretur in instanti, quo enim grauitas est intensior, eo celerior est motus, ergo à proportione, grauitas infinita erit causa celeritatis, infin quæ est motus instantaneus.

Probat. tertio. Tale accidens posset prc cere aliud, extra subiectum, cum sit viri infinitæ, quæ sufficit ad creandum, vel prc cendum extra subiectum, creatio auter propria soli Deo, ex dictis *supra*.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum possit dari infinitum magnitudine.

REspondeo neg. cum Diu. Thoma Sco aliis, contra Nominales. Quamuis e in ea non sit aperta implicantia, verisimil men est, esse aliquam, cuius vim non c prehendimus, vt colligitur ex argument à posteriori.

Probatur primo, non potest dari crea a infinita, secundum essentiam, aut inten nem, ex dictis, ergo nec secundum magr dinem. Consequentia probatur, quia p ratio essentiæ intensionis & extensionis, enim peculiaris implicantia est, ex ra essendi, aut intensionis? Sicuti enim mag do crescere potest in infinitum, ita etiam fectio essentialis, & intensionis, sine tern intrinsece, ergo implicantia est ex ipsa ra ne infiniti creati, quæ proinde militat i mni infinito.

Probat. secundo. Quia talis creatura immensa, quoad sui diffusionem: vnde in proprietate esset Deo æqualis, si immen Dei accipiatur formaliter, & non iden prout est identificata diuinæ essentiæ, & teris attributis, sed hoc videtur impossil non enim apparet ratio, cur non etiam in teris attributis, vt potentiæ, sapientiæ, Possit esse simpliciter Deo æqualis.

Probatur tertio. Corpus illud nunq per diuisionem finiri, aut minui potest, et sumendo partes æquales, nam ablatione ti infinitum exhauriri nunquam potest, hoc videtur superare fidem.

Probatur quarto. Sequeretur, quantum uariata manente ratione occupatiua loci cupare plus, vel minus spacii, vel infinit

e finitum, vtrumq; implicat. De posteriori tet, ex terminis de priori, probatur, quia io occupatiua loci est causa formalis occu- tionis, determinati spacii. Sequela maioris bbatur. Creet Deus columnam, habentem Diametro vnum pedem, quæ per centrum ndi transiens, extendat se in infinitum, ver- orientem, ex vna parte, & versus occiden- 1 ex altera, hæc columna erit infinitæ ma- tudinis, secundum aduersarios, tunc si us ex eadem columna, sola figura mutata, p ducat aliam, quæ habeat è diametro mil- l edes, vel si velis quantum habet totus or- b, in diametro, non quidem priorem com- p nendo, vel adducendo, quia forte dices, h: fieri non posse, cum desint termini, scili- c extremitates, à quibus inchoanda esset c npressio, vel adductio, vel quod talis mu- t o successiua facienda nunquam posset a olui, fiat igitur per iteratam productio- n a, eiusdem omnino entitatis, sub alia tan- t a figura crassiore, quod fieri posse nemo p babiliter negarit, tum quæro, an columna si mmutata extendet se in infinitum, sicut a e, vel non, si prius, iam conceditur idem i ariatum secundum rationem occupati- u n loci, multo plus spacii occupare, tantum f icet in quo sine penetratione coexistere p sunt mille, vel centum myriades, & am- p is columnarum, habentium vnum pedem i iametro, qualis hæc primo fuit, si poste- ri s, ergo erit finita, secundum extremitates, a proinde vndequaque eadem. Sequela p bbatur, detur columna hinc egrediens ver- si orientem, in infinitum, & illa moueatur l o, vt secundum partem finitam attingat c trum terræ, vel partem cœli, ex diametro c positam, hoc casu plus spacii occupa- t, sine vlla sui mutatione, per solum mo- t n localem, ac per consequens erit seipsa nior.

Nec dicas moueri non posse à Deo, cũ nul- l possit afferri ratio, ipsa enim columna est c rpus naturale, mobile, non deest spacium, q od solet responderi Diu. Thom. obiicienti c rpus infinitum non fore mobile, columna e im talis non occuparet omne spacium, si- c ti corpus infinitum, secundum omnem di- m nsionem.

Probatur quinto, Sequeretur corpus mu- tatum, quoad rationem occupatiuam spa- cii, occupare æquale spacium, vel esse vndi- que finitum, & terminatum superficie: creet enim Deus corpus vndique æqualiter diffu- sum, ita vt occupet omne spacium imagina- rium, neque possibile sit ponere aliud cor- pus, sine penetratione, habeat vero corpus illud raritatem ignis, tum illo annihilato, i- dem entitatiue reproducat, sub raritate aeris, quod potentiæ diuinæ non potest denegari, hæc enim omnia producta potest annihila- re, & reproducere, cum iisdem, vel diuersis ac- cidentibus, tunc quæro, an illud corpus sub raritate aeris occupabit omne spacium, sicut sub raritate ignis.

Si affirmas, ergo idem variatum, & immi- nutum quoad rationem occupatiuam loci, occupabit æquale spacium, & per conse- quens, non erit imminutum, & variatum, si negas, ergo erit finitum, vndique superficie clausum, nulla enim est ratio, cur dicatur fo- re infinitum, ex vna parte, hinc vlterius sequi- tur, idem corpus prius sub raritate ignis non fuisse infinitum, quia raritas aeris habet ali- quam proportionem, cum proportione i- gnis, verbi gratia, vt vnum ad decem, iam ve- ro sub raritate aeris occupat spacium limita- tum, ergo sub raritate tantum occupabit spa- cium decuplo maius, ergo finitum, quia quodlibet spacium finitum decupla propor- tione auctum non fit infinitum.

Probatur sexto, assertores infiniti debent admittere dari infinitum altero minus, & maius, & infinities infinitum, sed hæc sunt implicantia, & contra lumen naturæ.

Primo, quia infinitum in aliquo genere concipitur esse id, quod includit omne possi- bile illius generis, si enim detur aliquod, quod non includat, concipitur finitum ibi, scilicet vbi dicit, negationem inferioris enti- tatis possibilis.

Secundo Quia infinitum minus infinito, non est infinitum, sed est finitum, termina- tur enim ibi, vbi ab alio superatur, sicut id o- mne, quod exceditur ab alio, hoc ipso, quod exceditur, est finitum continens tantum id, quod exceditur, & non plus.

Tertio si posset dari infinitum, minus

 altero,

altero, detur minimum in ratione infiniti, & illius partialem entitatem annihilat Deus, tunc quæro, an id, quod supererit, erit infinitum. Si in ratione infiniti, cũ modo sit minus: Si negas, ergo ante non erat infinitum, quia infinitum ablatione finiti non fit finitum, vnde etiam sequitur, multo minus dati posse infinities infinitum, sed esse implicantia.

Probatur septimo, Sequitur contra principium lumine naturali notum, totum non esse maius sua parte: Si enim ex infinito Deus partialem entitatem annihilet, quod supererit, erit pars, respectũ sui ipsius, ante annihilationem partialem, & tamen erit æquale, quia infinitum habet. alia eiusdem generis consideranti occurrunt contra infinitam magnitudinem.

Dices, Deus est immensus, & vbique est æque potens, ergo potest immensum corpus sibi coexistens producere.

Respond. negando consequentiam, quia tale corpus implicat, potest in qualibet parte spacii determinata, quantumuis magna, non in omni spacio simul, vel successiue, sicuti Deus potest singulas partes continui separare à continuo, ita vt nulla sit pars, quam non posset auferre, omnes tamen auferre non potest, sic enim continuum esset diuisum in omnes suas partes, quod est impossibile, de quo *infra* latius.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum possit dari infinitum multitudine.

RESpondeo negando, Ratio à priori videtur esse, quia infinita multitudo non est quid certum, & determinatum, sed confusum & indeterminatum, confusum autem non potest esse terminus creationis, cum omnis productio tendat in aliquod certum, & determinatum.

Probatur secundo, Quia alioqui esset possibilis creatura infinitæ perfectionis, posset enim dari multitudo creaturarum, se mutuo excedentium, in perfectione essentiali, in infinitum, nullibi enim erit status, & sic dabitur creatura infinitæ perfectionis essentialis, quæ scilicet in illa multitudine distat à pri-ma, vel à quauis designabili, similiter po[...] dari infinitum intensione, & magnitud[...] ex infinita scilicet multitudine graduum [...] fectiorum, vel corporum quantorum, [...] mul vniantur.

Probatur tertio. Sequetur infinitas are[...] las occupare maius spacium, quam infin[...] mundos, quia infinitæ arenulæ ita po[...] confingi inter se, vt occuparent omne [...] cium, infiniti vero mundi non ita, sed va[...] inter singulos interiaceret spacium, hoc [...] tem est absurdum. Si dicas, infinitam mu[...] tudinem arenularum fore maiorem infi[...] multitudine mundorum.

Respond primo, hoc supponere infini[...] infinito posse esse maius, & minus.

Respond. secundo creet Deus infini[...] multitudinem mundorum, æqualem illi n[...] titudini arenularum, tunc quæro, an illi [...] possint existere sine penetratione: Si sic, e[...] infinitudo arenularum æqualis occupat [...] ius spacium, quam infinita multitudo m[...] dorum, si non, ergo infinitum extensio[...] magnitudine non poterit poni sine pen[...] tione, quod est absurdum, cum spacium i[...] ginarium sit capax cuiusuis magnitud[...] Sequetur quarto, In infinita multitudin[...] esse centenarios, quot binarios, in infi[...] multitudine equorum, tot oculos, quo[...] des, & pilos, quæ omnia sunt absurda. De[...] creat Deus infinitos equites, tum anni[...] alternos equos, & equum tertii det secu[...] & equum quinti tertio, & sic deinceps, t[...] dem vel omnes adhuc erunt equites, vel [...] qui pedites, si prius, erunt noui equi, sine [...] ductione, quia si illi, quorum equi sunt [...] nihilati, etiam habebunt equos, & sic de [...] teris: cum tamen ante annihilationem [...] guli tantum haberent vnum, & annih[...] sit medietas equorum, quæ est infinita n[...] titudo.

Si posterius, sequetur infinitum multi[...] dinem esse finitam, quia exhaurietur per [...] stributionem, & non sufficiet infinitis ho[...] nibus.

Dices, talis annihilatio alterna non po[...] fieri, supponit enim in multitudine infin[...] dari primum vltimum penultimum, &c. Si[...] liter distributio infiniti minoris in infini[...] maius, non potest fieri.

Re

Respon. ex hoc ipso colligi, infinitam multudinem esse quid implicans, cur enim, sicu- Deus infinitam multitudinem produxit, & onditione sua comprehendit, non posset edietatem illius multitudinis annihilare? e primo, penultima est quæst. de nomine, i sic vnitates debeant nominari, similiter ir non possent singulas vnitates multitudi- s infinitæ minoris, verbi gratia, equorum nferre cum infinita multitudine maioris ominum, cum in vtroque infinito distincte igulas vnitates cognoscat. Hæc, & multa ia eiusdem generis absurda occurrunt conleranti, quæ summis etiam ingeniis merito dentur arguere implicantiam quandam initæ multitudinis in actu, & licet Vasches *p.q.7.a.4. disp.16.c.3.* multa excusare conear, parum tamen satisfacit, quia respondet t æque inconuenientia, verbi gratia, infert ex infinita multitudine idem, quod supra tulimus, ex infinita quantitate continua, licet vnum infinitum esse altero maius, & inus, totum non esse maius sua parte, nam eatis infinitis hominibus, si centum occintur, remanebunt infiniti, & sic infinitum te occisionem erit maius eodem post occionem, vel id, quod superest, post occisiom, cum sit pars respectu illius, quod erat alro maius, vel minus, neque continere plu, vel pauciora, quam aliud, quia maius & inus, plura & pauciora sunt termini defiiantes proportionem, quæ tantum inueni- r in rebus finitis, quia tamen vnum infinim reuera continet aliqua indiuidua, quæ on continentur in altero, poterit dici vnum finitum maius altero, secundum inclusiom, non tamen secundum proportionem. erum hæc verba sunt, quibus nihil rei subse potest, nam maioritas, vel minoritas proortionis inseparabilis est à maioritate, & inoritate proportionis, nō tantum in finis, quæ finita mensura sui ordinis adæquari ossunt, sed etiam in infinitis, si possibilia esnt, nam proportio est habitudo entitatum ter se, æqualitas est species illius habitudis, rerum quantarum inter se, secundum exssus, & defectus, negationum inæqualitas t habitudo earundem, secundum excessum, l defectum entitatis, inclusa, maius vero & inus æquale sunt extrema illorum relatom. Vnde ad hanc relationem impertinens est finitudo, & infinitudo, sufficit vt reperiatur excessus, & defectus entitatis inclusæ, vel eorum negatio, non enim sunt res finitæ maiores, vel minores, quia illæ non sunt præcise fundamentum relationis, sed ratione inclusæ entitatis, ita vt eo ipso, quod vnum includat plus entitatis, quam aliud, præcisis etiam per impossibile terminis, necessario sit maius altero, maxime in multitudine, aut numero, cuius termini non sunt formaliter positiui, (quicquid sit de terminis quantitatis continuæ, sed mera negatio vnitatum distinctarum ab acceptis, per intellectum. Cum igitur in infinita multitudine inueniatur excessus vnitatum inclusarum in vna respectu alterius vt necessario fatentur, erit etiam maior altera, verbi gratia, maior erit infinitudo pilorum in infinitis equis quam equorum, & consequenter defectus vnitatum inclusarum vnius infinitæ multitudinis respectu alterius faciet illam minorem altera vt infinitudo equorum minor erit infinitudine pilorum & negatio excessus & defectus inter duas multitudines infinitas faciet illas æquales, vt in infinitis equitibus infinitudo hominum & infinitudo equorum erit æqualis quod etiam implicite videtur concedere Vasches *supra num.23.* dum respondet huic obiectioni. Si Deus creet infinitos homines singulos cum vno aureo, & omnes suum aureum cōiiciant in vnum cumulum, an Deus posset ex infinito illo cumulo distribuere singulis hominibus 10 aureos, respondet enim negatiue, rationem reddit quia infinita multitudo aureorum tantum semel est infinita non decies. Vnde sequitur in infinitis esse proportiones decuplas &c. Quare licet decem, verbi gratia, Flandri additi infinitis Gallis non mutent rationem infiniti (vt quidam respondent) tamen intra limites seu rationem infiniti constituunt maius quam erat ante, & licet decem Galli ex infinitis, occisis non tollant rationem infiniti, faciunt tamen infinitum minus quam erat ante, quia faciunt, vt infinitum deficiat à seipso, secundum vnitates inclusas. Sicuti decem addito numero centenario, vel ab eodem detracti, non tollunt quidem rationem numeri finiti, tamen intra limites finiti constituunt maiorem, vel minorem. Quod autem Aristoteles, æquale inæquale, maius vel minus tantum agnoscat, in quantitate finita, mirum non est,

cum non agnouerit infinitum? quæ omnia adaptari possunt quantitati continuæ infinitæ, de qua *præcedente articulo*. Similiter igitur non satisfacit, dicere ex infinita multitudine tantum sequi, totum non esse maius sua parte, secundum proportionem, quia vtrumque erit infinitum, fore tamen secundum inclusionem, semper maius, quia scilicet vt diximus, proportio est inseparabilis ab inclusione.

Dices, Deus & creatura non sunt quid perfectius, quam solus Deus, ergo similiter additamentum aliquid vnitatum ad numerum infinitum, non augebit infinitum.

Respond. aggregatum ex Deo, & creaturis non esse quod perfectius, intensiue, cum Deus in se eminenter, & nobilissimo modo contineat creaturas possibiles, esse tamen quid perfectius extensiue, & constituere plura supposita.

Dices secundo, pro eadem distinctione, linea pedalis terminata puncto, includit aliquid, quod non est in eadem linea pedali, non terminata positiue puncto, & tamen est illi æqualis. Ergo superari potest proportio ab inclusione, nam vna linea plus continet, & non est maior.

Resp. vnam lineam non includere aliquid entitatis, scilicet quantitatis fundantis proportionem, sed tantum terminum indiuisibilem, hic autem in proposito includuntur vera realia indiuidua eiusdem rationis, cum indiuiduis, ex quibus coaluit multitudo infinita, alioqui extra controuersiam est, non quamuis inclusionem putare proportionem, nec enim pater habet maiorem numerũ prolium, quãdo peruenerunt ad iustam ætatem, quam dum erant iuniores, licet includant plus entitatis, neque sera, v. grat. figuræ quadrata pyramidalis, &c. licet includat plures superficies, maior est seipsa, sub figura sphærica, & vnica superficie, si autem addatur, vel minimum quantitatis, erit maior, vniuersaliter igitur verum est, inclusionem maioris entitatis, vel distincte ab entitate præexistente, esse inseparabilem à proportione, in illo genere, in quo res constituitur, per illam entitatem, adeo, vt etiam in diuinis, vbi relationes constituunt personas, multiplicentur personæ, ad multiplicationem relationum, quod etiam licet infinitæ sint, dicuntur tamen esse æquales.

Obiic. primo Deus cognoscit infinitas sp cies possibiles, creaturarum, & sub singulis finita indiuidua, ergo poterit producere in nitam multitudinem. Consequentia prol tur, quia actiuitas Dei non est minor vi c gnoscendi.

Resp negando consequentiam, quia D non cognoscit illas, vt simul producibiles, vt habet rationem infiniti potentialis. probationem resp. actiuitatem Dei esse infi tam, in genere actiuitatis, & respectu sui c iecti, non tamen posse omnia eo modo, q intellectus Dei. Ratio est, quia actus intel ctus diuini est actus immanens, & respectu rum possibilium necessarius & inseparabili Deo. Vnde in nullo signo rationis concipi p test Deus sine illo, sed actus actiuitatis, seu p tentiæ diuinæ est transiens, & nullam po mutationem in Deo, si fiat in tempore, vn potest successiue illi conuenire, & necessar successiue illi conuenit, si effectus talis sit, simul in actu poni non possit, vt videre est ente successiuo, quod simul secundum om partes, à Deo cognoscitur, implicat tamen produci, & tale quid est collectio specieru vel indiuiduorum possibilium, cuius ita qua pars determinata maior, & maior sin produci potest, vt semper aliquid supersit p ducendum.

Dices, voluntas creandi omnia possibil simul est etiam actus immanens, ergo pote Deus velle creare omnia simul, & conseque ter exequi.

Resp. negando consequentiam, quia ta voluntas habet obiectum implicans, vnde cadit in Deum, cum nec voluntas creata p sit efficaciter velle id, quod proponitur, vt i possibile: nam obiectum talis volũtatis est mne possibile in actu existentiæ, simul tam qui repugnat possibilitati successiuæ, & p tentiali, sicuti actus simultaneus repugn possibilitati entis successiui, sicuti enim de tione entis successiui est, vt pars fluat post p tem, & de ratione infinitæ successionis, vt n quam tota sit transacta, ita de ratione mul tudinis creatæ, est infinitudo syncategorem tica, & potentialitas finiti ad infinitũ, ratio cuius semper aliqua pars supersit produc da, & nunq̃ tota collectio possit esse in act

Instabis, creaturæ possibiles, cognita Deo, imo & cogitationes Angelorum, in tc æterı

ternitate, & de facto futuræ sunt in esse co-
nito, & obiectiuo, infinitum categoremati-
ce, habent enim in mente diuina simultatem,
: actum, sine potentialitate, cum omnes per
ognitionem ita accipiantur, vt non rema-
eant aliæ cognoscendæ, ergo poterit Deus
as simul producere, & poterunt illæ habere
nul esse creatum, sicut habent esse cognitũ.
Respon. negando consequentiam, patet ex
gnitione entis successiui, quod etiamsi ha-
at simultatem inesse, & cognito, nequit ta-
en habere inesse existentiæ, ratio petenda
: ex diuersitate modi operandi, intellectus,
virtutis productiuæ, ex quo fit, vt omne
ssibile simul adæquari possit, ab intellectu,
r cognitionem, non vero ab actiuitate, per
oductionem, modus enim cognitionis est
mpositorius, & cognitio plura attingit, per
odum vnius, res futuras æque ac existentes,
tem in Deo, modus vero productionis est
olutorius, ita vt quod vnum erat in men-
, necessario sit multa, positum in actu exi-
ntiæ, quod simultaneum sæpe debeat esse
ccessiuum, quod futurum necessario debeat
e præsens, adeo, vt omnino implicet dari
oductionem, sine termino reali, & præsen-

Vnde infinitudo illa categorematica,
am habent res possibiles, in se cognita, est
s extrinseca, quia tantum est simultas co-
itionis diuinæ, ex qua resultat extrinseca
ædam denominatio simultatis, in rebus
ssibilibus, quæ remanent infinitæ syncate-
rematice, in ordine ad existentiam, sicuti in
successiua, ex cognitione resultat simultas
trinseca, ex parte tamen sua remanet pro-
cibile successiue.

Obiic. secundo. Quæcunq; possunt à Deo
ri, possunt à Deo fieri, sed omnia possibilia
nt eiusmodi, inde enim denominantur pos-
ilia, ergo poterunt à Deo produci, & per
nsequens, poterunt produci infinita.

Respon ad maiorem, quæcunque possunt
Deo fieri simul, posse fieri simul; non tamen
ęcunque possunt fieri successiue, per diuer-
productiones, possunt fieri simul. Vnde
gatur consequentia, quia licet Deus possit
oducere omnia possibilia, per productio-
m, nunquam totam transactam, non po-
t tamen producere omnia possibilia simul,
que hoc ponit impotentiam, aut imperfe-
onem in Deo, sed denotat implicantiam in
obiecto, actiuitas enim Dei ad extra, sufficien-
ter intelligitur esse infinita, simpliciter in ge-
nere actiuitatis, quod in collectione illa pos-
sibilium nullum habeat terminum intrinse-
cum, in ordine ad productionem simultaneã,
sed quouis dato vlterius progredi possit, &
magis se explicare, in quo distinguitur ab a-
ctiuitate finita, quæ necessaria habet certum
ac determinatum terminum, vltra quem pro-
gredi non potest.

Dices, Deus est omnipotens, quouis instan-
ti, ergo quod potest producere in tota æterni-
tate, potest simul producere.

Resp. negando consequentiam, ex simili,
Deus est quouis instanti æternus, non tamen
quouis instanti potest coexistere cuiuis dura-
tioni: deinde ex eo, quod Deus sit quouis in-
stanti omnipotens, oppositum sequitur, si e-
nim vni instanti produceret omne possibile,
iam non esset amplius omnipotens, in tota
æternitate. Tertio, est peculiaris implicantia,
in obiecto, vt vnico instanti & simul produ-
catur, quod in tota æternitate potest produ-
ci, scilicet multitudo sine potentialitate, quæ
æque implicat, ac motus sine successione. Cu-
ius ratio est, quod diuina natura in produ-
ctione exhauriri omnino non possit; si dicas,
nihil videtur incommodi, si dicatur exhausta,
respectu omnium possibilium, vel sub certa
specie respon. Id non dici posse, quis enim cre-
dat productis infinitis muscis, vel infinities
infinitis, si velis, Deum posse creare angelos,
homines, cœlos, nullam tamen muscam di-
stinctam à muscis, cur enim sicuti egredi po-
test à Deo, per creationem Angeli, non pote-
rit etiam egredi alia musca, dices, quia omnes
possibiles supponuntur productæ, sed contra
esse possibile muscæ, non distinguitur ab esse
possibili angeli, secundum rem, quia esse pos-
sibile muscę non est potentia aliqua substan-
tiua, quæ exhauri possit, reducta potentia ad
angelos, sed est mera potentia obiectiua, seu
natura, non includens terminos contradicto-
rios, & in reipsa est natura diuina, participa-
bilis à creatura, siue potens producere, quid
ni igitur poterit Deus producere muscam di-
stinctam à productis, quamdiu est potens
producere angelum, ergo implicat, produci
simul omnes muscas, possibiles, & proportio-
nem, procedit argumentum de omnibus pos-
sibilibus vniuerse.

Obiic.

Obiic. tertio. Deus potest singula producere, ex illa collectione, idque vnico instanti, ergo poterit omnia, & consequenter infinita. Consequentia probatur, à distributiuo ad collectiuum, Confirm. quia productio vnius, non impedit productionem alterius:

Respon. negando sequelam, ad probationem dico, argumentum illud non producere, in infinitum syncategorematice, ratio est, quia in distributiuo termini sumuntur aliter, quam in collectiuo, quia in distributiuo singula accipiuntur cum potentialitate, & vlteriori tendentia, in toto vero collectiuo tollitur illa potentialitas, nam extra totum illud collectiuum, non datur pars vlterior, quæ attingi possit.

Dices, recte sequitur, quælibet pars continui est calida, ergo omnes sunt calidæ, ergo argumentum à distributiuo ad totum collectiuum, habet locum in infinito, syncategorematico Respon. subinde valere ratione materiæ, vt in exemplo allato, non ratione formæ, vnde omnium consensu non sequitur, quælibet pars continui habet minorem, ergo omnes, sic enim daretur minor minima, nec sequitur, quælibet pars continui est separabilis à continuo, ergo omnes, sic enim continuum esset diuisibile in omnes suas partes. Ad confirm. respond. nullum singulare impedire productionem alicuius determinati, tale enim impedimentum nemo imaginari potest, in re existente, respectu productionis alterius, realiter distincti, sed in toto illo collectiuo est impossibilitas coexistentiæ simultaneæ, & declaratur exemplis separatio vnius partis continuæ non impedit separationem alterius, & tamen non possunt collectiue separari, & in re morali quælibet actio hominis, secundum rectam rationem elicita, non impedit, quo minus quæuis alia eodem modo eliciatur, fieri tamen non potest, quin homo aliquando peccet, saltem venialiter, & in ente successiuo, pars prior non impedit posteriorem, & sic de cæteris, non possunt tamen simul existere.

Obiic. quarto, possibilitati creaturarum omnium possibilium debet respondere actus adæquatus, ergo poterunt actu esse simul

Resp. negando consequentiam, quia possibilitas creaturarum est successiua, siue non simultanea. Vnde non sufficit actus proportionatus, scilicet actus admixtus potentiæ su-cessiuæ possibilis, non autem requiritur act simultaneus, adæquatus, sed inadæqua tantum, ita vt possunt esse plures & plur perfectiores, & perfectiores, eo quo impli realiter existere collectionem aliquam, q non possit esse maior, cum Deus semper potens se communicare de nouo.

Petes primo, Quæ sit ratio implicantiæ infinita multitudine, & consequenter in qu uis infinito.

Respon. primo in multitudine esse con sionem, quæ non potest esse terminus prod ctionis, vt *initio a.* diximus.

Respon. secundo. Quia quælibet collect assignabilis creata est ab alio, & continge ex se, nihil infinite distans ab ente à se, scili Deo, qui proinde remanet semper maius magis participabilis à creaturis, secundu infinitam illam latitudinem perfectionis e sentialis, & entitatiuæ, quæ relinquitur int ipsum, & quamlibet collectionem creatu rum, actu existentem, ita vt respectu suæ i perfectionis semper capax sit rerum à se stinctarum, sed separabilium, idque in quo genere entis, & in quacunque ratione, seu sentiali, seu entitatiua, magnitudine, mul tudine, solus autem Deus, qui est infinite p fectus, eminentissime continens omnem p fectionem à se distinctam, nullum relinq locum perfectioni aduentitiæ. Vnde dici p test, infinitudinem esse modum quendam e tis in Deo, eique proprium, ac proinde ext Deum esse non posse.

Petes secundo, quomodo Aristoteles n agnouerit infinitam multitudinem, cum st tuerit mundum ab æterno, generatione perpetuam, motum & tempus aperte ante finita, animas rationales immortales. Vn videtur sequi, infinita multitudo animaru reuolutionum, cœli generationum, &c.

Respon. Peripateticos varie se torquere, Aristotelem vendicent à contradictione, Pl tarchus *lib. 5. de placitis Philosophorum.* Diu Iustinus, Nazianzenus, & alii, censent, ex pinione animam esse mortalem, & probab lius est, illum agnouisse immortalitatem an mæ. Græci & Auerroes constituunt vna tantum animam intellectiuam, in omnibu hominibus, alii admittunt transmigratio nem animarum, ex vno corpore in aliud, se

hæc sun

hæc sunt aperte contra mentem Aristotelis. D. Thom. 1. p. quæst. 46. art. 2. ad vltimum. & alibi existimant, Aristotelem non negasse infinitam multitudinem rerum spiritualium, idem censent Pererius lib. 10. cap. 9. Conimb. Phys. cap. 8. quæst. 1. qui addunt, verius tamen, se Aristotelem sibi contradixisse. Nobis fide constat mundum & generationem esse in tempore. Vnde finita est multitudo animarum.

Petes tertio, quomodo Aristoteles vniuersè neget infinitum, cum cap. 4. dicat, finitudinem & infinitudinem esse passiones quantitatis, quæ illi conueniunt, sub disiunctione, uti par & impar sunt passiones numeri.

Respon. primo, Aristoteles intelligit non simpliciter, sed ex suppositione, scilicet si daretur quantitas omni carens termino, infinitudo esset, velut passio illius.

Respondeo secundo. Infinitudinem potentiem esse passionem quantitatis, quia quælibet quantitas continua est diuisibilis in infinitum, discreta potest augeri in infinitum.

DISPVTATIO V.

De loco, & vacuo.

Respondens 10. primis capitibus libri Quarti.

QVÆSTIO I.

Quid sit Locus?

Variæ sunt de loco Philosophorum sententiæ. Quidam veteres dicebant, locum esse substantiam receptiuam corporum, alii quantitatem primæ dimensionis. Scotus docet esse relationem corporis continentis, ad rem contentam. Plures alias opiniones referunt Toletus quæst. 3. in quartum Phys. & Conimb. ibidem cap. 5. quæst. 1. ex his duæ sunt præcipuæ.

Prima est, locum proprie esse interuallum, siue spatium, ex se inane, inclusum intra latera corporis continentis, quod penetratur à re locata, existente in illa, quale esset vacuum in vase, si daretur, vel inter cœlum & terram, huiusmodi spatium dicitur imaginarium, eo quod à nostra imaginatione dependeat, in ratione rei positiue extensæ, sic enim illam negationem corporis extensi, cum non repugnantia, vt ibi sit concipimus, & in eodem ad similitudinem corporis realis designamus, superficies & lineas, quæ correspondeant superficiebus realibus, interioribus, & exterioribus corporum realium, easque immobiles tandem semper retinentes, distantiam ad sensum, centrum & quatuor puncta mundi. Tale spatium fuerit, antequam mundus esset, & est modo extra omne cœlum. Hæc sententia est multorum veterum, & recentiorum, nec plane improbatur à Conimb. supra.

Secunda sententia est Aristotelis, & Peripateticorum, locum esse superficiem concauam corporis continentis, prout inuoluit certam distantiam, à punctis mundi, ratione cuius est immobilis, omnes enim Philosophi tribuunt loco immobilitatem, quia est terminus, ad quem res tendit, vnde si moueretur, fieri posset, vt mobile nunquam attingeret terminum, deinde res immota manens, posset mutare locum, & contra mota loco retinere eundem locum vt patet, quæ incommoda euitantur, si dicatur immobilitas loci esse certam illam distantiam à punctis mundi.

Respondeo, & dico primo, prior sententia est magis conformis veritati, & communi modo concipiendi locum.

Probatur, Si Deus annihilaret omnia corpora, inter nos & cœlum, vere essemus in loco, ergo spatium est locus, quia ideo essemus in loco, quia repleremus determinatum spatium, cum nulla sit superficies quæ ambiat.

Probatur secundo. Quia huiusmodi spatium est id, quod proprie impletur à locato, & quo mutato, mutatur locus, ergo est locus.

Probatur tertio. Si superficies esset locus, posset res immota manens mutare locum, quod est absurdum, probatur assumptum, quia superficies aeris ambientis turrim potest vento moueri, quo casu tollitur superficies, & continentia & per consequens mutatur locus

Si dicas, superficiẽ aeris succedentis continere turrim in eadem distantia.

Respon. Hinc tantum probari, turrim ac-

quirere locum similem, alioqui materiale & formale loci scilicet superficies, & continentia quæ non migrat, de subiecto in subiectum sunt reuera mutata, deinde sequeretur saltem remanente immota, si reliquæ orbis partes mouerentur, illum mutaturum locum, ita vt diceretur esse alibi.

Si dicas, non mutare locum, quia in casu allato seruabis distantiam eandem à punctis quibusdam imaginariis, à quibus desumitur immutabilitas loci.

Resp. inprimis iam dicta hanc solutionem euertere, deinde in re hoc idem est, ac si diceretur, quod res immota maneat, propter immobilitatem spatii, in quo existit, & sic pertinet ad nostram sententiam.

Obiic. 1. Locus dicitur continere locatum, sed hoc spatium non continet locatum, ergo non est locus.

Resp. negando maiorem, quia continere tantum conuenit loco Aristotelis, proprium autem est loci occupari, & repleri à locato.

Obiic. 2. Locus est terminus motus realis, sed spatium non potest esse terminus motus realis, ergo Minor probatur, quia est pura negatio, & non ens.

Respon negando minorem, si intelligatur de termino extrinseco, qui per motum extrinsece acquiritur, sufficit autem, vt terminus intrinsecus sit realis, & positiuus, is autem in motu locali est præsentia, in tali spatio, quæ præsentia est motus realis, scilicet vbi intrinsecum, imo motus quomodocunque sumatur, distinctus à locato, non est proprie terminus motus localis, quia non fit, sed supponitur, ipsa autem præsentia de nouo fit suo modo, scil per resultantiam.

Obiic. 3. Locus debet conseruare locatum, & attrahere ad se per modum finis, hoc autem non conuenit spatio, ergo.

Respon. ad maiorem, si de loco præcise sit sermo, hoc enim tantum conuenit loco materiali, qui loco præcise sumpto superaddit debitum ordinem, in vniuerso conuenientem materiæ rei, ita vt ibi commode conseruari possit eo quod ibi habeat qualitates suas in gradu connaturali, & sufficienti, ad resistendum contrario, ob quam causam dicitur superaddere qualitates conseruatiuas.

Respon. & dico secundo; vtraque sententia commode conciliatur distinctione, dicendo spatium inane, aptum repleri, esse locum intrinsecum, superficiem corporis, ambient locum extrinsecum, & sic vltimum cœlum rit in loco intrinseco, non extrinseco, tutt immota manens poterit mutare locum e trinsecum, manente eodem extrinseco, & h locus extrinsecus dicitur Aristotelicus.

QVÆSTIO II.

An duo corpora possunt esse simul in eodem loco?

RESpon. primo, viribus naturæ id fieri n potest, est communis Philosophoru sententia, paucis exceptis, quos citat Pherr rius *q. Phys c. vlt.*

Probatur experientiis, quia semper vnt corpus expellit aliud, idque formaliter, suam quantitatem, quæ naturaliter non a mittit coexistentiam alterius, talis enim c existentia est penetratio.

Obiic. Panis maxime recens, aquis imm sus, imbibit aquam, secundo in ferro eader ignis coexistit simul cum ferro, tertio. Va qua plenum admittit secum multum auri, militer vas plenum cineribus, ergo natur ter possunt esse plura corpora in eodem lo

Resp. nego consequentiam, Ad secund exemplum dico, aquam non coexistere stantiæ panis, sed tantum implere meatus quibus continebatur aer. Ad secundum si liter, in poris ferri candentis latere ignem, quia lucidus est, partes alias lucidas red Ad tertium, immisso auro non effundi ill aquam, quia partes aquæ circa superficie qua aerem contingunt, intumescunt in n dum fornicis siccitate labiorum vasis flux impediente, quæ simul ac madefiunt, aqua iam dilabitur, Ad quartum respondet Ari teles, *in problematibus sest. 28. pr. 8.* cinerem soluere aquam super infusam in crassos va res, qui secum auehunt bonam cineris tem, deinde in cineribus sunt multi meat quibus aqua se insinuat.

Resp. & dico secundo Supernaturali vi te id fieri potest. Est certum, contra hæreti nostri temporis Probatur, quia sancti Pa vnanimiter docent. Christum Dominum i so vtero Beatissimæ Virginis esse natum, cl so sepulchro surrexisse, scriptura testatur e dem clausis ianuis ad discipulos ingressum in ascensione penetrauit cœlum.

Pro

John Norton his Booke Given him by John Norton

Probatur ratione. Quia Deus potest tolle-e à corpore impenetrabilitatem actualem, atione cuius excludit aliud corpus, à suo lo-o, quia est modus quidam distinctus ab enti-ate quantitatis, vnde patet, impedire illius substantiam, in quo consistet dos subtilitatis orporum beatorum, quæ non est qualitas a-qua Physica, beatis corporibus inhærens, d potestas penetrandi omnia, idque ex pe-iliari Dei assistentia, & cooperatione aufe-ntis impedimenta.

QVÆSTIO III.
An idem corpus possit esse simul in duobus locis.

Onsentiunt omnes, id naturaliter fieri non posse, quia vnumquodq; corpus tan-m coexistit illi spatio, & pluribus, & diuer-successiue, cōsentiunt etiam Catholici, di-na saltem virtute posse idem corpus poni in u ibus locis, in vno modo connaturali, seu iritali. Id enim de facto repetitur in corpore hristi Domini, vt fides docet, sed difficultas t, an idem corpus possit poni in duobus lo-s modo sibi connaturali. Negant D. Thom. p. quæst. 75. a. 1. ad tertium & quartum. & alibi ulti Thomistæ. Durandus & alii. Affirmant otus in quarto dist. 10. q. 2. Sotus 4. Phys. q. 3. communiter recentiores.

Resp. potest diuina virtute idē corpus exi-re in pluribus locis, modo naturali. Proba-r primo, quia potest cōstitui in pluribus lo-s, modo spiritali, vt fides docet, ergo & con-turali. Conseq. probatur, quia constitutio iusdē sub modo spiritali est maius miraculū.

Probatur 2. Potest idē numero corpus sæ-ius poni in rerum natura, vt docuimus supra sp. 3. q. 23. sed toties quoties existet, indigebit uo loco, & seipsum refutatum excludet, sic-aliud corpus, adeo vt non possit fine nouo iraculo esse, penetratiue, secum quod si per iraculum fiat, remanebunt nihilominus æsentiæ duæ virtuales, sicut est virtualis di-nctio subiectorum, quæ per solum motum calem à se mutuo separari possunt.

Probatur 3. Substantia quæuis spiritualis turaliter tota coexistit, diuersis partib spa-alicuius continui, angelus, v. gr. omnibus rtibus huius scholæ, anima partibus spatii cupatis à capite pedibus, pectore, &c. ergo uina virtute poterit poni in locis discretis, discontinuis. Conseq. probatūr, quia poterit Deus soluere vnionem substantialem, quæ est inter replicationes substantiæ, spiritales, imo & ex parte annnihilare, subtrahendo influxū, prout realiter & substantialiter est in medio spatii, vel in pectore conseruando, prout est in extremis capite & pedibus, quo casu erit in duobus locis, etiam discretis, ergo idē potest fieri in corpore. Confir. quia de facto Christus Dominus apparuit B. Petro Romam deserēti, ob persecutiones, B. Paulo Damascum prope-ranti, & sancti Patres, aliiq; fide digni Autho-res referunt, sanctos simul in duobus locis vi-sos, quod etiā habetur in vita B P. Xauerii, ergo.

Argumenta, quæ contra possunt & solent afferri, facilē soluuntur ex dictis disp. 3. q. 23. & intelligentur ex quæstiuncula, quam subne-ctemus.

Petes, qua actione ponatur corpus in duo-bus locis.

Resp. id fieri per replicationem substantia-lem, seu iteratam productionem.

Probatur 1. quia actio qua de facto corpus Christi Domini in pluribus locis constituitur sub speciebus Sacramētalibus, est substantia-lis, & proprie vocatur transsubstantiatio, vt definit Concilium Trident. sess. 13. c 4. ergo est reproductio eiusdem, quia nuda adductio, nō potest dici actio substātialis, & transsubstan-tiatio, cum terminus illius sit modus acciden-talis, sc vbi Virtus a. causæ transsubstantian-tis attingit substantiam rei, tanquam termi-num, substituens eam loco alterius substātiæ.

Probatur 2 Quod est in duob locis bis, est & multiplicatum, secundum suā substantiam, & non tantum secundum presentiam in loco, ergo est reproductio. Consequētia patet, quia quod bis est per substantiam, bis accepit esse, quia non habet esse à se, quod clarum est in temporib. discretis, ergo bis fit, & producitur, & bina conseruatione conseruatur, ita vt vna possit desinere manēte altera. Antecedēs pro-batur, quia vtrobiq; est per suā substantiam, quia non potest intelligi coniunctio rei loca-tæ, & loci & indistantia negatiuæ, vt quidam volunt, vel ex nostra, & communi sententia, modus quidam resultans in re locata, eo ipso, quo est in loco, adeo vt intrinsece includat substantiam rei locatæ, & posterius sit natura re locata, & loco & coniunctione vtriusque: ad horum enim positionem resultat, ergo

quod res locata habet simul præsentiam, toties existit secundum suam substantiam, ergo toties est producta. Confirmatur antecedens, accidens non est extra subiectum, ergo vbi est præsentia, ibi est substantia rei, imo specialis quædam est inseperabilitas modi præsentiæ ad substantiam, quod repugnat, præsentiam rei esse alicubi, vbi non est res ipsa, ergo pluralitas præsentiarum sequitur esse repetitum ipsius rei.

Probatur tertio, si corpus esset in pluribus locis discretis, sine replicatione, aut reproductione, substantiæ, vel æque esset in omnibus secundum substantiam, sed in vno tantum, in cæteris per præsentiam: vel esset in vno primario, & principaliter, tunc quæritur secundum quid, aut quomodo sit in aliis, nulla potest excogitari differentia.

Probatur quarto, res in pluribus locis constituta desinit esse diuersa, desitione substantiali; ergo est posita in diuersis locis, diuersa productione substantiali. Consequentia est clara. Antecedens probatur, quia quando corpus Christi Domini desinit esse Romæ, in speciebus consecratis, desinit esse secundum substantiam, sicuti & quatenus ibi realiter, & substantialiter existebat, non aliter ac desineret substantia Angeli diffusi per totam scholam, si Deus subtraheret influxum conseruatiuum ipsius, prout existit per suam substantiam, in vno angelo, non enim desinit ibi Christus Dominus esse, sicuti anima rationalis desinit esse in loco partis abscissæ, per retractum, & motum localem, in seipsum, quo enim rediret sub hac vel illa specie desinens, & ibi esset durante illo motu. Nihil hic solide responderi potest, ergo res quæ hic est secundum esse dependens, quod habet, vt hic est, formaliter in se desinit esse, & non tantum secundum nudam præsentiam, ergo vt ibi esset simul, & alibi iterato accipit esse.

Probatur quinto. Quia qui aliter censent, & existimant id fieri per actionem adductiuam, sua reproductione, non possunt explicare primo, quomodo talis actio sit substantialis, cum tantum terminetur ad vbi. Secundo, quomodo eidem secundum idem non conueniant opposita etiam contradictoria, vt calor & frigus in gradibus intensis, motus & quies, vita & mors, quod enim respondent non conuenire secundum idem, sed secundum vbi diuersum, non satisfacit, quia multiplicatio vbi non affert subiecto capacitatem simultaneam, formarum contrariarum, vel contradictoriorum, cum ibi non sit illorum subiectum. Tertio non explicant, quomodo requiratur nouum miraculum, vt mutatio facta in corpore, prout est in vno loco, fiat in eodem, sicut in alio. Si enim est idem esse subiecti, non geminatum, quomodo possibile est, in illo fieri mutationem, prout est hic, & non prout est alibi. Deinde si per miraculum traiiciantur termini mutationis, verbi gratia calor, frigus, &c. quid operatur Deus circa illos terminos, si non reproducit, quia mouet localiter, quomodo non recedunt à termino à quo, &c. In nostra autem sententia res est facilior, quia ex vi entitatis identicæ mutatio facta in corpore, prout est hic, non magis fit in eodem, vt est alibi, per replicationem, quam in corpore numero distincto. Ratio est, quia corpus, prout est in vno loco, plane impertinens est, ad seipsum, prout est in alio. Vnde Petrus existens Romæ, potest esse calidus, Duaci frigidus, ignis enim Romæ existens non potest agere Duacum vsque, & posset, tam ageret in alios, quam in Petrum. Similiter Romæ potest videre Pontificem, Duaci non. Romæ dormire, Duaci vigilare, ibi moueri, hic quiescere, ibi mori, hic viuere, quia virtualiter est multiplex. Vide de hac mutatione Conimb. *4. Phys. c. 5. q. 5. a. 2.*

QVÆSTIO IV.

An & quomodo Angeli sint in loco.

De existentia rerum spiritualium in loco pluribus agunt scholastici, *in prima dist. & 1. p. q. 8. & q. 52.*

Ex his nota, duobus potissimum modis aliquid esse in loco, siue locus sit spatium imaginarium, siue superficies, ambiens primo definitiue cum scilicet ita est præsens vno loco vt non sit extra illum. Secundo circumscriptiue, cum scilicet ita est in aliquo loco, vt totum sit in toto, & partes in partibus loci, & sic circumscribatur ac commensuretur loco & hic modus supponit priorem, estque proprius corporibus, quæ habent partes. Deus tamen neutro modo est in loco, non primo modo

odo, quia non est ita alicubi, vt non sit etm alibi, cum sit vbique, non secundo mo- , quia non est corporeus, similiter corpus risti Domini inuefferabili sacramento speli modo, est in loco, qui dicitur à Theolo- sacramentalis, non enim definitur loco, ia ita est in vno loco, vt sit etiam extra il-, & alibi, neque circumscribitur, vt patet a est in pluribus locis, idque modo spiri-

Resp. primo, Angeli sunt in loco, idque de tiue Prius probatur ex scriptura *Apoc.* 12. n est amplius inuentus locus eius in cœ- &c Posterius probatur, quia ita sunt alicu- vt non sint alibi. Et carent partibus, vt cir- nscribi non possint Quod si interdum ali- sancti Patres dicant, angelos esse circum- otiue in loco, vel loco circumscribi, non piunt hunc terminum in rigore; & pro- significatione, vt significent angelos ha- partes extra partes, quibus respondeant ibus loci, sed tantum intelligunt Angelos esse certo spatio præsentes, vt sint vbique asi: Similiter quando dicunt Angelos non in loco, id intelligendum, de loco rerum poralium ita scilicet vt commensurantur .

ed difficultas est, Per quid, aut secundum l Angeli sint in loco, nam D. Tho. 1. *p. qu.* 1. docet, illos esse in loco, per contactum utis. Quam eius doctrinam communiter ntelligunt, quasi velit illos esse in loco, perationem, & applicationem virtutis, on per substantiam, alii vero, vt Scotus *in do d. stin.* 2. *q* 6 *&* 7 D Bonauentura, Nominales & communiter recentiores, docent. Angelos vere esse in loco, per suam substanti, ita vt per entitatis suæ realem existen- , dicantur occupare locum. Res meo iu- o non potest habere difficultatem, vnde- itur quæstio de nomine. Quod ad mo- loquendi attinet-

espondeo & Dico, secundo Angeli sunt in , per substantiam loco præsentem, & n tantum per operationem.

robatur primo, quia præsentia entitatis tis est conditio prævia ad actionem, non contra, ideo enim suppositum agit, quia æsens est, non vero ideo præsens, quia agit, nos subinde ex operatione colligamus, ntiam entitatis.

Probatur secundo, seclusa omni operatione Angeli, substantia illius est indistans, alicui spacio, ergo in præsentia reali non pendet ab operatione. Confirmatur, si Angelus cessaret ab operatione inchoata circa corpus, cui est indistans, non poterit dici non esse in loco, quia cum operabatur, erat & non mouit se loco.

Probatur tertio, operatio transiens non potest esse ratio alicui, cur sit alicubi Sol enim non est in terra, licet in ea operetur: Ratio est, quia actio transiens est in passo, vnde sicut impossibile est, corpus esse extensum per quantitatem alteri inhærentem, sibique extrinsecam, ita impossibile est, vt substantia Angeli fiat præsens per operationem. Confir. quia res materialis est in loco, per suam substantiam, si enim Deus à re materiali, referret quantitatem, non desineret esse in loco, sed maneret indistans eidem spacio, cui ante, ergo & res spiritualis est præsens per substantiam.

Respondeo tertio. Angelus potest esse in puncto indiuisibili.

Probatur, quia licet ex perfectione propriæ essentiæ, habeat intrinsecam quandam & spiritualem magnitudinem, illa tamen est indiuisibilis: Vnde non requirit locum quantum, sed potest esse in re indiuisibili, si detur à parte rei, vel in puncto imaginario.

Obiic. Angelus semper est præditus eadem perfectione substantiali, quam non potest pro arbitrio suo imminuere, sed ratione suæ perfectionis occupat spacium quantum, ergo non potest esse in puncto. Conf. Quia Deus, Anima rationalis, & corpus non possunt esse in locis adæquatis, è minoribus, ergo nec Angelus.

Resp. negando maiorem. Quia est in loco, per suam substantiam libere applicatam, & coniunctam loco maiori, vel minori. Ad Conf. resp. esse disparem rationem in exemplis allatis, quia Deus propter immutabilitatem non potest mutare præsentiam: Anima vero in mutatione suæ præsentiæ, quandiu informat corpus, dependet à dispositionibus materiæ in partibus corporis, quas non potest deserere, sicuti cæteræ formæ materiales. Si autem separetur, potest existere, sicut Angelus in maiori, vel minori loco, intra Sphæ-

 ram.

tam maximi loci, per maiorem, vel minorem substantiæ suæ explicationem.

Resp. quarto. Angelus habet certum terminum spacii, cui potest suam substantiam spiritali modo eo extendere.

Prob. Quia eius substantia est finitæ perfectionis, in se, ergo & in sui diffusione, ergo habet certum terminum, vltra quem se non potest diffundere.

QVÆSTIO V.

Vtrum Deus sit in spaciis imaginariis extra cœlum?

INfinitatem perfectionis diuinæ essentiæ necessario sequitur eiusdem immensitas, qua sine vllo termino est diffusus in immensum. Quæstio tamen est, an sit extra mundum in spaciis, quæ vocantur imaginaria, & consequenter, vbi fuerit ante mundi creationem.

Esse in spaciis imaginariis, extra mundum, negant Scotus *in primo dist.7 qu. vnica* D. Bonauentura *a.2.qu.1.* ex recentioribus Vasches 1. *p.qu.*8.*a.*12 & alii. Affirmant Maior *in primo dist.*37.*qu.*2. Parrariensis & alii. ex recentioribus Valentia 1. *p.qu.*8. *puncto* 1 Molina *ibidem a.*1. Conimb. 8 *Phys.c.* 10. *qu.* 7. & fauet Diu. Thom. *quodl.* 11.*a.*1. vbi docet, Deum non solum esse in rebus veris, sed etiam imaginariis. Mihi videtur, quæstio de nomine, nam de re nemo potest dissentire, cum enim Deus sit immensus, ipsius substantia non includitur hoc mundo, sicuti substantia animæ concluditur corpore. Vnde scriptura sæpe dicit, Deum non capi hoc mundo, sed esse illo maiorem, 3. *Regum* 8. cœlum & cœli cœlorum te non capiunt. *Iob.* 11. *&* 22 Excelsior cœlo est, & ecclesia canit. Quem totus non capit orbis. Ex S. Patribus D. Dionysius *c.9.* De Deo ait, super omnem magnitudinem funditur, & super expanditur. Hilar. *primo de trinit. c.* 2. inest interior, excedit exterior. August. 1. *de ciuit. c.*5. dicit Vaniloquium esse, dicere, quod Deus tantum sit intra mundum, similia habet 1. *Conf.c.*2. *&* 3. *& l.*7.*c.*5. vbi comparat Deum mari immenso, & mundum spongiæ in medio talis maris. Quæ veritas etiam innotuit multis Philosophis et hnicis, vnde illa definitio Trismegisti, Deus est intelligibilis sphæra cuius centrum est vbique, circumferenti[a] nusquam, ergo constat de re: vtrum vero es[t] indistans illi spacio, in quo Deus posset co[n]dere alium, sit esse in illo spacium, est tantu[m] quæstio de modo loquendi.

Pro veritate nota, ex dictis *qu.* 1. spaciu[m] imaginarium non esse ens aliquod positiu[um] cum nullum tale sit extra cœlum, vel fuerit a[b] æterno præter Deum. Hoc vero spacium [v]bique, & semper suo modo fuerit, neque es[t] ens rationis, cum in eo de facto recipiant[ur] corpora, intra mundum & extra mundum r[e]cipi possint, si ibi creentur, sed esse negati[o]nem corporis extensi, & non repugnantia[m] vt ibi sit per Dei potentiam. Quæ negatio nobis concipitur per modum extensionis p[o]sitiuæ realis, cuius est negatio, ac proinde v[e]re est à parte rei cæcitas, & aliæ priuatione[s] & negationes sunt à parte rei independente[s] ab operatione intellectus, dicitur tamen ima[gi]narium, & dimensiones illius imaginari[æ] eo quod imaginemur illas positiuas, propo[r]tione quadam respondentes realibus corp[o]rum dimensionibus.

Resp. Deus recte dicitur esse in spaciis ima[gi]nariis, & extra mundum.

Probatur 1. Quia mundus non est min[us] diffusus per extensionem suam spirituale[m] quam corpus infinitum, si per impossibile d[ice]retur, sed tale corpus repleret omne spaciu[m] & diceretur esse in omni spacio imaginari[o] ergo & Deus de facto erit in illo.

Conf. non magis repugnat Deo esse, vel c[o]ci esse, vbi nihil est præter ipsum, quam mu[n]do, & cuiuis corpori creato, sed mundus di[ci]tur esse in spacio imaginario, hoc est non lio, &c. ergo

Si dicas, corpus ratione suæ molis face[re] spacium reale, Deum vero non ita conti[nuum] spacium quo corpus concipitur, facere, n[on] est distinctum ab ipso corpore, ergo si corp[us] possit à se ipso denominari, esset in spacio, c[ur] non etiam res spirituales, secundum substa[n]tiam realiter diffusæ, cum spacium imagin[a]rium eodem modo se habeat, ad omnia, dei[n]de res spiritualis habet etiam spirituale[m] suam extensionem, respondentem extensi[o]nis corporis. Vnde eodem plane sensu veru[m] est, *Deum* esse in spaciis imaginariis, ext[ra] mundum, quo verum est, mundum esse [in] h[oc]

hoc spacio, quia Deus reuera est, vbi nos spacium reale imaginamur.

Probatur secundo Corpus reale nihil facit ad præsentiam realem *Dei*, ergo tam realiter est, vbi nihil est, quam vbi est aliquod corpus, & tam realiter est in spacio imaginario, quam reali. Antecedens probatur, quia extensio corporis & præsentia illius non est formalis extensio, vel præsentia Dei, nihil enim dicitur esse alicubi, per denominationem extrinsecam ab altero, quod ibi est, sed necesse est ipsum ibi secundum se, & substantiam suam ibi esse, atqui si dicas esse in spacio, non tantum dicit realem præsentiam rei vel existentiam, & connotat aliquid distinctum.

Respond. connotare aliquid distinctum, non tamen reale, sicuti enim proprie dicitur, cæcitas esse in oculo, & concipitur inhærere oculo, quæ inhærentia essentialiter supponit coexistentiam, ita proprie Deus coexistit illi spacio, non aliter, quam oculus priuationi, materia lapidis priuationi formæ ignis.

Probatur tertio, æternitas Dei extendit ad omne tempus, etiam possibile, & imaginarium, & ratione illius dici debet esse in omni spacio, etiam possibili, & imaginario.

Probatur quarto. Si Deus non esset in spaciis extra mundum, posset à seipso separari, & discrete à se ipso existere, quod est absurdum, vt verbi gratia, si crearet hominem extra mundum, relicto aliquo spacio intermedio, & si annihilaret aerem, & ignem inter cœlum & terram, esset in extremis, & non in medio & sic diuisus ab se, secundo posset moueri, & moueri loco, quia posset incipere esse alicubi, vbi non erat ante, scilicet vbi aliquid de nouo crearet, extra mundum, etsi hunc mundum loco moueret, simul moueretur, & cum illo transferretur, sicut anima cum corpore, & Angelus cum corpore assumpto, quæ omnia sunt absurda. Ergo Deus debet dici esse in spacio, non reali, seu imaginario, sicuti corpus quodlibet est in tali spacio, quod insinuasse videtur Diu. August. *l. contra Manichæos. capite* 37. dum dicit, Manichæos ignorantes, vbi Deus fuerit ante mundum conditum, etiam ignorare vbi caput suum habeant, Quasi dicat, Deus fuit in spacio, sicut caput est in spacio.

Obiic. 1. Spacia illa ex dictis non sunt quid reale positiuum, ergo non potest dici in illis realiter existere.

Respondeo negando consequentiam, quia esse realiter in aliquo, latius patet, quam esse in aliquo reali, etsi Deus non posset esse, & dici esse in spacio, nec mundus poterit esse in suo spacio, nec lapis etiamsi crearetur extra cœlum.

Obiic. secundo. Si Deus recte dicitur in spaciis imaginariis, poterit etiam dici esse in rebus possibilibus, verbi gratia, antechristo, & in negationibus, ac priuationibus.

Sequela probatur, quia omnium eadem est ratio, quia omnia sunt nihil & non ens.

Respondeo negando sequelam, ad probationem dico, dari distinctionem inter non entia, vnde illa negatio, quæ est spacium, repleri potest à diuina substantia, vel alio corpore; aliæ negationes priuationes, res vt possibiles non ita. Sic cæcitas, licet sit non ens, non potest esse in lapide, sicut priuatio ignis non potest tolli ab oculo, per productionem equi vel alterius rei positiuæ, sed tantum per potentiam visiuam, & priuatio ignis in lapide non potest tolli è medio, per quiduis, sed tantum per productionem ignis, & econtra priuatio formæ lapidis fit in præsenti, non sequitur, Deus dici potest esse in tali negatiuo, scilicet spacio, ergo in quouis alio negatiuo.

Obiic. tertio Diu. August. *in Psalm.* 122. & Diuus Beron. *libro quinto de consideratione* docent, Deum ante mundum cognitum fuisse, in se ipso, ergo non fuit in spaciis, nec modo extra cœlum est in spaciis.

Respondeo negando consequentiam, quia sancti per illum modum loquendi, Deus fuit in se ipso, tantum significant, nihil ab æterno, vel ante creationem Deo coextitisse, in quo tanquam aliquo reali fuit, alioqui quod ad modum loquendi attinet, sicuti in his distinguitur à se, ita nec locus suiipsius, vt possit dici esse in se vere, hoc est, ab intellectu distinguente Deum à seipso, quatenus locatum & locus sui ipsius, quia scilicet docet in creaturis locatum distingui à loco.

Petes, quid Aristoteles cognouerit de immensitate Dei.

Respond. rem esse ambiguam, vt videre est apud Toletum *l.*8.*c.*10.*qu.*7. & Conimb. *ibid. q.*1.*a.*2. D.Thom.8.*Phys. text.*84. docet, illum cognouisse Deum esse vbiq;, quia dicit illum cognouisse cognitionem Dei, cum rebus omnibus, & simul existimasse, nihil agere primo in distans, & consequenter intellexisse Deum omnibus adesse. Iustinus Philosophus *in oratione Par. ad gentes.* & alii censent, Aristotelem non cognouisse Deum esse vbique, maxime ex *primo de cœlo t.*3. vbi approbat sententiam eorum, qui sedem Deo tribuunt in cœlis, & ex *libro de mundo*, vbi dicit non esse de dignitate Dei, vt intersit rebus mundi. De loci proprietatibus & attributis vide dicta *in text. c.*4. & Pererium *l.*11.*c.*10.

QVÆSTIO VI.

Quid sit vacuum & an detur?

RESpondeo, vacuum est locus carens corpore, aptus tamen naturaliter repleri. Ita definit Aristoteles *hic c.*7. Dicitur locus, quod ad rationem vacui requiritur realis vtrinque superficies, ambiens, vnde spacium extra cœlum non est proprie vacuum, stricte sumptũ. Dicitur carens corpore, quia nihil est reale positiuum, sed tantum negatio quædam extensionis. Dicitur aptus naturaliter repleri, quia negatio illa debet connotare agens naturale, aptum tollere negationem, per formã positiuam oppositam.

Resp. secundo, naturaliter non potest dari vacuum, sed omnia corpora in vniuerso sunt sibi contigua.

Probatur experientia, quia omnia corpora contra inclinationem naturalem mouentur ad impediendum vacuum, cuius ratio est, quia natura est amans vnitatis, quæ elucet in contiguitate, à vacuo vero destruitur. Deinde ratione dependentiæ corporum inferiorum à superioribus, tum etiam, quia natura nihil facit frustra, vacui autem nullus est vsus. Experientiæ variæ adferuntur à recentioribus, Pererio *lib. vndecimo c.*10. Toleto *hic quæst. nona.* Conimb *c.*9 *q.*1. primo vas plenum liquore, inferne perforatum non influit, nisi superius exiguum saltem fiat foramen, per quod subintret aer, qui impleat locum liquoris, fluentis. Secundo, cum per fistulam aqua trahitur, Primo euacuatur aer, qui in fist[...] continetur, tum aqua ascendit, ne intra fi[...]lam fit vacuum, Tertio, aqua è poculo au[...]gena angustioris, etiam obuerso vix dila[...]tur, ne scil intra latera poculi detur vacuu[...] si aqua effluens totum orificium occupet; impediat ingressum aeris: Vnde distillat; inæquabili fluxu erumpit. Quartó. Si orifi[...]um follium bene obstruatur, ita vt nulla parte ingredi possit aer, non poterunt v[...] modo latera à se inuicem deduci, idque [...] detur vacuum. Quinto, cucurbitulæ, vt v[...]cant medicorum, carnem in tuberculos, [...] tumorem eleuant, quia aer iniecta stuppa incensa calefactus & rarior factus, illas om[...]no implet, tum frigore vitrei, aut metalli n[...]turali intrinseca vi nonnihil condensatu[...] minus loci requirit & quia alius aer accede[...] non potest, carnem attrahit: Sexto, si latu[...] asserem aquis innatantem, ex omni parte [...]qualiter, quoad fieri potest, conamur atto[...]re, aqua inferne aliquo vsque adhæret, &[...] tollitur, donec subingrediatur aer, ad im[...]diendum vacuum. Ob eandem rationem p[...]ri corio rotundo humido bene applicato [...]ces è plateis extrahunt. Septimo familiare [...]emplum est, in tubis, quibus aqua ex mag[...] profunditate sursum educitur, ne in tubis d[...]tur vacuum, ex eodem principio mira fiunt [...] fontibus artificialibus. Octauo. Hibern[...] tempore vasa testacea, & vitrea, in quibus [...]qua finitur congelascere, franguntur, [...] quod aqua frigore condensata, minus lo[...] occupet, & super ore, si orificium sit obstr[...]ctum, non possit ingredi aer, imo etiamsi [...] apertum, non potest penetrare vsque ad fu[...]dum vasis, vt ibi suppleat defectum aqu[...] Quo casu frangitur in parte debiliori, vel [...] ea circa quam vrget necessitas, si æqualis v[...]dique sit condensatio, & æqualis omnino v[...]sis fragilitas, ex omni parte, (qui casus est [...]maginarius, & tantum possibilis, per causa[...] superiorem) tunc à Deo determinari deb[...] pars effringenda, quæ fractio effectiue pr[...]cedit ab aqua constipata, quæ dum coarct[...]tur, attrahit ad se latera vasis, hæc autem cu[...] non sint ductilia, franguntur. Dices si late[...] vasis spissa sunt, & ruptio fiat in instanti: res[...] ruptionem requisitiam ad impediendum va[...]cuum

cuum, non posse fieri in instanti, sed successiue, fit enim interueniente motu locali, quo latera & partes antea continuæ, à se mutuo remouentur, vt fiat transitus aeri.

Petes, qua virtute res naturales impediant vacuum?

Respond id fieri variis modis, si enim periculum sit vacui, occasione virtutis extrinsecæ impressę, verbi gratia, ab homine attrahente, vt in sex. & septima experientia corpus impediens vacuum mouebitur ab eo, qui corpus contiguum mouet, scilicet ab homine. Vnde cum labore huiusmodi corpora eleuantur, quod euidens signum est, non moueri à Deo, vt quidam volunt. Deinde si occasione alterationis corporis contigui sit periculum vacui, corpora vicina partim sponte se dilatant, partim à corpore condensato trahuntur; & his casibus res naturales mouentur contra inclinationem particularem, qui cum motus dici potest illis esse naturalis, quatenus sunt partes vniuersi, quomodo manus suo incommodo obiicit se ictibus ad defensionem capitis, à cuius salute vita maxime pendet.

Argumenta quæ videntur probare, de facto dari vacuum, in textu soluta sunt, & *supra* q. 2. quæ probare videntur, posse naturaliter fieri ex dictis, & experientiis allatis, facile intelliguntur.

QVÆSTIO VII.

An possit dari vacuum supernaturaliter & in eo fieri motus?

DIco certum est, virtute diuina posse dari vacuum. Probatur, quia potest Deus annihilare aerem, & suis locis detinere, ignem, aquam, quæ etiam si naturæ suæ relinquantur, vel non poterunt occupare totum illud spaciam, in quo erat aer, vel saltem non poterunt sese diffundere, per illud in instanti, sic aliquandiu erit vacuum.

Respondeo secundo. Verisimile est virtute etiam creata & finita alicuius Angeli, saltem possibilis dari posse vacuum.

Probatur, quia resistentia, qua corpora naturalia resistunt vacuo, est finita, ergo poterit superari à virtute finita, cur enim non posset Angelus ex vase pleno egerere aliquantulum liquoris, non admittendo aerem, cur non posset tabulam latam, & bene firmam omnino æqualiter euellere ab aquis, & aquam detinere suo loco. Qui oppositum tenent, fere afferunt congruentias vide. Conimb. *hic cap.* 9. *quæst.* 2 articulo secundo.

Respond tertio, in vacuo fieret motus. Ita D. Thom. Scotus & alii, quos citant Conimb. *supra art.* 1. & Tol. *qu.* 9. qui addit oppositum non posse intelligi. Probatur, si annihilaretur aer & ignis, & crearetur ignis circa terram, ille ingenita sibi leuitate ascenderet ad concauum lunæ, & lapis, creatus circa lunam descenderet deorsum; deinde nulla assignari potest ratio, cur in tali casu non posset agitare corpus versus cœlum, vel explodi tormentum bellicum, & cur non possemus mouere brachia, & omnia exercere, modo non desit aer ad respirationem.

Dices Aristoteles aperte docet contrarium. Resp. Aristotelem loqui de vacuo, late sumpto, quod nulla ex parte termino clauderetur, quale fuit ante mundi creationem, in quo non fieret motus, saltem naturalis, cuius bonam rationem dat Aristoteles, quia in eo non essent differentiæ positionum, & per consequens, non esset ratio, cur ignis vel aer, &c. si ponerentur in hanc vel illam partem mouerentur, possent tamen moueri quaquauersum, ab Angelo, vel Deo, etsi homo in eo fuisset creatus, cum dote agilitatis, potuisset se libere mouere. Aliter Aristotelem explicat Diu. Thom Quasi vtatur hic Argumento, ad hominem, contra antiquos, qui dicebant primo successionem motus adæquate prouenire ex resistentia medii, secundo dari vacuum vt possit fieri motus. Ex his principiis infert, posito vacuo non fieret motus, vel fieret in instanti, quod idem est, quia motus in instanti non est motus. Vnde Respondetur ad Pererium *supra c.* 12. qui existimat, saltem ex sententia Aristotelis, non fore motum in vacuo. Dices motus supponit distantiam, quæ peruadatur, in vacuo nulla est distantia. Respondeo negando assumptum, quia in vacuo est vera distantia extremorum, commensurata spacio imaginario: distantia enim non est corpus interiectum inter extremitates, sed sunt ipsæ extremitates, cum negatione coexistentiæ, Vnde eadem esset distantia cœli, à

terra, si ignis & aer desinerent esse, qui modo est, & eodem omnino temporis spacio indigeret angelus, vt moueretur vsque ad terram, quo indiget, si per distantiam realem intelligatur corpus interiectum inter terminum à quo, & terminum ad quem, tantum abest, vt requiratur, quin potius impediat, vel omnino, vel ex parte.

Resp. quarto. Motus in vacuo non fieret in instanti. Probatur, quia vacuum non tollit distantiam, ex qua fiat successiue motus, secundo, Angelus successiue mouetur à cœlo deorsum, vsque ad terram, medium autem plenum habet se, respectu illius instar vacui, quia non resistit spiritui.

Probatur tertio, si motus in vacuo fieret, in instanti corpus occuparet locum maiorem maximo, & per consequens, esset maius seipso, quod implicat: Posito enim vacuo, inter cœlum & terram vsque, si mobile, verbi gratia, lapis à cœlo in terram mouetur, in instanti, simul coexistit omnibus partibus illius columnæ, extremis & mediis, sicque occupat locum decies millies, &c. maiorem loco maximo, qui est æqualis mobili, verbi gratia, pedale.

Dices cum Aristotele, in vacuo nulla est resistentia medii, ex qua oritur successio motus, ergo motus fiet in instanti.

Respond. ad antecedens, resistentiã medii non esse radicem successionis in motu, sed vt summum modificare motum secundum celeritatem, aut tarditatem, radix successionis est distantia termini, à quo, ad terminum ad quem, quæ non tollitur in vacuo, neque enim annihilato igne, & aere, terra minus distaret à cœlo, quam modo distat. Vnde cœli, qui non inueniunt resistentiam in spatio, quod decurrunt non mouentur tamen in instanti. Quare in vacuo aliud alio celerius moueretur, pro maiori vel minori vi motiua.

Obiic. secundo. Si motus in vacuo esset successiuus, eadem celeritate aliquid posset moueri, in pleno, sed hoc est absurdum, ergo. Maior probatur, quia sit motus, verbi gratia, terræ, per vacuum celer vt decem eiusdem per medium rarum, vt aer celer, vt vnum, tum crescat raritas medii, decupla proportione, tum decuplo celerius mouebitur terra, quam ante, ergo vt decem, sicut in vacuo.

Respondeo primo negando minorem quia licet medium ex vna parte resistat, retardet motum, ex altera tamen parte sistendo à tergo mobili mouet mobile, sic potest compensare resistentiam.

Respondeo secundo, negando maiore ad probationem dico, nunquam posse rescere medium reale, verbi gratia, aerem proportione, vt æquiualeat vacuo, incrementum raritatis ad decem gradus, non fert celeritatem motus, vt decem, cum hæc non oriatur adæquate, ex grauitate medii, maxime ex vi motiua, quæ si sit omnino qualis, motus in vacuo erit semper aliquanto celerior, licet forte imperceptibiliter, qu motus in pleno, etiam rarissimo, intra limites raritatis possibilis, si vis motiua vn superet vim alterius, vt vnum mobile plumbum pedale, & alterum pedale, pote motus in pleno celeritate superare motum vacuo.

DISPVTATIO VI.

De Durationibus Rerum

Respondens quarto Physicorum, à capite decimo ad finem.

OCcasione temporis, quæ est passio quædam rerum Physicarum, duratio successiuæ, quædam hic vniuersim, de durationibus agemus, quibus fuse Theologi *in primo sent. dist.* & 2. & 1. *parte q.* 10. Fons. 5. *Met. c.* 17. 12. Pererius *l.* 12. *à c.* 5. & Suarez *disp.* 5

QVÆSTIO I.

Quid sit duratio, & quomodo distinguatur ab existentia.

QVæstio est de duratione reali rei, scil. existentis, non de duratione & mora imaginaria, quæ à nobis concipitur, vt quid re: succ

tium, coexistens durationibus realibus, sicuti spatium imaginarium concipitur per modum extensi permanentis, coexistentis, magnitudini reali, aut rei diffusæ per suam substantiam, de qua duratione imaginaria dicitur, Deum potuisse condere mundum mille annis antequam conditus est: ibi enim illud mille annis designat duratione imaginariam, & possibilem, quia saltem Deus & angeli potuerūt in illa mora imaginaria designare partem, respondentē præcise mille annis tēporis realis, sicuti in spatio extra cœlos potest designari pars correspondens locato pedali.

Nota primo, sicuti res quantæ habent intrinsecam extensionem, secundum longitudinem, qua coexistunt spatio permanenti vero, vel possibili, ita etiam habēt intrinsecam durationem suæ existētiæ, quæ est extensio quædam secundum tempus, qua coexistunt tempori vero, vel possibili, neque enim possunt coexistere, vel commensurari tempori, nisi in se ipsis propriam, & intrinsecam habeant durationem, secundum esse.

Nota secūdo, hic agi de duratioñe absolute sumpta, quæ est perseuerātia in aliquo esse, non vero de duratione secundum quid, quæ est perseuerantia agentis, in aliqua actione, qua dicitur aliquis durare in studiis, diligentia, &c.

Resp. primo, Duratio est perseuerantia rei in suo esse actuali, vel quod idem est, est existentia rei continuata. Patet ex communi modo concipiendi res, vnico tantum instanti, existens non dicitur proprie durare, duratione stricte sumpta, & tantum illa, quæ perseuerat in existentia, si quis euincere velit, rem instantaneam etiam durare, facit quæstionem de nomine.

Resp. secundo. Duratio nō distinguitur ex natura rei ab existentia eius, cuius est duratio. Ita Scot. *in secundo dist.* 2. *q.* 1. Gabriel *ibid.* Suar. *disp.* 50 *sect.* 1. & communiter recentiores contra Banios 1. *p.* *q.* 3. *a.* 4. *d.* 1. & alios quosdam Thomistas, qui volunt durationem distingui ab existentia, saltem modaliter.

Sed probatur conclusio, primo, quia sola existentia perseuerante, secluso omnibus aliis, res seipsa durat, ergo duratio & existentia non distinguuntur.

Probatur secundo, si duratio esset modus superadditus existentiæ, ille etiam haberet suam durationem, & modum superadditum, & sic in infinitum.

Probatur tertio. Productio & conseruatio, etiam ex sententia D. Thom. sunt omnino idem, à parte rei, quia sunt eadem actio perseuerans in suo esse, ergo existētia seu esse actuale rei, & duratio sunt similiter idem, quia sunt terminus productionis, & conseruationis. Confir. Quia idem est quærere, quamdiu res durauit, ac quærere, quamdiu extitit.

Respon. tertio. Duratio distinguitur ab existentia, ratione, cum fundamento in re. Patet ex terminis, quia existere & durare, non sunt in rigore, synonyma, ergo significata saltem ratione distinguuntur.

Probatur secundo. Quia existentia rei in primo instanti est vera, ac realis existentia, non tamen duratio, ergo aliquo modo distinguuntur, scilicet connotato, quia existentia præcise, & formaliter tantum dicit posituram rei, extra suas causas, non connotando præexistentiam, quæ necessario tantum conuenit existentiæ, pro primo instanti, duratio vero dicit perseuerantiam in illa existentia, connotando secundum nostrum modum concipiendi, præexistentiam eiusdem, ante quoduis instans, quo dicitur durare, vt explicat Suarez *supra sect.* 2. *num.* 10. vel connotando coexistentiam temporis veri, vel possibilis, seu durationis successiuæ, vt explicant plerique Nominales & bene.

Obiic. primo existentia potest separari à duratione, ergo distinguitur ex natura rei. Antecedens probatur, in existentia instantanea alicuius actionis, vel etiam rei substantialis.

Respon. negando consequentiam, quia sic etiam potest separari creatio, à conseruatione vt in casu proposito, cum tamen sola ratione distinguantur. Vnde argumentum tantum probat distingui saltem ratione, neque proprie existentia potest separari à duratione tantum, seorsum reperiri, sicuti animal non potest separari ab homine, quia homo essentialiter includit animal, scilicet sibi identificatum, sed potest seorsum reperiri, scilicet in equo, vnde talis separatio non est signum distinctionis realis.

Obiic. secundo. Duratio est extensio existentiæ, ergo distinguitur ab existentia.

Respondeo negando consequentiam, quia extensio hæc nihil super addit existentiæ, nihil enim accedit rei permanenti per durationem longiorem, sed & idem omnino esse in principio, medio, & fine & secundum idem esse sine vlla formali, vel virtuali sui replicatione, diu durat, verbi gratia, Angelus, albedo, &c. Centum annorum secundum intrinseca, non est maior, vel perfectior in angelo, vel albedine vnius vel etiam seipso, primo die sui esse.

Obiic. tertio. Extensio secundum locum, aut longitudinem superaddit aliquid entitatis, nimirum substantiam intrinsece maiorem, diuisibiliter, vel indiuisibiliter, ergo etiam extensio secundum tempus.

Respondeo negando consequentiam, quia partes spacii sunt simul, vnde debet illis coextendi, per maiorem entitatem, partes vero temporis sibi succedunt, vnde idem seipso præcise coextendi potest, successiuo, nihil in se secundum intrinseca acquirendo per durationem, sicuti idem baculus in flumine seipso coexistit, diuersis partibus aquæ, successiue præterlabentibus, quod patet in æternitate Dei, qui immutabilis est, & sua simplicissima natura, sine vlla variatione coexistit omni tempore vero, & possibili.

Obiic. quarto. Res longius durans aliter se habet intrinsece, quam res minus durans, imo res durans inuariata existentia potest variari, secundum durationem, & plus minusue durari, vt si annihilaretur modo angelus, variaretur eius duratio, non existentia, ergo duratio aliquid super addit existentiæ.

Respondeo negando consequentiam, quia res se aliter potest habere, per solam existentiam, & sic Angelus per existentiam aliter se habet à seipso, non existente, quia quandiu est, intrinsece durat, quando vero non est extrinsece, non durat, quia diu, vel diutius esse à parte rei, nihil est aliud, quam esse aliis & aliis transeuntibus, vnde intrinseca tantum dicit esse rei, & extrinsece connotat res alias transeuntes, ipsa existente, quæ omnia ex mox dicendis confirmabuntur.

(***)

QVÆSTIO II.

Vtrum omnis duratio includat successionem intrinsecam.

PEr successionem intrinsecam intelligit fluxus quidam rei, per desitionem alicui prioris, & acquisitionem ante non habi qualis reperitur in rebus, quæ durant per pa tes sibi mutuo succedentes, quæ nunqua habent totum esse simul, à qua successio entitatum partialium vocantur res succes uæ Quæritur, an res omnes etiam permane tes, quæ habent totum suum esse, simul etia includant successionem aliquam entitatis.

Respond. Duratio rei permanentis non i cludit successionem intrinsecam. Ita D.Th *1.p.quæst.10.a.4.& 5. & alibi.* & communit Thomistæ. Idem docent Durandus *in secun q.3.dist.2.* Gabriel *ibidem q.4.* & Occam *qua 20* & magis probant Scotus *in secundo quæ.* & Richardus *a.1.qu.3.* Qui tamen poster existimant, non esse omnino improbabile opinionem D Bonauenturæ, in secundo *di 2.a.1.q 3.* vbi contrarium docet.

Probatur conclusio, primo, Quia omniu consensu quędam res extenduntur, secundu durationem seipsis totis indiuisibiliter, si vlla extensione sui, per successionem totali vel partialis entitatis, vt sunt substantiæ sp ritales, & quomodocunque demum illa su cessio explicetur, certum est, non reperiri i duratione Dei, ergo duratio permanens nō includit successionem.

Conf. quia alioqui non esset distinctio r rum succedentium, & permanentium.

Probatur secundo, contra fundamentu D. Bonauenturæ, Influxus Dei conseruatiu non includit successionem, ergo neque dur tio, quia est terminus illius influxus, ac pr inde non potest esse successiuus, nisi term nus, qui identificatur ex natura sua sit tali Antecedens probatur, quia influxus Dei con seruatiuus, est influxus continuatus, & à par rei, res assiduo pendens à Deo, secundum sir plicem suam entitatem, quam totā simul po sidet, dependenter à Deo. secundo si influx cōseruatiu⁹ rei permanētis, quę est tota simu esset successiuus, posset dari noua actio, sin nouo termino, quod implicat, Sequela prob qui

ia quolibet inſtanti tota res ponitur, nec ſ ceſſiue diffluit ſe tota, aut ſecundum par- t, alioqui enim non eſſet permanens, ergo qui partiales influxus ſuccedentes care- it termino, quia nihil attingent quod non ſi

Reſpon. ſecundo. Duratio rei ſucceſſiuæ h et ſucceſſionem intrinſecam, probatur, ictis, quia ex hac ſucceſſione partium, partes dicuntur ſucceſſiuæ, & qualis eſt lus exiſtendi rei, ſecundum ſuam entita- , talis etiam eſt modus durandi, ergo du- eſt multo imperfectior, quam duratio nanes, oritur autem hæc ſucceſſio ex lati- ne formæ, quæ per motum acquiritur, vt oco dicemus.

biic. primo, contra primam concluſio- , actio Dei conſeruatiua non eſt eadem e, quæ fuit heri, & cras erit, ergo habet ſſionem intrinſecam, ergo etiam dura- i, quæ eſt terminus illius actionis.

ſpon. negando conſequentiam, Antece- eſt eadem omni modo, quo terminus, & ei, in quid tendit, eſt idem, quia identifi- . Dices eidem durationi ſucceſſiue con- int contradictoria, vt motus & quies, a oppoſita, ergo includit ſucceſſionem.

ſpond. negando conſequentiam, quia eniunt ſecundum diuerſas temporis par- ſi dicas rem eſſe eandem, omni tempore urationis, Reſpon. eſſe virtualiter multi- m, quia idem manens idem, ſecundum antiam, poteſt ſucceſſiue variari, ſecun- accidentia, etiam oppoſita, quia ſecun- illa habet aliam durationem, illis pro- , & diſtinctam à duratione ſubſtantiæ, em baculus in aquis alluitur ſucceſſiue a, & alia aqua.

iic. ſecundo. Duratio animæ Adami eſt r, & prior duratione animæ cuiuſuis ho- , quia maiori tempori coextitit, ergo partes & ſucceſſionem.

nſequentia probatur, quia non potuit itiſſe maiori tempori, ſiue intrinſeca du- e illi commenſurata.

R pon. negando conſequentiam, eſt enim & maior ſeipſa, indiuiſibiliter. Ad pro- nem dico, durationem indiuiſibilem eſſe commenſuratam, & poſſe coexiſte- ximo tempori, vt patet in æternitate Dei.

Obiic. tertio. Duratio animæ meæ habet præſens, præteritum, & futurum, ergo & ſucceſſionem. Conſequentia patet. Antecedens probatur, de præterito, quia illud habere de præſenti poteſt, quia modo eſt, de futuro probatur, quia duratio craſtina animæ meæ non eſt hodie actu, ſed in potentia tantum, vnde poteſt non eſſe, ergo eſt futura.

Reſpond. negando conſequentiam, quia non habet eſſe præteritum, quatenus illud præteritum, non dicit amplius eſſe, non futurum, quatenus futurum dicit non eſſe, ſed tantum per comparationem ad tempus extrinſecum, cui inſunt præſens, præteritum & futurum, hæc illi tribuuntur, quæ extrinſeca præteritio & futuritio etiam tribuitur æternitati Dei, ab intellectu noſtro, nam & illa diuiditur in præſens, præteritum & futurum, cum tamen per præteritum nihil illi decedat, neque per futurum vſquam accedit. Vnde patet ad probationem durationem animæ meæ craſtinam, etiam eſſe hodie actu, ſecundum intrinſeca ſua, eſſe tantum in potentia, ſecundum coexiſtentiam actualem craſtini diei qui nondum eſt.

Obiic. quarto. Duratio Angeli erit actu infinita, quia extendit ſe ad æternitatem à parte poſt, ergo diſtinguitur exiſtentia rei, quæ eſt actualis entitas Angeli finita.

Reſpon. negando Antecedens, quia actualis duratio non eſt maior, nec magis infinita, quam ipſum eſſe Angeli, quod ſeipſo nullo ſuperaddito durabit in æternum, vnde nulla duratio proprie eſt infinita, niſi exiſtentia rei, ſeu res durans ſit infinita. Quare infinitas illa, quæ tribuitur æuo, ſeu durationi Angeli, quatenus aliquid ſuperaddit exiſtentię, quam Angelus ſingulis momentis habet, conſiſtit in denominatione extrinſeca, à tempore, cui poteſt coexiſtere, aliud eſt de extenſione infinita rei, ſecundum ſpatium, ad hanc enim ſimul requiritur immenſa ſubſtantia.

Dices, æternitas Dei eſt infinita, ergo & æuum & duratio Angeli.

Reſpon. negando conſequentiam, quia exiſtentia Dei eſt infinita, cuius menſura eſt æternitas, exiſtentia autem creaturæ non eſt infinita, habet tamen vim durandi finitam, identificatam, ſuo eſſe æquiualentem ſuo tempori.

QVÆSTIO III.

Vtrum duratio permanens includat successionem intrinsecam?

PEr successionem extrinsecam intelligunt authores coexistentiam cum successione, siue ordinem ad successionem veram, vel imaginariam.

Respon. negatiue, est contra multos recentiores.

Probatur primo, Quia æternitas Dei est duratio omnium perfectissima, sed hæc in ratione sua non includit ordinem ad successionem extrinsecam, ergo nulla duratio permanet, omnium enim eadem est ratio: Minor probatur, Si æternitas Dei intrinsece includeret hunc ordinem, dependeret ab aliquo extrinseco, successiuo vero, vel possibili, saltem vt à termino, sed æternitas Dei non pendet ab aliquo extrinseco, ergo &c Minor probatur, quia æternitas Dei est attributum absolutum, & essentiale Dei independens ab omni creatura vera, vel possibili.

Probatur secundo. Duratio permanēs non magis includit ordinem ad successionem intrinsecam, quam tempus, vel duratio successiua, sed tempus non includit ordinem realem, ad aliud tempus, vel durationem, ergo nec duratio permanens, minor probatur, quia alioqui daretur progressus in infinitum.

Probatur tertio. Pars quælibet in se præcisa omni operatione intellectus, durat, & perseuerat in suo esse, ergo hæc continuatio in essendo, non pendet ab operatione intellectus, concipiente illam cum hoc ordine. Confirm. Quia intrinseca extensio rei, secundum longitudinem, non pendet ab extensione aliqua intrinseca, rei successione, ergo nec intrinseca extensio secundum durationem.

Obiic. Res vnico instanti existens non dicitur durare, ex eo, quod non sit capax ordinis ad successionem extrinsecam, cui possit coexistere, ergo hic ordo est de ratione durationis. Confir. Quia diu, vel diutius esse, est esse aliis, & aliis transeuntibus.

Resp. his & similibus argumentis tantum probari, durationem permanentem æquiualere successiue, & eam eminenter continere, ac per eandem, vt notiorem, à nobis concipi, & mensurari, non autem essentialiter includere hunc ordinem, qui illi tantum conuenit per reflexionem, & comparationem intel ctus. Verum tamen est, durationem secu dum distinctionem sui, ab existentia depen re, ab intellectu, & tempore extrinseco, sic attributa diuina secundum distinctione quam habent inter se, quia intellectus n potest concipere extensionem, nisi ad mod extensionis corporeæ, per successionem p tium, & ideo cōcipit durationem perman tem, tāquam successiuam, vel saltem, vt co mensuratam rei successiuæ veræ, vel possib ita æternitas æuum &c. concipimus tanqu vnum, & idem nunc, tota duratione sui pe uerans, & simul fluens, ac sibi ipsi conti succedens, & illo fluxu extensum.

Dices, Deus est omni instanti æternus, go duratio etiam distincta ab existentia, pendet à compositione ad successionem trinsecam.

Resp. ad Antecedens, Deum omni insta habere vim durandi infinitam, secundum ctualem tamen durationis extensionem, q tenus ab intellectu cōcipitur distincta ab stentia, & in qua comparatur cum temp non habet maiorem durationem actu, q tempus cui coextenditur, vt æternitas hac ra tantum durat vna hora, & ita sicut tem æternum nunquam esset positiuum futur infinitum, ita nec æternitas vnquam erit sitiue infinita, quoad extensionem sui ac lem, quatenus scilicet aliquid superaddi ternitati, secundum intrinseca spectatæ.

QVÆSTIO IV.

Quod sunt species durationis?

PLures sunt durationum species, pro di sitate intrinseca rerum durantium. Ali nim sunt successiuæ, aliæ permanentes, sunt in triplici differentia, vel enim ca principio & fine, vt Deus, vel habent pri pium essendi, & carent fine, vt Angeli, an rationales &c. vel habent principium nem, vt substantiæ omnes corruptibiles.

Respon. primo. Quatuor communiter gnantur species durationis, scilicet ætern æuum, instans discretum, & tempus. I pro diuersitate rerum durantium applica

Resp secundo. Æternitas proprie sur definitur interminabilis vitæ tota simu perfecta possessio, hæc duratio est Deo pro

:opria. Dixi proprie sumpta, quia æternitas :te sumpta, significat aliquando tempus be- :e longum, seu discretum, ita *Gen.7.* promit- :t Deus semini Abraham terram Chanaan, possessionem æternam. Secundo significat :rationem carentem fine, quo sensu dicitur :a æterna, mors æterna. Dicitur igitur æter- :as, possessio, id est, firma obtentio, quod :um est in sensu causali, quia possessio facit :lefectibilem in esse, quę est duratio æterna, :de æternitas concipitur, velut effectus pos- :ionis. dicitur perfecta, quia est indepen- :ns, connotans actum purum, & plenitudi- :m essendi, cum plena sc. immutabilitate de :to, & de possibili, vt excludatur imperfe- :, dependens cum mutabilitate de possibili :undum substantiam, aut accidentia, qualis :t æternitas Angeli, si ab æterno fuisset :atus. Dicitur tota simul, vt excludatur suc- :io. Dicitur possessio vitæ, interminabilis, :a est perseuerantia in esse nobilissimo, vt :vita idq; carens termino sine scil. & initio.

:espon. tertio. Æuum proprie est duratio :ita permanens, tota simul natura sua mu- :ilis, habens initium, sed carēs fine & con- :it angelis, animabus rationalibus, cœlis :quæ omnia in tēpore creata sunt, habent :m simul essentiam, eamq; sine vlla acces- :e, vel imminutione, sine fine conseruant, :b æuo dicuntur æuiterna, huiusmodi etiā :visio Dei, amor & gaudium beatificū, & :ra dona in beatis quę sunt indefectibilia.

:etes an vnum æuum sit altero maius.

:esp. negatiue, quia æuum est duratio in- :sece indiuisibilis, indiuisibile autem in- :sece nō est altero indiuisibili maius. Vnde :na Adami habet æuum æquale cū anima :Dixi intrinsece non esse maius, quia ex- :secé per coexistētiam temporis longioris, :st esse maius, & quidē si duratio accipia- :pro actu virtutis intrinsecæ, existendi per :m, & actuali, velut coextēsione cum tem- :extrinseco, quo modo fore duratio à no- :oncipitur, sic vnum æuum est altero ma- :Vim autem illam durandi ratione saltem :ngui, & instar potentiæ à duratione, & a- :li coextensione, modo explicato, ex eo :atur, quod vis illa existendi modo neces- :concipiendi, sit velut ratio & causa coex- :onis. Vnde æternitatē Dei probāt Philo- :i, & Theologi, per eius immutabilitatē, etsi Angelus aliquis iā annihilaretur, habuisset quidē vim durandi, per mediū, non tamen extitisset æuo, sed instanti discreto tantum.

Resp. quarto. Instans discretum est duratio rei habentis totum esse simul, sine successione, cum principio, & fine. Hæc conuenit rebus permanentibus corruptibilibus, vt sunt res sublunares. Dicitur hæc duratio instans, quia est tota simul intrinsece. Additur discretum, quia non reperitur in continuo, vt sic, sed in terminis & rebus indiuiduis, discretis à se inuicem, quarum vna alteri immediate succedit, vt sunt formæ in materia, intellectiones in intellectu, volitionis in voluntate. Ex pluribus porro huiusmodi instantibus discretis conflatur alia quædam duratio, quæ vocari solet tempus discretum, nam in tali duratione est successio partium, sicut in tempore continuo, quia tamen illæ partes, seu instantia discreta non cohærent inter se vinculo aliquo communi, dicitur tempus discretum, An vero instans discretum sit altero maius, colligitur ex dictis de æuo.

Nota. Quosdam authores distinguere durationem actuum spiritualium, v.gr. angeli, vel animæ rationalis à duratione substantiæ corruptibilis priorem vocant instans angelicum, quia actus illi desinunt per liberam cessationem agentis, non per Physicā contrarietatem. Posteriorē vocant instans permanens, ad distinctionem instantis fluentis in tempore, quia res illæ dependent à dispositionibus, quæ per Physicam contrarietatem destruuntur, sed hæc ad modum loquendi pertinent.

Resp. quinto. Tempus nihil est aliud, quam duratio motus successiui, ipsi intrinseca. Vnde quilibet motus habet tēpus suum intrinsecū, ex quo patet tēpus esse aliquid reale, non tantum secundum suum materiale, sed etiā secundum suum formale, quia nullo intellectu cogitante est existentia successiua motus, quæ est tempus formaliter. Ita docent D. Thom. 4. *Phys. q.* 15. Conimb. *ibid. c.*14. *q.*1. *a.*4. Quare quod docet Pererius *lib.*12. *c.*1. tempus secundum esse formale, dependere ab intellectu tantum, verum est de tempore, prout habet rationem mensuræ mensurantis, applicatæ ab intellectu ad mensurandos alios motus.

Petes, cum quilibet motus sit tempus, cur specialiter duratio motus cœli vocetur tempus.

Respon.

Respon. ex dictis in textu, quia illa duratio est maxime vniformis, & regularis, omnibus nota, ac proinde aptissima, quæ statuatur mensura aliorum motuum, alioqui omnes motus habent suam propriam & intrinsecam durationem, seu tempus, & tantum extrinsecè durant per durationem motus cœli, adeo vt si cœlum quiesceret, in illis tamen adhuc esset tempus.

Petes secundo. Cur tempus definiatur ab Aristotele, numerus motus &c. cum sit quid continuum.

Respon. definiri ab Aristotele, numerum, scilicet numeratum, vt communiter explicant Latini. D. Thom. Pererius, Toletus & alii: quia extensio illa successiua facit motum numerabilem, per partes priores, & posteriores, ita vt sit quid discretum, non quantitatiue, sed vt loquitur Toletus, qualitatiue. Quomodo continuum pedale altera sui parte album, altera nigrum potest dici discretum qualitatiue.

Petes tertio. An tempus non possit dici numerus numerans.

Respon Affirmatiue, si sumatur, vt est mensura extrinseca, applicata per relationem rationis ad mensurandos motus, & illorum durationem, quomodo de facto tempus primi mobilis est mensura aliorum motuum.

Petes quarto. Quid se habeat in tempore instar materiæ.

Respon. entitatem, quasi materiale temporis esse ipsum nunc, siue ipsum existere rei, successiuæ, ratio vero eius formalis est extensio continua, & illud nunc habet se proportionaliter, sicut punctum in linea, & mutatum esse in motu, nam motus vt est acquisitio formæ, habet pro entitate sua & terminis mutatum esse, vt vero ratione distinguitur, vt est acquisitio existentiæ formæ, ac tempus, habet pro entitate sua & terminis nunc.

Petes quinto, an tempus non distinguatur ex natura rei à motu.

Respon. negatiue, quia duratio in genere, non distinguitur ab existentia rei, cuius est duratio, tempus autem est duratio motus, quod igitur tempus dicatur passio motus, id est ex modo necessario concipiendi, prius enim concipimus rem existentem, quam durare, & eadem omnino attributa tribui possunt tempori, quæ motui, si spectentur secundum rem, vnde diuersitas attributorum [...] gnata ab Aristotele, quod motus dicatu[r ve]lox, aut tardus, tempus longum, aut b[reue] conuenit illis, prout distinguuntur ra[tione] inter se. Deinde tempus communiter ac[cipi]tur pro duratione primi mobilis, qui di[citur] motus raptus, qui cum sit maxime æqua[bilis] non admittit velox, aut tardum, qui e[tiam] motus notiori vocabulo significatur, tempus, quam per motum in genere.

Petes sexto. Quomodo tempus sit à [parte] rei, cum nulla pars sit.

Respon. nullam partem temporis esse [in exi]stentia tota simul, & permanente, sed o[mnes] partes sunt existentia fluente, & succe[ssiua] quæ est propria entis successiui, sicuti f[luxus] & successio est realis, ita & tempus habe[t exi]stentiam realem, non stantem, sed fluent[em].

QVÆSTIO V.

Vtrum creatura aliqua possit du[ra]re ab æternitate, siue esse ab æterno.

NEgant D. Bonauent. *in dist.* 1. *quæst.* [...] bertus *ibidem.* Henricus *quæst.* 7. [...] Tolet. 8. *Phys. q.* 2.

Respon. pars affirm. est probabilior, [...] docent D. Thom. 1. *p. quæst.* 46. *art.* 2 & Nominales *in secundo distinct.* 1. *ibidem.* [...]rius *lib.* 15. *cap.* 17. Conimb. 8. *Phys. cap.* [...] *art.* 2. Suarez *disput.* 20. *quæst.* 5. *sect.* 6. & p[ro]biliorem censet Scotus *in secunda dist* 1. [...]

Probatur primo, quia alioquin Deu[s ab] æternitate à parte ante necessario cessa[sset ab] opere, quod videtur non posse dici.

Probatur secundo, Non repugna[t] creaturam ab æterno, nec ex parte Dei, n[ec ex] parte creaturæ, nec ex parte production[is, er]go absoluta Dei potentia potuit dari. A[ntece]dens probatur. Non ex parte Dei, quia [ab æ]terno is fuit omnipotens, ergo ab ætern[o po]tuit creare, sicuti si sol ab æterno fuisset, [illu]minasset passum capax ab æterno, vt a[it] August. 6. *de Trin. cap.* 1 Deinde, Deus p[otest] creare in tempore, ergo ab æterno, qua[ ] est ex se, nisi aliunde sit impedimentum, [nec] ex parte creaturæ, quia non est magis c[ontra] rationem creaturæ, carere principio, [quam] carere fine, atqui de facto substantię spiri[tuales]

c[...]

carent fine. Secundo, sufficit ad rationem creaturæ, vt sit ab alio, & non habeat absolutam necessitatem essendi, sed dependentem à Deo. Tertio, non ex ratione productionis, quia productiones diuinæ sunt ab æterno, vti verbi gratia, verbum diuinum ab æterno processit, per generationem, Spiritus S. per spirationem, vnde nihil implicat, productum esse coæuum producenti, vt liquet etiam in Angelis, qui in primo instāti suæ creationis elicuerunt actus liberos.

Obiic. primo Sancti Patres sic argumentantur, contra hæreticos Arianos, dicentes, filium Dei esse creaturam. Filius Dei fuit ab æterno, ergo non est creatura, quod argumentum non est validum, si creatura possit esse ab æterno.

Respond. varie S. Patres explicari à Diuo Thoma, Pererio & aliis: quidam dicunt argumentum illud esse ad hominem, id est, procedere in sententia Arianorum, qui concedebant verbum esse æternum, & creaturam non posse esse ab æterno. Sed hoc minus est solidum, quia satis aperte ex propria loquuntur sententia. Vnde respon. illos loqui de æternitate perfecta, & independente necessaria necessitate absoluta, & per emanationem necessariam, quomodo filius procedit à patre. Talis enim æternitas est infallibile signum diuinitatis, & sic solæ tres personæ sunt coæternæ: Creatura autem de qua loquimur, haberet æternitatem imperfectam, dependentem à Deo, ex libera eius voluntate. Alii aliter respondent, sed minus accommodate.

Obiic. secundo, operatio Dei ad extra, qualis est creatio, est Deo libera, atqui ante operationem liberam necessario præcedit aliquod instans durationis, in quo causa libera est indeterminata, ergo ante creationem necessario præcedit aliqua duratio, & sic non potest esse ab æterno, quia nihil præcedit æternitatem.

Respon. negando minorem, sufficit enim indeterminatio causæ liberæ, præcedat instanti naturæ vt patet in Angelis, & quidem instanti naturæ virtuali tantum, quod in Deo est instans rationis, cum fundamento in re, nihil enim amplius reperitur in actionibus immanentibus liberis Dei, quæ tamen sunt ab æterno.

Obiic. tertio. Creatio est productio rei, ex nihilo, ergo id quod creatur, debet ante esse nihil.

Respond. negando consequentiam, quia particula ex, tantum negat concursum causæ materialis, & sumitur negatiue, vt idem sit ac non ex aliquo, seu præiacente nullo subiecto. Deinde etiamsi denotaret habitudinem termini à quo, vt insinuat communis ille loquendi modus, per creationem res transfertur de non esse ad esse, nihil adhuc vrget, quia non requiritur, vt terminus à quo sit prior aliqua duratione, sed sufficit, vt sit prior natura prioritate negatiua, propria nihilo, quæ sic explicatur, si res per creationem non fuisset producta ex se, non esset.

Obiic quarto. De ratione creaturæ est habere non esse, ex se, sed si esset ab æterno, non haberet non esse ex se, quia semper haberet esse.

Respon negando minorem, quia non esse ex se habere non significat, aliqua duratione fuisse sub non esse, sed tantum indicat totum esse dependere à Deo, quod conuenit creaturæ, etiam quando actu est

Obiic. quinto. Creatio est actio quædam instantanea, sed in æternitate non potest dari aliquod instans, in quo res accipiat esse à Deo, ergo creatio non potest esse ab æterno. Maior communiter solet concedi. Minor probatur, quia illud instans, vel est inchoans moram imaginariam, vel continuans non prius, quia mora infinita à parte ante non habet initium, non posterius, quia sic non esset æternum, quia illi daretur aliquid prius.

Confirmatur à simili, detur linea infinita versus orientem. Deus non potest in ea statuere diametraliter aliam lineam, quæ contingat illam in primo puncto terminante, ex parte orientis, quia tale punctum non datur, sed tantum ita potest statuere, vt vtrinque faciat angelos, & relinquat infinitam extensionem, ita in creatione æterna.

Respond. ad maiorem, creationem secundum rem non esse instantaneam, accipiendo instans pro indiuisibili nunc temporis necessarii, quia creatio, siue productio, qua denominatur creatio, durat, quamdiu durat terminus, vnde iam eadem est realis actio, qua Angeli fuerunt creati in prima rerum origi-

ne, vt D. August. *lib. de Genesi ad literam cap.* 12. eadem dico omnino indiuisibilis intrinsece, & tota simul extrinsece, tamen respondens maxime cuidam extensioni temporis necessarii, sicuti æternitas æuum instans permanens, sunt simul & intrinsece indiuisibilia. Vnde quando creatio dicitur instantanea temporis necessarii, id verum de creatione temporanea, quæ est cum nouitate essendi, & prout ab intellectu distinguitur à conseruatione.

Ad confirm. dico, non esse simile, quia creatio non habet se ita ad moram infinitam, sicuti linea secundum punctum terminans applicanda lineæ infinitæ, sed sicuti corpus à parte, secundum quam applicari deberet infinite extensam versus orientem.

Obiic sexto, in creatione æterna non potest distingui creatio à conseruatione, quia creatio est prima collatio esse, in æterna autem productione non datur initium.

Respon. secundo, eadem actio dicetur creatio, quatenus est communicatio esse principali, & dicetur cõseruatio, quatenus coexistit successioni cuidam, & moræ imaginariæ, quæ distinctio sufficit.

Obiic. septimo, omne æternum est immutabile, sed nulla creatura potest esse immutabilis, ergo.

Respondeo, distinguendo minorem, creatura non potest esse immutabilis, per absolutam essendi necessitatem, hoc enim est Deo proprium, potest tantum esse immutabilis ab extrinseco, Deo scil. conseruante.

Obiic. octauo. Si creatura esset ab æterno, Deus illam necessario conseruasset tota æternitate, quod videtur absurdum.

Respon. hoc nihil habere absurdi, necessitas enim illa est ex libera Dei suppositione, quod scilicet ab æterno libere velit creare sicuti si velit creare hominem, necessario illum debet creare animal rationale.

Obiic. decimo. Creatura finita non potest habere perfectionem inclusam, ergo nec durationem internam.

Respond. negando consequentiam, quia nec duratio, nec vis durandi in infinitum est perfectio infinita, sed finita, scilicet incorruptibilitas rei cuiuscunque, vnde reperitur etiam in materia prima Angeli, &c. quæ durabunt in infinitum à parte post, sic vis operandi in infinitum, sine fine pôtest esse finita, modo sit indefatigabilis, sola autem æterni independens est perfectio infinita, quæ soli Deo conuenit.

Petes, an qualibet creatura permanens iam potuerit esse ab æterno.

Respon. affirmatiue, contra Durandum *secundo dist.* 1. *quæst.* 2. qui conclusionem præcedentis quæstionis restringit ad res corruptibiles. Probatur. Quia non magis res corruptibilis, si fiat tota simul sine successione, intrinseca sua ratione, requirit nouitatem essendi, quam incorruptibilis.

Dices, videtur repugnare rei corruptibili duratio infinita. Deinde ex eo sequeretur homo fuisset creatus ab æterno, potuisse illum infinita duratione, à parte ante viuere sine cibo, ignem contiguum stuppæ, non potuisse infinita duratione comburere stuppam, mulierem grauidam infinita duratione gestare [illegible] ram vterum &c. quæ videntur absurda.

Respon. ad prius, id non repugnare, sic[ut] non repugnat naturæ rei, ex se corruptibi[lis] vt à parte post in æternum conseruetu[r à] Deo.

Ad illata respondeo, omnia hæc esse co[n]sentanea rei, ab æterno productæ, quia nec[es]sario durat per infinitam durationem, in dispositione, in qua est creata, quia non t[an]tum substantia illius, sed & quoduis accid[ens] est æternum. Accedit, quod in exemplis alla[tis] mutatio includat successionem, quia fit [per] alterationem, qua calor naturalis depa[scit] humores, vel alimentum, ignis introdu[cit] dispositiones, fœtus in vtero matris, perfici[tur] &c. Vide Suarez *supra*.

QVÆSTIO VI.

Vtrum ens successiuum potuerit esse ab æterno?

AFfirmant D. Thomas *loco citato pr. q.* plerique alii, *ibidem citati.*

Respond. Probabilius est, ens successiu[um] non potuisse esse ab æterno. Ita D. Bonau[entura] *in secundo dist.* 1. *quæst.* 3. Durandus *in dist.* *q.* 3. & multi Thomistę, & probabilius cens[et] Pererius *l.* 15. *c.* 13. *& vlt.* & Conimb. *8. Ph.* *c.* 2 *q.* 7. *a.* 4.

Probatur primo. Quia omnis motus inc[lu]dit

it essentialiter mutationem, sed mutatio non otuit esse ab æterno, ergo nec motus. Maior st certa, minor probatur, quia creatura ab æterno creata, debet manere omnino immuta-, per infinitum, in eodem statu, & iisdem afctionibus, sub quibus fuit creata, atqui si utatio esset ab æterno, non perseueraret inita duratione, à parte ante, in eadem dispoione, quia commutatio dicit desitionem rmini à quo, & acquisitionem termini ad iem, ergo non potest fieri mutatio ab æter. Maior probatur, quia si creatura ab æter- fit cum certa aliqua affectione, non tanm ipsum esse substantiale, sed etiam ipsa afctio, qualiscunque illa sit, erit ab æterno, & ibebit durationem sine principio, ergo nessario manebit immutata, per æternitatem arte ante: sequela probatur, quia alioqui queretur contradictio, nimirum rem ab æno habuisse aliquam formam, & ab æterno n habuisse, quia hoc supponitur, & hoc cluditur in mutatione, quia per desitiom illius formæ fit mutatio, non habuisse, ia ab æterno esset mutata, per positionem mini ad quem. Quare implicat, ab æter- esse desitionem eius, quod fuit ab æter. Vnde licet ignis productus fuisset ab æno, prope stuppam proxime dispositam, introductionem formæ ignis, adeo vt inisibili actione tota simul ignis, quantum se est, potuisset stuppam commutare in iem, id tamen ex ratione iam allata, ab æno fieri non potuisset, quia generatio iis necessario sequitur essentiam stuppæ: vt im ignis generetur è stuppa, necesse est ippam aliquando extitisse, ergo conuer- stuppæ in ignem non esset æterna, quia ippa præextitisset, non duratione finita, ia alioqui stuppa non fuisset ab æterno, m illa potest dari aliquod prius, ergo inita.

Probatur conclusio secundo, ex peculiari tione entis successiui: Quia de ratione ilis est prioritas, & posteritas, secundum dutionem intrinsecam, siue habere prius & sterius: sed tale non potest esse ab æterno, go. Maior est certa, quia in eo distinguitur s successiua à permanente. Minor probar, quia implicat, aliquid existens ab æter-, habere aliquid prius duratione, & esse porius, quod enim est ab æterno, non habet initium durationis, ergo nihil potest esse illo prius.

Confir. motus dicit successionem partium, qua talis non potest esse ab æterno, quia pars succedens alteri, habet alteram priorem & sic non est æterna.

Probatur tertio, specialiter de motu cœli contra Conimb. qui *loco supra citato* docent, esse probabile, illum potuisse esse ab æterno, quia si mundus fuisset ab æterno, & motus, sol, verbi gratia, aut aliud quoduis astrum, necessario creatum esset in determinata parte cœli, sit verbi gratia, in puncto orientis, tunc concipiatur per meridiem ab occidente, in decursu huius mediæ circulationis impedit moram infinitam, vel finitam, non prius, quia spatium decurrendum est finitum, & absoluitur aliquot horis, ergo posterius: ergo duratio illius motus erit finita, quia clauderur à parte ante, finita duratione, & sic non æterna.

Obiic. In motu æterno non dabitur pars prior, posterior, deorsum, sed tantum prior sursum in infinitum.

Respond. tam esse de ratione motus posterioritatem vnius partis, quam prioritatem alterius vnde sublata posterioritate tollitur ratio successiui, & pars illa, quæ dicitur prior respectu succedentis, est posterior, respectu præcedentis.

DISPVTATIO VII.

De Motu.

INitio *lib.* 3. *Physicorum.* Aristoteles aggreditur disputationem de Motu eiusque tradit definitionem, quia natura, de qua egerat *l.*2. definita erat per motum Deflectit tamen paulo post ad infinitum. Et *lib.*4. ad Locum, Vacuum, & Tempus. Tum *lib.*5 resumit tractationem de motu, & prosequitur integris pene quatuor libris, pauca miscendo in principio *lib.* 6. de continuo.

Nos omnia, quæ ad Motus explicationem pertinent, in vnam hanc disputationem congeremus.

QVÆSTIO I.

Quid sit Motus?

DVobus fere modis concipitur Motus, primo pro transitu, quo res aliqua sine subiecto à termino à quo, transit ad terminum ad quem, & sic est affectio quædam ipsius subiecti, quo proprie dicitur transire, mutari. Mutari secundo concipitur, vt tendentia ad aliquod esse, siue vt acquisitio, & fluxus illius esse, & hæc est propria & communis acceptio.

Respon. & dico, primo, Motus formaliter & essentialiter est fluxus, & tendentia ad formam. Ita communiter recentiores. Vide Conimb. *l.3.c.2 q.1.*

Probatur primo, ex communi sensu, quia moueri nihil est aliud, quam successiue tendere, & veluti tendere ad aliquam formam, vel quasi formam, scilicet spatium, ergo motus formaliter est ipsa tendentia & accessus.

Probatur secundo, ex definitione motus tradita ab Aristotele 3.*lib. cap* 2. vbi dicitur actus, scil imperfectus, entis in potentia, prout est in potentia, id est, rei tendentis actu in formam perfectiorem, ergo tendentia est formaliter motus.

Obiic Remissio qualitatis, & imminutio quantitatis, seu decretio, sunt veri motus, quia ab Aristotele *lib.*3. afferuntur, vt exempla & species motus, & tamen non sunt tendentia ad formas, sed potius abiectiones formæ, ergo ratio motus non consistit formaliter in tendentia ad formam.

Respon. mutationes illas abiectiuas, non esse motus positiuos, quorum materia hic indagatur, sed sunt motus negatiui, qui sunt tendentiæ ad formæ deperditionem, Ad Aristotelem respondetur, exemplorum non requiri veritatem.

Respon. & dico secundo, Successio est de essentia & quidditate, motus, ita communiter omnes. Probatur, quia de essentia motus est, vt forma non integra simul acquiratur, sed per partes vna pars post aliam, hoc autem est successio

Probatur secundo. Quia motus formaliter est tendentia, sed in conceptu tendentiæ includitur successio, ergo successio est de essentia motus. Confirm. quia per successionem motus, essentialiter, & intrinsece distinguitur à mutatione instantanêa, ergo est de essent motus.

Obiic. generatio & corruptio non su successiuæ, & tamen referuntur ab Aristote inter motus species, ergo successio non est essentia motus.

Respon. primo, cum D. Th. hic motum Aristotele late sumi, prout est quid commu motui proprie dicto, & aliis mutationibu quando adfert huiusmodi exempla, success autem est de essentia motus stricte sumpt prout essentialiter distinguitur à mutatio instantanea.

Respond. secundo. Si Aristot. loquatur motu proprie sumpto, generatio & corr ptio dici possunt motus, non secundum & ratione sui, sed ratione alterius antec dentis.

Obiic secundo. Negatio non potest esse essentia entis positiui, sed successio tantu est negatio existentiæ simultaneæ partiu ergo non est de essentia motus positiui.

Respon. negando minorem, quia licet su cessio per negationem explicari possit, est men quid positiuum, realis scilicet partiu fluxus.

Respon. & dico tertio, continuitas est iam de essentia motus, est contra Conimb. *l c.2. q 2.a.3.* & Fonsecam 5.*Met.c.*13.*q* 8. *sect.* & alios, qui volunt esse tantum propriam p sionem.

Probatur primo, ex Aristot. *initio c.1.l.3.* motum recenset inter continua.

Probatur secundo. Motus est essentiali fluxus formæ, sed fluxus formæ nihil est liud, quam continuata quædam successio, go tam continuitas, quam successio, est de sentia motus.

Probatur tertio. Si continuitas non esset essentia motus separata, per intellectu continuate adhuc salua, esset motus essent Sed hoc dici non potest, ergo. Minor prob tur, quia sine continuitate, vel motu inclu tantum mutata esse, quæ sunt indiuisibil copulantia partes motus, vel constat salt partibus discretis, & sic non est quid vnu sed plura.

Argumenta vide apud Conimb. *loco cit.* quæ ex dictis facile soluuntur.

QVÆ

QVÆSTIO II.

Qui sint termini motus?

QVæstio est de termino ad quem, siue de formis, in quarum continua acquisitio- ... consistit ratio motus.

Resp. Quantitas, Qualitas, & vbi sunt pro- ... termini motus, stricte sumpti. Ita Aristot. ... 1. Vide Pererium *l. 14. c. 2.*

Probatur, quia motus stricte sumptus, vt ... inguitur à mutatione instantanea, est ... cessiua, & continua formæ contrariæ, ... trarietate sc. late sumpta, quæ reperitur ... r terminos determinatos, & partes for- ... habentis aliquam latitudinem extensio- ... vel intensionis, ratione cuius successiue ... fit poni in rerum natura, sed Quantitas, ... alitas & Vbi, sunt tales formæ, ergo. Mi- ... probatur. Quia Quantitas partes exten- ... is habet, Qualitas gradus intẽsionis, V- ... tiam habet extensionem commensura- ... spacio, decurrendo à mobili, ad Quanti- ... m, datur augmentatio vel rarefactio ad ... alitatem alteratio, ad Vbi motus localis.

... bi Nota, latitudinem illam rerum, quæ ... motum acquiri possunt, communiter vo- ... spacium, sumpta denominatione à spa- ... & latitudine motus localis. Vnde triplex ... spacium, sc. latitudo intensionis, quæ repe- ... r in Qualitatibus, recipientibus magis & ... us, latitudo extensionibus, in Quantita- ... latitudo localis in spacio. Distinguitur ... m motus localis, ab augmentatione, & ... ratione, quod motus localis præsuppo- ... suum spacium esse, alii vero motus spa- ... n suum faciant, v. g. alteratio non suppo- ... gradus qualitatis, acquirendos præexiste- ... ed per eam producuntur, augmentatio ... supponit maiorem quantitatem, saltem ... nitam mobili, sed per illam acquiritur, ... saltem nouus modus quantitatis. Deinde ... us localis est requisitio noua paris spa- ... cum desitione prioris præhabiti. Cæteri ... motus etiam retinent partem præhabi- ... , vt patet. Ratio differentiæ est, quia par- ... pacii localis simul possideri non possunt, ... obili, partes vero latitudinis, & intensio- ... imul haberi possunt ab eo, quod augetur ... teratur.

Resp. secundo. Verius est substantiam etiam posse esse terminum Motus, strictæ sumpti. Est contra communem sententiam. P. Toleti *5. Phys. q. 1.* Conimb. *ibidem c. 2 q. 2.*

Probatur, si materia successiue disponatur ad introductionem formæ substantialis, diuisibilis. Vt sunt omnes, excepta anima rationali successiue, & continuo introducetur forma substantialis in illam: quo casu dabitur continuata succesio, fluxus & tendentia ad substantiam, idque de facto fit in consumptione candelæ, & aliorum fomentorum ignis, & in aggeneratione viuentium, vbi continuo in noua materiæ parte producitur noua entitas formæ substantialis. Confirm. Substantia etiam habet latitudinem entitatiuam, ratione cuius per partes potest requiri, ergo ad illam datur motus.

Obii. Motus stricte sumptus est à subiecto in subiectum, id est, à composito substantialiter eminente, ad idem compositum substantialiter remanens, sed accidentaliter variatum tantum, sed successiua productio substantiæ non est talis, sed est à non subiecto, in subiectum, ergo non est motus.

Resp. Illam conditionem, vti & alias similes non esse de ratione intrinseca motus. Sufficit vt sit tendentia succesiua, continua ad formam per se intensam. Vnde qui aliud requirunt, & à nobis dissentiunt, faciunt quæstionem de nomine, cum Aristotele, qui tantum agnoscit triplicem motus terminum.

Respondeo tertio. Res aliorum prædicamentorum non sunt termini motus stricte sumpti.

Probatur, quia motus est tendentia ad terminum per se, primo & directe intentum, sed res aliorum prædicamentorum tantum resultant ad terminos motus, & acquiruntur consecutiue, ergo non sunt termini motus proprii, & per se. Minor probatur, quia relatio resultat ad positionem termini, similiter actio in agente, & passio in passo, extra per motum producta quando resultat ad formam positã extra suas causas, in tempore, sicut & habere ad vbi resultat.

Resp. quarto. Si motus paulo latius accipiatur, vt comprehendat non tantum successiones positiuas, sed & negatiuas priuationes, sunt etiam termini ad quos Motus, si remissio qualitatis, ve. gr. caloris, pro termino suo for-

mali habet priuationem graduum perfectiorum, & decretio carentium maioris quantitatis successiua corruptio formæ substantialis, in stuppa, vel charta, quæ amburitur, habet priuationem formæ.

Vbi Nota, aliquando motum positiuum reperiri simul cum negatiuo, qui est motus analogicus, aliquando vtrunque seorsum, sine alio. Prius fit in motu, inter formas contrarias, propria contrarietate, quæ se mutuo expellunt è subiecto, vt sunt calefactio, & frigefactio. Nam in his quantum acquiritur de vno contrario tantum, demittitur de alio, & licet tali casu, hi duo motus essentiali conceptu inter se distinguantur, communiter tamē concipi solent, per modum vnius motus, quia vnus tantum vtrinque est terminus formalis, positiuus; quia terminus à quo, motus positiui ver. gr. calefactionis est formaliter absentia caloris, vnde solus terminus ad quem, scil. calor, est positiuus: Econtra vero terminus à quo motus priuatiui coniuncti calefactioni est forma positiua, sc. frigus, terminus vero ad quem est formaliter carentia frigoris, secundum aliquos gradus, vel absolute, si calefactio sit perfecta, qui duo motus non fiunt per duas actiones, sed per vnicam tantum, quæ tendit ad introductionem caloris, & expulsionem frigoris, quæ vnica actio efficit duas hasce mutationes in subiecto, vnam, qua priuatur frigore, altera qua acquirit calorem: Posterius patet, in decretione, vbi est motus priuatiuus, sine positiuo, & in accretione, vbi est positiuus, sine priuatiuo. Similia notantur in mutatione inter opposita, priuatiue, vt à priuatione ad formam in illuminatione aeris, vbi nulla forma expellitur per ignem, & contra cum aer fit tenebrosus, est mutatio priuatiua sine positiuo.

R. 5 Motus latissime sumptus, prout dicit acquisitionem cuiusuis formæ, vel quamuis subiecti variationem, ratione cuius aliter se habet à parte rei, post quam ante terminatur ad omnia prædicamenta, patet, quia sic est transitus ex potentia ad actum ex non esse ad esse. atqui omnibus prædicamentis conuenit esse, & per formam cuiusvis prædicamenti, subiectum aliter se habet, ergo. Vnde Arist *l.* 3. *c.* 1. de motu in hac acceptione, ita concludit, Quot igitur sunt genera entis, tot sunt genera motus, & mutationis.

QVÆSTIO III.

Quomodo Motus distinguatur à termino, & à Mobili.

RESpondeo primo, Motus distinguitur termino ad quem, ex natura rei, & mod liter, ver. gr. calefactio, vt est fluxus caloris, modus ipsius caloris.

Probatur distiugui, quia motus formalit est quid successiuum continuum, quod n potest totum esse simul, terminus autem quid permanens, ergo distinguuntur inter Confirmat. Terminus manet cessante mot ergo, &c.

Distingui tantum modaliter, probatu quia via, seu tendentia, & terminus tantu distinguuntur modaliter, sed motus est vi ergo est modus termini. Confirm. Impossib est motum sursum á termino conseruari, qu non potest intelligi acquisitio, à parte rei, n sit terminus, qui secundum aliquid sui acq ratur, quod est signum distinctionis modal

Obi. causa distinguitur realiter ab effect & non tantum modaliter, sed motus, v. gr. lefactio est causa termini, ergo.

Resp. Negando minorem, Quia de ratio causæ est conferre esse rei, motus autem n est id, quod confert esse, sed est tantum quo seu via, sua effectus accipit esse à causa,

Respondeo secundo, si motus formali spectetur, solum distinguitur à mobili, mo liter, v gr. calefactio à manu, si vero materi liter, quatenus scil. identificatur termino, distinguitur à mobili, vt terminus, vnde p test distingui modaliter.

Probatur, prior pars, quia formaliter tantum modus termini, & per consequer modus mobilis & subiecti in quo recipi terminus.

Posterius patet, quia materialiter mo non distinguitur à termino. Vnde alterat cuius terminus est qualitas Physica, realis, stinguetur realiter, motus localis, cuius t minus est præsentia, vel vbi distinguetur t tum modaliter.

QVÆSTIO IV.

Vtrum motus sit in mouente, an in mobili?

HÆc quæstio coincidit cum illa, qua qu ri solet; An Actio transiens sit in agen an

n in passo, cum enim motus & actio tantum istinguantur, vt modi eiusdem rei necessario int in eodem subiecto.

Scotus *in 4. sentent. dist.* 13. *qu.* 1. cum suis. aietanus, & alii volunt, actionem etiam anseuntem, esse in agente, ac proinde eam stingui realiter, à motu, ratione sui subiecti alitet distincti, à subiecto motus, in qua ntentia aliud est quærere, in quo sit motus, quo actio.

Contra vero actionem esse in passo, sicuti otus in mobili, docet Aristotelis disertis rbis *lib.* 3 *cap.* 3. & alibi. D. Thom. 2. *contra gtes c.* 1. Ferariensis & alii Thomistæ, Fonsa 5. *Met. c.* 15. *q.* 8. Conimb. 3. *Phys. ca.* 4. *qu.* 1. oletus *ibidem q.* 2.

Nota pro veritate, ex dictis in Logica dujcem esse actionem, vnam Physice considerram, quæ est ipse terminus, seu forma producta ab agente, & recepta in passo, quæ forr, quatenus actualiter dependet ab agente, ditur actio, & denominat agens, vt principim à quo, quatenus recipitur in passo, dicitu passio, quatenus vero est fluxus, & acquisio formæ, dicitur motus. Vnde hæc tria realir sunt quid vnum tantum modi diuersi eisdem rei; sunt enim ipsa forma, quæ ratio ndependentiæ à subiecto dicitur passio, vt vo est in fieri, & fluxus formæ est motus, qe acceptio actionis dicitur Physica, quia scic. Physicæ est considerationis, & quia est mius distincta. Altera est actio, metaph. specta, quæ est modus quidam, resultans in agte à quo, modo agens intrinsece denominur agens, tanquam subiectum inhæsionis, qi acceptione constituit peculiare prædicamntum, vt est ratio fundandi relationem, pdicamentalem, quæ necessario debet esse inodem subiecto, cum Relatione. Dicitur h actio metaphysic. quia est consideratio n metaphysicæ, cui proprium est exacte dinguere genera entis, inter se. Ex qua diinctione conciliari possunt appositæ sentetiæ.

esp. primo. Actio Metaphysice spectata est ingente. Patet, quia est modus illius, & hoc es d mentem Scotistarum, licet illi nō distingnt metaphysicam à Physica. Vnde improbilis est illorum sententia, vt iam diximus.

esp. secundo, Motus & actio Physice spectasunt in passo.

Probatur primo, ex Aristotele *supra*. vbi dicit, motum esse actum agentis, vt à quo, siue vt principii, & esse actum patientis, vt in quo, siue vt subiecti, & negat esse in agente, vt subiecto, quia alioqui omne mouens moueretur & 3. *de anima c.* 2. dicitur actionem esse in eo, quod patitur, cuius exemplum adfert, 9. *met. c.* 9. vbi dicit, ædificationem esse in ædificio.

Probatur euidenti ratione, quia in eo solo distinguuntur actiones transeuntes, ab immanentibus, quod hæ remaneant in agente, vna cum suo termino, illæ vero sint & recipiantur in passo, seu mobili, vna cum termino.

Probatur secundo. Actualis dependentia termini ab agēte similiter fluxus, & fieri ipsius termini, sunt affectiones modales ipsius termini, ergo in eodem subiecto, cum termino; modus enim rei est inseparabilis, quoad subiectum, à re modificata, sed terminus est in passo, ergo.

Ob. 1 Actio est forma denominans agens ergo est in agente.

Resp. 1 Hoc verum esse de actione metaph. spectata, quæ tamen etiam actio Physice spectata, denominat agens. Resp. 2. nego consequentiam, quia denominat agens, vt principium à quo, non vt subiectum in quo.

Obii. secundo. Illud est subiectum alicuius formæ, etiam modalis, quod per eam actuatur & perficitur, sed agens actuatur, & perficitur per actionem, ergo, &c.

R. negando vniuersaliter maiorem, quia actus actuans extrinsece, vt principiatum, vel habens se ex parte principiati, est extrinsecus principio, & huiusmodi est actio Physice spectata, quæ tantum est perfectio quædam extrinseca agentis, supponens perfectionem intrinsecam, sc. vim actiuam, quæ manifestatur per effectus: actus autem actuans intrinsece vt est actio metaph. est actio immanens, Physice etiam spectata, sunt in eo, quod de potentia reducunt ad actum, tanquam in subiecto.

Ob 3 Eiusdem est actus, cuius est potentia, sed potentia est agentis, ergo & actio, quæ est actus potentiæ.

Resp. ad maiorem, esse eiusdem, sed diuerso modo, pro exigentia naturæ cuiusque potentia est agentis, vt subiecti, in quo actio est eiusdem, vt principii à quo.

Ob 4 Actio etiam Physice spectata, nō denominat passū, ergo nō est in illo, vt subiecto.

Antecedens probatur, quia ab actione aliquid denominatur agens, sed passum non denominatur agens, ergo.

Resp. negando Antecedens, ad probationem dico, subiectum non quouis modo semper denominari à forma sibi inexistente, quando scilic. denominatio connotat aliquid extrinsecum, sicut hic, vel alia de causa. Vnde licet Sonus sit in aere, non tamen dicitur aer sonare, hoc enim conuenit campanæ, dicitur tantum esse sonorus, recipere sonum, &c. Eodem modo, quia actio est in passo, dicitur habere & recipere actionem, non vero agere, quia illud connotat principium à quo, quod est extrinsecum, in actione transeunte.

QVÆSTIO V.

Vtrum indiuisibile possit esse subiectum Motus?

Constat indiuisibile immateriale substantiam scil. spiritalem, localiter per se moueri posse, sed difficultas est, de inuisibili materiali an per se moueri possit localiter, si diuina virtute seorsum à continuo poneretur.

Resp affirmatiue. Ita Scotus *in secundo dist.* 2. *q.* 9. & multi eius discipuli. Iohannes Casus *l.* 6. *Physic.* 10. contra Conimb. *ibidem q.* 1. *a.* 2.

Probatur primo, quia illud indiuisibile posset transire ab extremo ad extremum, per medium, sed hoc est moueri localiter, ergo. Maior probatur, quia indiuisibile immateriale, ver. g. angelus, etiamsi se colligat in punctum, & Christus Dominus in Vener. Eucharistia, extensione indiuisibili, transeunt ab extremo in extremum, ergo idem poterit conuenire indiuisibili materiali.

Probatur secundo. Indiuisibilia de facto mouentur, per accidens, sci. ad motum continui, in quo sunt, ergo etiam possunt moueri per se, si separentur. Consequentia probatur, quia eadem argumenta militant contra motum indiuisibilis, in continuo, quæ contra motum per se, vt mox patebit.

Probatur tertio, si tale indiuisibile adhæreret lapidi deorsum cadenti, moueretur simul cum lapide, cur igitur non posset idem spacium seorsim moueri, saltem ab Angelo, qui illi posset imprimere impulsum, si forte ab intrinseco moueri non posset.

Ob. 1. Aristoteles 6. *Phys. ca.* 10. expresse [...]cet contrarium.

Resp licet quidam, vt Scotus, & alii ex[...]cent Aristotelem, quasi non neget absol[...] motum indiuisibilis, sed tantum motum, [...] haberet continuitatem, & successionem p[...]cise à mobili, qui omnium consensu non [...]test conuenire indiuisibili, vt patet; hoc [...]men gratis dicitur ab iis, qui nolunt v[...] discedere ab Aristotele, vt recte notant C[...]nimb. & Casus *supra*, si enim hoc tantum [...]luisset Aristoteles, non congessisset tot rat[...]nes, ad probationem rei adeo euidentis. Q[...]re relicta authoritate, rationes sunt exa[...]nandæ.

Obii. 2. Nulla est proportio inter indi[...]bile, & spacium diuisibile, ergo indiuisi[...] non potest illud pertransire.

Resp non esse proportionem in ratione [...] diuisibilis, aut entis, sed hic esse proportio[...] in ratione mobilis, & spacii, quæ suffici[...] patet in Angelo.

Ob. 3. Quod mouetur, partim est in ter[...]no à quo, partim in termino ad quem, sed [...]diuisibile non potest partim esse in term[...] à quo, partim in termino ad quem, cum [...] habeat partem, ergo.

Resp. primo, maiorem esse indefinitam [...] tantum veram esse de mobili quanto, & i[...]uisibili, quod propter sui extensionem [...] potest in instanti deserere totum terminu[...] quo, sed prius transit partem communic[...]tem cum spacio, quod occupabat, quam [...]cedat ad partem non communicantem, i[...]uisibile vero immediate post instans, quo [...] in termino à quo, est in medio, & accedi[...] terminum ad quem.

Resp. secundo negãdo minorem, quia [...]tim esse in termino à quo, partim in term[...] ad quem, non supponit partes, significare[...] esse in via, ad terminum ad quem, & recess[...] à termino à quo, quod etiam conueniret [...]diuisibili, vt de facto patet in Angelo.

Ob. 4. Quod per se mouetur de loco in [...]cum, prius pertransit spacium minus, qu[...] æquale spacium, & maius, si ver. gr. sit spaci[...] bipedale, prius decurret spacium pedale, [...] Sed hoc non potest cõuenire indiuisibili, [...] non datur minus, ergo

Respon. axioma illud tantum verum esse [...] mobili, quanto, & diuisibili.

Ob

Obi 5. Si indiuisibile, verbi grat. punctum, per se moueretur, posset mensurare lineam, quod est absurdum, cum nulla sit proportio puncti ad lineam, deinde linea componeretur ex punctis, quod tamen est falsum.

Respond. neutrum sequi. ad prius respond. punctum motu suo non mensurare lineam, id enim fit, per coextensionem mensuræ, cum partibus lineæ, sed tantum transitu suo, aliquo modo designat longitudinem. ad prius resp. punctum inadæquate respondere lineæ, eiusque partibus.

Petes, vtrum indiuisibile, materiale posset naturaliter alterari, alteratione materiali.

Resp. Aristotelem 6 *Phys. tit.* 87. id negare, cum dicit, indiuisibile nec secundum formam moueri posse, quidam censent, tantum per accidens posse alterari, in continuo non per se, vt Tolet. 1. *de generation. quæstion.* 16. alii volunt ne quidem per accidens moueri posse, motu alterationis, vt Paulus Venetus & alii, quos citat Toletus *supra*, quem vide & Dominicum Bannies 1. *de generatione quæst.* 33. quæstio est *in libro de generatione* decidenda, mihi verius videtur, & per accidens, & per se alterari posse, cur enim indiuisibile materiale calidum non posset calefacere aliud indiuisibile coexistens.

QVÆSTIO VI.

Vnde motus suam speciem sumant.

Vppono rem quamlibet, sicuti habet entitatem sibi propriam, & intrinsecam, ita etiam habere essentiam sibi intrinsecam, quia tamen quædam sunt entia, quæ dicunt ordinem quendam essentialem ad extrinseca, habent intrinsecam suam essentiam dependenter ab extrinsecis, ad quæ ordinantur, sic potentiæ & actus dicuntur specificari, ab obiectis, quæ respiciunt; id vero multo magis cum habet, in iis, quæ sunt ordo tantum, quidam ad aliud, vt rationales, vel viæ extendendæ.

Respond. primo, Motus, qui concipitur, tanquam transitus, quo subiectum transit à termino à quo, ad terminum ad quem, sumit suam speciem à termino à quo, & ad quem.

Probatur, quia vt terminus est essentialiter respicit vtrunque terminum, ergo habet suam speciem ab vtroque. Antecedens probatur, quia de conceptu transitus est terminus à quo receditur, & terminus ad quem acceditur. Nec refert, quod terminus à quo, & ad quem, sunt oppositi, quia inter opposita potest esse vnus aliquis ordo, qui respiciat vnum, vt deserendum, alterum vero vt acquirendum, imo ordo transitus necessario requirit terminorum oppositionem.

Respondeo secundo. Motus in communi acceptione, id est tendentia, & via, ad formam, habet essentiam suam à termino ad quem.

Probatur, quia nihil est aliud, quam fieri talis termini, quale autem est esse, tale est & fieri. Vbi nota, vtramque conclusionem intelligi de terminis formalibus, seu de terminis per se, non de materialibus, & per accidens, qui coniuncti sunt terminis per se, vt v. gr. in generatione ignis, ex stuppa, terminus formalis à quo, est præcise ipsa priuatio formæ ignis in materia stuppæ, terminus à quo materialis, est forma substantialis stuppæ, in formans materiam, quæ subest priuationi formæ ignis. Similiter terminus ad quem formalis, est forma substantialis ignis, terminus ad quem materialis est priuatio formæ, substantialis stuppæ, in materia, in quam introducta est forma ignis. Ex quo infertur, generationem ignis ex stuppa, charta, ligno, & alio combustibili, esse eiusdem speciei, quia licet termini à quibus materiales, scilicet forma stuppæ, chartæ, ligni, &c. Specie distinguantur, terminus tamen à quo, formalis in omnibus est idem specie, scilicet priuatio formæ ignis. E contra vero motus sunt diuersæ speciei, si termini formales sint diuersi, etiamsi materiales sint iidem, vt patet in accretione magnitudinis duorum pedum, ad magnitudinem præexistentem duorum pedum, ita vt terminus ad quem, sit magnitudo quatuor pedum, hæc enim distinguitur specie, à decretione magnitudinis 6. pedum, ad magnitudinem 4. pedum, licet enim vtriusque terminus sit magnitudo 4. pedum, formales tamen termini sunt diuersi, quia terminus formalis accretionis est magnitudo 4. pedum, vt sic decretionis est priuatio magnitudinis 2. pedum, quæ coniuncta est magnitudini 4. pedum, quia cum decretio sit motus priuatiuus, debet habere terminum ad quem formalem

priuatiuum. Vnde quando Aristoteles 5. *Phys. c.2*. decretionem munerat inter motus, qui sunt de subiecto in subiectum, id est de termino positiuo, in positiuum loquitur de decretione, secundum terminum materialem. Idem explicatur inintensione qualitatis à gradu secundo ad quartum, & in remissione à 5. vel 8. ad quartum.

Dices subinde alterationes fiunt ab iisdem terminis ad eosdem, & tamen non sunt eiusdem specie, vt v.g. motus alterationis, ex albo nigro, per viride, aut rubrum, & vniuersum quando transitur per diuersa media motus non habet speciem solum à terminis.

Resp. ad antecedens, huiusmodi motus non habere eundem specie terminum ad quem, licet enim terminus partialis, & vltimatus, in quo sistitur motus, sit idem specie, scilicet nigredo, minus tamen totalis non est idem, sed diuersus, vnus enim cum nigredine includit virorem, alter rubedinem, vnde totus motus intrinsece differt ab alio, communior enim habet opinio, medias qualitates distingui ab extremis, vide plura ad hanc quæstionem spectantia apud Pererium *l.3.c.9.*

QVÆSTIO VII.

Vtrum motus locales specie inter se distinguantur.

CErtum est, motus alterationis plerosque inter se specie distingui, cum habeant terminos formales, maxime distinctos, imo & proprie contrarios: Deinde certum est, motus accretionis omnes esse eiusdem speciei infimæ, in quouis subiecto, ad quamuis magnitudinem, cum terminus ad quem sit eiusdem rationis. Difficultas aliqua est de motibus localibus. Ratio dubitandi sumitur ex Aristotele 5. *Phys. c* 4 vbi docet, motus locales ad eundem terminum, per lineam rectam, & circularem, specie differre. Similiter motum sursum à motu deorsum, *secundo in libris de cœlo* colligit quinque corpora simplicia, elementa scilic. & cœlũ, idque ex quintuplici motu locali, quæ collectio non est solida, si motus recti elementorum non distinguantur specie, tum inter se, tum à circulari, quia non inferrent distinctam specie naturam.

Respon. omnes motus locales sunt eiusdem speciei essentialis. Est contra multos recentiores. Probatur, quia termini formales omnium motuum localium, sunt eiusdem speciei; ergo & motus. Consequentia patet, ex quæst. præcedente. Antecedens probatur, quia termini sunt vbi, vel præsentiæ, in spatio, quę in omnibus sunt eiusdem rationis. Idem enim est modus omnium corporum coexistendi spatio. Dixi in conclusione, esse eosdem specie essentiali. Quia multi ex eis differunt specie accidẽtali, sicuti homo alb⁹, & niger, primo, qui fiunt semper per lineas diuersas, vt motus circulares, & recti. Secundo quia vnus est tardus alter velociter vniformis, vel inæqualis, & Tertio, quia oriuntur à principio connaturali, vel violento, vt motus ignis sursum & motus lapidis sursum, quorum prior est naturalis, posterior violentus: Quarto, quia saltem consequenter tendunt ad diuersum situm, & ordinem inter partes vniuersi, acquirendo, v motus sursum & deorsum, siue descensus & ascensus. Dico saltem consequenter, quia motus localis per se, primo tendit ad vbi, consequenter ad locum extrinsecum. Ex qua concomitantia fit, vt indifferenter vulgari modo loquẽdi dicatur, per motum localem acquiri motum, vel vbi, omnis enim diuersitas quę reperitur in hisce motibus, est ratione alicuius accidentis, vel connotati scil. medii, principii vel situs, quod specialiter probatur de motu sursum, ac deorsum, quia potest reperiri eadem omnino entitas motus, & non denominari ascensus, aut descensus, vt si corpus aliquod moueretur à puncto determinati spatii correspondente, v gr. superficiei terræ ad punctum spatii, correspondens superficiei concauæ lunæ annihilatio hoc vniuerso esset idem motus, qui modo, & tamen non esset ascensus, quia nullum esset sursum, vel deorsum, & si beatus præditus dote agilitatis, & subtilitatis, è summo cœlo transiret per centrum terræ in partem cœli, è diametro oppositam, esset vnus motus, & tamen constaret ascensu & descensu, denique etiam ex aduersariorum sententia, motus aeris è visceribus terræ sursum, ad locum suum naturalem, & motu eiusdem è sphæra ignis, deorsum, ad eundem locum sunt ascensus, & descensus, & tamen non differunt specie, quia scilicet idem vtriusque est terminus.

Obiic.

Obi. contrarietas non reperitur, nisi inter distincta specie, sed motus proxime allati, scilicet naturalis, & violentus, sursum sunt contrarii, vt sæpe Aristoteles, ergo sunt specie distincti.

Resp. ad minorem, non esse contrarios intrinsece, & ratione sui, sed ratione affectionum accidentalium, v. gr. motus violentus, & naturales sunt contrarii, ex contraria habitudine mobilium, ad motum, vnum enim repugnat motui, alterum positione, & ab intrinseco ad illum propendet, motus sursum & deorsum connotant tantum oppositos situs, consequentes terminum motus, ex quibus tantum sequitur, distingui specie accidentali. Ex his colligitur mens Aristotelis, locis initio citatis. Quod vero ad collectionem corporum simplicium, illa tantum est probabilis, & non procedit ex numero motus essentialis, sed ex numero motuum, cum affectionibus, quatenus scilic. tendunt ad spacium cum tali situ, ad partes vniuersi.

QVÆSTIO VIII.

Vnde sumatur Vnitas numerica motus?

Resp ab vnitate numerica, mobilis termini, & temporis Ita Aristoteles *l.* 5 *Phys. c.* 4. vide Conimb. *ibidem q* 5 & Toletum *q.* 3.

Probatur, quia motus est accidens, ergo vt sit vnus numero, debet habere vnum numero subiectum, à quo aliquo modo indiuiduatur, cum accidens non possit transire à subiecto, in subiectum. Deinde motus est via, & acquisitio termini, ergo etiam requirit vnitatem numericam termini, nam sicut ad vnitatem genericam, & specificam motus, concurrit vnitas generica, & specifica termini, ita ad vnitatem numericam concurrit vnitas numerica. Deniq; cum motus sit continuus & successiuus, requiritur vnitas, seu continuatio temporis extrinseci, non quasi tempus extrinsecum possit interrumpi, sed ita, vt inter partes motus continui, quem tempore metimur, nihil intercedat temporis, in quo sit quies & motus, interruptio enim illa tolleret vnitatem, & esset causa pluralitatis.

Obi. 1. Si homo præcipitetur è summitate turris excelsę, ita vt moriatur in medio, priusquam ad terram contingat, totus ille motus è summo ad imum, esset vnus numero, & tamen subiectum esset diuersum, etiam specie viuum scil. & inanimum, ergo non requiritur vnitas mobilis.

Resp. fore idem numero subiectum inhæsionis, motus scil materiam, cum formis partialibus, & accidens grauitate sc. terrea, dominante in illo mixto, tantum variabitur subiectum denominationis, sed illius identitas non requiritur, sic idē est numero motus, quando nix in lapsu deorsum resoluitur in aquam.

Ob. 2. Arist. *c.* 3. *t.* 23. dicit, motum chordarum plurium, esse vnum numero, vt si quis in instrumento musico primam pulset cordam, mox infimam, mediis intactis, ergo non requiritur vnitas subiecti.

Resp nego consequentiam, quia motus ille non est vnus, respectu cordarum, sed respectu pulsantis tantum.

Obi. 3. Videtur etiam necessaria vnitas numerica motoris, ergo non sufficienter assignantur requisita ad vnitatem numericam.

R. negando antecedens, contra Conimb. *supr. q.* 2. quia idem est motus rotæ, inchoatus ab vno, & continuatus ab altero, & plures causæ partiales faciant vnum numero motū, vt plures homines in currus vel nauis tractione, & in proiectione lapidis deorsum, sumo, & lapis per innatam grauitatem.

QVÆSTIO IX.

Vtrum motus oppositi possint esse simul in eodem subiecto.

Nota motus inter se oppositos dici, quorū termini sunt oppositi inter se, quia ita se habet via ad viam, sicuti terminus ad terminum. Huiusmodi sunt calefactio, & frigefactio, de albatio & denigratio, quia calor & frigus, albedo & nigredo sunt opposita contrarie, similiter ascensus & descensus, si accipiantur secundum situs oppositos, sursum & deorsum. Deinde intensio duorum graduum Qualitatis, & eorundem remissio, accretio certæ Quantitatis, & eiusdem decretio successiua acquisitio alicuius spacii, & eiusdem deperditio, in quibus termini sunt oppositi priuatiue, intensionis enim accretionis & accessus termini sunt positiui, remissionis

vero decretionis & recessus, vt hic sunt termini priuatiui: rarefactio & condensatio vero non videntur motus oppositi, absolute, & respectu subiecti in genere, quia raritas & densitas non sunt qualitates Physicæ, contrariæ, sed modi quantitatis, & extensionis partium, raritas enim est magna extensio, in exigua materia, densitas parua extensio in multa materia. Vnde quod est raritas, respectu vnius, est densitas, respectu alterius, sicuti quod est magnum respectu vnius, est paruum respectu alterius, quo fit, vt densitas, & raritas tantum sint termini determinati alicuius latitudinis, secundum extensionem modalem. Alii aliter respondent, res decidenda est *in l. de generatione.* Vide Conimb. *in l. de generatione capite quinto, quæstion.* 16 Bannies *ibidem quæstion.* 12.

Resp. motus priuatiue oppositi non possunt esse simul in eodem subiecto, motus vero oppositi contrarie, eatenus possunt esse simul, quatenus termini incompossibiles in eodem subiecto.

Prius probatur. Quia potest simul aliqua forma acquiri & deperdi, esse accessus ad aliquem terminum, simul cum recessu, ab eodem, hoc enim implicat, vnde si lapis quadratus à 4. partibus æqualiter impelleretur, non moueretur, si autem mouens à parte orientis, caperet virtutem motoris à parte occidentis, mouebitur versus occidentem.

Posterius probatur, quia motus non sunt incompossibiles, nisi ratione terminorum: vnde cum calor, vt 4 & frigus vt 4. possunt esse simul, etiam calefactio & frigefactio possunt esse simul, &c.

Petes, an motui circulari alius sit oppositus.

Respond. alium esse oppositum, non contrarie, sed priuatiue, per modum accessus & recessus, idque per accidens tantum ratione partium spacii circularis, verbi gratia, circulus diuisus in 4. partes æquales, a.b c.d. constat 2. semicirculis, scilicet a.b.c. & c.b.a. motus ab a in c. per b. opponitur motui à c. in a. per b. & à c in a. per b. Vnde idem motus circularis à puncto a in idem punctum per b. & c. opponitur simili motui, per b. & c. ratione partium intericctarum.

QVÆSTIO X.

Vtrum duo motus oppositi possint esse continui inter se?

MVlti id vniuersaliter negant. Alii varias afferunt distinctiones, vide Conimb 8 *Phys. c.* 8. *q.* 1.

Resp. verius est motus oppositos posse esse continuos. Probatur exemplis, si pila sursum proiecta impingat in aliquam magnam molem, deorsum vergentem, nulla interposita quiete, ascendet & descendet, nam omni tempore contactum molis præcedente mouetur sursum, quia supponitur vis impressa non dum euanuisse: dum autem molem decidentem attingit, non quiescit, quia moles continuo mouetur deorsum, cum non possit sisti vllo momento, à lapide, ergo & lapis illi contiguus mouetur continuo.

Secundo. Pila resiliens à pariete, vel pauimento, non quiescit in puncto reflexionis. Si enim quiesceret, eo momento, quo attingit parietem, vel pauimentum, laberetur deorsum, iuxta parietem, vel quiesceret in pauimento, nam quies necessario supponeret vim impressam euanuisse, vnde continuo mouetur in parietem, & à pariete. Confir. lapis proiectus ascendit & descendit motu continuo per lineam æqualem: Similiter aues volitando modo sursum, modo deorsum, feruntur vnico continuo motu.

Tertio. Probatur eodem instanti, quo remouentur contraria, ab aliquo subiecto, v.g. ignis ab aqua subiecta sese reducit ad qualitatem, & statum connaturalem, quod fit per motum contrarium alteri, sc per frigefactionem, ergo motus contrarii possunt esse continui. Maior probatur, quia aqua est agens naturale, ergo operatur quam primum potest, ergo primo instanti, quia nullum est aliud instans, assignabile, in quo inciperet agere.

Ob 1. Motus cordis & pulmonum quibus se dilatant, & restringunt, non sunt continui & inter dilationem, & restrictionē intercidit aliqua quies, idem est de impulsu arteriarum.

Respond. Quietem illam non intercedere præcise ex ratione motus, sed quod natura hoc ita prouiderit, in illis membris, ne se continuo motu nimis exhaurientur, cum semper moueri debeant.

Obiic

Obiic. secundo. Sagitta sursum emissa, antequam per eandem lineam recidat deorsum, puncto reflexionis, aliquantum quiescit, ergo signum est motus oppositos non posse esse continuos.

Respon. negando consequentiam, quia in exemplo allato est peculiaris ratio discontinuationis, non ex ratione motus, sed principii, nam in tali sagitta, vel lapide duo sunt principia motus, scilicet grauitas, & vis impressa, vis impressa semper agitat lapidem sursum, quamdiu præualet grauitati, vnde grauitas non potest deprimere deorsum, donec alsquam collatum superet vim impressam, antequam vero possit illam superare, debet primo esse æqualis resistentiæ, quam habet illis, ad motum deorsum, ratione virtutis impressæ, & in hac æqualitate mobile quiescit, tunc enim nulla est ratio, cur potius moueatur sursum, quam deorsum. Aliud est cum lapis cadendo oblique decidit per lineam æqualem, tunc enim simul mouent vis impressa, & grauitas, grauitate scilicet trahente deorsum, & aliqua ratione superante impulsum, & impulsu non omnino cessante, sed modificante motum deorsum, & quantum in se est propellente sursum ita vt hic non sint duæ virtutes, quæ ad qualitatem redigantur, priusquam altera sit causa motus.

Obiic. tertio. Si motus sursum & deorsum, possint esse vnus continuus motus, mobile poterit tendere in terminum à quo, sicuti in terminum ad quem, vt patet in reflexione pilæ redeuntis ad proiicientem, vltimate enim recipit terminum à quo.

Respon. hoc non esse inconueniens, tali enim casu idē est terminus à quo, & ad quem, materialis & coincidentia hæc vtriusque termini per accidens, fit ratione impedimenti, & corporis reflectentis, alioqui mobile ex se tendit in terminum ad quem, distinctum à termino à quo.

Obiic. quarto Omnis motus fit ex quiete, in termino opposito, ergo motus pilæ resilientis à pariete, est ex aliqua quiete circa parietem.

Respon. negando antecedens, quia non requiritur quies mobilis, in termino à quo, sed sufficit sola existentia in termino à quo, & vt mobile sit in illo, per modum transeuntis, sic enim in partibus motus pars vna spatii est terminus à quo, respectu alterius partis succedentis, in qua tamen mobile non quiescit.

Obiic. quinto. Si pila non quiescit in puncto reflexionis, per eundem motum recedit à termino à quo, & ad illum recedit, quod videtur impossibile.

Respon. accedere, & recedere per diuersas partes eiusdem motus, ac proinde diuerso tempore, vti fit in motu circulari.

Obiic. sexto. Id quod reflectitur, tardius absoluit spatium omnino æquale igni, quod absoluisset, si vlterius motu recto, sine impedimento, perrexisset, sed huius rei nulla est ratio, quam quies in puncto reflexionis, ergo quiescit. Maior declaratur, dentur in linea alicuius quatuor termini æqualiter inter se distantes, sint a b. c d. moueatur pila per lineam illam, & reflectatur à corpore accurrente in termino, c alia per similem lineam pergat recta ad terminum b. hæc citius pertinget ad terminum b. quam prior redierit ad terminum b. cum tamen sit æquale spatium.

Respon. negando minorem, quia ratio tardioris reditus non est quies, sed quod vis impressa à corpore occurrente, nonnihil imminuatur.

Respon septimo. Aristoteles 8. *Phys. c.* 8. expresse videtur docere contrarium.

Respond. Aristoteles doctrinam suam tantum probat argumentis topicis, deinde intelligi potest de casu allato *supra in secundo argumento.*

QVÆSTIO XI.

Quæ sit causa motus proiectorum?

FVse quæstionem hanc prosequitur Pererius *lib.* 13. *cap.* 4. & 5. vbi ex Aristotele probare conatur, proiecta moueri ab aere agitato, siue à medio, in quo fit motus. videtur colligi, ex Aristotele 8. *Phys. t.* 82. 3. *de cœlo t.* 28.

Respon Motus proiectorum prouenit à virtute ipsis impressa à proiiciente, quæ inhærens mouet illa, dum sunt disiuncta, à proiiciente Ita Suarez *disp.* 21. *sect.* 3. Toletus 8. *Phys. dubio circa textum* 89. Conimbr. 7. *Phys. c.* 2 *q.* 1. D. Thom. *q.* 3. *de potentia a.* 10. *ad secundum & alibi.* Vnde quod *lib.* 3. *de cœlo lect.* 47. dicit,

dicit, per Aristotelem hic ad explicationem illius pertinet.

Probatur primo, quia non est aliud principium immediatum illius motus, quam virtus impressa inhærens, ergo. Antecedens probatur, ex resultatione aliorum, nam primo nullam habet speciem veritatis, motum hunc prouenire à grauitate proiecti, modificata, quia talis motus absolute repugnat grauitati lapidis, ergo grauitas modificata non potest esse principium actiuum illius, si autem per modificationem grauitatis, authores illius sententiæ intelligãt accessionem virtutis, distinctæ à grauitate, tunc quæritur, quænam illa sit. Secundo non videtur posse prouenire ex aere moto, vt cum Aristotele Auerroes, Simplicius, & Pererius *supra*. quia cum aer sit valde rarus, non est capax talis impulsus, qui proiectum etiam ingens tanta vi agitet, quanta cernitur in saxis ex globis ferreis tormentis explosis. Tertio. Si aer esset causa huius motus, longius posset proiici pluuia, aut spongia, quam lapis, quia aer facilius propellit pluuiam. Quarto. Si aer agitaret, proiecta etiam corpora, proiectis vicina etiam agitarentur. Quinto. Flante vehementi vento proiici potest lapis in aduersam partem, contra ventum, quo casu non potest concipi aer propellere à tergo, quomodo enim contra vim venti illum rapientis, secum redire potest, in oppositum, vt lapidem tanto impetu à tergo promoueat. Sexto. Quando pila resilit à pariete, aer potius resistit resultui, quam illius sit causa, ergo hic motus prouenit à virtute impressa.

Probatur secundo. Si motus proiectorum proueniret à medio, non posset in vacuo aliqd proiici, sed hoc *supra* improbauimus, ergo.

Probatur tertio, Si non fieret à virtute impressa inhærente est, quia talis virtus videtur impossibilis, sed non est maior difficultas de virtute proiecto impressa, quam de virtute impressa aeri, ergo non est ratio, cur hæc sententia reiiciatur.

Probatur quarto. Proiectum mouetur in omnem partem, ex destinatione proiicientis, ergo signum est proiecto vim imprimi, quæ sit instrumentum præparatum proiicienti.

Obiic. primo. Non videtur possibilis qualitas, quæ maneat, ad omnes positionum differentias vti mouentur proiecta.

Respond. Negando assumptum, pate[t] magnete, cuius vis trahit sursum, si coll[oce]tur supra ferrum deorsum, si infra &c. [sic] se habet vis magnetis, & vis impessa pro[pel]lendo in eam partem, quam proiiciens [de]stinat.

Obiic. secundo, qualitas illa est valde [oc]culta, deinde non potest intelligi, quom[odo] ita subito producatur, in toto proiecto, [et] sine fundamento ponitur.

Respon. primo hæc & similia, quæ co[ntra] nos congerit Pererius, *supra* etiam locum [ha]bent in impulsu aeri impresso, quo vehit [pro]iectum in suum terminum, ex sua sentent[ia].

Respond secundo, qualitatem hanc ap[te] colligi ex effectu sensibili: paucæ enim vi[r]tes, & qualitates rerum naturalium, he[rba]rum, lapidum metallorum, nobis sunt n[otæ] quidditatiuæ, vnde solent denominari à [suo] effectu, vt vis magnetis dicitur abstractiua [&] torpedinis dicitur obstupefacere: si hæc q[ua]litas vocatur impulsiua: Producitur autem tota per agitationem & exercitium moue[ntis].

Obiic tertio. Si daretur talis qualitas, [pro]iecto inhærens, perpetuo moueretur, qui[a ni]hil est, à quo illa qualitas vel destruatur [vel] minuatur quod probatur, non potest dic[i pe]rire defectu conseruantis substantifice, [quia] sic periret illico, ac proiectum esset se[para]tum à mouente, quod tamen est falsum, [nec] etiam destruitur per actionem alicuius qu[ali]tatis, contrariæ, quia grauitas proiecti [non] est productiua alicuius qualitatis realis, [sed] distinctæ, quæ formaliter expellat vim [im]pulsiuam, nulla autem actio realis term[ina]tur ad solam rei desitionem.

Respon. idem argumentum valere co[ntra] impulsum aeris, dicendum ergo vim illam [im]pressam sensim desinere, eo ipso, quo[d re]gnat naturali inclinationi subiecti, cu[m sit] vis instrumentalis, transiens, quæ natur[a sua] non postulat diu conseruari, sic videmu[s so]num sensim euanescere in aere, nullo [con]trario interueniente contrario, & verisimile e[st] mo, etiamsi Deus subtraheret, vel dene[garet] concursum aquæ calefactæ ad infrigid[atio]nem, seu actionem emanatiuam frig[oris,] quod tamen paulatim desineret esse calo[r].

Obiic. 4 Motus proiecti est celerior in [me]dio, ergo signum est aerem à tergo peller[e] copiosior est à tergo mobili, in medio exi[...]

Re[...]

Respond. negando consequentiam, hinc e-im tantum colligitur, partes aeris à tergo :currentis posse aliquid conferre ad mo-m, non tamen ab illis fieri adæquate, vn-in fine euanescente vi impressa proiectum cidit, quantumuis multæ partes a tergo in-l ant.

Obiic quinto. Si qualitas motiua inhæ-t proiecto, non potest dici violente moue-quia proiectum confert vim.

Respond. negando illatum, quia vis illa in-l rens de foris aduenit, & est contra natura-l. inclinationem proiecti, ac proinde est v lenta, sicut & effectus illius.

Quod de graui hic dicitur, respectu mo-t sursum, id de leui intelligendum est re-s. ctu motus deorsum, & confirmatur hæc o nio, ex iis, quæ in gyrum mouentur ab ho-n e, vt sunt rotæ, trochi puerorum &c. hæc e n non possunt dici circum agi ab aere, q i non potest à tergo instando verrere in o :em, ergo fit per qualitatem impressam à m u, vel instrumento.

QVÆSTIO XII.

D inceptione & desitione motus, & aliarum rerum.

OCcasio huius quæstionis sumitur ex Aristotele *6. Physic. cap. 5. & 6. & 8. Physic.* 3. vbi agit de inceptione & desitione mo-tus.

Nota primo, inceptionem ex communi o eptu, esse transitum à non esse ad esse, & d ifitionem primi esse re. Desitionē è con-tra esse transitum ab esse ad non esse, ac vel-ti cquifitionem primi non esse; vnde non q llibet esse rei est inceptio, sed primum es-se, :e quodlibet non esse, est desitio, sed pri-m i, cætera enim sunt potius quies in esse, el on esse.

Nota secundo, duobus modis res posse in-cipe esse, primo intrinsece, per primum & nd isibile sui esse, quando scilicet datur in-stai temporis veri, aut possibilis, quo ve-un st dicere, res nunc est tempore immedia-e ræterito, non futuro. secundo extrinsece ex timum non esse sui, quando scilicet da-ur stans temporis quo verum est dicere, ius es non est, tempore immediate sequenti erit, his modis inceptionis respondent duo modi desitionis, primus intrinsecus, per vltimum esse rei, quando scilicet datur instans, quo verum est dicere, nunc res est immediate, post non erit. Secundus extrinsecus, per primum non esse, quando scilicet non datur instans, quo dici possit vltimo res esse, sed tantum instans, quo verum est dicere nunc res non est immediate, ante fuit ex his inceptio extrinseca est propria inceptio, desitio extrinseca propria desitio.

Respon. primo motus incipit & desinit extrinsece, scilicet per vltimum sui non esse, & per primum non esse Ita Aristoteles *lib. 6. c. 6.* Vide Pererium *lib. 14. cap. 9.* Tol *6. Phys. q 4.* Conimb *8. Phys. c. 8. q 2.*

Probatur, quia motus est successiuus & continuus, sed in successiuis non potest assignari verus terminus ad quem successionis, qui sit indiuisibilis, ex parte rei successiuæ, quia de ratione entis successiui, vt sic est non habere totum esse simul, sed tantum potest assignari terminus à quo, indiuisibilis antecedens quodammodo esse, scilicet vltimum non esse. contra vero potest assignari verus terminus indiuisibilis, ad quem desitionis, scilicet primum non esse. Vnde quoad inceptionem motus, verum est dicere, hoc instanti motus non est tempore immediate, sequenti erit, & quoad desitionem, nunc motus non est tempore, immediate præcedente fuit.

Ex his sequitur, in motu non dari primum mutatum esse, nec primam seu minimam motus partem, quia ante quamlibet motus partem est mutatum esse, & ante quodlibet mutatum esse est pars motus, vt docet Aristoteles *lib. 6. c. 6.* in quo inceptio differt à desitione, quia indiuisibile desitionis dici potest vltimum mutatum esse tale, scilicet vt verum sit dicere, hoc instanti res est mutata. Ratio distinctionis est, quia res non potest dici mutata, nisi per motum, non potest autem dari prima, & indiuisibilis pars in motu, cum sit ens continuum & successiuum, ac proinde non potest dari primum mutatum esse, id enim esset ante motum, quod implicat, potest tamen res esse mutata, post totum motum absolutum, quia motus terminatur ad mutata esse.

Quod de motus inceptione, & desitione hic dicitur, etiam locum habet in formis, quæ per motum successiue acquirunt esse, vel mati.

vel amittunt, in his enim, ſicuti in motu non datur inſtans intrinſecum, quo primo vel vltimo ſunt.

Petes, an quando ſecundo motus ſibi mutuo ſuccedunt, prior etiam deſinat extrinſece, & poſterior incipiat extrinſece.

Reſpon. affirmatiue quia inter vtrumque concipitur mediate inſtans, vtrique extrinſecum, quo prior extrinſece deſinit, & poſterior extrinſece incipit.

Reſpond. & dico ſecundo, ea quæ tantum exiſtunt vnico momento temporis noſtri, vt ſunt inſtantia temporis, mutata eſſe motus, actiones inſtantaneæ, intellectiones, & volitiones incipiunt, & deſinunt intrinſece, ſcilicet per primum & vltimum ſui eſſe. Probatur, quia vnum & idem inſtans eſt primum, ac vltimum exiſtentiæ illorum, ita vt pro illo inſtanti verum ſit dicere, nunc res eſt immediate, ante non erat, ſimiliter res eſt nunc immediate, poſt non erit.

Reſpond. & dico tertio, Res permanentes, quæ ſunt totæ ſimul, incipiunt intrinſece, per primum ſui eſſe & deſignant extrinſece per primum non eſſe.

Probatur, quia forma ſubſtantialis incipit eſſe in materia, proxime & complete diſpoſita in inſtanti, ita vt inſtans terminatiuum alterationis diſpoſitiue, idem ſit cum inſtanti generationis, & productionis formæ, ergo incipit per primum ſui eſſe. Ex quo ſequitur, quia deſitio formæ præcedentis in materia ſe habet oppoſito modo, ad inceptionem ſequentis, de nouo introductæ, quod præcedit deſinit extrinſece, per primum non eſſe, ita vt nullum detur inſtans, quo verum ſit, dicere hæc forma vltima eſt, alioqui enim daretur inſtans immediatum, inſtanti, & continuum conſtaret indiuiſibilibus.

Reſpond. quarto. Res permanentes interdum incipiunt per vltimum ſui non eſſe, & deſinunt intrinſece per vltimum ſui eſſe. Probatur, quia formæ ſubſtantiales poſſunt ſucceſſiue & continue introduci in materia, quo caſu habet ſe ſicuti motus

Quæ de primo motore, eiuſque attributis circa *l. b.* 8 *Phyſ.* hic afferri poſſent, commodius dicentur in Metaphyſica, interim conſuli poterunt Toletus *quæſt.* 5. Conimb. *ibidem.*

DISPVTATIO VLT

De Continuo.

Continuum & quantum di guuntur ſolo modo concipie quia quantum dicit protenſum, ſec dum partes, continuo vero dicit li quid coalitum ex partibus, hinc di ſa eſt definitio continui, & quanti entitate, quidditate, & ſpeciebus q titatis diximus in Logica, ſuper ſpeciales aliquot difficultates, qu hac materia occurrunt.

QVÆSTIO I.

Vtrum in continuo ſint actu par integrantes, an potentia tantum?

Multi docent tantum eſſe in pot Alexander 7. *Metaph. t.* 49. Simpl. 8 *t.* 68. 1. *Phyſic.* 36. & *ibidem* D. Thom. qui putant hanc eſſe doctrinam Ari lis.

Reſpon. in continuo ſunt partes act Gregorius *in primo diſt.* 24. *q.* 1. *a.* 1. Fc 5. *Met. c.* 6. *quæſt.* 6. *ſect.* 3 Tolet 6. *Phyſ.* 1. *diſp.* 7. *ſect.* 1. *nu.* 21.

Probatur primo, ex Ariſtotele *prim t.* 2. qui docet, ſi omnia forent vnum nuum, fore nihilominus multa entia ſcilicet in illo vno eſſent multæ partes.

Probatur ratione, primo, quia conti eſt actu quoddam totum, ergo in eo ſu res actu Conſequentia probatur, quia in actu, ſicuti totum in potentia, eſt re partium in potentia.

Probatur ſecundo, Aduerſarii dicu actu partes, dum ſunt diuiſæ, ergo & a uiſionem fuerunt. Conſequentia pro quia diuiſio illa Phyſica, ſeu ſeparatio cit rem eſſe partem, ſed vt ſummum Vbi & tollit vnionem.

Probatur tertio, De ratione partis est, esse constitutiuum alicuius totius, & completi, atqui hoc tantum conuenit partibus in continuo, ante diuisionem, ergo in continuo sunt partes actu. Maior probatur, quia de ratione partis est esse ens incompletum. Vnde si de aliquo quæratur, an sit totum, an pars, si illud sit alteri connexum, dicitur esse pars illius, quod cum alia parte constituit. Minor probatur, quia quælibet pars post separationem est ens integrum, & totale vnde implicat, per diuisionem partem constitui formaliter in actu. Vnde fatentur aduersarii, toto diuiso in duas, verbi gratia, partes, non remanere amplius partes, sed fieri duo tota, tantum dici partes, per ampliationem, quia scilicet illæ entitates, quæ nunc sunt, duo tota, qu ante diuisionem, integrabant vnum totum, & erant partes vnius, quam denominationem retinent, aliquo modo post diuisionem. Verum ex hac explicatione sequitur non posse dari partes actu.

Probatur quarto. Causa efficiens, realis distinguitur realiter à suo effectu, idem enim non potest producere seipsum, atqui vna pars ignis producit aliam, ergo actu est pars producens & producta, quæ partes constituunt vnum continuum.

Respond secundo Partes continui sunt inter se realiter distinctæ, sequitur ex dictis & confirm. primo, quia in quolibet continuo homine sunt entitates partiales, quarum vna non est alia, quæ inter se loco sunt dissitæ, vna versus orientem, altera versus occidentem, &c. quæ à se inuicem possunt separari, & seorsum conseruari in rerum natura, vt patet in partibus aquæ, ligni, &c. ergo partes sunt realiter inter se distinctæ. Respondent quidam, inter partes continui esse distinctionem realem, non tantum actualem, sed præsentialem. Quod est ludere in verbis, supponunt enim ad partem actu, & distinctionem actualem, requiri diuisionem, quod falsum est, imo pars actu diuisa est particula alienans, non enim est pars, sed totum.

Confirmatur secundo Continuum ratione diuersarum partium afficitur diuersis, imo contrariis accidentibus, calore & frigore, albedine, nigredine, rectitudine, curuitate, densitate raritate, imo vna mouet & mouetur, vt in vento & aqua agitata, denique perseuerat in esse, & desinit, ergo partes continui sunt realiter inter se distinctæ, alioqui enim eidem secundum idem inessent contrariæ, & contradictoriæ.

Confirm. tertio. Partiales entitates continui post separationem, realiter inter se distinguuntur, ergo etiam ante. Consequentia probatur, quia diuisio nihil producit nouæ entitatis, sed tantum tollit vnionem partium inter se, vnde eædem omnino sunt entitates, secundum omnia intrinseca, ante separationem, & post.

Obiic. primo, vnio videtur tollere distinctionem realem, partium inter se.

Respon. negando assumptum, licet enim vnio tollat distinctionem, ita vt non possint absolute dici plura composita, vel etia completa, ad hoc enim requiritur, vt seorsim existant, non tollit tamen intrinsecam distinctionem partium vnitarum, inter se, hæc enim consequitur partium entitatem cuiusque, quam neque vnio tollit, nec ponit separatio, vt patet in materia, & forma, quæ non minus Physice distinguuntur vnitæ, quam non vnitæ, quia per vnionem materia non fit forma, nec contra.

Obiic. secundo, si continuo sint partes actu inter se distinctæ, ergo etiam erunt plures figuræ. Consequentia probatur, quia quælibet pars habebit suam figuram, & claudetur terminis.

Respon. negando consequentiam, quia figura est modus rei quantæ, seorsim existentis, & non inexistentis alteri.

Obiic. tertio, ergo erunt partes actu infinitæ.

Respon. vt *infra q. 4. a. 2.*

QVÆSTIO II.

Vtrum in continuo sint indiuisibilia, & quomodo?

ARTICVLVS PRIMVS.

Decisio Quæstionis.

DVrandus *in secundo distinct. 20. q. 4.* Gregorius *ibidem quæst. 2. art. 1.* Occam *in Categoria quantitatis & tractatu de V. Eucharistia*

cap.1.& 2. Valesius 3. *Phys.quæst.* 34 sequuntur, partem negantem, volunt enim indiuisibilia scilicet puncta, lineas & superficies, nihil esse positiuum reale, sed ipsum corpus quantitatiuum, conceptum sub negatione omnis, vel alicuius extensionis, & huc etiam propendet Pererius *l.10.c.7.*

Contra, alii docent indiuisibilia esse positiua, in continuo, Ita D. Thomas *quodl.7.a.9. ad secundum opus.39 c.2.* Scotus *in secundo dist.2. q.9.* Toletus *6.Phys.q.1.* Conimb. *ibidem c.2. q.1.* Suarez. *disp 40.sect.3.nu* 28. & alii.

Respond. Licet vtraque sententia multas habeat difficultates, affirmatiua enim est magis conformis Aristoteli, principiis Philosophiæ, & Geometriæ.

Probatur primo ex Aristotele *in Categoriis c.de quantitate.* vbi dicit, partes lineæ puncto copulari, primo *post cap.4.* vbi dicit punctum esse de essentia lineæ, *secundo Phys. cap.2.* vbi dicit, corpora naturalia in se habere puncta, lineas, & superficies Idem habet *primo de anima cap.4.* & *5. Met.cap.13.* ponit quantitatis species lineam, & superficiem, ergo censet dari. & 8. *Phys cap.vlt.* dicit, indiuisibile per se non posse moueri, sed per accidens, ad motum continui in quo est.

Probatur secundo ratione Continuum est, cuius partes termino communi copulantur, sed termini illi sunt indiuisibiles, ergo. Minor probatur, quia de ratione termini copulantis est, vt secundum idem sit communis vtrique parti, quod fieri non potest, si esset diuisibilis, & haberet partes, sed enim ratione vnius partis pertineret ad vnam partem copulatam, & ratione alterius ad alteram.

Probatur tertio. Quia in hoc solo distinstinguantur continua à contiguis, quod continua vniantur inter se, mediante termino aliquo indiuisibili, communi, contigua vero vniantur seipsis immediate.

Probatur quarto. Corpus planum contingit alterum secundum superficiem, indiuisibilem, secundo superficies corporum diuisibilium præcise terminant visionem, quia visus penetrat profunditatem corporum. Tertio superficies corporis opaci terminat illuminationem, ergo dantur huiusmodi superficies indiuisibiles.

Probatur quinto. Corpus perfecte sphæricum tangit perfecte planum, in puncto indiuisibili, ergo datur tale punctum. Antecede[ns] probatur, quia si tangeret in aliqua plani[tie], haberet etiam in se aliquam planitiem [corre]spondentem, sed hoc repugnat corpori sph[æ]rico, planum enim & sphæricum in figuris [re]pugnant, & extremæ partes illius plani ma[gis] distarent à centro, quam mediæ, quod eti[am] est contra rationem corporis sphærici. Si[mi]liter corpus columnarum Mathematice [ro]tundum, tangit linea indiuisibili secund[um] latitudinem, ergo dantur lineæ, & duo pl[ana] solida tangunt se secundum superficiem, e[rgo] dantur superficies.

Respon. & dico secundo, indiuisibilia [sunt] actu in continuo, est contra Fonsecam 5.*M[et.] c.6.q.6.sect.5.* & alios, qui volunt tantum [esse] in potentia.

Probatur ex rationibus primæ conclu[sio]nis, quia contactus ille est realis, ergo ind[iui]sibilia actu inexistunt continuo.

Respon. tertio. Indiuisibilia, siue termin[an]tia, siue continuantia, distinguuntur reali[ter], tum inter se, tum inter res, quas continu[ant] & terminant. Ita D. Thom. *opusc.36.* Su[arez] *num.36.*

Distingui inter se probatur, quia dis[tant] à se inuicem loco, saltem partiali, nam c[ui]libet inter puncta continuantia interi[acet] pars lineæ, & inter quæuis lineas contin[uan]tes, interiacet pars superficiei, & inter su[per]ficies continuantes interiacet pars corp[oris], quorum omnium ratio est, quia duo indi[uisi]bilia non possunt sibi mutuo esse immedi[ata], secundo possunt seorsum à se conseruari, [ergo] distinguuntur realiter.

Distingui à rebus probatur, quia co[n]tactus realis Physicus, conuenit plano, rati[one] puncti, lineæ, & superficiei, ergo realite[r di]stinguuntur à partibus. Consequentia pr[oba]tur quia tangitur res à partibus distincta, [qui]bus enim realiter tangit punctum, no[n li]neam, nec superficiem, nec corpus, colu[mna] lineam, non superficiem, aut corpus, pla[num] solidum tangit superficiem, non corpus, autem quod realiter tangitur, non est il[lud] quod non tangitur: ergo, si separetur vi[ndi] indiuiduum, nihil tangitur ex toto, sequ[itur] illud indiuiduum esse diuersum realiter, [à cæ]teris indiuisibilibus, & partibus, quæ [non] tanguntur.

Probatur secundo, de indiuisibilibus c[on]

ting

igentibus, quia hæc non possent esse, cum
rtibus continuatis, ergo distinguuntur rea-
er. Antecedens probatur, quia vel essent i-
m cum vtraque, vel cum altera tantum,
utrum dici potest, ergo non prius, quia sic
tinguerentur realiter à seipso, quia partes
ibus identificantur, distinguuntur realiter:
n posterius, quia nulla est ratio, cur magis
ntificentur vni parti, quam alteri.

Petes primo, Vtrum in continuo sint actu,
cta terminantia tantum, & lineæ termi-
ates, sicuti actu datur superficies termi-
is corpus.

Resp. negatiue, Probatur, quia nulla repe-
ur linea, quæ tantum terminet vnam super-
em, nec eam cum altera connectat, nec vl-
n punctum, quod aliquam lineã ita finiat,
llam cum altera parte non continuet, siue
d corpus sphęricum, siue cubicum, siue py-
idale siue alterius figurę, Vnde soli super-
i cõuenit, tanquam actui corporibus in-
, vt vndiq; ambiat & claudat, lineæ vero &
cta continuata sunt quidẽ actu, termina-
a vero potestate tantum, quæ potentia tri-
iter dicitur reduci ad actũ, primo p realẽ
poris diuisionem, tunc enim resultant in-
isibilia terminatiua. Secundo conforma-
ne figuræ, vt loquuntur, vt cũ corpus sphæ-
um, v gr vndique carens angulo, reducitur
ctum lineę terminatiuę angulorum, si fiat
icum, quo tamen casu vere illa indiuisibi
vere deducuntur ad actum Nam puncta,
e angulos faciunt, & lineæ, quæ latera ter-
nant, vere etiam sunt continuatiua, quare
: actu alio est considerationis Mathema-
e, quatenus scil considerat puncta, in quæ
guli incidunt, esse terminos linearum, & li-
s terminos laterum. Tertio, de significa-
ne, cum scil. mente aliquod continuum di-
imus, tunc enim concipiuntur etiam ter-
ni partium, mente separatarum, quæ redu-
o in actum etiam est fictitia.

Petes secundo. Vtrum indiuisibilia sint de
one continui.

Respond. affirmatiue, ex Aristotele *primo
p. c.* 4. non quasi indiuisibilia sint propriæ
tes continui, sed quia cum partibus com-
unt continuum, duo enim reperiuntur in
tinuo, extensio, scilicet & continuatio,
ensio est potissimum à partibus, continua-
ab indiuisibilibus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Respondetur ad Argumenta.

OBiicies primo, cõtra primam conclusionem, cum Occamo, qui prętmittens dro-metarium suũ, argumentatur, non sunt multiplicanda entia, sine necessitate, sed nulla est necessitas, ponendi indiuisibilia positiua. Minor probatur, quia continuũ potest terminari per merã negationem vlterioris protensionis, & partes possunt continuari, se ipsis, ergo nihil cogit admittere indiuisibilia terminantia, & continuantia. Antecedẽs probatur, pro priori parte, argumẽto ad hominẽ, quia si superficies distinguatur realiter, à corpore terminato, poterit ab illo separari, quo tamẽ casu adhuc corpus terminabitur, quia nõ porriget se infinitũ, imo nec erit magis, nec minus, q̃ erat ante, indiuisibile enim additum nõ facit magis, nec sublatum facit minus, ergo frustra ponitur superficies realis terminãs. Idem argumẽtum fieri potest, de superficie, si deorsum poneretur à corpore, hæc n. terminaretur sine linea, realiter distincta, & linea sine puncto. Antecedẽs pro posteriori parte probatur, quia continuatio est vnio partium: hæc autẽ potest esse sine mediis indiuisibilibus, sed possunt partes vniri seipsis, sicuti substantia & accidens, forma & materia, potẽtia & actus. Imo impossibile videtur, vt punctũ, v.g. continuet partes lineæ, quia nõ potest, illas contingere: vel n. attingeret in alio indiuisibili puncto, & in hoc non, quia sic linea constaret ex indiuisibilibus, & vnum indiuisibile esset alteri immediatum, non in parte indiuisibili, quia indiuisibile non potest adæquari diuisibili.

Resp. negando minorem ad probationem dico, tali casu corpus fore terminatum, negatiue, non autem positiue, per terminationem connaturalẽ quantitati sicuti natura creata si conseruaretur à Deo, sine actuali substantia, quæ & complementum & terminus substantiæ, terminaretur negatiue. Ad alterã partem Antecedentis respõdeo, partes non posse continuari se ipsis, quia partes diuisibiles nõ possunt secundum aliquam diuisibilẽ esse simul in eodem spatio, possunt tamen esse simul cum termino indiuisibili, ac proinde mediante illo vniri inter se, qui terminus, respectu vtriusq; partis est causa vnionis, & respectu singula-

gularum est tanquam alterum extremum, in quo fit vnio partes autem secundum aliquid sui dissimile, non posse esse simul, probatur, quia alioqui naturaliter se penetraret. Ad probationem partis posterioris; respondeo, esse diuersam ratione minoris, & maioris, formæ & materiæ, &c. quia quod vnio continuationis requirat media indiuisibilia, continuata, ex eo oritur, quod per vnionem continuationis partes sibi vniantur, extrinsece tantum, per vnionem vero actus & potentiæ, extrema vniuntur intrinsece: deinde sine indiuisibilibus mediis continuatio non potest distingui à contiguitate. Ad confirm. respondeo, verbi gratia, continuans non tangere proprie partes, quas continuat, sed illis intrinsece vniri se totum vniens indiuisibiliter vtrique & intime assistens, nulli parti diuisibili adhærens determinate.

Obiic. secundo. Motus localis nihil gignit per se reale, sed per diuisionem contigui, qui est motus quidam localis, producuntur noua indiuisibilia pugnantia, ergo non sunt quid reale.

Respon. explicando maiorem, motus localis non est causa efficiens, vel productio alicuius entis realis, potest tamen ad motum realem, tanquam ad conditionem applicantem, resultare aliquid reale. Vnde in corpore diuiso resultant duæ superficies terminantes, quæ ante sola potentia in ea existebant, & perit illa superficies, quæ vtramque partem prius coniungebat, cum enim indiuisibilia sint termini quantitatis, necesse est, vt quoties illa mutat partem terminatiuam, indiuisibilia quoque mutet.

Obiic. tertio Contra secundam conclusionam Aristot. 8. *Physic. cap.* 8. dicit, indiuisibilia non actu, sed potestate reperiri in continuo, & 3. *Met. cap.* 3. ait, indiuisibilia sic esse in continuo, sicut mercurius est in rudi lapide, scilicet potestate, & 3. *de anima cap* 6. dicit, punctum priuatione cognosci, ergo indiuisibilia sunt solum potestate in continuo, vel nihil sunt.

Respon Aristotelem duobus illis locis, intelligendum, de indiuisibilibus, quæ in diuisione continui de nouo resultant, eiusque partes terminant, hæc enim sunt in potentia, vt iam diximus, ad illud 3. *de anima.* respondeo, indiuisibilia priuatione cognosci, non tamen esse priuationem pleraque enim po[...] tiua, vt in qualitatibus patet, cognoscun[...] negatione contrariorum.

Obiic. quarto, in continuo dentur actu diuisibilia, quæ partes continent, & fic[...] cum in quolibet continuo sint infinitæ [...] tes, erunt etiam infinita indiuisibilia, at[...] ita dabitur infinitum actu, idque duobus [...] tremis clausum, quorum vtrumque est ab[...] dum, quia neque de facto datur infinit[...] multitudine, nec dari potest vt *supra* dixim[...] saltem si daretur, non clauderetur extre[...] sic enim esset finitum.

Respond. infinitudinem illam indiuis[...] lem, passim admitti, quia est imperfecta [...] potentialis, componit siquidem finitam [...] gnitudinem, vna cum partibus, & vnic[...] ctione productiua attingitur, nec inde seq[...] tur, dari posse infinitam multitudinem re[...] completarum actu, quarum quælibet est [...] vnum, quia illa esset infinitudo simplici[...] quæ nõ clauderetur termino, & deberet [...] duci infinitis actionibus; hæc autem infin[...] do longe est diuersa, quia in multitudine, [...] bi gratia, punctorum in linea, potest desig[...] ri primum, non secundum immediatum, [...] mum non penultimum, in infinitudin[...] rum discretarum, qualibet designata p[...] designari alia immediata, ordine situs, [...] perfectionis. Clauditur autem hæc infin[...] do terminis extensionis, & spatii, non cla[...] tur autem terminis numeralibus. Vnde [...] nihil inuoluit repugnans.

Dices, Deus potest separare omnia [...] cta ab omnibus partibus lineæ, & lineas a[...] mnibus partibus superficiei, &c. ergo ho[...] su dabitur infinita multitudo rerum di[...] tarum.

Respon. negando assumptum, quia im[...] cat conseruari in rerum natura lineam, [...] punctis continuantibus, superficiem, sin[...] neis, quia sunt de essentia lineæ, & superfi[...] & conferrent continuationem quæ est i[...] parabilis à continuo. Vrgebis, desinant [...] tes lineæ, conseruentur sola puncta, tu[...] runt infinita.

Respon. id etiam fieri non posse, nam [...] quælibet pars lineæ essentialiter incl[...] puncta continuata, necesse est, desinent[...] lineæ partibus, etiam desinere puncta, i[...]

ſt de lineis, reſpectu ſuperficiei, de ſuperficie-
us reſpectu corporis.

Ob.5 Saltem in continuo finitæ magnitu-
inis, v.g. ligno pedali erit linea actu infinitæ
agnitudinis, quia infinitum actu eſt quod
ibet partes infinitas æquales, non commu-
cantes de quibus *qu.* 4. atqui in tali conti-
o dabitur linea, habens infinitas partes æ-
ales: nam in illo deſignari poſſunt duæ li-
æ æqualis longitudinis, inter ſe diſtantes,
g. ad vnum palmum, ergo inter illas ſunt in-
itæ lineæ æquales, continuantes partes il-
s magnitudinis palmaris, interiectæ inter
eas deſignatas, quæ omnes lineæ ſunt par-
s vnius lineæ ſpiritalis, quia vniuntur inter
punctis extremis illius magnitudinis, con-
iunt vnam lineam, quæ infinitis modis cir-
it, & gyrat ipſum continuum, & cuius gyri
plent totum continuum.

Reſpondet Suarez, lineam illam non eſſe
u infinitam, ſimpliciter, quia partes illæ
uales infinitæ confuſo modo, & reliquis
mixtæ inter ſe vniuntur, ita vt continean-
infinita magnitudine, & claudantur ter-
nis finitis, dari autem lineam hoc modo
undum quid infinitam, nihil habet incom-
odi, terminatur autem paucis terminanti-
ſimul, & continuantibus, eo modo, quo
acta omnia claudunt, & terminant lineam
cularem.

Alii negant dari in continuo lineam vnam
ritalem, infinitam, quæ impleat totum
num, cum enim in continuo non dentur
iuiſibilia immediata, ſed inter quæque in-
cipiatur pars quanta, non poterit dari li-
a, cuius gyri vno tantum puncto inter ſe
tent, ſed inter ſingulos erit aliquod inter-
llum, in quo aliæ lineæ in infinitum repe-
ntur, ſed res eodem recidit, & reſponden-
m, huiuſmodi infinitam multitudinem li-
rum nihil habere incommodi.

Dices, ſaltem hinc ſequetur in continuo
lali non eſſe plures lineas æquales, quam
palmari, nec plura puncta in circulo ma-
o, quam in paruo.

Reſpondet Suarez, negando, quia infini-
a ſecundum quid, & confuſum poteſt eſſe
ius altero, vnde in continuo pedali erunt
tes lineæ, & in circulo maiori plura pun-

Reſp. alii, id nihil continere abſurdi, quia in vtroque ſint infinita, ita vt non poſſint aſſi-
gnari diſtinctæ tot lineæ, vel partes lineæ, in
continuo palmari, quin plures aſſignari poſ-
ſint in continuo pedali, neque tot puncta in
circulo minori, quin plura in maiori, & vi-
ciſſim, non poſſe tot aſſignari in continuo
pedali, & circulo maiori, quin plura aſſi-
gnari poſſint in palmari & circulo minori.

Ex his difficultatibus patet, quam imme-
rito dicat Scaliger *exerc.* 25. opinionem iſtam,
quæ vult indiuiſibilia eſſe meras negationes,
eſſe vnum è monſtris Nominalium.

QVÆSTIO III.

Quod nam ſit ſubiectum indiuiſibi- lium Quantitatis?

RESpon. eſſe indiuiſibilia ſubſtantialia. Ita
Suarez *diſp.* 40. *ſect* 5. *num.* 50. Probatur, ex
dictis in logica diſputatione, de quantitate,
quia partes ſubſtantiæ independẽter à quan-
titate, ſunt inter ſe vere ac realiter vnitæ, per
aliquid ſubſtantiale, ac indiuiſibile, ratione
cuius vnionis, ſublata quantitate conſeruari
diuinitus poſſunt cùm extenſione præſentiali
ad locum quem habebunt cum quantitate.

Ex quo ſequitur, terminos indiuiſibiles
ſubſtantiales, reſpondere proportionaliter
terminis & indiuiſibilibus quantitatis, & eſ-
ſe illorum ſubiectum, ſicuti partes quantita-
tis reſpondent partibus entitatiuis ſubſtan-
tiæ.

Vbi nota, ſicuti admittuntur indiuiſibilia
ſubſtantialia, & quantitatiua, eadem ratione
admittenda eſſe indiuiſibilia aliorum acci-
dentium realium quæ inhærent ſubiecto cor-
poreo, vt ſunt qualitates, verbi gratia, calor,
frigus, color, lumen, ſapor, &c. quorum par-
tes reſpondent partibus ſubſtantiæ, & quan-
titatis & indiuiſibilia indiuiſibilibus, vnde ſi
diuidatur lignum v.g. album, & dulce, & cali-
dum, non tantum diuidetur ſubſtantia ligni
in partes, ſed etiam calor, albedo, ſed & dulce-
do, etſi formam ſubſtantialem conferas cum
materia, quam informat, eodem modo ſe ha-
bet, vt indiuiſibilia forma reſpondeant indi-
uiſibilibus materiæ.

Obi.1. Si darentur indiuiſibilia in materia,
ſequeretur paſſim aliquid materiæ de nouo
creari,

creari,& annihilari,quod videtur absurdum. Sequela probatur, quia in diuisione continui materialis, erit terminus continuans, & de nouo producuntur indiuisibilia materiæ terminantia, idque per creationem, quia materia non est actiua, vt aliquid sui possit producere.

Respond. illa indiuisibilia non esse proprie substantias, sed substantiæ termini, vel copula, nec esse inconueniens, illa secundum se tota oriri & interire, ortus autem non est creatio, quia fit per resultantiam ab ipsis partibus materiæ, actiuitas enim per resultantiam potest materiæ conuenire, si enim persona verbi diuini dimitteret corpus humanum, resultaret ab illo subsistentia creata, ac proinde etiam à materia, quæ est altera pars Physica corporis, & consequenter desitio illorum indiuisibilium non est proprie annihilatio, cum pendeant in suo esse, & fieri à materia, cui vniuntur, ex quo colligas discrimen inter indiuisibilia terminantia, & continuantia, quod terminantia non admittant vnionem continuationis, continuantia vero non possunt esse contigua, ita vt in continuatione duorum distinctorum, necesse sit perire duo indiuisibilia terminantia, & resultare nouum indiuisibile medium, quo ambæ partes inter se vniantur, ita vt vltra citraque illud iudiuisibile nullum aliud indiuisibile, sed pars existat.

Obii. 2. Si per diuisionem perit indiuisibile continuans, ergo per solam diuisionem, substantia potest minui, vel etiam augeri, quia resultant noua indiuisibilia terminātia, sed hęc dici nō possunt, quia diuisio nō est illius actiuitatis, vt substantiam destruat, vel producat.

Resp. negando sequelam, quia substantia nec augetur, nec minuitur, per indiuisibilia substantialia, sicuti quantitas non fit maior, & minor, per indiuisibilia, quantitatiua, admitti tandem potest per diuisionem aliquid substantiæ accedere, per continuationem aliquid decedere, quod quomodo in diuisionem referendum sit, diximus *q. præcedenti, a. 2.* in argumento de motu locali.

Obiic. tertio. Materia est ingenerabilis, & incorruptibilis, ergo nihil illius de nouo fit, aut perit.

Respon. negando sequelam, quia materia tantū est ingenerabilis, & incorruptibilis, secundū entitatē suam, non secundū terminos.

Ob. 4. Si dentur indiuisibilia substantialia & accidentalia, erunt in eodem subiecto du: formæ substantiales, non subordinatæ, (duo accidentia contraria in gradibus inten sis, seu excedentibus latitudinem, quorum v trunque est contra communem Philosophi: Sequela probatur, quia in eodem indiuisibi materiæ continuante partes materiæ, info: mata diuersis formis, erunt duo indiuisibili: transcendentia illas formas, quia formæ sp cie distinctæ non possunt dici continuæ, vnc indiuisibili continuante materiam erunt, v duo indiuisibilia terminantia, formam ca: nis, & formam ossis, deinde in eodem indiu sibili poterit esse calor, vt sex, & frigus, vt se & in eadem linea superficiei alicuius corp ris altera sui parte albi, altera nigri, erunt du lineæ terminantes albedinem & nigrediner

Resp. negando sequelam, quia in punct illo materiæ continuatæ tantum erit indiu sibile terminans alteram formam, non ver duo indiuisibilia, quia vna forma non hab tunc terminum positiuum intrinsecum, sc. i. diuisibile terminans, sed terminatur negati seipsa, sicuti qui negant indiuisibilia, in co tinuo, explicant terminari partes contin

Si dicas, nullam esse rationem, cur vna p tius forma terminetur intrinsece per indi sibile terminans, quam alia, ergo vtramq vel terminari intrinsece, vel neutram.

Resp. negando assumptum, quia vis prod ctiua illius formæ, intrinsecæ attinget tern num sui effectus, propter maiorem efficac sicque impediet resultantiam termini indi sibilis alterius formæ, eodem modo indiui bile corporis, aut superficiei, informatur men vno indiuisibili, terminatiuo quanti tis illius, sc. quæ fit ab agente fortiori, quo virtus perductiua vtriusque formæ, vel qu tatis æque sit efficax, tunc à Deo determin debebit, quænam forma, vel qualitas deb terminari intrinsece, & quænam extrins tantum.

Dices si vna forma substantialis, vel ac dentalis terminatur intrinsece, & altera trinsece, nec erunt continuo, quia non ha eundem terminum, nec erunt contigue, q vtraque non terminabitur termino intrir co, secundum quem possunt esse simul.

R. proprie nec fore continuas, nec cōtig vt probat argumentū, magis tamen accedi ad c

ad contigua, quia sunt simul secũdum terminos quos habent, intrinsecum sci. & extrinsecum: dici autem poterunt immediate cohærentes, vel succedentes, vna post aliam.

Petes cur nõ possit dici duas formas specie distinctas inter se cõtinuari termino communi, sic enim euitaretur difficultas argumenti. R. quia termini continuantes pertinent ad speciem formæ, quam continuant. Vnde formæ specie distinctæ nõ possunt habere terminum communem: talis n. terminus, nec ad vnam, nec ad aliam speciem pertineret, nec dici potest pertinere ad tertiam aliquam speciem, quia sic non esset proportionatus ad continuandas formas diuersarum specierum.

QVÆSTIO IV.

Vtrum continuum componatur ex solis indiuisibilibus?

ARTICVLVS PRIMVS.

Statuitur sententia Negans.

COmmunis erat sententia Philosophorũ, tempore Arist. continuum componi ex indiuisibilibus simpliciter & Mathematice, vt lineam ex solis punctis, superficiem ex solis lineis, corpus ex solis superficiebus, sed opposita sententia est Aristot. D Th. & aliorum interpretum *l.6.Phys.c.2.* Scoti *in secundo dist.q.9.* Durandi *q.4.* Conimb. *6.Phys.c.2.qu.2.* Toleti *idem q.1.* & aliorum.

Re. 1. Continuũ non componitur ex solis indiuisibilibus.

Probat. 1. quia ex opposita sententia multa sequuntur contra sanam Philosophiam, vt continuum non esse diuisibile in infinitum, rem quod sit, incipere per primum sui esse, desinere per vltimum sui esse, dari primum & vltimum esse in motu, dari minimum naturale, idque esse indiuisibile.

Probatur 2. à priori, quia si componeretur ex solis indiuisibilibus, non haberet extensionem neque partes extra partes. Vnde non esset continuum aut quantum. Sequela probatur, quia indiuisibile additum indiuisibili, non facit extensum, vel magis, vt quantumuis multiplices indiuisibilia etiam in infinitum non possint conflare aliquam magnitudinem, nã si vnum indiuisibile additum alteri, faceret maius, deberet in indiuisibili assignari pars tacta, ratione cuius esset vnitum alteri, & pars non tacta, ratione cuius esset extra aliud, nam vt fiat aliquid maius, ex duobus vnitis, quam ex vno solo, debent ita inter se vniri, vt secundũ aliquid sui sint extra se, sed in indiuisibili, non sunt partes, vnde se toto adæquate in eodem spacio coexistit alteri indiuisibili, ergo ex illis non potest conflari continuum.

Probatur tertio, rationibus Mathematicis, si continuum constaret solis indiuisibilibus, sequeretur contra Euclidem *l.1.propos.10* non posse quamlibet lineam diuidi æqualiter in duas medietates, secundo sequeretur, lineam diametralẽ, quæ sc. in corpore quadrato protenditur ab angulo in angulum, per medium quadrati, non esse maiorem costa quadrati, quod tamen est contra sensum, Sequela probatur, quia linea diametralis non haberet plura puncta, quam vna costa, sint enim latera quadrati, verbi gratia, centum indiuisibilium ducantur à singulis punctis vnius lateris, ad singula pũcta alterius 100. lineæ illæ occupabunt totam quadrati aream, ergo linea diametralis tantum habebit 100. puncta, Tertio sequeretur, non posse super omnem lineam rectam describi triangulum æquilaterum, contra Euclidem, sequela probatur, quia non potest describi si per lineam constantem punctis numero imparibus, v.g quinque: statuantur enim super illam duæ aliæ lineæ, etiam quinq; punctorum, superne sese tangentes, vt fiat triangulum, tunc vel secundum punctum lineæ surgentis, distat à secundo puncto alterius lineæ assurgentis, vel non, neutrum dici potest, posterius est clarũ, prius probatur, quia si distant, vel magis distant, quam extremitates lineæ, quæ est basis trianguli, vel æqualiter, vel minus. primum est aperte impossibile, secundum etiam dici non potest quia sequeretur, lineas trianguli surgentes esse paralelas, quod est aperte falsum, sic enim nunquam concurrerent, nec tertium dici potest, quia distarent minus, quam vno puncto indiuisibili, quarto, sequeretur velocissimum, verbi gratia, Achillem & tardissimum, v. gr. testudinem, æquali tempore conficere æquale spatium, quod est absurdum, sequela probatur, sit spatium decurrẽdum 100. punctorum, & vtrunq; incipiat simul omnino moue-

moueri,ac velociſſimum decurret primum in diuiſibile tardiſſimum,& aliquid tranſibit, id autem non poteſt eſſe minus, quam indiuiſibile, ſimiliter dum velociſſimum decurrit ſecundum indiuiſibile, & tardiſſimum aliquod decurret, quod non poteſt eſſe minus indiuiſibili,& ſic deinceps,ergo æquali tempore abſoluent ſpacium 100.punctorum.

Neque dicas, velociſſimum pertranſire pluta indiuiſibilia,dum tardiſſimum pertranſibit vnicum, inde enim ſequeretur, indiuiſibile eſſe diuiſibile, nam quo tempore velociſſimum pertranſiret vnum indiuiſibile, tardiſſimum tranſiret medietatem, vel tertiam partem indiuiſibilis.

Hæc, & alia eiuſdem generis, argumenta vide apud Toletum *ſupra.* vbi etiam eadem confirmat contra ſolutiones quaſdam aduerſariorum.

Reſpondeo ſecundo. Qualibet parte continui aſſignata, poteſt alia atque alia minor dari, ita vt non poſſit dari minima, ſequitur ex præcedenti concluſione, quia ſi daretur minima, vel illa eſſet diuiſibilis, vel indiuiſibilis, non prius, ſic enim non eſſet minima, ſed daretur alia minor ipſa, in quam diuidi poſſet,non poſterius, quia inde ſequeretur, continuum componi ex indiuiſibilibus, tanquam ex primis partibus.

Reſpond. tertio. Non dantur in continuo partes maximæ, ſed quauis data, poſſet alia dari maior. Probatur, quia ſicuti continuum eſt diuiſibile in infinitum,procedendo ſecundum partes proportionales, verſus minimas, vt mox dicemus,ita etiam verſus maximas intra certos continui limites,vt ſi ex linea pedali accipiatur pars palmaris, hæc intra limites lineæ pedalis augeri poteſt in infinitum, addito ſemper augmento proportionali minori, vel minori, addendo ſcil. primo ſemipalmarem,tum mediam partem ſemi palmarem, & huius mediæ partis mediam partem, infinitam, ſicque linea palmaris ſemper fiet maior, ac maior, intra tantum limites lineæ pedalis.

Reſpon. quarto. Partes æquales continui ſunt finitæ numero. Partes æquales dicuntur, quarum vna aliam non excedit, vt duæ partes pedales,in magnitudine pedali.

Probatur, quia eiuſmodi partes,quantumuis exiles,conficiunt certam aliquam magnitudinem. Vnde ſi eſſent infinitæ, conficerent in quouis continuo magnitudinem infinitam, quod eſt contra ſenſum. Vnde Ariſtoteles *tertio Phyſ.t.59.* ait, diuiſionem conti[nui] abſolui,ſi fiat per partes æquales,quia ſcil[icet] illæ ſunt finitæ,& finitum ablatione finiti [ex]hauritur.

Reſpond.quinto. Dantur in continuo [par]tes proportionales, inter ſe communi[can]tes,& non communicantes infinitæ actu.

Pro quo nota, partes proportionales [di]cuntur quæ inæquales ſunt, & certa ac ordinata [pro]portione aliæ alias excedunt, ita vt poſte[rior] ſemper ſit minor priore, tales ſunt dimidi[um] totius,& dimidium dimidii,&c.vel tertia [pars] totius, tertia pars tertiæ, & huius tertiæ tertia,&c. vel dimidium totius, tertia pars di[midii],quarta pars tertiæ partis,&c.mutat[a in] ſingulis proportionum genere. Partes co[m]municantes dicuntur, cuius pars eſt com[mu]nis, vt lineæ deſcriptæ a. b. c. d. partes co[m]municantes ſunt a. c. & b. d. habent e[nim] partem b. c. communem. Non commu[ni]cantes ſunt,quæ præter punctum contin[uans] nihil habent commune, ita vt quælibe[t ſit] extra aliam, vt in linea deſcripta ſunt a b [...] Partes igitur proportionales communi[can]tes ſunt, verbi gratia, medietas lineæ à p[arte] orientis, & quinta pars ab eadem parte, [...] quarta pars includitur in illa medietate. [Par]tes proportionales non communica[ntes] ſunt, verbi gratia, medietas lineæ, ex parte [o]rientis, & quarta pars ex parte occide[ntis.] Dico vtriuſque generis eſſe infinitas actu.

Probatur concluſio, quia nec ſunt act[u fi]nitæ,nec infinitæ potentia,ergo ſunt infi[nitæ] actu, quia non datur quartum. Antece[dens] pro priori parte probatur,quia ſi eſſent fi[nitæ] actu,in diuiſione continui perueniretur a[d fi]nem diuiſionis,omne ſiquidem finitum a[bla]tione finiti tandem tollitur, hæc ergo pa[rs vl]tima vel eſſet minima, vel vlterior diuiſi[bilis] non minima,quia non datur in continuo [mi]nima,ex ſecunda concluſione, non diuiſi[bilis] vlterius,quia ſic non eſſet vltima,vt patet [er]go non ſunt finitæ numero. Antecedens [pro] poſteriori parte probatur, partes ſunt act[u in] continuo,vt ſupra probauimus, ergo vel [ſunt] actu finitæ,vel infinitæ,non finitæ actu, [ergo] infinitæ actu. Vnde non ſatisfacit commu[nis] reſponſio,continuum eſſe diuiſibile in in[finitum]

m, quia partes proportionales sunt infini- ,in potentia, quia vel illud in potentia ap- llat partes, quasi partes in continuo reuera n existant, sed per diuisionem de nouo pro- cantur, & hoc dici non potest, quia conti- um est diuisibile in ea, quæ actu insunt, & qui non tam fieret diuisio rei existentis, am noua productio, vt etiam notat Suarez *tomo 3. disp. 52. sect. 3.* ergo partes sunt actu: illud in potentia appellat infinitum, vt sus sit, partes sunt infinitæ in potentia, non 1, & hoc etiam dici non potest, ex dictis, a insunt actu, & non potestate tantum, er- actu finitæ, vel actu infinitæ: & si quis per- it in hac responsione, quæro, in quo con- it illa infinitudo potentialis, vtrum in eo, d cuiuis continuo aliquid semper possit i, an vero, quod illi semper aliquid possit ni, per diuisionem, ita vt partes inseparatæ finitæ actu, infinitæ potentia, quia scili- x parte continui residua semper aliquid rest, ex quo per diuisionem crescere pos- umerus partium separatarum: alterum debet, & neutrum est verum, non prius, hoc sensu omne finitum est infinitum, otentia, etiam secundum partes æquales, semper addi possent, partes æquales, plu- plures: non posterius, quia infinitudo otentialis partium separatarum suppo- n continuo partes proportionales, actu nitas, præexistentes, vnde vel nihil dicit explicatio, vel non decedit à nostra sen- ia. Et probatur, quia vt continuum per entitates partiales sufficiat diuisioni ogandæ in infinitum, sine termino, præ- tere debent partes infinitæ actu, sicuti otentia aliqua sufficiat, ad productionem iti potentialis, sine aliquo termino in- seco, requiritur potentia productiua actu tiue infinita, vt patet, quia nulla potentia finita sufficit ad talem effectum; Simili- ullum continuum habens partes actu fi- s, potest sufficere diuisioni in infinitum, bministrare entitates partiales, quæ in æternitate successiuæ ab illa decerpi pos- , per diuisionem realem, vel intellectualē. unt qui notarunt insufficientiam respon- is, iam refutatæ, & quia refugiunt admit- infinitum actu, dicunt continuum com- i ex partibus finitis, & indiuisibilibus sice, quas vocant minima naturalia, eo quod repugnet illas vlterius diuidi, salua na- tura, quamuis ratione quantitatis & Mathe- matice, per intellectum vlterius diuidi pos- sint, sed hi non euadunt communem difficul- tatem, nam de tali indiuisibili Physice tota potest institui controuersia, vtrum scilicet habeat partes actu finitas, an infinitas, est e- nim quantum, & proinde in eo possumus in- tellectu concipere duas partes, & plures situ distinctas, & hoc in infinitum.

Dicendum igitur, partes esse actu infinitas, quæ tamen infinitudo non est infinitudo simpliciter, sed infinitudo secundum quid, quæ dici potest virtualis, quia sc. non facit extensionem infinitam, neque implet spati- um infinitum, & nisi omnes partes huius in- finitudinis simul coniunctim sumantur, non æquiualent in magnitudine vni parti æqua- li, verbi gratia, medietas lineæ pedalis conti- net infinitas partes proportionales, quæ non conficiunt aliquid maius, quam sit ipsa me- dietas, neque illi æquantur in magnitudine, nisi omnes collectiuè sumantur. Et huiusmo- di infinitum virtuale, non potest reperiri in re aliqua determinata, vt sic, sed tantum in col- lectione, & multitudine confusa, in qua sin- gula quidem habent terminum intrinsecum, tota autem collectio non habet terminum intrinsecum multitudinis, sed tantum extrin- secum, scilicet infinitum simpliciter, cui sc. ni- hil vlterius addi possit, etiam à Deo, & termi- num intrinsecum magnitudinis, ratione to- tius finiti, quod constituunt, & in quo confu- se vnica actione vt quid finitum producuntur.

Resp. sexto. Omne continuum est diuisibile in infinitum, sequitur ex dictis, quia actu cō- tinet in se partes infinitas, quæ exhauriri non possunt diuisione sumente finitas, vnde quæ- cunque pars à continuo abscindatur, ea fit diuisibilis in alias partes, vlterius semper diui- sibiles, ac proinde tota diuisibilitas continui nunquam ad actum deduci potest.

Resp. septimo: Continuum est diuisibile in infinitum potentia, non actu, actus & poten- tia hic efficiunt infinitatem, non diuisibilita- tem, quia continuum est actu diuisibile. Sen- sus igitur est, continuum potest diuidi in partes plures, & plures in infinitum, adeo vt partes separatæ sint actu finitæ, infinitæ po- tentia, quia aliæ semper, & aliæ ex diuisione continui addi illis possunt.

Quæ de indiuisibilibus continui permanentis,& partibus hactenus dicta sunt, etiam locum habent in indiuisibilibus, & partibus continui successiui,instantibus sc. & partibus temporis mutatis esse,& partibus motus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Respondetur ad obiectiones.

Communis Philosophorum cum Aristotele doctrina, negans continuum componi ex solis indiuisibilibus, ex proxime allatis videtur certa,graues tamē patitur difficultates, contra quas munire nos voluisse videtur Arist. *lib. de lineis insuperabilibus*, vbi occasionem huius quæstionis dicit, imbecillis & ignari ingenii esse,opinionem aliquam, quā euidens ratio euincit, propterea deserere, quod alicui argumento non possunt plene satisfacere, sunt enim apud nos, inquit, falsa permista veris, & ea sæpe mens nostra ægre distinguit.

Obii.1. Contra primam conclusionem,indiuisibile cum aliquo indiuisibili,potest facere aliquod maius, ergo concidit præcipuum argumentum oppositæ sententiæ.

Antecedens probatur, à simili,in Angelo & anima rationali, quæ per plures spiritales & indiuisibiles replicationes spiritali extensione se possunt extendere ad maius spacium, quam per pauciores.

Secundo. Christus Dominus existens modo spiritali,in V. Eucharistia,pro maiori, vel minori replicatione, coextenditur speciebus continuis maioribus,vel minoribus,ergo poterit etiam indiuisibile quantitatiue facere extensum, sicuti enim se habent indiuisibilia spiritalia,ad extensionem spiritalem, vt multiplicatæ sint extra se, & sibi immediate succedant, vel continue, vt in angelo, & anima rationali,vel contigue, vt in V. Sacramento, ita se habent indiuisibilia,quantitatiua ad extensionem quantitatiuam, vt immediate sibi succedentes extra poni possint continue, & efficere aliquid maius.

Respond. Nihil hactenus mihi occurrisse, quod solide huic difficultati satisfaciat, declinando igitur vim argumenti, dici potest, primo substantiam spiritalem creatam forte non existere totum in toto, & totum in libet parte loci, vel spacii, per replicat sui,& esse geminationes suæ entitatis, simplicem suam entitatem, sine vlla fo replicatione sui, cum replicatio illa sub tialis, vt communiter concipi solet, rep re videatur simplicitati diuinæ naturæ.

Secundo. Responderi potest, sisten communi modo loquendi, replicat substantiæ spiritalis non esse punctuale habere spiritalem aliquam extensior quia non videtur tota perfectio angeli stantialis, & accidentalis, naturalis & s naturalis contineri in entitate punctua lioqui dicendum esset, tot à Deo poss angelos perfectos in sua natura, ex vno lo, quot in eo sunt replicæ punctuales, luta scilicet earum inter se vnione, subst li, vnde replicationes illæ punctuales c piuntur à nobis, quod non possimus explicare indiuisibilitatem substantiæ talis, & negationem partium integral quæ tamen sine huiusmodi replicatio debent explicari in Deo.

Tertio Responderi potest negando c quentiam, quia extensio spiritalis est di rationis,& ordinis, ab extensione quan ua, vnde multa conueniunt illi, quæ n periuntur in extensione quantitatiua, gratia, naturaliter potest illa extensio sp lis & collectio replicationum, quantu magna existere punctualiter, ita vt non rat extensionem situalem: extensio vero titatiua non potest naturaliter sic exi sed partes debent esse extra partes, etiā q situm, vnde sicuti spiritalis extēsio replic num non impedit, quo minus substan inextensa, & secundum se totam intra s indiuisibilitas replicationum non impe quo minus eadem substantia possit ess tensa spiritaliter, & se tota extra se secun omnem dimensionem potest in instar contrahere, in punctum, & in instanti it sese totam explicare, & extendere ad lo adæquatum, imo potest in instanti t suam substantiam loco diuisibili adæq vel inæquato auferre,& in loco proximo tinuo, vel contiguo, totam ponere, qua sim admittuntur, & probari solent ex a rationali, quæ in instanti se contrahit rendo partem corporis abscissam, verb.

[...]chium, cui toti simul aufertur eodem in-[...]ati, dispositio necessaria ad informatio-[...]n animæ, licet enim motus alterationis, [...]bscissionis, fiant in tempore, anima tamen [...] deserit partem abscissam, vel indisposi-[...],nisi in primo non esse dispositionis, vel [...]tinuationis sufficientis, ad informatio-[...],& huc vnico momento se contrahit, eo-[...] autem nihil locum habere potest, in re [...]ntitatiue extensa. Ex quibus Confirma-[...] prima responsio, si enim substantia spiri-[...] esset quædam collectio replicationum [...]ctualium, vnione quadam substantiali, [...]r se cohærentium, non possent proxime [...]a commode intellectu concipi, dico igi-[...] diuersam esse rationem extensionis spiri-[...], quantitatiue, & occultam esse aliquam [...]onem, cur res indiuisibiles spiritales im-[...]iate sibi succedentes, possint facere ali-[...]d spirituale extensum, indiuisibilia autem [...]ntitatiua non possint.

[...]d secundum, de V. Sacramento respon-[...], verius videri, replicationes Corporis [...]isti Domini, non esse punctuales, sed pro-[...]ionales magnitudini partium minima-[...], quæ vlterius virtute naturali diuidi non [...]unt, frustra enim Deus sæpius replicaret, [...]us Christi Domini, omni enti incommo-[...]ecessitatis occurritur, per modum exi-[...]di in minimis particulis, in quibus tamen [...]st, vt ratione modo existendi indiuisibili-[...], etiam sit in singulis punctis, quamuis [...]sentia sub singulis punctis, non sit adæ-[...]ta, sed inadæquata. Qui aliter censent, [...]o modo possunt satisfacere obiectioni. [...] hac re fusius Theologi *3. p. quæstione 56. articul. 3.*

[...]bii. 2. Indiuisibilia non sunt actu in con-[...]o, & quidem per se primo, vt Aristoteles *primo Poster. capite quarto*, non insunt autem, vt [...]orma, aut materia, ergo vt partes integra-[...] ex iis componitur continuum.

Respondeo negando vtramque conse-[...]ntiam, quia insunt vt vinculum & vnio [...]erialis, & vt termini, vnio autem & ter-[...]ius non sunt partes rei finitæ, aut termi-[...]æ, quia partes stricte sumptæ, se mutuo vi-[...]im excludunt, pars vero lineæ non exclu-[...] indiuisibile, sed includit, quia includit [...]tinuitatem, quam habet ab indiuisibili, [...] compositione Metaphysicæ substantiæ, gradus entis non est proprie pars componens substantiam, cum perseitate, seu modo contrahente ens ad substantiam, quia sc. perseitas includit rationem entis.

Obiic. tertio. Aristotel. *primo Top. capit. 14.* dicit, ita se habere punctum ad lineam, sicuti vnitas ad numerum, sed numerus componitur ex vnitatibus, ergo linea ex punctis.

Respondeo Aristotelem non comparare punctum cum vnitate, in comparatione, sed in ratione principii, quia sicuti vnitas non est numerus, sed principium numeri, ita punctum non est linea, sed principium lineæ.

Obi. quarto. Si corpus Sphæricum voluteretur, vel trahatur per planum, tanget illud semper in punctis, ergo in Sphærico, & plano puncta sunt sibi immediata, & per consequens, constant ex punctis. Antecedens probatur, quia toto illo tempore, quo punctum corporis Sphærici percurrit lineam, semper tangit aliquod nunquam diuisibile, ergo indiuisibile, ergo immediate post hoc instans tangit indiuisibile immediatum, quia contactus non intermittitur, Si dicas indiuisibile, quod immediate tangit, non adhærere immediate alteri, contra sic fieret transitus ab vno extremo ad aliud, sine medio, quod implicat.

Respondeo negando antecedens, Ad probationem dico, si corpus Sphæricum quiescat in plano, tanget illud punctum in vno tactu, per se manente, si autem voluteretur, tanget secundam lineam circularem: Si trahatur, (quod vrget Argumentum) punctum Sphærici tanget successiue lineam plani contactu inadæquato, seu successiuo, quia fit cum mutatione tangente, sicuti vlna contactu inadæquato tangit pannum, quantumuis magnæ longitudinis, ergo immediate post quodlibet instans assignabile, tangit lineam, quia post instans immediate sequitur pars temporis in qua adæquate, & simul tangit punctum, inadæquate vero & successiue lineam. Quæ solutio nõ est fuga in verbis, quia etiam Aduersarii coguntur admittere tactum inadæquatum, dum dicunt duo indiuisibilia immediata, se mutuo tangere inadæquate.

Ob. 5. Tempus constat ex puris instantibus, ergo linea ex solis punctis, &c. Consequentia probatur, quia ita se habet punctũ ad lineam, quoad

quoad compositionem, sicuti instans ad tempus, vt concedit Aristoteles 6. *Phys. t.*4. Antecedens probatur, quia potest Deus spacio vnius horæ, verbi gratia, creare successiue Angelum, ita vt nullo instanti ab actuali creatione cesset, & vnus Angelus immediate post alium creetur, quo casu erunt instantia sibi immediata, sicuti Angeli, quorum singuli postulant creari vnico instanti. Nec dicas, Deū non posse immediate creare Angelos, quia Deus non astringitur tempori, nec cogitur cessare, per aliquam temporis moram.

Resp. negando Antecedens, ad probationem dico, Deum non posse immediate, post singulos creare alios, ita vt non potuerit ante & magis immediate creare alios, quia post quoduis instans sequitur tempus. Itaque necessario Deus expectat aliqua mora diuisibili, in qua potest expectare minus & minus in infinitum, neque hoc est absurdum, quia supposito, quod Deus velit successiue creare, vult expectare, quia de ratione creationum sibi succedentium, est, vt vna sequatur aliam, & distet ab alia, non distaret autem, si solo indiuisibili distaret, quia duo instantia coexisterent.

Obiic. 6. Immediate post hoc instans existit aliquid temporis, sed id nihil potest esse, nisi instans, ergo illud instans est immediatum alteri, ergo tempus componitur solis instantibus. Minor probatur, quia tempore nihil præexistit, nisi instans, in tempore siquidem nihil est, quod non aliquando sit præsens, sicuti nihil est in linea, quod non attingatur à puncto, per illam ducto, sed nihil ex toto tempore est vnquam præsens, præter instans, ergo in tempore sunt sola instantia.

Resp. negando minorem, Ad probationem dico nihil temporis permanenter, aut indiuisibiliter, aut simul existere, nisi instans, partes tamen eius existunt successione continua, pro exigentia suæ naturæ, sicuti permanentia existunt permanenter. Sic dicimus deambulationem, calefactionem, &c. esse, dum fiunt, & succedunt, ita vt designato instanti continuatiuo partium motus, vel temporis, verum sit dicere, nunc est tempus, sicuti designato quouis puncto lineæ, dici potest, hic est linea, cum tamen solum designetur punctum, & dum Sphæra tangit planum, in puncto, dicitur esse in plano.

Obiic. 7. In composito dantur prima c ponentia, & primæ partes, ergo etiam in tinuo, sed primæ partes non sunt diuisib quia sic non essent primæ, ergo sunt indi biles, & ex his componitur continuum.

Respondeo negando sequelam, quia cialis est natura continui. Partes enim Pl cę, & partes, seu gradus Metaphysici non amplius resolubiles in alias eiusdem ord sed partes continui sunt resolubiles in a & alias proportionales eiusdem ordinis vt non possit assignari prima componens quauis assignata potest dari prior, & p rior, tamen potest assignari prima & vl partium æqualium.

Obiic. 8. Vel inter punctum termina linea, & quodlibet aliud, & eiusdem line liquid interiacet, vel non; si non, ergo pu sunt sibi immediata, quod intendimus: id erit pars lineæ, sed hoc dici nō potest, in qualibet parte lineæ sunt infinita pun & sic inter vnum punctum, & quodl aliud interiacerent infinita puncta quod plicat.

Respond. ad maiorem: Inter punctum minans, & quodlibet aliud cōfuse sump vt in argumento accipitur non posse dic quid interiacere, vel non interiacere, qui iusmodi punctum confuse sumptum nu est, quia vt hic non habet determinatam sitionem, vnde inter punctum terminan quodlibet determinate acceptum, interi linea, & per consequens, infinita puncta gnabilia.

Obiic. 9. Deus distinctè cognoscit om partes continui, quia omnes produxit, & hil ignorat eorum, quæ produxit, ergo singulæ earum, quas sic cognoscit, sunt di biles, vel indiuisibiles, non sunt diuisib quia sic non cognosceret omnes partes c tinui distinctè, sed aliquas confuse, illas cet quæ in diuisibilibus includuntur, sunt indiuisibiles, & ex iis componitur co nuum.

Resp. distinguendo Antecedens, Deus gnoscit omnes partes continui distinctè, parte cognitionis, hoc est, cognoscit illas stincta cognitione, quia cognitio illa est rissima, & distinctissima, explicans rem, est, non vero cognoscit omnes distinctè, parte obiecti, sed confuse, quia cognosci

las, vti sunt, scilicet diuisibiles, & per consequens, quatenus alias atque alias partes in se continent, vnde si cognosceret illas distincte, ex parte obiecti, falsa esset cognitio, cum sint confusæ.

Obiic. decimo. Separet Deus omnes partes continui, quantum potest, illæ vel erunt diuisibiles, vel non, si diuisibiles, iam non erunt omnes separatæ, quæ possunt separari, ergo erunt indiuisibiles.

Respond. Deum non posse omnes collectiue separare, & seorsim ponere, singulos autem potest & quolibet numero finito. Ratio est, quia potest illas separare pro exigentia suæ naturæ, ita scilicet vt semper sint diuisibiles, hoc enim est de ratione partium. Nam cum sint continuæ, necessario sunt diuisibiles, quæ diuisibilitas si adæquate possunt actuari, sequetur continuum non fuisse continuum, nec constitisse partibus.

Contra secundam conclusionem obiicies, si non detur minima pars continui, validum est argumentum Zenonis, contra motum, quia antequam mobile pertranseat aliquod spatium, debet prius pertransire illius medietatem, & ante illam medietatem aliam medietatem, & quauis designabili minorem, & minorem, in infinitum, ergo nunquam incipiet motus, quia infinitum pertransiri non potest.

Respond. Aristoteles 6. *Phys. t.* 68. sicuti in spatio sunt partes minores, & minores in infinitum, ita & in tempore, vnde infinitum secundum partes proportionales pertransiri potest, in tempore, similiter infinito secundum partes proportionales, sed 8. *Phys. t.* 8. fatetur, hanc solutionem esse imperfectam, & transferre quæstionem à spatio ad tempus.

Respon. igitur, magis à priori, mobile motu suo non designare infinitas partes, & medietates spatii, in singulis quiescendo, sed vno motu continuo diuisibili, in infinitum, decurrere spatium diuisibile, in infinitum, idque tempore diuisibili, similiter in infinitum. Clarius responderi potest, motum non fieri per partes porportionales, sed per æquales, quæ sunt finito numero, vel partes illas infinitas constituere vnum finitum, quod pertransiri potest.

Contra quintam conclusionem obiicitur, primo, partes proportionales continui sunt infinitæ, cum omnes sint quantæ, ac proinde aliquam secum adferunt magnitudinem, ex iis consurget infinita magnitudo, & sic omne continuum erit infinitum secundum extensionem.

Respon. negando consequentiam, quia sicuti partes in continuo sunt infinitæ, ita etiam definitæ decrescunt, ex quo fit, vt non efficiant magnitudinem infinitam, nec occupent spatium infinitum, sed finitum, toti continuo proportionatum, in quo etiam repetiuntur partes positiuæ, vel negatiuæ æquales in numero, & magnitudine. Vnde tantum sequitur, quodlibet continuum esse infinitum, secundum quid, & confusum, ratione infinitarum partium proportionalium.

Dices, partes proportionales infinitæ videntur facere infinitam proportionem, quia decem decimę faciunt continuum extensum, & centum centesimæ magis continuum, ergo infinitæ facient extensionem infinitam.

Respon. ad Antecedens, si illæ centum centesimæ sunt proportionales, respectu decimarum, non faciunt aliquid magis, quam decem decimæ, verbi gratia, si certa aquæ copia diuidatur in decem decimas, & iterum confundatur, tum de nouo diuidatur, in centum centesimas, illæ centesimæ non conficient extensionem maiorem, quam decimæ.

Obiicies secundo, si partes proportionales sint infinitæ, ergo non sunt plures in vno continuo, quam in altero, ergo vnum continuum non est maius altero.

Resp. negando vltimam consequentiam, magnitudo non oritur ex multitudine partium proportionalium, sed ex earum magnitudine, eo quod partes proportionales vnius sint maiores partibus alterius, vel singulæ singulis, vel oritur ex pluralitate partium & maiorum.

Contra sextam conclusionem obiicies, primo, si continuum sit diuisibile in infinitum, ergo poterit esse diuisum saltem à Deo, secundum omnes partes, & tunc vel illæ sunt diuisibiles, vel indiuisibiles, neutrum dici potest, ex dictis. Maior probatur, quia omnipotentiæ passiuæ respondet actiua, saltem supernaturalis.

Respondeo, negando sequelam maioris, probationem dico, diuisibilitatem continui non esse potentiam aliquam passiuam, quæ simul

ſimul perfici poſſit per ſuſceptionem actus adæquati, ſed tantum per actum inadæquatum infinitum, ſucceſſiue, ita vt nunquam tota acquiratur, Vnde Ariſtoteles *9. Metaph. textu* 10. duplicem agnoſcit potentiam, vnam ad actum perfectum, qui poteſt eſſe ſimul, alteram ad actum imperfectum, qui non poteſt eſſe ſimul, & huiuſmodi eſt potentia diuiſibilitatis continui, & poſſibilitas, ſeu potentia obiectiua rerum poſſibilium.

Obiic. ſecundo. Incredibile eſt, granum milii, vel oculum pulicis non poſſe in tota æternitate exhauriri, per diuiſionem.

Reſp. eſſe mirabile, non incredibile, quia ratio Mathematica clare id euincit, ex ipſa præſentia quantitatis. Incredibilitas oritur ex errore imaginationis, quæ concipit diuiſionem fieri per partes ſenſibiles. Ex hac tamen difficultate & ex aliis, quas in explicatione 8. *lib. Phyſicorum* attigimus, facile colligitur, nos non tantum in reconditis naturæ myſteriis, ac tenui luce, verum etiam illis quæ manibus contrectamus, ac plena luce caligare, imo & cæcutire. Infelices, qui beatitudinem ſtatuunt, in contemplatione veritatis naturalis: ſalua nobis res eſt, ſi non incidamus in cæcitatem, ignorantiam & errores, quos *Sapient. 5.* deplorant damnandi, his verbis: Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis: Caſſati ſumus in via iniquitatis & deperditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus, &c. Quod vt fiat, intimo charitatis affectu adhæreamus illi, qui eſt lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, quem qui ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, & transferetur à tenebris in admirabile illud lumen, quo clare videtur prima veritas, Deus Optimus Maximus.

Finis Librorum VIII. Phyſicorum Ariſtotelis.

BER

BERNARDI MORISANI, PHILOSOPHI ACVTISSIMI COMMENTArius in libros de Generatione.

PROOEMIVM.

POst libros de cælo, in quibus de corpore simplici agit, quæ prima est corporis naturalis species, recte subiiciuntur libri de generatione & corruptione, in quibus de altera specie, corpore mixto scilicet, disputat Aristoteles, quod proprie habet generationem & corruptionem.

Diuiditur ab Aristotele tractatus hic in duos libros; Priore agit de generatione ac mixtione, quæ generatio quædam est; item de alteratione, augmentatione, actione, passione, tactu, quatenus ordinem aliquem habent ad generationem ac mixtionem. Posteriore libro agit de Elementis, quæ sunt prima principia ac materia mixtionis.

CAPVT I.

PRoposita breuiter intentione sua à veterum sententiis, de generatione refellendis more suo exorditur Aristoteles. Primum quidem refellit eos, qui vnum duntaxat ponebant rerum principium, quod hi nullum possint assignare discrimen inter generationem & alterationem, nam in alteratione manet totum subiectum, sola qualitatis & extrici additamenti accessione facta. Idem in generatione secundum eos dicendum esset, cum illud rerum principium quod ponebant in omni generatione semper maneat, illud vero quod accedit per generationem futurum sit extricum. Secundo eos reprehendit, qui plura rerum principia ac elementa ponebant, qui quidem differentiam inter generationem & alterationem ponebant, vel ponere poterant, sed eam non recte explicabant, & inprimis Anaxagoram reprehendit, quod, cum plura poneret rerum principia, quatuor scilicet Elementa, ob idque inter generationem & alterationem distinguere potuerit, id tamen non fecerit, vocibusque abusus sit, dum generationem & corruptionem nominat alterationem. Deinde Empedoclem, qui sex principia ponebat, quatuor Elementa, litem & amicitiam, tum quia elementa faciebat mixta, resque alias ex Elementis gigni per secretionem, non per coalitionem & compositionem vt Anaxagoras; tum quia qualitates Elementorum differentias eorum esse dicebat, easque nunquam per alterationem deperdi, ex quo fiebat, vt ipse rationem generationis explicare non posset, tum quia sibiipsi contrarius esset, cum non plura principia poneret, eaque diceret ex Chao & inferiore materia oriri, consequenter afferebat, Chaos illud esse vnum Elementorum seminarium ac principium.

CAP.

CAPVT II.

DEnuo intentionem suam repetit, Platonemque refellit & Democritum, quod vterque ex indiuiduis magnitudinibus res generari diceret, Plato quidem ex superficiebus, Democritus autem ex atomis & indiuiduis corpusculis, qui licet melius Platone censuerit, non tamen generationem & corruptionem bene explicare potuit, generationem enim fieri volebat congregatione atomorum, corruptionem segregatione, videmus autem multa congregari & sibi inuicem addi, in quibus tamen non mutetur differentia substantialis, sed totum maneat eiusdem speciei cum partibus, vt cum aqua aquæ additur, non est autem generatio, nisi mutetur differentia substantialis. Ad rationem vero Democriti, qua ita argumentabatur, corpus vel omni ex parte diuiduum est, vel non, si non, ergo ex indiuiduis componitur: Si diuiduum, ergo poterit aliquando esse diuisum in omnem sui partem: Sic respondet Aristoteles, non esse inconueniens idem corpus esse diuiduum, ita vt nulla sit pars quæ vlterius diuidi non possit, & indiuiduum, ita vt omnes partes actu sint diuisæ.

CAPVT III.

HOc capite suam de generatione sententiam explicat, ac primum hanc quæstionem proponit, deturne aliqua generatio simpliciter? Ratio dubii est, quia, si quid generetur de nouo, vel esset ex non ente simpliciter, vel ex ente simpliciter; Prius dici non potest, quia ex nihilo nihil fit, si dicatur posterius, non differet generatio ab alteratione, quia quod adueniet per generationem, adueniet enti in actu. Respondet paucis, illud ex quo est generatio, partim esse ens, partim non ens, est enim materia ens completum scilicet potentia, non vero actu. Secundo quærit: quæ sit causa perpetuitatis vel continuationis generationum & corruptionum. Duplicem eius rei causam statuit, vnam efficientem, alteram naturalem: efficiens autem vel est mouens immobile, (Deus scilicet) de quo in Meteor. vel mouens motum, cœlum scilicet. Ex parte materiæ dicit causam perpetuæ generationis esse, quod materia sit ingenerabilis & incorruptibilis; maneatque eadem sub diuersis differentiis, quarum vna alteri succedit, eo quod materia sine differentia aliqu esse non possit, ex quo & illud oritur, vt vniu generatio sit corruptio alterius. Tertio petit quare aliquid simpliciter dicatur generari aliud tantum secundum quid.

Respon. comparando substantiam cum ac cidente, quia substantia est ens simpliciter, id eo simpliciter dicitur generari; accidens ver cum sit tantum ens secundum quid, ideo e iam tantum secundum quid dicitur generar Secundo comparando substantias inter se, il lud dici potest generari vel corrumpi simpl citer, quod perfectius est: generari vero v corrumpi secundum quid quod est imperf ctius: verbi gratia: cum ex terra fit ignis, dic tur generatio ignis simpliciter, terra diceti vero corruptio secundum quid. Contra ver si ex igne fiat terra, dicetur corrumpi ign simpliciter, terra vero generari secundu quid, & ratio huius est, quod à principalio ac nobiliori denominatione simpliciter v deatur sumenda, nam perfectius respectu pe fectioris non simpliciter ens, sed secundu quid tantum videtur. Contra tamen, inqui fere vulgus loquitur, qui tum censet gener tionem esse simpliciter, cum ex insensibili sensibile, vt ex aere aqua, ex eo quod pute id esse perfectius, ac magis participare nom entis quod magis sub sensum cadit.

CAPVT IV.

HOc capite differentiam inter generati nem & alterationem (quam interp noster commutationem vocat) constituit: teratio est, cum id quod subiectum est, qu idem sensus mouet remanens suas quæ co trariæ aut his interiectæ sunt mutat affecti nes. Generatio siue ortus est cum totum m tatur in totum, nec manet aliquid, quod s sensum cadit vt idem subiectum. In vtraq definitione pro genere ponenda est mutati *Subiectum quod sensum mouet* vel sub sens cadit, idem est quod subiectum sensibile, co pus scilicet naturale, quod est subiectum d nominationis non inhæsionis. *Affectiones co traria* aut interiectæ sunt qualitates ter speciei, sensibiles inter se contrariæ vel med Eodem enim fere modo hic sumitur altera quo 7. *Phys.* vbi Aristoteles probat tantum alterationem ad qualitates tertiæ speciei.

Dices Aristotelem hic assignare exempla alterationis motuum ad ęgritudinem & sanitatem, item ad varias figuras, ergo alteratio secundum Aristotelem non est tantum ad qualitates tertiæ speciei, nam ægritudo & sanitas in prima specie continentur, figura primam speciem facit.

Respondeo: Aristotelem videri paulo latius extendisse hic nomen alterationis, vt comprehendat etiam alterationes improprie dictas. Posset tamen motus ad ægritudinem, sanitatem referri ad alterationem proprie dictam, quia ægritudo & sanitas non distinguuntur à quatuor primis qualitatibus, nisi secundum quandam relationem proportionis & disproportionis.

Petes quo modo motus ad ægritudinem sit alteratio, cum ægritudo subiectum sensibile destruat.

Respondeo: non per se destruere, sed per accidens tantum, quatenus interdum ægritudinem consequitur interius. *Totum* in definitione generationis est idem quod tota substantia perfecta, non quasi totum secundum omnes partes corrumpatur, & nulla pars remaneat, sed quia totum illud compositum sensibile non remaneat post generationem, in quo ab alteratione differt, in qua totum idem subiectum seu compositum sensibile manet in vtroque mutationis termino. Additur in fine nihil manere idem in generatione quod sub sensum cadat, vt subiectum, qui licet ipsum compositum vt subiectum non remaneat, non tamen necessario omnes qualitates sensibiles mutantur, cum possit eadem qualitas & specie & numero manere in genito & corrupto.

In fine capitis distinguit generationem ab omnibus aliis mutationibus, tum ex parte terminorum, tum ex parte subiecti. Terminus accretionis est quantitas maior, decretionis, quantitas minor, motus localis locus, alterationis qualitas, generationis vero differentialis terminus est differentia substantialis, est enim id secundum quam materia mutatur. Generationis subiectum est materia prima, cæterarum mutationum totum compositum.

(****)

CAPVT V.

HOc capite de augmentatione differit, ea scilicet quæ viuentium est propria, nam altera illa qua inanimata augentur & crescunt, vt cum ignis augetur non est proprie dicta accretio, cum non fiat ab anima, neque inuicem secundum omnes partes augeatur, sed tantum addito extrico pabulo contra quam in viuentibus fieri solet.

Initio duplex assignat discrimen Augmentationis ab alteratione & generatione.

Primum ducitur à terminis, vt in fine capitis præcedentis. Secundum est quod augetur, necessario mutat locum, non quia locum suum deserat, sed quia retento suo loco maiorem acquirit, crescente corporis mole non item quod generatur vel alteratur.

Secundo proponit difficultatem de materia accretionis, an debeat esse corpus actu quantum, an tantum potestate, & dicit debere esse actu quantum, quia nihil potest fieri maius ex eo quod sit potestate tantum quantum.

Deinde vt modum, quo fit accretio, explicet, assignat três proprietates, ac conditiones augmentationis. Prima est, id quod augetur idem manet ante & post accretionem, idem intellige de decretione: idem, verbi gratia, homo est qui nunc est sub minori quantitate, postea sub maiori, vel contra. Secunda, eius quod augetur quælibet pars augetur, & eius, quod decrescit, quæuis pars decrescit. Tertia: Accretio fit aliquo accidente, & decretio aliquo decedente.

Hinc argumentatur, eandem difficultatem quam antea posuerat repetendo, vel enim id quod augetur est corporeum vel incorporeum, si incorporeum admittenda esset materia sine quantitate, quod est impossibile, si corporeum, videretur ponenda penetratio dimensionum, cum id, quod augetur, secundum omnem sui partem augeatur.

Textu 33. negat, ita fieri accretionem, quemadmodum ex aqua fit aer, maiorem enim locum occupat aer quam aqua ante occupabat, negat inquam, quia hic est generatio & corruptio, in augmentatione idem permanet, in quo cum alteratione conuenit.

Quærit idem Textu 34. quid sit quod au-

getur proprie, an animal, an alimentum, an vtrumque, & respondet animal tantum dici posse augeri, cum illud solum maneat, alimentum vero non maneat, sed transmutetur, sicuti si aqua vino non misceatur illud dicitur augeri quod manet, vt si parum aquæ vino misceatur dicitur vinum augeri non aqua, aqua vero si pauxillum vini infundatur.

Dissimilitudinem deinde ponit inter augmentationem & alterationem, quod id quod alterat interdum alteratur, id autem quod auget, non vicissim augescat.

Petes, quomodo dicit virtutem alteratiuam esse in eo quod alteratur, hoc enim falsum videtur.

Resp. Virtutem proximam alterandi non esse in animali, quod alteratur, sed bene remotam, verbi gratia, alteratur homo à cibo, sed prius debet alterari cibus à calore naturali hominis. Ad excitati sicuti, piper prius debet excitari quam calefaciat.

Textu 35. repetit ea quæ superius dixerat, dicitque ad explicandum modum augmentationis tria illa principia retinenda esse, primum, idem remanere post & ante augmentum. 2. aliquo extricus adueniente augeri. 3. quamuis partem minimam sensibilem augeri. Vlterius, in modo augmentationis explicando tria alia seruanda esse, 1. vt in corpore, quod augetur non concedatur vacuum. 2. non concedatur vlla penetratio dimensionum. 3 illud, quo augemur, non posse esse incorporeum.

Supponit deinde, antequam illum modum explicet, duo: primum, augeri per se partes similares non dissimilares, sed has tantum augeri ratione similarium, similares partes dicuntur quæ constant particulis eiusdem rationis, vt caro vel os; dissimilares sunt, quæ constant partibus diuersæ rationis, vt caput, brachium, quæ dicuntur membra, in capite enim & carnem & ossa, & membranas, & cartilagines, & venas, & alias partes reperies, quę diuersæ sunt rationis, has itaque dicit non augeri per se, sed quia constant similaribus, quæ per se augentur. Secundum, quod supponit, est, has partes posse considerari vel secundum differentiam, vel secundum materiam. Respondet deinde in accretione has partes augeri secundum differentiam, non secundum materiam, siue viuens augeri secundum partes differentiales, non materiales, eo qu[od] continue nouæ partes materiales accedant [&] recedant, differentia eadem manente. Qu[omodo] autem Aristoteles intellexerit per partes di[f]ferentiales & materiales examinandum erit [in] quæstione.

Quærit deinde Textu 39. quale debeat e[sse] alimentum, cum vero dixisset ab initio a[li]mentum debere esse dissimile, posset aliq[uis] merito petere, an quidlibet possit esse viue[n]tis alimentum?

Resp. atque tale debere esse potentia, qu[a]le est actu viuens, siue tale quod possit tran[s]mutari in substantiam viuentis, debere itaq[ue] esse actu dissimile, potentia simile.

Deinde cõcludit, in accretione nõ esse sin[]plicem generationẽ sed aggenerationẽ du[n]taxat, qua noua pars alteri parti coniungitu[r].

Rursum docet, viuens debere alimentu[m] commutare per virtutem augmentatiuam, [s]ibique permiscere & vniri.

Postremo ostendit T. 40. in quo differat augmentatio & nutritio, dicitque, licet ide[m] obiectum respiciant, ratione tamen differ[unt] nam cum alimentum simul sit & potentia c[a]ro, & potentia aliquid quantum, augment[a]tionem respicere illud vt quantum est, nutri[]tionem quatenus potentia caro est. 2. diff[e]runt, quod animal quamdiu viuit, nutritu[r] non semper accrescit.

Ex dictis Nutritionis definitionem coll[i]gunt: *Nutritio est conuersio alimenti in substa[n]tiam aliti, facta ab anima virtute caloris natur[a]lis, vt fiat restauratio eius quod cœperat absumi.*

CAPVT IV.

Acturum de mixtione prius oportuit ag[e]re de actione & passione Elementorun[m] quæ in illa mixtione interuenit, & quia acti[o] & passio non est sine contactu, hoc capite [de] contactu agit, triplicemq; contactum statui[t] primus est Mathematicus, estque eorum, qu[æ] dum situm habent, vt extrema habeant simu[l] siue agant & patiantur, siue non; Secund[us] est Physicus, eorum, quæ pręterquam quod contingunt & extrema habeant, simul etia[m] in se inuicem agunt & patiuntur: ita se habe[nt] elementa, qua parte sese contingunt. Terti[us] contactus est improprius ac Metaphoricu[s] cum aliquid virtutem suam in aliud distan[s] diffundit, in eo aliquid producendo, vt cœ[lum] in hæc inferiora.

Doc[e]

Docet quomodo sese habeant inter se agens & patiens, ac 1. contra Democritum docet simile non posse agere in omnino simile, id est, in id quod tam secundum differentiam quam gradum est simile, v.g. calorem vt sex in alium calorem vt sex, tum quia non est ratio, cur vnum potius ageret quam alterum, tum quia vnum posset agere in seipsum. Et sic esset nihil incorruptibile, expersque mutationis.

Docet item contra veteres non posse id, quod in alterum agit esse plane dissimile, neq; enim albedo in lineã, neq; linea in albedinem agit per se, eo quod non sint contraria, quod tamen est necessarium inter agens & patiens.

Concludit itaque agens & patiens partim debere esse simile, partim debere esse dissimile; genere materia, potentia, simile, specie ac differentia diuersa, nam agens conatur inducere differentiam suæ similem, si tamen sit agens vniuocum.

BERNARDI MORISANI PHILOSOPHI ACVTISSIMI IN LIB. II. ARISTOTElis de Generatione Commentarii & Disputationes.

CAPVT I.

TRIA potissimum, hoc libro 2. agit, primo de Elementorum natura, numero, eorundemq; mutua transmutatione. Secundo docet ex iis tanquam principiis cõponi mixta. Tertio caúsam adfert perpetuæ generationis.

Principio dicit sibi esse agendum de Elementis, quia ab illis omnis generatio & corruptio proficiscitur, per eorum vero mixtionem & mutuam actionem mixta generantur & corrumpuntur.

Docet deinde nullum aliud esse rerũ principium præter quatuor Elementa; non quod nolit esse partialia principia cuiusq; corporis materiam & differentiam, in quæ etiam ipsa elementa resolui possint, sed tantũ negat posse dari corpus aliquod præter hæc quatuor, quod sit aliorum corporum principium.

Vlterius negat dari materiam aliquam ab omnibus differentiis ac qualitatibus separabilem, sed bene suapte natura inseparabilem.

Postquam principiũ materiale elementorum constituit, inquirit nunc, quænam sint elementorum differentialia principia; sed quoniam nobis sint ignotæ elementorũ differentiæ, earum loco quatuor primas qualitates, quæ sunt illarum pioprietates, pertractat.

Potius autem loco principii differentialis has qualitates quæ sensu tactus percipiuntur, ponit, quam qualitates, quæ visu percipiuntur, tum quia etiam visus tactu videatur prior ob idque videantur potiores qualitates visu perceptibiles, est tamen tactus vniuersalior, & natura prior velut cęterorum sensuum fundamentum. Similiter obiectum tactus est vniuersalius obiecto visus, esse enim quod visu percipi potest etiam potest tangi, non autem contra; tum quia elementa non agunt nec patiuntur nisi per tangibilem qualitatem.

Porro inter tactiles qualitates quæ tactu percipiuntur semper ponit cõtrarietates: Calidum, frigidum, humidum, siccum, graue, leue, durum, molle, lubricum, aridum, asperum, leue, crassum, tenue. Ex his 1. omnibus duas tantum priores contrarietates pro principiis elementorum differentialibus seligit, quas vocamus primas qualitates, duas priores calorem scilicet & frigus vocat qualitates

actiuas, duas posteriores humorem & siccitatem vocat passiuas, non quod hæ non sint vllo modo actiuæ aut illæ passiuæ, sed quod hæ magis passiuæ, illæ magis actiuæ, vtpote quæ citius ac facilius suum effectum producant. Quocirca & Aristoteles duas priores per actionem, duas posteriores per passionem definit.

Prima qualitas est qualitas actiua & passiua sensibilis, quæ ab altera priore non dependet. Per hanc particulam actiua excluditur rarum & densum, & nullæ aliæ quæ nullam habent efficientiam, similiter excluditur grauitas & leuitas, quæ non est effectiua alicuius qualitatis permanentis sed tantam motus. Cum dicitur actiua & passiua, excluditur lux. Per posteriorem illam partem quæ ab alia priore non dependet excluduntur qualitates secundæ, colores, odores, sapores, &c.

Definit Aristoteles vnamquamque qualitatem primam: Calidum est quod cogit ea quæ sunt eiusdem generis. Adde consequenter separare ea quæ sunt diuersi generis, sed hoc per accidens, quia non potest congerere in vnum ea quæ sunt eiusdem generis, quin separet ea quæ sunt diuersi generis, ita nimirum ignis aurum calore suo congerit in vnum & ab aliis metallis seiungit. Idem in iis quæ habent partes alias terreas alias viscosas, ignis comburendo illas separat subsidentibus in imum partibus terreis & viscosis aereisque auolantibus. Frigidum est quod cogit & congerit tam ea quæ sunt eiusdem generis, quam quæ alieni. Hinc patet duas has definitiones datas esse per actionem, congerere enim actio quædam est. Nota tamen congerere non esse primam qualitatem calidi & frigidi sed consequi ad calefactionem & rarefactionem, vel refrigerationem & condensationem. Humidum est quod determinationis suæ est expers, cum facile alieno termino coerceri possit. Patet in aqua, quæ facile quamlibet differentiam sufficit à vases in quo continetur, & facile eam quam habet figuram amittit.

Siccum est quod suo fine facile coercetur & concluditur non facile autem alieno. Patet in terra quæ non facile recipit externam figurari.

Postremo tandem dicit alias qualitates ad has primas reuocari posse, vt tenue, lubricum & molle ad humidum, crassum aridum & durum ad siccum, siccum vero & humidum [...] stendit non posse reuocari ad calidum & fr[...] gidum.

CAPVT II.

HOc capite ostendit quatuor esse Eleme[...] ta ex quadruplici primarum qualitatu[...] combinatione caloris cum siccitate in ig[...] humiditatis cum calore in aere, frigoris cu[...] humiditate in aqua, siccitatis cum frigo[...] in terra, duæ reliquæ combinationes sunt i[...] utiles.

Deinde adfert quædam theoremata vel vulgus Philosophorum loquitur propriet[...] tes Elementorum. Prima: Ignis non omnin[...] simplex est nec aer, nec vllum aliorum el[...] mentorum sed concreta sunt atque confu[...] id est, Elementa quæ hic habemus in pu[...] sunt & peregrinis tum qualitatibus imbut[...] tum substantiis permixta. Secunda: Ignis [...] maior est caloris vt glacies frigoris: id e[...] ignis habet calorem in summo, aqua qua[...] glaciem vocat frigus in summo. Inde col[...] gunt duas reliquas qualitates passiuas in al[...] duobus elementis in summo esse, humic[...] tatem in aere, siccitatem in terra. Terti[...] cum quatuor sunt corpora simplicia vtru[...] que duorum vtriusque loci est: id est, duo El[...] menta occupant locum superum, duo alia i[...] ferum. Quarta: Extrema maxime sincera su[...] ignis & terra, media autem magis permi[...] aqua & aer: id est, extrema elementa purio[...] sunt, media autem magis impura. Ratio qu[...] media vtrinque habent contraria, extrem[...] tantum vnica sui parte tanguntur à contr[...] rio. Quinta vtraque vtrisque contraria sun[...] id est, extrema vtraque qualitate mediis a[...] ponuntur, ignis aquæ, terra aeri. Sexta, v[...] in vnoquoque reperitur; id est, vniuscuiusq[...] Elementi vna magis est propria qualitate q[...] loco differentiæ substantialis sumenda sunt.

CAPVT III.

EXplicat hoc capite Elementorum tran[...] mutationem: quæritque quonam pact[...] fiant, & an ex quolibet Elemento quoduis a[...] liud generari possit? Respondetque affirmati[...] ue, posse quoduis ex quolibet generari, quo[...] hac ratione probat; Quoduis contrarium e[...] contra

ontrario oriri potest, sed quoduis Elementum vel altera vel vtraque qualitate est alteri contrarium, docet tamen Elementa symbola facilius transmutari inter se quam asymbola, o quod vnum facilius destruatur quam duo: ymbola enim dicuntur ea quæ in vna qualitate conueniunt, asymbola vero quæ in vtraque discrepant. Secundo docet ex duobus Elementis asymbolis facilius tertium generari, iam vnum in aliud conuerti, quia facilius in vtroque vnam qualitatem superari iam duas. Tertio docet ex duobus Symbolis non posse tertium generari.

CAP. IV.

Docet hoc capite elementa esse principia mixtorum, ipsa vero non constare vllo corpore simpliciore quod ipsorum sit principium ac veluti materia.

CAP. V.

Reprehendit Empedoclem quod affereret Elementa non posse in se inuicem transmutari.

CAPVT VI.

Hoc capite exponit quo pacto fiat mixtio, & qua ratione ad illam Elementa concurrant, refutatque inprimis Empedoclem, eosque qui existimant Elementa differentialiter manere in mixto.

Docet deinde Elementa non tantum remanere in mixto secundum materiam differentiis ac qualitatibus expulsis, quia sic pura puta esset generatio non mixtio, sed manere etiam in mixto secundum qualitates suas refractas & ad certam temperiem reductas.

CAPVT VII.

Docet hic mixta perfecta constare 4 Elementis modo ante explicato. In fine docet inter omnia Elementa ignem maxime nutriri, intellige improprie dicta nutritione.

(*₊*)

CAPVT VIII.

Docet hoc capite rerum corruptibilium & incorruptibiliũ principia esse paria, materiam differentiam & efficientem, ex quo apparet Aristotelem, cœlo tribuisse materiam & differentiam. Finem reducit ad differentiam, eadem enim res diuersorum est differentia & finis.

CAP. IX.

Quærit quæ sit causa efficiens vicissitudinis perpetuæ generationis, dicitque perpetuæ generationis causam esse motum primi mobilis, quo Sol continue rapitur & circumuoluitur. Sed cum hic motus sit maxime vniformis, sequeretur non fore illam generationum diuersitatem quam cernimus. Idem enim manens idem natum est producere idẽ. Ideo aliam præterea huius diuersitatis & vicissitudinis causam inquirit, assignatque motum Solis proprium per signa Zodiaci, cuius obliquitas efficit vt Sol nunc ad nos accedat nunc recedat, Solis autem accessu fiunt generationes maxime mixtorum, perfectiorum in recessu corruptionis.

Docet deinde textu 57. æqualia esse tempora corruptionis & generationis, quia æqualia sunt temporum spatia, quibus ad nos Sol accedit & recedit, etiam secundum Astronomos diutius Sol hæreat in Signis Borealibus quam Australibus, ratione excentrici vt diximus in Sphæra.

Denique textu 59. finalem causam huius perpetuæ vicissitudinis generationum assignat, scilicet vt vnum quodque eo modo quo potest assequatur æternitatem, & quia in indiuiduo non potest, id saltem assequatur in specie.

CAPVT X.

Quærit an omnium generatio sit necessaria, an aliquorum sit contingens, dicitq; quædam necessario fieri vt crastinum ortum Solis alia vero contingenter vt Leonis generationem. In fine docet in rebus incorruptibilibus idem numero redire per motum, in corruptibilibus per generationem non idem numero sed specie redire.

DISPVTATIONES IN LIBROS DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

DVBIVM PROOEMIALE.

Quodnam sit horum librorum obiectum?

VArias sententias de Obiecto horum librorum recenset Toletus & Bannios præfatione in hos libros, quos vide.

Dico breuiter Obiectum horum librorum esse corpus mixtum qua tale, siue quatenus ex Elementis per mixtionem constat, ob idque generabile & corruptibile. Explicatur cum ad generationem requiratur potentia, alteratio corruptiua, hæc autem esse non possit nisi inter contrarias qualitates actiuas, quæ se vicissim expellant, ob id ea quæ generationi & corruptioni obnoxia sunt, vti sunt omnia corpora mixta, necessario ex Elementis debent componi, eorumque qualitates participare, vt ab aliis agentibus possint immutari & alterari, & ad corruptionem disponi. Ob eam causam ratio differentialis obiecti huius libri est ipsa illa mixtio, quæ est radix generabilitatis & corruptibilitatis in mixtis. Et quamuis de Elementis, eorumque generatione hic disseratur, id tamen fit in ordine ad mixta & mixtionem, quæ sine illorum cognitione intelligi non poterant, quod satis patet ex Aristotele, qui cum initio libr. 1. agit de generatione, illamque deinde ab aliis mutationibus distinguat, in fine tamen tanquam eo declinasset totam priorem disputationem de mixtione agit. Similiter lib. 2. cum prius de Elementis egisset tanquam principiis mixtorum, tandem de ipsis mixtis agit. Ex quo potest ipsam hanc mixtionem spectasse, vt rationem differentialem sui obiecti. Hæc de Obiecto differentiali horum lib rum.

Probatur autem conclusio quoad ob ctum materiale, primo quia ad hoc obiect omnia quæ traduntur nullo negotio reuc ri possunt: Elementa autem de quibus ma me dubitari posset reuocantur ad mixta t quam eorum principia. Item qui de mi probant radicem habent generabilitati corruptibilitatis agendum fuit, explicand erat quid generatio, quid corruptio. Ru de aliis mutationibus alteratione augmen rum agendum fuit, tum ad distinguend generationem ab illis, tum quia commix nem habent cum generatione; alteratio ei eam præcedit, augmentatio sequitur, t quia hæ mutationes mixto conueniunt mixtum est.

Probatur secundo, quia cum hic liber Physicam pertineat, debet in obiecto subordinatus totali obiecto Physices tan species generi.

Totale autem obiectum Physicis est c pus naturale, igitur obiectum huius libri species aliqua corporis naturalis, non cor simplex, de illo enim per se actum est in lit cœlo, ergo corpus mixtum. Ob id auten scribuntur hi libri de generatione, quia g ratio vel generabilitas erat primaria pa quæ de mixtis in his libris erat demonstr da: alias vero diximus non semper ab ipso iecto desumi libri inscriptionem. Confir tur, quia neque generatio & corruptio po assignari huius libri obiectum, neque mobile ad formam intrinsecam, siue ens nerabile non prius quia hæc tractatio de esse de aliquo corpore, non posterius si ca tur ens mobile vel generabile pro passic cum passiones non sint subiectum alic scientiæ. Si capiatur pro radice ac princi mobilitatis ac generabilitatis, sic, qui ita loquuntur nobiscum sentiunt.

(***)

DISP

DISPVTATIO I. DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

DVBIVM I.

An detur Generatio substantialis?

R Espon. breuiter dari talem generationem. Probatur, tum quia videmus agentia na- ...alia res immutare substantialiter, id autem ...ere non possunt nisi introducendo diffe- ...tiam substantialem in principiantem ma- ...iam, cum soli Deo conueniat creare, tum ...a experimur eandem materiam vicissim ...esse diuersis differentiis, materiam verbi ...tia ligni postea subesse differentiæ ignis, ...no vero dicat, audiui differentiam ignis ...: sine materia, aut nouam fieri materiam ...e sola creatione fit, tunc quia sublunaria ...ent aliquam qualitatum inter se contra- ...atem ratione cuius sese alterare possunt, ...rationem autem quæ fit à contrario se- ...tur corruptio & generatio.

Dices 1. Si quid generetur substantialiter ...eret fieri ex non ente simpliciter. Sed ni- ...potest fieri ex non ente simpliciter. Ergo ...la datur de nouo generatio.

Resp. Si maior Propositio ita intelligatur ...quod generatur ita debeat fieri ex nullo ...iecto, nullaque materia, falsa est. Sin au- ...intelligatur, id quod generatur debere ...ex eo quod non est totum, illud compo- ...m, quod fit, siue ex eo quod habet coniū- ...n differentiæ inducendæ, verum est, hoc ...em sensu neganda minor. Et hoc est quod ...stoteles vult cum dicit: id quod generatur ...ex non ente in actu, ex ente autem po- ...ia.

Dices 2. In generatione substantiali totum ...itur produci ac fieri. At totum non fit nisi ...ies partes perducatur, impossibile autem ...roduci materiā. Ergo impossibile est, to- ...roduci, atq; adeo est impossibilis generat. ...esp. falsum esse non fieri totum nisi omnes ...es fiant, totum autem fit etiamsi omnes partes præexistant sola vnione & coniunctione partium, neque vero partes sigillatim positæ sunt totum, sed ex earum vnione resultat totum.

DVBIVM II.

Quid & quotuplex sit Generatio?

NOta 1. hic quæstionem esse de proprie dicta generatione, licet enim accidentis productio interdum vocetur generatio, improprie id tamen & fusa significatione, qua quicquid de nouo fit, dicitur generari.

Nota 2. generationem quæ ad substantiam tendit esse duplicem, vnam fuse acceptā, qua voce significamus cuiusuis substantiæ productionem à naturali agente factam, vt ignis ab igne. Alteram presse sumptam, qua voce duntaxat significamus productionem viuentiū, in qua generatione generans dicitur pater, & genitus filius. Hac vsurpatione ignis aut cuiusuis alterius inanimati productio non erit generatio.

Dico tamen 1. generationem fuse sumptā si præcise loquamur esse productionem totius compositi Physici per vnionem differentiæ cuiusuis substantialis cum materia virtute agētis factam: ita vt generationi conceptu suo dicat ipsam actionē qua mediante agens partes illas inter se vnit & coniungit: vnio autem est id quo res genita producitur ac terminus differentialis generationis.

Probatur autem Conclusio, quia generare in suo conceptu præcise nihil est aliud quam totum aliquod ex materia & differentia compositum efficere totum autem fit sola vnione & coniunctione partium Physicarum essentialium. Ergo generatio differentialiter est talis productio resultans per vnionem qua partes vniuntur.

Conf 1 quia sola vnione formæ tam materiæ animæ, ver. gr. rationalis cum corpore seu materia disposita censetur & concipitur res generari etiamsi cætera à parte rei vel per rationem excludantur. Quod probatur: Nam si quid aliud generatio inuolueret in suo conceptu vel esset productio ipsius formę, vel mutatio materiæ à priuatione formæ ad formā, non primum, cum non omnis forma per generationem accipiat esse. Anima vero rationalis creatur, quo non obstante homo generatur sola animæ cum materia vnione, & homo,

homo dicitur generari etiamsi non attingat ipsam animæ productionem. Item quamuis præexisteret ipsa forma vna cum materia, sola tamen vnione res generetur, vti fiet in resurrectione, cum anima præexistens denuo vnietur corpori, licet enim illa vnio non futura sit naturalis, erit tamen vera generatio virtute supernaturali facta. Non inuoluit etiam generatio secundum vnionem scilicet materiæ à priuatione ad formam, quia etiamsi mutatio sit ordinarie coniuncta isti vnioni, tamen experimur nos illam non inuoluere in conceptu generationis, vt posset si quis attendat ad conceptum suum. Adde si Deus produceret materiam affectam dispositionibus velimus ad formam ignis approximatam sufficienter igni alicui, ille ignis eodem instanti induceret formam ignis, in illam materiam eamq; materiæ vniret, diceretur que vere generare ignẽ: Atqui hæc generatio esset sine vlla mutatione materiæ. Ergo generatio non inuoluit in suo conceptu illam mutationem materiæ. Item si Deus aliquid generasset ab æterno, esset generatio sine mutatione.

Confirmatur 2 quia res censetur corrumpi præcise sola dissolutione & separatione formæ à materia, vt posset in hominis morte. Ergo generari etiam earundem partium vnione sola.

Dices: Aristotelem passim definire generationem per mutationem vt 8. *lib. Phys. c* 7. dicit generationem esse mutationem ex non ente ad ens. Et hoc *lib* 1. *de generatione c.*4. dicit esse mutationem totius, nullo sensibili remanente & *c.* 5. vocat mutationem ex substantia potentia in substantiam actu. Ergo ratio formalis generationis intrinsece dicit mutationem.

Respondeo: Nusquam Aristoteli fuisse propositum explicare præcisam rationem & conceptum generationis, eam autem semper explicuisse per id quod necessario est coniunctũ generationi prout nunc fit, quodque erat notius, idque maxime quia non erat alia vox per quam significaretur illa eadem actio quatenus est mutatio, vnde vt Aristoteles illam mutationem materiæ nomine generationis designaret, efficit etiam ipsa necessitas & vocum penuria Ob hos diuersos conceptus si quis bene aduertat recte dicitur materia mutari à forma in formã, vel à priuatione formę in formam, non autem generari, contra vero t tum compositum recte dicitur generari n mutari.

Petes 1. Quid sit illa vnio an aliquid stinctum à partibus vnitis?

Respon Etiamsi non improbabile sit vn nem hanc esse modum ex natura rei distin à partibus vnitis, mihi tamen probabilius deri nihil esse distinctum ab ipsis partib partesque seipsis vniri nullo superaddito. quis perat, an igitur partes illæ non mutẽ Resp. non mutari intrinsece, aliquid in se r piendo, sed tantum extrinsece, quia illi ad tur altera pars quæ illi non erat coniun antequam vnirentur.

Petes 2 an formæ materiales non gener tur, nam cum fiant per eductionem è pot tia materiæ non creantur, vnde videntur a pere esse per generationem. Ex alia parte men cum non accipiant esse per vnionem potius præsupponantur tanquã natura pr res vnione non videntur generari.

Resp. solere responderi formas illas ge rari vt quo seu vt terminum formalem ge rationis, sed cum in omni generatione sit quid quod generetur vt quo, ac proinde in homine, animal autem in homine non neretur, vt quo, sed creetur, melius dicitu nio in omni generatione tanquam id quo nerari forma materialis comproduci ac c generari, licet enim forma simul produca & vniatur materiæ, tamen licet distingu per rationem, imo & à parte rei distingui actio generationis prout tendit ad for productionem & prout ipsam vnit, neque tum generatur præcise per ipsam product nem formæ sed per eius vnionem cum teria.

Resp. 2. Si generationem istam fuse su ptam capiamus non impropria notione, quatenus est mutatio, sic generatio recte d nitur esse mutatio materiæ à priuatione f mæ substantialis ad formam substantial Vel vt Aristoteles esse mutationem ex non te ad ens, vel ex ente potentia ad ens actu.

Probatur quia his definitionibus opti explicatur natura generationis quatenus r tatio est; mutatio vero quæuis tribus cons Subiecto, termino à quo, & termino ad q quæ omnia clare explicantur hisce defini nibus, nam materia est mutationis subiect

quæ à priuatione formæ transit ad formam; terminus à quo est formæ priuatio, terminus ad quem forma substantialis. Cum dicitur mutatio, excluditur creatio, in qua nihil est quod mutatur, seu nullum est subiectum mutationis idem ante & post mutationem. Item excluditur transsubstantiatio in veneranda eucharistia quæ non dicitur mutatio propriè, sed conuersio, & panis dicitur conuerti in corpus Christi non mutari propriè: quia non manet, licet ista locutio etiam tolerari possit, panis mutatur in corpus Christi, quia mutari in significat ita conuerti vt non remanéat. Ita etiam totum dicitur mutari in aliud totum, & forma in formam. Sed mutari ad dicitur de eo quod manet idem & post mutationem. Mutationes accidentales excluduntur, in hac definitione per posteriorem particulam, cum dicitur generatio esse ad formam substantialem.

Dico 3. Generatio secundo modo sumpta, vt est specialiter pro generatione viuentium est productio alicuius viuentis à principio viuente coniuncto secundum similitudinem in natura specifica. A qua definitione manifestum est, quomodo excludantur generationes inanimatorum, quæ neque sunt productiones viuentis, neque à Principio viuente. Similiter Adamis vel hominis creatio, licet à principio viuente, tamen vel non est productio viuentis, vel non est à principio coniuncto, neque secundum similitudinem in natura. Generationes viuentium ex putri materia à cœlo factæ non sunt hic generationes, quia non fiunt à principio viuente, neque fiunt ad assimilandum effectum in natura specifica, Euæ generatio ex Adami costa non est hic generatio, vnde nec Adamus est pater Euæ, quia Adamus in ista generatione non erat, principium actiuum, sed tantum materialiter concurrebat subministrando materiam, ex qua formaretur: Dixi principium illud actiuum debere esse coniunctum non per præsentiam localem, sed per coniunctionem substantiæ, generans vero se vel aliquid sui intricum communicat genito ratione cuius generatio tendit ad similitudinem naturæ, vt genitum dum gignitur coniunctum est generanti, quia aliquandiu res genita vel aliquid ipsius manet in generante, vt arbor genita mansit in arboreratione seminis quod fuit in arbore generante, sic & filius in vtero matris vel semine parentis.

Nota tamen specialiter hanc generationē, non tam proprie applicari plantis, sed maxime dici de iis, quæ cognoscunt & amant partus suos, vt homo & bestiæ. Dixi hanc productionem debere fieri secundum similitudinē in natura specifica, debet enim generans actione illa assimilare sibi effectum in natura specifica saltem, idque ex vi ipsius actionis, nam si tantum illum assimilet sibi in generatione, vt sæpe fit in productione monstrorū, non est proprie dicta generatio, aut si illum tantum assimilaret sibi non per se ex vi actionis, sed ratione alterius, non esset generatio. Hinc intelligi potest, cur in diuinis secundæ personæ productio sit generatio, non autem productio S.S. & cur secunda persona dicatur filius, non autem S S. Productio vero secundę personæ ideo est generatio, & maxime propria generatio, quia illa actio ex natura & vi sua tendit ad assimilandum perfectissime producendi terminum productum, idque non tantum in natura specifica, sed etiam numerica, eandem vero naturam numero ex vi actionis productiuæ communicat pater filio.

Nota vero produci filium per intellectionem, quæ ex sua ratione est productiua verbi, verbum autem ex ratione sua est vitalis imago, ac repræsentatio obiecti, cum autem obiectum intellectionis est ipse intelligens, hac ex vi productionis producitur vitalis imago intelligentis, vt cum quis seipsum intelligit: itaque cum Deus Pater seipsum intuetur ac intelligit, producit intellectu suo infinito perfectissimam sui imaginem. Sed hoc interest inter verbum nostrum, quando nos ipsos cognoscimus, & verbum illud à patre productum quod nos producendo vitalem nostri imaginem tantū producamus accidens, Deus autem substantiam producat ac verbum subsistens sibi vndequaque simile. Spiritus S. autem cum non procedat per intellectum sed voluntatem quæ ex sua ratione non est productiua similis (neque vero amor vel volitio est rei volitę similitudo, sed tantum inclinatio in obiectum) eius processio non est generatio, nec ipse est filius licet actus ille voluntatis quam spirationem vocant de facto producat terminum similem, sed non ex vi actionis voluntatis per se, sed quia est in natura diuina,

quæ non poteſt ad intra producere niſi terminum ſimilem.

Petes 1. an cum ex duobus diuerſis ſpecie animantibus prodit tertia ſpecies, mulus, verbi gratia, ex equa & aſino, vel contra ex aſina & equo, ex leæna & pardo leopardo, ex lupa & cerua linx, an ea debeat dici vera generatio.

Reſp. deficere quidem aliquo modo à vera generatione, tamen etiam eſſe & debere dici generationem, quia vterque generans nititur quantum in ſe eſt ſibi aſſimilare effectum, ſed quia vterque alterum impedit, exſurgit tertia ſpecies præter vtriuſque generantis intentionem.

Petes 2. an cum partus degenerat in alteram ſpeciem, an debeat cenſeri generatio, cum, verbi gratia, aquila vt nonnulli dicunt procreat Haliæeton, & hic non haliaeton ſed Phœnam gignit, Phœna deniq; Miluum.

Reſp. eſſe etiam generationem, ſed tamen à vera generatione deficere, quod non perfecte aſſimilet ſibi effectum propter imperfectam virtutem ſeminalem, quæ quantum in ſe eſt nititur aſſimilare partum producenti.

Petes 3. An cum gallina vel auis alia ponit oua, cui altera gallina vel auis poſtea incubet, à quanam procedat generatio, ſeu quæ auis ſit parens, eane quæ incubat ouis an quæ oua ponit.

Reſp. parentem eſſe auem quæ oua ponit, & marem qui fœmellæ virtutem ſeminalem ad ouorum productionem impreſſit, non autem alteram quæ incubat. Ratio eſt quia illi tanquam principio actiuo partus coniungitur, non huic, illa de ſuo materiam ſubminiſtrat non hæc. Neque hinc ſequeretur, quod ſine hoc non naſcerentur pulli, quia oua habent virtutem ſeminalem ſe efficientem ad edendum pullum, licet illa tempore aliquo debeat excitari. Et patet, quia pulli aſſimilantur non incubanti ſed ei quæ oua edidit, vt cū gallina anatis oua fouet, anates prodeunt non gallinæ. Deinde ille tepor poteſt à rebus inanimatis prodire, & non minus emergent illæ aues, vt ſi oua fimo ſubiiciantur, vel in eo loco ponātur vnde modicus ab igne tepor manet, ita ſimul, teſte P. Mapphæo, numeroſam gallinarum anatumq; ſobolem edunt.

QVÆSTIO IV.

Quæ cauſæ immediate attingant illam actionem qua generatur homo?

DVbium non eſt, quin Deus per communem ſuum influxum influat. Sed quæſti eſt, quinam ad illam vnionem animæ cu materia immediate concurrant determina influxum præbendo, an Deus ſolus, qui, v animam creat, ita etiam illam ſe ſolo vnia parentes vero diſpoſitiue tantum concurran an vero etiam parentes, vel alter eorum in mediate ad illam vnionem influat. Ratio d bii eſt, quia ſi parentes non concurrant, nc videtur quomodo verè generent, ſi vero c cantur concurrere, difficultas eſt cum anin ſit ſpiritualis, quomodo poſſit attingi à pc tentia, & virtute materiali tanquam termin iſtius vnionis.

Dico 1. veriſimile mihi eſt ipſam vnione animæ rationalis cum materia non attin proxime & immediate à patre.

Probatur, quia neque per ſe, neque per minariam virtutem dici poteſt illam imn diate attingere, non prius, quia pater licet i mediate præparet in ſe ſemen media virt ſibi inſita, non tamen immediate eſt conit ctus fœtui vt illū efformet & elaboret, ſed t tum fœtui coniungitur media virtute ſemi li, cui ad agendum vicariā vim imprimit, n poſterius, quia licet ſemen immediate & p ximè elaboret fœtum, non tamen habet v vniendi animam corpori, cum tota eius vir ſit materialis, terminus autem vnionis ſit ritualis. Neque valet, quod dicunt Conni bricenſes, non repugnare, virtutem materi attingere vnionem rei ſpiritalis, eo quod actio non ſit rei productiua ſed vnitiua, q nō videtur minus repugnare virtuti mate li, vnire rem ſpiritalem alteri quam produ re, cum in illa actione debeat attingi ſpiri tanquam terminus vnionis, quod omnino detur ſuperare virtutem materialem. Add ipſorum ſententia cum ponant, vnionem modum ex natura rei diſtinctum à partibu nitis, neceſſario illum eſſe producendum in ſola materia, quia ſic vnio non atting animam, ſi vero partialiter producatur v in anima, erit ea parte ſpiritalis, ac proi non poterit attingi à virtute materiali, c eti

etiam secundum ipsos materiale non poterit concurrere ad productionem spiritualis.

Dico 2. Verisimile mihi videri matrem immediate & proxime concurrere ad ipsam vnionem animæ cum corpore, media sua virtute generatiua.

Probatur, quia fœtus est illi immediate cõiunctus dum animatur, & ab eius virtute generatiua proxime attingi potest. Neq; dicas, hanc virtutem esse materialẽ, omnis vero potẽtia animæ rationalis seu vegetatiua seu sensitiua mea sententia est spiritualis, & subiectatur id, animæ, non in organo vel toto composito licet organum dispositiue ac materialiter ad illius actionem concurrat, quod nihil est aliud, quam sicuti anima existit connaturaliter in materia, & certas dispositiones requirit, vt illam informet, ita vt operetur, requirit materiam certo modo dispositam, quã i non habet, non potest agere, quia deest illi equisita conditio ad agendum, non quod desit illi virtus aliqua agendi intrica.

Dices ergo: diuersimode concurrunt Pater & Mater ad generationem.

R. Concedẽdum, Pater enim per vim seminalem maxime alterat, disponit fœtum, & heerogenias partiũ formas inducit, licet ad eas etiam mater (contra quam opinantur nonnullia) cõcurrat, debilius tamen ac remissius, psam vero animæ cum corpore vnionem poentia sua generatiua mater perficit.

Ex quo patet in vno plus conferre patrem, n altero matrem

Dices; hinc sequetur Patrem vere non generare cum nõ attingat ipsam vnionem animæ cum materia, ac immediatam productionem n qua actione posita est generatio.

R. nomine generationis aliquando significari tantum istã actionem immediate productiuam totius, & sic pater non vere generat, aiquãdo totam seriem actionum & alterationum disponentium ad formam, introductionemque partialium formarum in viuentibus ad quæ omnia cum maxime conferat, Pater vere dicetur generare, quo modo etiam Sol hominem dicitur generare.

Ex dictis patet, matrem non tantũ passiue concurrere ad generationem suppeditando materiam in quam semen masculum agat & efformet fœtus, vt cum Aristotele volunt nonnulli, sed etiam actiue, idq; tum ad vnionem maxime & actionem illã quæ præcise hominis est generatiua, tum ad alterationes & dispositiones præuias, quibus elaboratur fœtus, licet ob debilitatẽ caloris & virtutis actiuæ semen muliebre minus agat, magis patiatur. Quod contra Aristotelem probant Medici, quod quia mas & fœmina eiusdem sunt speciei, eandem igitur virtutem habent, quæ naturam illam specificam consequũtur, tum quia mater naturaliter amat liberos, aliquid igitur effectiue confert ad illorum productionem, tum quia liberi sæpe matrem vultu, sexu & aliter referunt, tum quia alias pater nihil materiæ conferret, si enim semen paternum tantum agat, & materia quam mater suppeditat, tantum patiatur, cum semen paternum non possit agere in se, sequetur totum fœtum efformari è materia & sanguine materno, quod nullo modo est verisimile, sed potius dicẽdũ est, illud ita agere, vt etiam reperiatur in semine materno, & in fœtũ transformetur.

DVBIVM IV.

Quod sit subiectum & terminus Generationis?

Responderi communiter solet, subiectum generationis esse materiam, terminum quo seu formalem ac secũdarium esse formã, terminum qui ac primarium esse compositũ, sed iuxta supra dicta videtur aliqua distinctione opus.

Dico 1. Si generatio capiatur in proprio cõceptu pro productione totius compositi media vnione non habet pro subiecto suo seu inhæsionis, seu denominationis materiam.

Probatur: Quia productio totius compositi neq; recipitur in materia, cũ ipsa materia sit, pars totius cõpositi, materia autẽ in seipsa recipi non potest, neq, aliã materiã denominat, cum materia nõ dicatur generari vel produci.

Petes: in quo igitur subiecto erit ista generatio? R. Si actio sit in agente illam actionem futuram in generante, si actio non sit in agẽte, debet esse in passiuo vel termino: Cum autem hic nullum sit passiuum in quo recipiatur actio debebit dici generatio esse in termino, id est, toto composito, non quasi distincta sit ab illo termino, sed à parte rei illi identificata ratione tantum distincta fieri enim substantiæ & esse substantiæ tantum ratione possunt distingui.

 Dico

Dico 2. Si generatio sumatur vt mutatio, est subiectum, tam inhæsionis quam denominationis est materia.

Probatur: quia materia est quæ à forma vel à priuatione formæ ad formam transit, cuiq; inest tam priuatio formæ ante generationẽ, quam forma exacta generatione. Pari modo materia est quæ denominatur mutari à priuatione formæ ad formam.

Dico 3. Si generatio sumatur in proprio cõceptu, terminus qui primario ac principaliter intẽtus est totum compositum terminus formalis non est forma sed vnio partium.

Prior pars probatur: 1. quia is est primarius terminus quem agens simpliciter & per se intendit, & ad quem actio vltimo tendit, sed agens per se & simpliciter intendit productionem totius hominis, verbi gratia, cætera tanquam media in ordine ad totam, & actio generantis vltimo ad totum producendum refertur, eoque producto desinit. Ergo totum est terminus generans primarius.

Probatur 2. Omne agens agendo intendit assimilare sibi effectum secundum substantiam vel accidens Ergo in productione substantiale intendit agens assimilare effectum secundum totam substantiam, non aliquam ipsius partem. Ergo terminus generationis primo intentus est tota substantia.

Probatur tertio Illud est quod proprie & per se producitur quod deinde habet esse, sed totum compositum est id quod habet esse. Ergo, etiam est id quod per se producitur.

Posterior pars probatur: quia ille dicitur formalis terminus alicuius actionis quo de nouo per illam actionem producto resultat totum compositum substantiale vel accidentale, vt calor est terminus formalis calefactionis qui per illam actionem fit in subiecto, quo producto in subiecto fit calidum, in omni autem generatione non fit de nouo forma ex vi ipsius generationis, vt patet in anima rationali, vnio autem semper fit, qua posita necessario resultat totum.

Confirmatur 1. quia non id quod producit formã, sed quod illã vnit dicitur generare.

Confirmatur 2. quia licet generationi præexisteret forma, vti de facto anima rationalis præexistit priusquam de nouo in resurrectione vniatur corpori, aut si Deus formam materialem crearet extra materiam, & illa deinde materiæ vniretur, esset vera generatio, tamen de nouo non fieret sed vnio.

Dices 1. Forma est id quo res est. Ergo est quo res fit & generatur idem vero est quo res est & quo res fit, cum esse & fieri non distinguantur nisi ratione &

Resp. Formam esse id quo res est & quo res fit tanquam parte essentiali, seu tanquam termino formali & primario vnionis, non tanquam termino formali generationis, quo de nouo producto totum incipiat esse.

Dices secundo. Ergo saltem cum forma est materialis, forma dicitur esse terminus formalis.

Respon. proprie dici terminum formalem cuius de nouo productio est essentialiter requisita ad generationem, quæque in omni generatione reperitur, formæ autem productio non est essentialiter requisita ad generationem, vt patet in generatione hominis. Si quis tamen velit esse terminum formalem minus præcipuum istius generationis, vtpote qui de nouo per illam actionem fiat, & quo producto totum fit, non repugnabo, dummodo vnio statuatur terminus formalis præcipuus, vtpote quæ ad omnem semper generationem & immediatius ad totum constituendum concurrat.

Petes 1. An sint diuersæ actiones, vna qua producitur forma, altera qua forma vnitur materiæ, & tertia qua producitur totum.

Respondeo in forma immateriali manifestum esse, aliam esse actionem qua producitur & qua vnitur, in forma materiali vna & eadem potentia agentis simul produci formalem & vniri materiæ, & produci totum forma vero non producitur nisi in materia, & dependenter à materia & ex formæ vnione cum materia, necessario resultat totum, quod totum fit ab eadem potentia, vnde si actio poneretur in agente, esset quidem eadem res, ratione tamen distincta secundum diuersos terminos, si tamen actio sit in passo vel termino, tunc licebit quidem distinguere etiam realiter productionem formæ à productione totius, cum vero actiones identificentur terminis, termini autem sint distincti realiter, totum scilicet à differentia, etiam ipsæ productiones dinguentur realiter, non tamen poterit distingui nisi ratione actio productiua vnionis & actio produ-

roductiua totius, cum vnio non distingua-
ur à partibus vnitis, partes vnitæ non distin-
guantur à toto, à parte rei. Si quis tamen v-
nionem à parte rei distingueret à partibus v-
nitis, & consequenter à toto, etiam has actio-
nes deberet distinguere.

Petes secundo, forma aliqua materialis
roduceretur a Deo extra materiam, eadem-
ue póstea vniretur materiæ, an censeretur e-
duci ex potentia materiæ. Videtur vero quod
on, quia forma illa materiæ extrinsecus ad-
niret.

Respon. si educi est accipere primum suum
se dependenter à materia, tunc illa forma
on educitur: si autem educi est accipere tam
imum suum esse, quam illud idem conser-
tum dependenter à materia, tunc illa for-
etiam dicitur educi è potentia materiæ.

Petes tertio, an posset forma materialis v-
i materiæ, totamque compositam efficere,
tamen vt non à materia sustentaretur, nec
eo dependeret.

Respon. posse Deo supplente causalitatem
materiæ circa formam, quia non est de ratio-
ne formali, aut totius compositi, vt forma
pendeat à materia, vt patet in homine. Idem
dici posset de accidentibus, posse scilicet sub-
ito vniri & illud informare absque eo quod
ab eo sustentetur.

Dico quarto: Si generatio sumatur pro
mutatione, terminus formalis generationis
est forma.

Probatur, quia forma est id quo materia
seu subiectum mutatur. Neque in mutationi-
bus est alius terminus requirendus præter
formam, ad quam subiectum mutationis
transit, & terminum à quo, à quo scilicet sub-
iectum transit illum deserendo.

Petes, cur Aristoteles dicat, terminos gene-
rationis (vt mutatio est scilicet) esse contradi-
ctorios, alterationis vero contrarios, siue, cur
priuatio dicatur terminus à quo generatio-
nis & non forma positiua à qua transit, in al-
terationibus vero pro termino à quo assigne-
tur forma positiua, dicitur enim aqua mutari
à frigore ad calorem.

Respon. ideo fieri, quia terminus à quo ge-
nerationis positiuus est valde indetermina-
tus, à qualibet vero forma substantiali fieri
potest ad alteram transitus, in qualitatibus
vero non idem, sed tantum à contraria, vel
saltem à media qualitate transitur ad alte-
ram. Vnde quod ad rem attinet, est parua
discrepantia, nam in vtraq; mutatione transi-
tur ab aliquo termino positiuo, qui habeat
priuationem formæ introducendæ, & in vtra-
que videtur terminus positiuus se habere per
accidens, nam terminus à quo in iis alteratio-
nibus, quæ tendunt ad qualitatem non ha-
bentem contrarium, necessario est priuatio.
Similiter si qualitates remissæ in Elementis
non habeant admixtionem contrarii, cum
intendentur non habebit alteratio terminum
à quo positiuum.

DVBIVM V.

An generatio sit motus, siue an fiat in tempore an in instanti?

Nota primo vt ante dixi, generationem interdum præcise capi pro ista actione qua fit totum media vnione partium, interdum nomine generationis etiam significari omnem actionem & alterationem tendentem ad generationem.

Nota secundo vt aliqua forma introducatur successiue duo requiri, 1. vt forma illa habeat latitudinem aliquam entitatis, seu partes secundum quas successiue inducatur, quod vero indiuisibilem habet entitatem, quomodo successiue inducetur, cum successiue fieri sit partes addi partibus. 2. vt sit impedimentum aliquod quo minus in instanti secundum omnes suas partes ipsa introducatur, nam lumen etiamsi latitudinem habeat entitatis, & gradus intentionis in instanti tamen introducitur, quia nullum est impedimentum contrarium. Impedimentum vero illud potest esse ab intrinseco formæ, vel ab extrinseco ratione annexi. Et quidem illud impedimentum in alteratione est qualitas qualitati contraria introducendæ, quæ inuenitur in passo per quam resistit, quæque tota simul cum partes habeat vinci & expelli non potest. In motu locali est incompossibilitas diuersorum Vbi. Si autem aliquid moueretur localiter in instanti, idem esset in eodem in instanti, in termino ad quem illius motus & omnibus locis intermediis inter terminum à quo & ad quem. In augmentatione ratione quantitatis acquisitæ nullum est impedimen-

tum ab extrinſeco quō minus toto poſſit ſimul acquiri, per accidens tamen vt dicemus *infra*, ratione alterationum præuiarum in ea eſt ſucceſſio; item ratione dilationis partium, quæ conſequitur augmentationem cùm ſit quidam motus localis eſt ſucceſſio, nam extenſio illa non fit niſi partes loco emigrent, ne igitur idem ſit ſimul in diuerſis locis augmentatio ratione eius quod conſequitur, requirit ſucceſſionem: ſed ſicuti illa extenſio & dilatatio non eſt intrica dilatatio augmentationis, vt poſtea dicemus, ita nec illa ſucceſſio. His poſitis fuit ſententia Auerrois qui putauit differentiam ſubſtantialem introduci ſucceſſiue falſo nixus fundamento, quia nimirum cenſuit formas ſubſtantiales Elementorum intendi & remitti, ob idq; ſucceſſiue introduci ad introductionem ſucceſſiuam primarum qualitatum.

Dico 1. Si generatio vſurpetur pro omni actione etiam diſpoſitiua tendente ad generationem alicuius compoſiti ſubſtantialis generatio erit motus, ratio, quia ſic generatio continet alterationes præuias.

Dico 2. Si generatio vſurpetut præciſe pro actione productiua totius vel vnitiua partium generatio fit in inſtanti.

Probatur, quia alias eadem materia ſimul ſubeſſet diuerſis formis partialibus, idem eſſet, verbi gratia, aer & ignis.

Confirmatur 1. quia forma inducenda eſt indiuiſibilis, non intenditur vel remittitur.

Confirmatur 2. quia forma præcedens totam in inſtanti deſinit, ergo ſequens tota in inſtanti introducitur.

Dices 1. experimur de facto formas introduci paſſiue, ignis vero non ſimul ſed ſucceſſiue obit omnes partes chartæ vel ligni. Item ſicuti anima etiam rationalis paulatim deſerit corpus quod informat, vt patet experiētia: ita etiam credibile eſt informare ſucceſſiue diuerſas partes corporis. Ergo.

Reſpon. Nos tantum negare in generatione ſucceſſionem quæ proueniat ex parte formæ inducendæ, illa autem ſucceſſio non prouenit ex parte formæ, ſed eſt illi per accidens, ratione ſcilicet ſubiecti quanti & defectu diſpoſitionum vltimarum ad formam, cum vero materia quę debet tranſmutari ſit quanta nec æq; ab omni parte approximata agenti prius ac fortius agit agens in partes propinquas & in eas prius introducit vltimas diſpoſiti[ones] ſimulque & formam ſubſtantialem, ac d[einde] de ſucceſſiue in partes remotiores, quo[d per] accidens eſt forma. Nam ſi totum æque ſi[t ap]proximatum, aut tota aliqua pars in ea[n]tam ſimul introducitur vltima diſpoſiti[o &] forma. Similem ſucceſſionem reperim[us in] formis accidentalibus, quæ non habent [con]trarium, ob idque per ſe fiunt in inſtanti [vt] in lumine, licet vero illud per ſe totum [pro]ducatur à corpore luminoſo in inſtanti vt ſol, verbi gratia, primo inſtanti quo creatus omnes partes quæ erant intra ſ[phæ]ram virtutis ipſius illuminauerit qua[s] potuit, tamen quia pedetentim corpu[s lu]minoſum poteſt approximari alicui loc[o vt] fit mane cum ſol paulatim ad orientem deinde ad meridiem conſurgit, vel pa[ſſum] ipſum poteſt vicinius fieri corpori lum[ino]ſo ſucceſſiue, tunc fit illuminatio. Imo [ſi] forma ipſa habeat gradus intenſionis & [re]miſſionis, etiam in eadem parte ſubiecti [ta]men perficitur, in quo differt illuminat[io ab] introductione formarum ſubſtantialiu[m] tota illa ſucceſſio eſt illi qualitati mer[e per] accidens, ratione ſcilicet motus locali[s cor]poris luminoſi ad paſſum vel contra.

Dices ſecundo, forma materialis eſt c[oex]ten[ſ]a & diuiſibilis, non autem indiuiſibilis [vt di]ctum eſt, Ergo habet partes ſecundum [quas] poſſet ſucceſſiue introduci.

Reſpon. Nos non negare vt iam dictu[m eſt] ſecundum diuerſas qartes quantas rete[n]tes diuerſis partibus materiæ quantæ [poſſe] ſucceſſiue formam introduci, ſed hæc ſu[cceſ]ſio eſt illi mere per accidens, cum int[rodu]ctio partis differentiæ in vnam partem [mate]riæ non impediat, quo minus altera par[s for]mæ, alteram partem materiæ introdu[cat] vt de facto ſimul introducantur, ſi æqu[e] diſponantur partes materiæ & æque a[ppro]ximentur agenti. Neque nos dicimu[s eo] modo formam eſſe indiuiſibilem, ſed [dici]mus ita eſſe diuiſibilem, vt in aliquan[ta par]tem materiæ diſpoſitæ poſſit introduc[i for]ma aliqua ſubſtantialis, primo in eſſe [dimi]nuto aliquo & imperfecto quæ deind[e ſuc]ceſſiue perficiatur in eadem parte mo[re qua]litatum, quæ intenduntur & remittunt[ur].

Dices tertio. Non eſt idem generari [ac ge]nitum eſſe, ſicuti nec idem ſunt in m[...]

mutari & mutatum esse, mutari vero dicit uendam transitum, non autem mutatum sse. Ergo debent esse in diuersis instantibus on immediatis, Ergo mediatis, Ergo, in empore.

Respond. generari & genitum esse, mutari mutatum esse differre sola ratione & conotato, generari vero dicit ipsum effectum out egreditur actualiter ab agente, genim esse vero non dicit actu egredi sic actuam dependentiam effectus, sed abstrahit à pendentia quæ est, vel fuit, & sic non reignat idem simul generari & genitum esse, utari & mutatum esse, ac res quæ fit ac generatur est ac genita est, non tamen omne uod est aut genitum est fit, quia potest anfuisse genita ac egressa esse ab agente.

Dices quarto, Aristotelem interdum vocagenerationem motum, item 7. *Phys. cap.* 4. nfert, inter se generationes quoad tarditan & celeritatem: deinde dicit omne, quod utatur, tempore mutari: in omni mutatio esse prius & posterius: omne quod mutar, partim esse in termino à quo, partim in mino ad quem.

Respond. priora duo loca esse intelligenda on de illa actione præcise qua inducitur forna substantialis. sed de ea quæ comprehendit erationes præuias: quanquam vbi Aristoles generationem vocat motum, dici posset ocare motum, fuse accepto nomine motus; posteriora loca dico mutationis nomine otum intelligi, ita nimirum, & motus vsurtur pro mutatione interdum & viciſsim tatio pro motu.

DVBIVM VI.

trum in corruptione fiat resolutio vsque ad materiam primam?

Ensus quæstionis est, an cum res corrumpitur, & differentiæ succendenti materia iicitur, sola maneat materia, ita vt omnes rmæ tam substantiales quam accidentales æ præfuerunt in eo instanti pereant. De mis substantialibus an aliquæ maneant dem in re genita & corrupta disputari soin *lib. Physic.* vbi quæritur an detur forma qua corporeitatis, aut formæ partiales erogeniæ, propterea de iis hic non agimus, sed de formis accidentalibus tantum nobis quæstio est. Hæc quæstio aliis etiam verbis proponi solet, an eadem numero accidentia maneant in re genita & corrupta? Et quia hæc quæstio ex ea pendet, cui subiecto immediate inhæreant accidentia naturalia, an in materia, an in toto composito. Prius hoc pertractandum est, qui vero materiæ proxime inhærere dicunt hæc accidentia, vt Auerroes & consequenter dicunt eadem accidentia manere in re genita quæ fuerunt incorrupta, qui autem dicunt inhærere toti composito, vt Diuus Thomas cum suis, consequenter asserunt, in corruptione non manere eadem accidentia, corrupto vero subiecto necesse est etiam perire accidentia, cum non possit accidens transire de subiecto in subiectum. Conimbricenses nihilominus cum *sub initium librorum de generatione* statuissent, materiam esse subiectum horum accidentium, negant tamen in decursu postea manere eadem accidentia incorrupto & genito, licet insint immediate in materia, in quo non nihil videntur loqui contradicenter, & verbo quidem ab aliorum explicatione diſsident, re autem conueniunt, cum postea in responsionibus ad argumenta respondent: Ideo perire accidentia in corruptione, quia perit eorum subiectum. Et licet alia aliqua poſsit fingi dependentia quantitatis & aliorum accidentium à forma formales videlicet vel effectiuæ, ratione cuius accidentia pereunte forma diceretur corrumpi, tamen formalis illa non esset, nisi à forma in genere, eaque tantum esset mediata dependentia ex eo quod scilicet insint materiæ quæ immediate à forma dependet: vnde sicuti non obstante dependentia materiæ à forma, potest eadem materia esse sub diuersis formis ita etiam accidentia non obstante illa dependentia formali mediata. Effectiua dependentia tantum posset tribui proprietatibus ac dispositionibus propriis alicuius rei, respectu formæ non quantitati aut accidentibus communibus.

Nota primo, hic tantum esse quæstionem de accidentibus materialibus, nam accidentia immaterialia vt potentia animæ scilicet ab anima distingueretur, & actus illarum immediate inhærent animæ omnium consensu.

Nota

Nota secundo, hic tantum agi de accidentibus realibus materialibus realiter distinctis à substantia, ac 1. quidem de quantitate, si tamen re distinguatur à substantia, nam qui ratione tantum distinguunt non tantum materiæ suam affingunt quantitatem, sed etiam formæ materiali, & accidentibus dant propriam, & vnamquamque suæ materiæ formæ vel accidenti identificant.

Nota 3. Aliud subiectum esse inhæsionis, aliud denominationis: Subiectum vero inhæsionis est id, quod proxime & immediate aliud in se recipit, siue quod est toti composito ratio illud recipiendi. Subiectum denominationis quod tanquam suppositum denominatur à forma recepta. Ita homo denominatur discurrere, intelligere, velle, amare, videre, &c. licet illa immediate insint animæ, & non insint toti, nisi ratione partis. Homo dicitur simus, crispus, &c licet hoc illi conueniat tantum ratione partis, & simitas illa immediate hæreat naso, crispitudo capillis &c. De subiecto denominationis inter eos conuenit, quæstio est de subiecto inhæsionis, an scilicet quantitas & reliqua accidentia immediate de proprio inhæreant toti composito, sicut compositum secundum vtramque partem sit ratio, cur illa in se habeat ac recipiat, an vero tantum materia.

Dico 1. Quantitas & accidentia reliqua materialia inhærent materiæ sic vt aliqua dicatur quanta frigida, &c ratione quantitatis, & frigoris recepti in materia.

Probatur 1. quantitas & alia accidentia materialia in homine non sunt partialiter in anima, ergo in illo tantum sunt saltem in materia, & consequenter idem asserendum in aliis, cum in omnibus idem sit assignandum horum accidentium subiectum, & si materia in homine de se est capax horum accidentium erit etiam in aliis compositis.

Secundo Quantitas sequitur materiam primam tanquam illius passio. Ergo inest soli materiæ, & consequenter etiam reliqua accidentia quæ media quantitate recipiuntur.

Tertio Accidentia materialia educuntur tantum è potentia materiæ. Ergo illi soli insunt. Accidens probatur quia dispositiones quæ ad nouam formam recipiendam disponunt non possunt educi de potentia formæ corrumpendæ, tum quia illi repugnant & ad illius exclusionem destructionemque tendunt, ac si de potentia eius educeretur essent illi immateriales, & ad eas haberet inclinationem & appetitum, tum quia destructa illa forma maneret vt patebit ex conclusione seq. neque etiam educuntur è potentia materiæ generandæ quia dum illæ dispositiones fiunt, nec dum est forma.

Probatur quarto, vel idem accidens est in materia & forma secundum eandem partem sui, vel secundum diuersas: Si prius, Ergo idem accidens secundum eandem partem esset in duobus subiectis re diuersis: Si posterius iam illa pars accidentis quæ est in materia non sustentatur à forma, & consequenter materia est de se sufficiens, vt se sola accidens sustentet.

Quinto. Materia per se sumpta existit ac subsistit independenter à forma vt causa: Ergo est de se sufficiens, ad sustentanda accidentia. Probatur, antecedens quia materia est creata, & continue per sui creationem creatur, prius natura existens quam existat, cum in eius gremio forma debeat educi: Ergo existit ac subsistit, absque vlla propria causalitate formæ. Neque dicas, sicuti à materia pendet forma in generatione causæ materialis, ita vicissim materiam pendere à forma in generatione causæ formalis, nam si qua sit materiæ dependentia in suo esse à forma, est impropria dependentia, tanquam à conditione concomitante necessaria, vt modo connaturali existat, non tanquam à vera causa. Neque mihi videtur possibilis vllo modo ita dependentia mutua inter causas vt vna exerceat causalitatem, dando illi esse, nam si materia debeat necessario præintelligi, vt forma sit, quomodo præintelligetur esse vt materia sit. Idem dico in omnibus aliis, vbi dicitur mutua dependentia & causalitas, vt inter dispositiones & formam huiusmodi causalitatem mutuam quoad existentiam esse fictitiam & impossibilem. Et licet causæ sint sibi inuicem causæ, non tamen ita vt à se inuicem capiant existentiam, sed aliter, verbi gratia, causa efficiens pendet à forma in ratione finis non vt existat, sed agat, forma vicissim pendet ab efficiente, vt existat, forma pendet à materia etiam in existentia, in generatione causæ materialis, à qua sustentatur, materia

pend

pendet à forma vt actus & informetur, sicuti aqua in esse calidi pendet à calore.

Confirmatur, quia si materia acciperet esse à forma, vel id acciperet effectiue vel formaliter, non prius, quia sic forma concurreret ad creationem effectiue, non posterius, quia si formaliter materia haberet esse à forma impossibile esset diuina virtute materiam existere separatam à forma cum effectus formalis sine causa formali esse non possit. Deinde formæ non est dare esse subiecto, sed illud supponendo determinare vegetiuam illius potentiam.

Dices, quantitas est proprietas naturæ corporeæ emanans ab illa natura non ratione materiæ. Ergo ratione formæ, Ergo non est in ipsa materia præcise sed in ea vt actualis forma. Consequentia postrema probatur, quia proprietas manat ab eo cuius est proprietas, & cui inhæret. Quod autem non conueniat naturæ corporeæ ratione materiæ, probatur, quia materia cum sit pura potentia non est actiua, Ergo, non potest à se emittere per veram efficientiam aliquam proprietatem, emanatio autem illa est vera efficientia.

Respond. Nego non conuenire illi ratione materiæ.

Ad probationem similiter nego materiam non esse productiuam suarum proprietatum: sicubi enim veram habet entitatem & essentiam, ita effectiuam suæ proprietatis. Adde, licet non esset productiua, fuisset tamen quantitas à Deo comproductiua materiæ nunquam illi connaturaliter propria.

Dico 2. eadem accidentia numero manent in genito & corrupto, obidque non fit in corruptione resolutio ad materiam. Hæc conclusio sequitur ex precedente. Hi enim insunt materiæ accidentia, materia transeunte ad nouam formam simul emigrant, alteriusque sunt compositi.

Nota tamen ad huius conclusionis intelligentiam triplicia esse in re, quæ corrumpitur, accidentia, quædam communia, quia possunt esse in re etiam generanda, vt quantitas, figura, color, &c. alia propria rei generandæ, quia sunt dispositiones præcedentes eius generationem, alia denique sunt propria rei corrumpendæ, vt passiones & virtutes illius actiuæ, de his vltimis certum est non posse ea permanere composito corrupto cuius sunt passiones, non tam defectu subiecti, quam quia ab agente corrupta sunt vel pendent à forma substantiali illius in esse & fieri, de reliquis vero intelligitur conclusio posita. Probatur autem conclusio 1. experientia, quia videmus homine corrupto remanere illius quantitatem, figuram, colorem, cicatricem, dispositiones ad formam ignis calorem siccitatem, raritatem remanere introducta forma ignis, &c. quæ omnia, cum re corrupta perire, & noua eiusdem speciei produci in re genita, vt quidam Philosophantur, mihi videtur ridiculum & contra sensum.

Probatur 2. Cum materia sit composita ratio recipiendi ista accidentia non magis ista pendent à forma quam materia, tantum videlicet tanquam à conditione concomitante, quia vt materiam connaturali modo informent, requirunt materiam actuatam forma substantiali, ac proinde mutata forma poterunt permanere, & omnis alia causalitas formæ respectu quantitatis & dispositionum antecedētium introductionem formæ, quam quidam inuehunt, est fictitia & imaginaria, nam penderet vel à forma rei corrumpendæ, & hoc non, nam neque effectiue neque formaliter, non effectiue, quia dispositiones fiunt ab agente, à quo postea inducitur forma. Deinde hæ dispositiones repugnant formæ rei corruptæ, non formaliter quia forma substantialis non informat aut afficit ista accidentia, nisi mediante materia, cui inhæret, vnde si rerum existentia materiæ non exercet veram causalitatem formalem, neque circa ista accidentia, vel denique pendent istæ dispositiones à forma rei generandæ, quod dici non potest, cum illam antecedat.

Probatur 3. omne agens materiale prius saltem natura requirit subiectum quantum & extensum, ergo in instanti generationis vt agens introducat formam præexigit antecedentem in materia, Ergo non inuehitur quantitas à forma. Imo in sententia Thomistarum, contra quos agimus, debet forma singularis indiuiduari à materia signata, seu quanta, Ergo ante introductionem requirit quantitatem. Similiter argumentor de dispositionibus, agens prius natura requirit materiam dispositam, vt formam inducat, ergo

falsum est perire omnes dispositiones in instanti generationis, & alias omnes eiusdem speciei de nouo produci in eodem instanti, nam si pereunt, non est materia illo instanti disposita, neque est materia vnquam vltimo disposita ac præparata ad recipiendam formam: Antecedens probatur, 1. nam materia vt recipiat formam, debet per dispositiones antecedentes præparari, quomodo autem est illa materia disposita, quæ nullam habet dispositionem eo instanti? 2. Dispositiones habent aliquam causalitatem in formam, peto igitur, an illa causalitas exerceatur à dispositionibus quæ antecedunt instans generationis, & hoc non, quia in illo instanti non sunt, quod autē nō est, quomodo veram possit exercere causalitatem maxime effectiuam, qualē admittunt Connimbricenses, dicunt vero 3 illas dispositiones esse instrumentū ad virtutem agentis qua agit. Sed hoc falsum est, & plus concedūt, quā ab illis petatur: vel causalitas illa exercetur à dispositionibus quæ in instanti generationis inducuntur, & hoc non, quia illæ iuxta ipsos consequuntur introductionē formæ. Et hic mutuam fingere causalitatē, quod quidem faciūt, parum est Philosophicum, nā quomodo potest dispositio ad formam disponere, si forma prærequiratur vt dispositionem accipiat & sustentet vel aliquam causalitatem seu effectiuam, seu formalem in illam exerceat.

Probatur 4. Si in instanti generationis nuda est materia, omni accidēte à quo determinatur vt sit potius receptiua huius formæ, quā alterius, non à dispositionibus præuiis, quia illæ iam non sunt, non ab iis quæ sunt in instanti generationis, quia secundum illos consequantur natura posterius introductionem formæ. Neq; dicas materiam determinari ab agente, quia non tantum extrinsece, sed etiam intrinsece debet eius potentia vaga determinari, quod fit à dispositionibus.

Confirmatur 1. quia si in eo instanti, quo generatur homo, nulla manet dispositiuam potentia, à quo determinatur anima (neque vero ipsi admittunt formas heterogeneas) vt hoc vel illo modo informet partes corporis, & cur potius hic sit oculus quam caro, quam os, &c. anima autem ex se sit indifferens, ad omnes illas dispositiones quæ sunt in illis diuersis partibus, vnde consequens est aliunde debere determinari.

Confirmatur 2. quia si materia illo instanti est nuda ac spoliata omnibus accidentib[us] præuiis, est indifferens ad recipiendam actio[nem] cuiuslibet agentis, & consequenter si [a]gens, v. gr. quod omnes dispositiones ad [for]mam eiusdem speciei cū sua ante introdu[xe]rit in aquam illo instanti annihilaretur, & [eo]dem instanti prope istam materiā illud age[ns] v. gr. ignis collocaretur induceret ignis su[am] formā sine vlla dispositione præuia, quia ma[]teria est nuda & sine impedimento, & for[ma] substantialis aquæ eo instanti corrumpi[tur] nec esset illud agens quod suam formam [intro]duceret. Imo etiam agens fortius igni, v[] si eo instanti applicaretur, quia fortius a[] induceret suam formam, non aer, quan[] permaneret, & si duo agentia æqualis virt[utis] essent eo instanti applicata, neutrum in[] duceret formam, licet vnum præuias disp[osi]tiones ad formam induxisset, quæ omnia [] rum verisimilia sunt aut experientiæ cons[en]tanea.

Confirmatur 3. Quia si materia est nud[a il]lo instanti in agentibus æquiuocis & inde[ter]minatis, quid est quod illam determine[t ad] hanc potius formam inducendam quā ali[am].

Probatur conclusio 5. Si dispositiones p[ræ]uiæ ad formam pereunt in instanti genera[tio]nis, peruenit nullo corrumpente, neque [] assignari potest quod corrumpat, vt cum [ver]bi gratia, ignis in aerem suam formam in[du]cit, calor ac siccitas in aerem introducta [dis]ponensque ad formam ignis à quo corr[um]pitur, non ab igne cum habeat easdem qu[ali]tates, neque à forma quæ inducitur, quia [] requirit istas dispositiones.

Respondent non corrumpi per se, sed [per] accidens, ad corruptionem subiecti.

Sed præterquam quod ante refutatum [est] compositum non esse horum accidentiū [sub]iectum, saltem, in homine non potest di[ci a]nima subiectum quantitatis & material[ium] accidentiū, atq; adeo nec possunt ibi dic[i pe]rire hęc accidentia ad corruptionem subi[ecti].

Probatur 6. Si accidentia omnia in ins[tan]ti introductione nouę formæ de nouo pr[odu]cuntur, peto à quo? non à causa efficient[e] virtute ipsius, neque à forma geniti. Q[uod] non à causa efficiente probatur, quia dum [ri]gore interit homo, manet adhuc post m[or]tem aliquis calor aliquandiu in cadau[ere]

quis dicat calorem hunc à frigore produci? Item dum quis gladio occiditur, quam vim habet gladius ad producendam hanc quantitatem, hanc figuram corporis, hunc colorem, hanc cicatricem, hanc nasi simitatem? Deinde quod ad proprias rei genitæ dispositiones attinet, vel illæ ab agēte introducuntur, prius natura, quam forma, & sic habemus intentum, materiam scilicet, non nudam sed effectam vltimis dispositionibus subiici formæ, vel posterius natura, & sic dispositiones illæ non sunt dispositiones, & forma inducitur in materiam non dispositam. Quod non producantur à forma, probatur, quia si ab illa manant, quomodo sunt eius dispositiones? Deinde accidens producit substantiam in virtute substantiæ, vt omnes fere aduersarii concedunt; cum igitur calor ignis producit ignem in illo instanti, non agit nisi præuia dispositione, scilicet calefactione, ergo prius natura calor ille illo instanti calefacit, quam formam inducat, ergo calor qui eo instanti producitur prouenit ab agente non à forma. Rursum forma cadaueris, verbi gratia, quam vim habet vt accidentia communia inducat hanc figuram, hanc cicatricem, hanc nasi simitatem, maxime cum multi illam faciant formam quandam priuationem & inertem ad quicquam faciendum.

Probatur 7. Consentit hæc nostra sententia cum Aristotele multis in locis, primo *l. b. de generatione*. Secundo afferit accidentia in quibus res genita conuenit cum rē corrupta manere eadem. Item *l. b.* 1. ait: dispositiones ad formas substātiales & alterationem præuiam generationi proxime versari circa materiam. Item *lib.* 2. *c.* 4. docet Elementa symbola facilius in se inuicē transmutari, quia minus difficile est, vnam qualitatem, quā duas expellere,

Obiic 1. Aristot. 1. *de generatione* dicit: generationem fieri nullo sensibili manente, & ex nostra sententia manent eadem accidentia sensibilia.

Confirm 1. quia multis in locis indicat Aristoteles subiectum accidentiū esse ens actu, scilicet compositū. Confir 2. quia eo distinguunt alterationem à generatione, quod subiectum alterationis sit totū compositū generationis materia. Respondeo per sensibile ibi intelligendum compositum substantiale, quod in alterius formæ introductione mutatur non manet idem. Est hoc manifestum ex scopo Aristotelis, qui ibi distinguit, generationem ab alteratione, ꝙ in alteratione maneat idē substantiale cōpositum, in generatione nō item.

Ad 1. confirm. respondeo, non fuisse mentem Aristot. in istis locis explicare, cōpositum esse subiectū inhæsionis, ita vt ratione in cōposito accidentia illa recipiant, sed tantū tribui cōposito tanq̃ subiecto denominationis.

Ad 2. confir. dico, differentiam inter generationem & alterationem esse, ꝙ in alteratione semper supponatur esse constitutum compositum substantiale, ita vt alteratio cōposito tribuatur, licet ratio illa recipiēdi sit sola materia, in generatione non supponatur constitutum cōpositum, sed per generationem fiat.

Dices 2. Materia prius ordinatur ad formā substantialem, quam ad formam accidentalē. Ergo prius in generatione recipit illā q̃ hanc.

Resp. Nego consequentiam, prius enim respicit formam substantialem tanquam finem ordine intentionis, ordine vero executionis prius respicit formas accidentales, tanquam media ad illam. Adde nunquam esse formam accidentalē in materia, quin sit aliqua forma substantialis in cōfuso, hæc, vel illa, licet rerū particulariū formarū dispositiones pcedant.

Dices 3. Aristoteles dicit, destructis primis substantiis cæterorum nihil remanere, Ergo destructo indiuiduo omnia accidentia corrumpuntur.

Resp. Aristotelē velle, destructo indiuiduo nullam secundam remanere substantiam.

DVBIVM VII.

Quid sit Corruptio?

NOta: Sicuti *supr.* diximus dubio secundo, generationē aliquādo in proprio conceptu vsurpari, aliquādo in improprio, ita consequenter dicendum de corruptione.

Dico igitur primo: Corruptio in proprio conceptu sumpta, est totius compositi destructio, facta mediante partium dissolutione. Patet ex ipso cōceptu corruptionis, precise enim ex eo ꝙ totum destruat, dissolutione partium cōcipimus aliquid corrumpi & totū est ꝙ denominatur corrumpi, nō forma vel materia, neq; destructio formæ ad corruptionē requiritur vt patet in anima rationali, neq; corruptio dicit mutationē materię abesse formę ad

non esse illius, licet vero hæc naturaliter sit coniuncta corruptioni, non tamen in eo præcise posita est corruptio, nam si separarentur partes ab inuicem, ita vt vtraque conseruaretur in esse, nec tamen materia susciperet aliam formam, nihilominus esset corruptio. Ergo in suo conceptu non includit istam mutationem.

Dico 2. Corruptio secundum improprium conceptum est mutatio materiæ ab esse formæ ad non esse illius. Ita Aristoteles & consequenter Philosophi corruptionē definiunt. Sicuti contra generationem ex dictis de generatione dubio 2. conclusione 2. Hinc patet, corruptionem non esse quid positiuum, sed priuatiuum & negatiuum.

DVBIVM VIII.

An corruptio sit res naturalis?

NOta naturale opponi interdum artificio, & sic naturale est, quidquid non per artem factum est, interdum opponi supernaturali, & sic naturale est quidquid non est supra naturæ conditionem, interdum naturale opponi violento, & sic naturale est, quidquid est secundum inclinationem intrinsecam, vel saltem non cōtra illam. Postremo naturale censetur quidquid est conforme naturę, seu illius conditionem sequitur, siue naturali id appetitui repugnet, siue nō, & sic ei opponitur quod præter naturæ conditionem est.

Corruptionem esse naturalem 1. & 2. modo constat, de 3. & 4 est dubium.

Dico 1. Corruptio rerum materiæ non est ex priuata ipsius inclinatione Probatur, tum quia materia per corruptionem præcise non perficitur, sed potius specialiter suam perfectionem, tum quia non habet priuatam inclinationem ad formam quæ inducitur, nam illi æque leue est cum forma præcedente, sed tantum habet priuatam inclinationem ad aliquam formam in genere.

Dico 2. Corruptio tamen rerum materiæ non est violenta, neque contra illius inclinationem, ac proinde naturalis rerum materiæ dici potest.

Probatur, quia materia habet inclinationem ad aliquam formam in genere, & quamlibet potest recipere, & tamen indifferens ad quamlibet, sicuti comedere naturale est homini, & secundum ipsius appetitum, sed hu[...] vel illum cibúm comedere; est illi ad vitæ [...] stentationem indifferens, igitur naturale e[...] materiæ vna forma spoliari, vt alteram [...]cipiat.

Dico 3. Corruptio respectu formæ ac co[...]positi est violenta. Probatur, quia vnaqu[...]que res ex propria inclinatione appetit esse modo connaturali, quod dico propter a[...]mam rationalem, quæ licet in corruptic[...] hominis non perdat esse, non est tamen n[...]do connaturali.

DISPVTATIO II.

De alteratione.

DVBIVM I.

Quid sit Alteratio, & quis eius term[...]nus, & quomodo à Generatione differat?

SVppono, quod *supra* monui, generation[...] interdum sumi pro aggregato ex gene[...]tione, & omni alteratione præuia, & sic [...]rum est, alterationem non distingui à gene[...]tione, vel illius saltem partem esse. Nos [...] de alteratione & generatione præcise sum[...] agimus.

Dico 1 Alterationem esse motum ad qu[...]titatem manente eodem sensibili subiecto [...] Aristoteles 1. *de generat. c.* 4. Ex quo patet a[...]rationis terminum esse qualitatem, ad qu[...] manente eodem substantiali composito [...] transitus.

Petes an ad omnem qualitatem sit alte[...]tio? Respon non omnem qualitatem acq[...] per alterationem, nam proprietates & pot[...]tiæ si quæ distinguantur à subiecto real[...] cum emanant ab ipsa forma vel subiecto, [...] acquiruntur per alterationem: Vt igitur a[...]liquam qualitatem sit alteratio nō debet [...]turaliter à sua forma resultare, sed de n[...] acquiri. An vero ad omnem qualitatem, [...] de nouo acquiritur, per mutationem sit a[...]ratio, pendet ex conceptu nostro, quid p[...]prie per alterationem intelligamus, & an [...] an pr[...]e illā vsurpemus, & potius est quæ[...] de[...]

lenomine quam de re. Aliqui enim qualitatem omnem quæ de nouo acquiritur, per aliquam subiecti mutationem dicunt per alterationem acquiri, & sic in omni specie qualitatis poterit esse alteratio, & in secunda quidem de qua maxime dubitari potest) cum res depulsa à qualitate sua naturali ad statum naturalem se reducet. Aliqui eam tantum esse alterationem censent, quæ est ad qualitates sensibiles tertiæ speciei, alii ne quidem ad omnes illas, sed ad eas tantum quæ habent contrarium. Cum vero alteratio sit motus, debet successiue fieri quod non fiet nisi sit inter contraria: Et secundum hanc acceptionem illuminatio non erit alteratio, erit vero alteratio motus ad albedinem vel nigredinem. Alii denique maxime presse nomen alterationis sumunt pro acquisitione nouæ qualitatis per se tendentis ad alicuius formæ substantialis introductionem, & sic ad solas qualitates primas erit alteratio, & hæc est alteratio proprie dicta. Hinc patet, motum, quod est genus definiti in definitione alterationis secundum duas priores vsurpationes vocis alterationis, debere sumi late, prout abstrahit à mutatione instantanea, & motu proprie dicto, secundum duas posteriores vero sumi proprie vt à mutatione distinguitur.

Diço 2. Variis modis generationem ab alteratione præsertim proprie dicta differre, vti colligi potest ex vtriusque definitione. Primo enim differunt subiecto, generationis enim subiectum quatenus mutatio est sola materia: Alterationis est compositum non quod alteratio vel qualitas producta per alterationem inhæreat immediate toti composito, vt supra diximus *disp. præcedenti, dubio 6.* sed quod alteratio supponat compositum substantiale, illudque denominet mutari vel alterari, non autem illud faciat sicuti generatio. 2. Differūt termino ad quem, generationis enim terminus quatenus mutatio est, est forma substantialis, alterationis qualitas. 3. Differunt duratione, quod generatio sit instantanea, alteratio successiua, vt *infra.* 4. Distingui solent terminis à quo, quod terminus à quo in generatione sit quid priuatiuum, in alteratione sit positiuum, quod, qua ratione verum sit, superius explicuimus *disputat. præcedenti dubio 4. fine.*

Dices: Alteratio tendit & ordinatur ad generationem seu ad introducendam formam substantialem, Ergo forma substantialis erit terminus alterationis, & consequenter à generatione non distinguetur.

Resp. cum antecedentis distinctione: Alteratio tendit ad formam substantialem extrinsece, siue tanquam ad terminum extrinsecum, non autem intrinsece, siue quasi ad terminum intrinsecum, est enim qualitas terminus ipsius intrinsecus, ad quem per se tendit, vnde nulla est alteratio sine acquisitione nouæ qualitatis, multæ tamen alterationes sunt sine introductione formæ substantialis, vt cum lignum tantum calefacit ad sextum gradum. Dicitur tamen interdum generatio vel forma introducenda terminus alterationis propter concomitantiam, quia eodem instanti, quo per alterationem vltima dispositio inducitur, simul fit & inducitur naturalis sequela, sed per aliam actionem forma substantialis.

Petes 1. an vltima dispositio tanquam virtus agentis effectiue attingat formæ substantialis introductionem?

Respond. Contra quosdam tantum attingere dispositiue, & in genere causæ materialis non effectiue, illud vero quod effectiue illam attingit, tanquam virtus agentis est qualitas in ipso agente.

Petes 2. Vtrum si non daretur alteratio, daretur generatio & contra?

Resp. Si non daretur alteratio non daretur generatio, quia non disponeretur materia ad recipiendum formam, similiter si non esset generatio, non daretur alteratio corruptiua, quia hæc ad generationem ordinatur.

Posset tamen dari alteratio perfectiua sine generatione, vt de facto datur in cœlis.

DVBIVM II.

NOta; duobus modis intelligi posse, alterationem aliquam esse successiuam. 1. Secundum extensionem eiusdem qualitatis, vt videlicet agens prius attingat partes propinquiores passi, ac deinde remotiores. 2. Secundum intensionem, ita vt in eodem parte subiecti eadem qualitas paulatim ac successiue perficiatur, & hæc successio proprie est dicenda successio qualitatis, quatenus qualitas est, altera illi conuenit, quatenus quanta est, & recepta in subiecto quarto.

Dico 1. Datur aliqua alteratio instãtanea, patet in illuminatione, quæ tota fit in instanti, corpore vero luminoso ac passo, inæquali posito distantia neque intenditur lumen, aut perficitur in eadem parte subiecti, neq; vlterius ad alias partes passi extenditur, quam illo primo instãti attigerit. Ratio autem cur quædam qualitas tota produci possit in instanti est quia non habet contrarium, ac proinde agens nullum inuenit impedimentum in passo, quo minus suam actionem exerceat in instanti. Neque obstat quod qualitas illa latitudinem habeat quandam graduum diuisibilem, quia tota illa latitudo graduum, sicuti potest simul esse, ita potest simul fieri. Neque est simile in motu locali, qui ideo non potest totus simul fieri in instanti, quia repugnat naturaliter, rem aliquam simul eodem instanti occupare duo vel plura loca, & esse simul in medio ac termino.

Nota tamen, vt *supra* dictum *disput. praced. dubio* 5. posse illuminationem, aut similem alterationem fieri successiue, tam secundum intensionem quam extensionem, sed per accidens, ratione scilicet motus successiui, corporis luminosi ad passum, vel contra, passi ad corpus luminosum, hæc autem successiua productio non conuenit formæ ratione sui, cum motus ille localis sit agenti ac passo, ipsique qualitati per accidens. Vnde ex se qualitas illa non postulat successiue produci: Omnis vero successiua productio ratione formæ, aut termini producendi oritur ex duobus, vel ex repugnantia partium, secundum quas fit successio, vti contingit in motu locali, vel ex resistentia contrarii.

Dico 2. Alterationem corruptiuam seu productionem qualitatis habentis contrarium fieri successiue: Ratio huius est, quia non repugnat ex parte ipsius qualitatis successiue fieri cum habeat partium ac graduum latitudinem, ex altera vero parte resistit contrarium ipsius introductioni, quod paulatim superandum est, vt introduci possit. Vnde ad ipsius introductionem tempus requiritur ac successio. Conclusionis autem veritas patet experientia, aqua vero vel lignum approximatum igni non calefit in instanti ad summũ sed paulatim.

Nota præter hanc successiuam productionem, quæ est propria his qualitatibus, posse etiam successione produci tam secundũ extensionem, quam intensionem per acciden ratione motus localis, vt dictũ est de lumine

Petes 1. Vtrum si res aliqua careret quali tate contraria, v.g. frigore neque aliunde esse resistentia (quod dico propter cœlos) qualita altera ver. gra calor introducenda esset in in stanti.

Resp. fere introducendam in instanti, qui agens necessario agit quantum potest, vnc cum non sit impedimentum, totam efficit i instanti.

Petes 2. Vtrum si magna sit virtus actiua qualitas contraria, valde remissa, non poss etiam tum in instanti produci.

Respond. communiter esse successionem a liquam, quia sufficiens est resistentia contra rii, vt aliquantisper remoretur actionem a gentis, posset tamen ita crescere virtus agen tis & contrarium esse tam debile ac remissut vt plane vincatur resistentia ab actiuitate a gentis contrarii, sic vt rerum ipsius agent nulla sit passi resistentia, quo fiet vt qualit illa inducatur in instanti, & ita fere de fact in quibusdam mixtis res habet, quæ quia h qualitates habent admodum refractas p rum vel nihil resistunt, vt dubitari merit possit an agens agat in instanti, vt verbi gr tia, cum stuppa apponitur igni, calor summ vna cum differentia ignis videntur in instan ti introduci: Et licet aliquis suspicari possi esse aliquam moram imperceptibilem, tame non vsque adeo certum est, & saltem veloc tas illa satis indicat posse ita virtutem actiu crescere, vt in instanti vincat admodum deb lem resistentiam passi.

DVBIVM III.

Vtrum Alteratio successiua sit Motus?

CEnsent aliqui Thomistæ hanc alteratic nem non esse continuam sed discretan tam secundum intensionem quam extensic nem, eamq; fieri per diuersa instantia discr ta secundum minima subiecti & qualitati ita vt vno instanti alteretur pars minim qualitatis, ac deinde tempore sequente illu instans agens nõ alteret, sed disponat passum & alter

& altero deinde instanti determinato introducat, aliud minimum qualitatis in aliud minimum subiecti secundum extensionem, vel in idem minimum subiecti, aliud minimum qualitatis secundum intensionem. Alii censent, hanc alterationem esse continuam, tam secundum intensionem quam extensionem.

Dico 1. Positis his minimis subiecti & qualitatis, impossibile est defendere alteratione͂ esse continuam, nisi ponatur continuum constare ex indiuisibilibus.

Probatur 1. quia si minima illa qualitatis introducantur in minima subiecti in instanti, & introducto vno minimo qualitatis, alteratoque vno minimo subiecti immediate post, procedat alteratio ad alia minima subiecti & qualitatis, erunt duo instantia immediata.

Probatur secundo. Sequeretur subiectum alteratum in tempore, & qualitatem productam esse infinitam, nam si in instanti certa ac determinata pars qualitatis introducatur, & certa ac determinata pars subiecti alteretur, quouis instanti illius temporis certa ac determinata pars qualitatis æqualis isti primæ introducetur, & certa ac determinata pars subiecti alterabitur eiusdem quantitatis cum primo illo minimo subiecti. Ergo cum in quouis tempore sint instantia infinita, producentur infinitæ partes qualitatis, & infinitæ partes subiecti, æquales vni certæ & determinatæ alterabuntur.

Dixi in conclusione nisi ponatur continuu͂ componi ex indiuisibilibus: nam hoc posito non est inconueniens ponere instantia immediata neque finita, ac proinde neque erunt infinitæ partes qualitatis productæ, aut subiecti alterati.

Dico 2. Alteratio successiua est continua.

Probatur 1. Quia si non esset continua non esset vnus motus sed plures mutationes instantaneæ discretæ.

Probatur 2. Si certa aliqua qualitatis pars eiusdem intentionis producitur in determinata aliqua parte quanta non erit illa actio vniformiter difformis, tantum vero qualitatis producetur eodem instanti in parte remotio quantum in propinquo.

Probatur 3. Gradus qualitatis remissus non pendet ab intensione, sed potius contra, intensio à remissione aliquo modo pendet, quia illam supponit. Ergo quauis parte remissa qualitatis alia pars remissior induci potest. Ergo falsum est introduci 1. vbi dicunt aliquam partem minimam diuisibilem.

Probatur 4. quia agens naturale continue applicatum passo necessario agit neque cesset donec assimilauerit passum sibi, at alteratio si sit discreta erit tempus medium inter duo alterata aut producta minima quo agens quiescat. Ergo.

Respondent alii medio illo tempore agens non alterari sed disponere aliud minimum subiecti.

Sed contra 1. Si continue agens disponit, Ergo agit continue, nam fingi non potest quid sit illa dispositio producta nisi effectus manans ab agente per actionem. Quod si agens agit continue, calor, verbi gratia, ignis non agit nisi calefaciendo, nam omnis alia actio a calore prius inducto est imaginaria.

2. Id quod agens producit tempore illo intermedio, vel est qualitas, vel aliquid aliud. Si est qualitas successiue producta, Ergo datur alteratio facta successiue motu continuo, quod intendimus: Si est aliquid aliud, quidna͂ est illud?

3. Si requiratur dispositio, vt qualitas aliqua introducatur, cum illa dispositio non possit non esse qualitas, dabitur progressus in infinitum, nam etiam ad illam dispositionem requiretur alia dispositio, & sic deinceps.

4. Ista dispositio præcedens introductione͂ caloris secundum multos est raritas, hoc autem nullo modo dici potest, raritas enim sequitur calorem, nec antecedit, & redit hic etiam secundum argumentum contra responsionem ipsorum factum, datum scilicet in alterationem successiuam continuam ad raritatem. Deinde vel ista raritas producitur à raritate ignis, vel à calore, si prius contra est quod raritas de se non sit actiua: Si posterius calor non introducit raritatem nisi calefaciendo. Ergo falsum est raritatem esse dispositionem.

Quinto probatur conclusio, quia aduersarii nullam admittunt alterationem continuam. Peto cu͂ aliquid successiue illuminatur per accessum corporis luminosi ad passum, an illuminatio illa non sit continua? Si est, habemus inte͂tum, si non est, contra est, quod

tota

tota illa successiua luminis productio oritur ex motu locali, qui est continuus, Ergo & illuminatio erit continua. Deinde si non est hæc illuminatio continua, ergo interquiescit, si aliquo tempore quiescit, peto vel illo tempore toto accessit corpus luminosum vel nō, si non, est contra suppositum, ponimus enim continue moueri localiter, si accessit, ergo illo tempore est factum corpus luminosum vicinius passo, agens autem vicinius, fortius & intensius agit, ergo illo tempore intendit lumen, ergo falsum est quieuisse. Accedit auctoritas Aristotelis qui sæpe reponit alteratione inter motus proprie dictos, motus autem proprie dictus est successiuus & continuus. Ex his infero, dici non posse dari partem minimam subiecti primo alteratam, aut partem qualitatis primo introductam, cum non sit maior ratio, cur pars minima diuisibilis subiecti tota simul alteretur, vel pars minima diuisibilis qualitatis tota simul producatur quam tota ipsa qualitas vel totum subiectum: Et quia positis his minimis necessario tollenda sit continuitas alterationis.

Dices 1. Aristot. 8. *Phys. c.* 3. dicit: asserere aliquid continue alterari esse rebus perspicuis immorari.

Resp. Aristotelem argumentari contra eos Philosophos, qui dicebant, omnia semper moueri, neque vnquam à motu cessare, vt patet ex discursu Aristotelis, probatque id non dici inductione facta, neque in motu locali, neque in motu accretionis, neque in motu alterationis, nos autem non asserimus, aliquid semper alterari, sed tum cessare actionem, cum agens assimilarit sibi passum, tamē quamdiu fit alteratio dicimus illam continue & sine interruptione fieri.

Dices 2. qualitas quæ per alterationem producitur est res permanens, omnis autem res permanens incipit per primum sui esse, Ergo & hæc qualitas vt non incipit esse dum est in fieri secundum omnes gradus suæ intensionis cum perficiatur successiue, ergo, secūdum aliquam partem minimam atq; adeo non per motum continuum, nam quod fit per motum neque fit totum simul, neque incipit per primum esse, sed per vltimum non esse, sicuti & ipse motus.

Resp. 1. Concedendo totum primum Syllogismum, probabimus enim in fine huius dubii hunc modum loquendi non esse imp babilem, sed licet dicatur hæc qualitas in pere per primum sui, non tamen incipit aliquam partem diuisibilem sed indiuisi lem.

Resp. 2. Iuxta communem sententiam, gando minorem primi Syllogismi quæ vit te est maior, omnem scilicet rem perman tem incipere per primum sui esse. Est en tantum verum de iis rebus permanenti quæ fiunt in instanti, non de iis quæ fiunt motum, vel sane si velimus intelligi de or re permanente intelligenda est de illo noi est in statu imperfecto & procedit sensim statum perfectum, sed prout fit & ponitu statu perfecto; nam etiam qualitas quæ motum producitur, v. gr calor, licet per v mum sui non esse incipiat, tamen calor v qua talis incipit per primum sui esse, cum vltima caloris perfectio sit indiuisibilis & instanti producatur.

Dices 3. Agens est determinatæ virtu ergo determinat sibi certam partem qual tis, quam primo producat, & certam part subiecti quam primo attingat.

Respo. negando consequentiam, neque id dicitur determinatæ virtutis quod deter net sibi certam qualitatis ac subiecti part sed quia limitatas habet vires quas egredi potest, ita vt non possit producere effect perfectiorem quam sit ipsius virtus, aut a rare passum sibi nimium dissimilem vel ex Sphæram actiuitatis positum.

Dices 4. Si alteratio est continua, fiet tempus aliquod, ita vt non interrumpat sed hoc dici non potest, nam cum in temp sint infinita instantia, & quouis instanti alteretur, ac qualitas intendatur erit tand in fine illius temporis qualitas infinita tensa.

Resp. Etsi in tempore quo fit motus alt tionis sint infinita instantia, non tamen qualitatem infinitam, sicuti nec tempus infinitum, etiamsi habeat infinita instan nam singulis instantibus temporis non spondet pars aliqua qualitatis in fieri di bilis, sed solum mutatum esse ac indiuisi motus, sunt itaque infinita mutata esse ac diuisibilia qualitatis productæ, non tan qualitas in tempore producta infinita, modo res habet in motu locali qui licet

per tempus in quo sunt infinita instantia, & spatium quod percurritur habet infinita puncta, non tamen est spatium infinitum. Aliter res haberet si singulis instantibus responderet pars aliqua motus vel qualitatis productæ diuisibilis, tunc v. necessario concedenda esset qualitas infinita.

Dico 5 Qualitas ad quam alteratio tendit illa vel incipit per primum esse vel per vltimum non esse: si prius habetur intentum, qualitas vero illa non incipit per motum cōtinuum, cum non detur primum esse motus. Et fiet secundum suas determinatas partes minimas per mutationes instantaneas: si posterius, ergo agens illo instanti quo est debile applicatum nihil agit.

Resp. solere dici incipere per vltimum non esse; an vero aliquo modo possit dici incipere per primum sui esse, paulo post examinabitur. Illud vero, quod infertur, respondeo, esse debile applicatum, agens non vt eo instanti aliquid producat sed tempore immediate sequenti, neq; hoc est mirum, cum hoc sit de natura motus ac rei inductæ per motum, vt fiat tempore secundum communem sententiā.

Petes 1. Quare motus necessario incipit per vltimum non esse?

Resp. Quia res quæuis dicitur incipere certo aliquo instanti, implicat autem motum esse in instanti ac totum simul cum ex sua ratione sit successiuus. Quocirca illo instanti quo motus dicitur incipere, motus non est, & falsum est dicere iam est motus, & immediate ante non fuit, vere autem dicitur iam motus non est & immediate post erit.

Petes 2 Cur licet motus non incipiat per instans intrinsecum saltem non possit dici cū Toleto, quod eo instanti quo incipit motus per instans extrinsecum fiat non quidem per motum sed per mutationē instanteam prima pars qualitatis minima & prima pars subiecti minima attingatur, ac deinde per motum reliquæ partes qualitatis fiant & partes subiecti alterentur.

Re. 1. quod ad minimum qualitatis, prætereaquam quod ipse nullam adferat rationem, sequetur magnum inconueniens, nempe quod in isto instanti producatur pars qualitatis diuisibilis, sequetur etiam quouis instāti motus productum iri partem qualitatis diuisibilem, cum non sit maior ratio, cur primo instanti producatur pars diuisibilis quā sequenti, immo minor cum paulatim minuatur resistentia contrarii, atque adeo in fine motus fieri qualitatem infinitam. Deinde si resistit postea contrarium ne pars qualitatis diuisibilis tota simul introducatur, cur non etiam ante?

Re. 2. Quod ad partem subiecti minimam, dico Toletum falso niti fundamento, dari sc. in homogeneis minimum naturale, deinde si totum subiectum sit intra Sphæram actiuitatis agentis non est ratio, cur aliquo instanti attingat vnam partē subiecti, & alteram non attingat, si vna pars sit extra Sphæram, sicuti nec prius, ita neque illam postea attingit, supponimus vero nec agens nec passum moueri loco. Si Toletus ponat casum in quo solum minimum naturale vel separatum vel coniūctum sit intra Sphæram actiuitatis, tunc fateor, posito minimo naturali totum illud minimum simul qualitate eiusdem intensionis necessario alterabitur. Bannies tamen, licet admittat minimum naturale, non admittit totum minimum simul alterari qualitate æque intensa sed vniformiter difformiter, verum non videtur consequenter loqui, facit enim contra eum Toleti ratio, nam si totum illud minimum simul substantialiter immutatur, recepta v. gr. forma ignis, debet etiam totum illud simul recipere calorem, vt 8. & consequenter etiam inferiores gradus caloris eiusdem intensionis aliud haberēt minimū illud secundum aliquam sui partem calorē vt 8. & tamen haberet eodem instanti formam ignis.

Petes 3. quare saltem non potest dici, quod licet motus non incipiat per instans intrinsecum, tamen qualitas quæ producitur incipiat per instans intrinsecum, ita vt illo instāti quo incipit motus & necdum est, aliquid indiuisibile qualitatis producatur, ac deinde tempore sequente intendatur.

R illum modum loquendi non esse improbabilem, neq; enim est necesse vt quod fit per motum incipiat per modum motus cū ipsum in se non sit successiuum, sicuti motus, sed permanens & facile possit in instanti vinci resistentia contrarii secundum aliquid indiuisibile, sicuti fit singulis instantibus motus. Si obiicias agens illo instanti, si agit, agit vniformiter difformiter, ergo si in parte remota passi producat caloris indiuisibile, in propin-

qua producet diuisibilem partem. Dicam, eo instanti eodem modo se habere agens, quo pacto se habet singulis instantibus motus in quibus tantum producit vnum mutatum esse, & aliquid indiuisibile, tã in parte propinqua quam remota, neq; actio vniformiter difformis in illis quæ fiunt per motum, & in quibus resistentia contrarii est vincenda, spectãda est ex aliquo instanti sed ex tempore aliquo quo fortius agit in propinquum quam remotum vniformi quadam difformitate.

Con 1. quia eo instanti quo desinit alteratio (desinit a. per primum sui esse) illa iam non est, & tamen fit aliquid indiuisibile qualitatis, ergo similiter eo instanti quo necdũ est alteratio potest incipere qualitas per aliquid sui indiuisibile.

Confir. 2. quia sicuti latitudo extensiua rei quantæ vtrinq; terminatur duobus indiuisibilibus, ita latitudo intensiua quæ in hoc limitatur latitudinem extensiuam, & huic sententiæ tandem etiam inueni esse, Suarez *disp. 46. sect. 4. parag. 10. & 17.*

Vbi tamen bene noto aliter locutũ esse de inceptione ipsius qualitatis, aliter de intensione, nam cum qualitas prius producta intenditur, non incipit intendi per primum sui esse, cum pars qualitatis primo producta habuerit terminum suum indiuisibilem, duo autem indiuisibilia non possint sibi inuicem immediate cohærere.

Petes 4. An id quod alteratur, debeat necessario esse quantum? Resp. Affirmando, naturaliter enim omnis qualitas requirit extensionem, vt existat, quocirca & subiectum extensum ex quo fit indiuisibile, si separatum esset naturaliter, non potest alterari, de quo vide plura apud Toletum *q. 16.*

DVBIVM IV.

Quomodo fiat intensio & remissio formarum?

Aliqui censent fieri hoc modo, quod tota qualitas remissa corrumpatur, & intensa de nouo producatur. Thomistæ volunt, fieri per maiorem radicationẽ in subiecto, sic vt in intensione nihil de nouo qualitatis producatur, sed tantum qualitas, quæ primo instanti fuit tota producta magis educatur de potentia subiecti seu magis radicetur in subiecto, illique fortius affigatur. Alii in intensione nouos volunt addi gradus qualitatis qui coniu[n]gantur præexistentibus, sed hos gradus al[ii] ponunt esse eiusdem plane rationis & perfe[c]ctionis, alii diuersæ.

Dico 1 Falsum est qualitatem remissam i[n] intentione corrumpi & aliã de nouo produ[ci]

Probat. 1. quia non est à quo corrumpat[ur] ista qualitas, quæ de se est apte diu perman[e]re, vt patet si ibi sistat actio agentis. Ergo. A[n]tecedens probatur, quia omnis qualitas qu[æ] perit vel corrumpitur à contrario, vel actio[ne] agentis vel à corruptione subiecti vel defec[tu] conseruantis, sed hic nõ est contrarium à qu[o] corrumpatur, qualitas vero intensa non e[st] contraria remissæ, agẽs est quod produxit il[lam] qualitatẽ, non igitur corrumpit, subiectũ m[a]net idẽ & qualitas illa non pendet à conseru[an]te Ergo. Resp aliqui has qualitates esse cõtr[a]rias in ratione termini, vna n. se habet vt te[r]minus à quo, altera vt terminus ad quẽ, sicu[t] in motu locali acquisito vno vbi alterũ peri[t]

Sed contra remissã qualitas nõ est terminu[s] à quo ratione sui, sed quatenus habet coni[un]ctam priuationem graduum intẽsiorum, qu[æ] priuatio perit accedẽtibus illis gradibus. N[ec] est simile in motu locali, quia termini parti[a]les motus localis habent inter se repugna[n]tiam, eo quod res naturaliter non possit sim[ul] esse in duobus locis, in alteratione vero n[on] repugnat, sed est eadem qualitas quæ mane[t] alicuius additione perficitur.

Probat. 2. Intensio & remissio eodẽ mo[do] fiunt sed in remissione nõ perit qualitas int[en]sa præcedens, ergo. Minor probatur, quia [cum] aqua calida se reducit ad frigus natiuum si p[er] primũ gradum frigoris productum periret [to]tus calor, non resultaret postea alius quia n[on] est à quo fiat, nam impossibile est fieri calo[rem] à frigore & maxime intensum calorẽ à rem[is]so frigore: item absurdum est per actũ remi[s]sum dici corrumpi habitum virtutis, & aliũ [de] nouo fieri. Similiter nec calor produci pote[st à] differẽtia aquæ, cũ illa sit quæ frigus efficia[t.]

Probat. 3. quia sequeretur alterationem [&] intensionem formæ, non esse continua[m.] Nam si qualitas perit, perit in instanti, & [si]militer illa quæ producta est priore pereun[te] cum de nouo intenditur, perit, in instanti ig[i]tur vel pereunt in duobus instantibus imm[e]diatis, quod est impossibile, vel inter vtriu[s] corruptionem intercedit tempus, atque ad[e]o

oto illo tẽpore intermedio cessabit alteratio.

Dices: vel remissa qualitas est ad intensionem in potentia vel non, si est in potentia, ergo ipsa est subiectum intensioris, & illam recipit, si non, ergo illa qualitas non potest perfici per intensionem.

Resp. Committi æquiuocationem in illo, in potentia) nam si illud dicat potentiam materialem ac substantiuã, sic non est in potẽtia, sed subiectum quod remissam sustentat simul gradus intensiores postmodũ sustentat; si vero illud in potentia, tantum dicat potentiam seu aptitudinem ad vnionem tanquam cõpartis ad compartem eiusdem totalis entitatis, sic est verum remissam esse in potentia, vt scilicet vniri possit gradibus intensioribus.

Dico 2 Intensionem non fieri per maiorem radicationem in subiecto, vt Thomistæ explicant, quasi nihil de nouo in intensione producatur, sed eadem qualitas quæ primo fuit producta, postmodum magis actuet subiectum, eique magis affigatur, quia magis educitur è potentia subiecti.

Probatur 1. educi de potentia subiecti, est produci dependenter à subiecto, ergo si tota qualitas primo producitur, cum nihil postea producatur intelligi potest nihil è potentia subiecti educi.

Probat. 2. Si tota forma 1. producitur, ergo non perficitur forma per se in intensione, atqui hoc est absurdum. Quod probatur, quia inde sequuntur multa absurda, 1. quod in igne non sit plus caloris quam in aqua, quæ modicum habet teporem 2. quod non crescat virtus agendi per intensionem, cum non crescat qualitas, neque in se perficiatur. 3. Quod aqua tepida tantum perducat caloris, quantum calida, quod est contra sensum. 4. Quod duo calores, quorum vnus intensus, alter remissus, si diuina virtute separarẽtur à subiecto in nullo differrẽt, & essent æqualis perfectionis.

Confirmatur hæc ratio, quia si forma tota producitur & tota vnitur subiecto, ergo secundum se totam illam informat seu effectũ suum formalẽ tribuit, ergo nihil restat quod amplius conferat & fictitium erit quicquid dicetur superaddi.

Probatur 3 conclusio, quia si cum producitur calor remissus est totus calor secundum omnem suam perfectionem, ergo in eodem subiecto sunt duæ qualitates contrariæ secũdum omnem suam perfectionem, cum qualitas contraria necdum sit expulsa.

Dico 8 Intensio fit per additionem gradus ad gradum, ita vt continuæ, nouæ partiales entitates addantur in eadem subiecti parte, quæ simul vnam formam totalem ac perfectam componunt.

Probat. 1. quia per intensionem fit aliquid de nouo, impossibile enim est esse nouam actionem, si n. vel motum realem sine termino reali ad quem acquirendum subiectũ moueatur, sed non fit forma præexistens quia idem bis fieret, ergo fit aliqua eius pars.

Probatur 2. Actio qua qualitas intenditur, immediate versatur circa subiectum, educendo aliquid ex eius potentia, ergo vere educit aliquam realitatem de nouo.

3. Calor vt octo habet plus entitatis, quam calor vt primo, ergo motus intensionis est ad aliquam nouam partem qualitatis. Antecedẽs probatur, nam si tantum entitatis haberet, sequeretur quod subiectũ non esset magis calidum, habens calorem vt 8 quam habẽs calorem vt 1. 4 Forma quæ per intensionẽ acquiritur, habet latitudinem successiue pertransibilem, ergo prius acquiritur vna eius pars, & alia tunc acquirenda restat, nam in hoc consistit successio motuum. Deinde per remissionem aliqua entitas realis perditur, cum enim aqua calefit, calor introductus aliquid reale expellit, alioqui tota entitas caloris & frigoris essent simul, ergo similiter in intensione acquiritur. Confirmatur, Intẽsio definitur eductio qualitatis de potẽtia in actum perfectiorem, & educere est producere, ergo in intensione aliquid noui producitur.

Dices: Arist. asserere 8. *Phys. tex.* 84. ex calido fieri magis calidũ nullo facto de nouo calido.

Resp. Aristotelem nihil aliud velle, quam aliquid fieri magis calidum nullo addito nouo subiecto, cum intensio fiat in eadem parte subiecti.

Petes 1. an vnus integer gradus simul fiat?

R. non fieri totum simul, sed sicuti est in infinitum diuisibilis, ita fieri continue, non minus quam tota qualitas secũdum omnes suos gradus, alias enim alteratio & intensio non essent motus continui, nam si vno instãti fieret vnus gradus, & 2 item gradus in instanti fieret, necessario inter productionem vnius & alterius intercederet tempus.

Vnde nota; cum Philosophi totam latitudinem perfectionis vnius qualitatis secant in octo gradus, hanc diuisionem esse arbitrariam, tam facile enim in 10. vel 20. secare poterunt, quam 8. cum ipsa in infinitum sit diuisibilis; in scholis tamen doctrinæ causa vsurpatus est hic modus loquendi, vt vni qualitati intensibili & remissibili 8. gradus, seu partiales entitates æquales eiusdem qualitatis perfectæ dentur, & prima pars, quæ producitur, dicatur primus gradus, secunda pars secundus gradus, sic deinceps vsque ad octauum.

Petes 2. an illi gradus sint realitates diuersæ.

Resp. Esse partiales realitates diuersas etiam inter se distinctas realiter, ex quibus tamen vna totalis qualitas componatur.

Petes 3. An modus ille loquendi sit admittendus, quod qualitas remissa fiat intensa?

Resp. Melius dici ex remissa fieri intensam, prior tamen modus loquendi etiam admitti potest, licet non maneat eadem qualitas additione partialis entitatis, sicuti non eadē aqua cui alia additur: dicimus tamen aquam fieri maiorem, vel augeri propter identitatem partis, cui fit additio, vnde saltem secundum aliquid sui manet idem.

Dico 4. Hos gradus ac partiales entitates non esse homogeneas ac eiusdem perfectionis, sed aliquo modo heterogeneas & diuersæ rationis, in ratione indiuidua, ita vt secundus gradus perfectione superet primum, illumq; necessario supponit vt introduci possit, & tertius secundum, &c.

Probatur conclusio 1. quia si illi gradus essent homogenei, non esset maior ratio cur vnus gradus introduceretur primo quam alius, sed æque posset initio induci octauus gradus, neque inter omnes illos gradus esset ordo vllus similiter in remissione æque initio quilibet gradus perdi posset.

2. Si sunt paris perfectionis & in nullo distinguantur, secundus non intenderet primū, nec tertius secundum, si vero vna qualitas eiusdem intensioni ac perfectionis ponatur simul cū altera, v. g. calor vt quartus cū altero calore vt quartus, sequitur quidem multiplicatio qualitatum, non tamen intensio.

Conf. 1 quia non aliter differet intēsio ab extensione eiusdem qualitatis, quam quod in extēsione eadem qualitas ponatur in diue[rsis] partibus subiecti, in intensione vero pona[tur] in eadem, ac consequenter sicuti augment[um] quod qualitas habet per extensionem est plane per accidens, ita etiam augmentū q[uod] haberet per intensionem.

Confir. 2. quia alias vna qualitas in fi[ne] intendi posset, sicuti in fine potest extendi.

Confir. 3. quia sequeretur accidentia pl[ura] eiusdem speciei ac perfectionis multiplic[ari] ac coaceruari in eodem subiecto.

Prob. 3 quia multa sequerentur incomm[o]da: 1. quod duo calores vt 4. possent se mu[tuo] extendere, vsque ad summū, nam vnus po[sset] producere in secundum gradū in altero (q[uis] vero vetat cum effectus qui produceretur n[on] superaret perfectionem causæ? & si potes[t] duobus subiectis producere duos calores ei[us]dem secum perfectionis, cur non in eodē su[b]iecto?) & ille iam intensus alterum intendi poterit vsque ad secundum gradum. Dei[n] vnus in altero tertium gradum producet, & deinceps. Immo vnus & idem calor vt vn[us] etiam si non intendatur ob eandem ration[em] producet calorem vt octo in altero subiec[to]. 2. Idem etiam calor vt vnū poterit seipsum [au]gere. nā ille calor virtute omnes reliquos g[ra]dus continet 3. Si sint octo calores vt vn[us] qui agant in idem subiectum producerēt [ca]lorem vt octo, & illud ignirent, nam illi ca[lo]res vt octo, si simul coniungantur in eadē p[ar]te subiecti, producerent calorē vt octo qui[a] ergo separatim? Nam quod coniuncti poss[int] producere calorē vt octo, est quia singuli p[os]sunt vnum gradū producere, ergo cū separ[ati] singuli possunt in eodem subiecto produc[ere] calorem, vt vnum producent calorē vt oc[to]. 4. quod ex præcedenti sequitur, sequere[tur] quemuis calorem vt vnū posse se solo pro[du]cere calorem vt octo, nam cū ille calor sit [in]tensus, facile erit designare partes 8. quar[um v]naquæq; suum calorē producet. Dixi in co[n]clusione, hos gradus esse heterogeneos ac [di]uersæ perfectionis in ratione indiuidua, nā [nul]la diuersa perfectio graduum diuersorū n[on] est secundum diuersam rationem ad essen[tiam] specificam, sed secundum rationem indiuid[u]am. Primus enim gradus caloris & secun[dus] in ratione specifica caloris conueniunt, li[cet] secundus in entitate sua maiorem habeat p[er]fectionem quam primus.

Ex dictis collige 1. magis distingui inter se gradum primum & secundum, quam duos gradus primos, vel duos secundos, & ita de cæteris. 2. facile admitti posse modum loquendi Thomistarum, hanc scilicet intensionem fieri per maiorem radicationem, per eductionem eiusdem, de potentia subiecti, non autem modum explicandi istam radicationem vel eductionem. Ideo enim intensa qualitas est radicata, quia plures habet gradus, & ob multitudinem graduum magis subiecto dominatur, ac perinde difficilius ex eo expelli potest. Est magis educta, quia plures gradus dependenter à subiecto sunt producti.

Petes primo, an in intensione sicut fit additio entitatum partialium, ita fiat additio & augmentum essentiæ quantitatis? Ratio difficultatis est, quia ex vna parte non videtur quicquam addi posse essentiæ, cum illa sit in indiuisibili, ex altera tamen non videtur addi posse entitati quin simul essentiæ addatur, cum entitas essentiam includat.

Respondeo, duobus modis intelligi posse augeri essentiam qualitatis imo secundum partes essentiales, vt nimirum aliquid addatur partibus essentialibus generi & differentiæ ad complendam totam rationem essentiæ, & hoc modo essentiæ qualitatis per intensionem nulla fit additio. Altero modo quoad partes quodammodo integrales ipsius essentiæ, prout vero diuersis entitatibus communicatur essentia, ita etiam aliquid integraliter addi censetur essentiæ, vt cum aqua additur aquæ, certum enim est, non fieri additionem partium essentialium, tamen aquæ essentia integraliter augetur, quatenus diuersæ partes aquæ istam aquæ essentiam participantes sibi inuicem adduntur, & hoc modo etiam dici potest fieri additio essentiæ qualitatis. Verum quia cum petitur, an essentia augeatur, prior sensus magis est obuius, communiter negandum est augeri essentiam vel illi aliquam additionem fieri.

Petes secundo, an forma substantialis saltem Elementorum non admittat intensionem & remissionem?

Respond. contra Auerroem non admitti, quia non habet diuersos gradus, vti qualitas, sed est indiuisibilis. Deinde si cum calore introduceretur aliquid ignis, in aquam, vt ille vult, sequeretur duas formas esse simul, item cum esset introductus magnus calor, sequeretur plus ibi esse formæ ignis quam aquæ, ac proinde non posse se ad frigus reducere.

Nota tamen, licet non admittam intensionem & remissionem in formis substantialibus, mihi non videri impossibilem istam sententiam inter formas eiusdem speciei, verbi gratia, duorum hominum animas vnam esse substantialiter perfectionem in entitate sua simplici, alteram imperfectiorem ea fere ratione qua diximus, duos gradus qualitatis primum & secundum esse inæqualis perfectionis.

DVBIVM V.

An Alteratio seu intensio terminetur ad maximum vel minimum?

SEnsus quæstionis est, an in illa qualitate quæ per intensionem producitur, detur aliquis terminus, vltra quem non possit intensio procedere, item an detur tam remissa qualitas, qua mior fieri aut existere non possit, separata ab aliis gradibus.

Dico primo. Alterationem & intensionem terminari ad maximum.

Probatur, quia datur qualitas tam intensa, calor, verbi gratia, qua intensior naturaliter dari non potest; ratio autem est quia agentia naturalia finitæ ac determinatæ sunt virtutis, ob idque habent determinatum effectum, vltra quem procedere possunt.

Nota tamen, nullum esse terminum intensionis rerum potentiæ diuinæ sed tantum rerum agentium naturalium.

Dico secundo. Alterationem non terminari ad minimum, quasi scilicet detur qualitas aliqua tam remissa; vt si remissior sit conseruari non possit.

Probatur primo, quia qualitas secundum latitudinem intensiuam est in infinitum diuisibilis, ergo quauis data remissior dari potest.

2. Si detur tale minimum debebit simul totum produci, si ergo procedat intensio quod additur vel continue fiet vel per instantia discreta, prius dici non potest, quia non est maior ratio, cur vno instanti producat minimum potius quam aliis: posterius refutatum est supra.

3. Si continue remitteretur intensa qualitas, cum peruentum fuerit ad minimum, ipsa desinet per vltimum sui esse, nam erit verum dicere hoc instanti est, & immediate post non erit, hoc autem nullo modo dici potest, quod probatur, nam si desinat per vltimam sui esse, vnum ex his concedendum est; vel contrariam qualitatem in summo eodem instanti esse simul in subiecto cum illo minimo qualitatis, vel dari duo instantia immediata, vel aliquo tempore esse materiam sine forma substantiali, nam cum qualitas contraria in summo incipiat in instanti intrinseco, vel eodem instanti incipiet quo illud minimum desinit, & sic habetur primum, vel instanti immediate sequenti, & sic dantur duo instantia immediata, vel mediat tempus, quo tempore necdum erit vltima dispositio ad formam, ac consequenter nec forma introducenda.

Dices: qualitas illa habet terminum magnitudinis, Ergo & paruitatis.

Respond. nego consequentiam, ideo enim habet terminus magnitudinis, quia agens naturale habet limitem extremũ virtutis, quem non potest excedere, intra illum vero limitem sicuti non est virtus agentis definita, ita etiam quælibet qualitas determinata potest remissior & remissior effici. Cætera argumenta, quæ contra hanc conclusionem obiici possent supra soluta sunt *dub.* 3. inter quæ maxime secundum & tertium contra hanc ipsam faciunt.

DISPVTATIO III.

De Augmentatione.

DVBIVM I.

Quid sit Augmentatio? quid Diminutio? & quomodo à Nutritione differat?

NOta nos cum Aristotele loqui de proprie dicta augmentatione, quæ est propria viuentium, quæ fit secundum omnes partes viuentis, & per intussusceptionem alimento scilicet intra viuentis poros recepto, nam alia quæ est in inanimatis fit tantum intrinsece addita parte siue per iuxta positionem.

Dico 1. Augmentatio est motus viuenti minori quantitate ad maiorem.

Ex quo patet, terminum ad quem in acc[...] tione esse maiorem quantitatem, quam sit la quæ deperdita est virtute caloris natu[...] lis, terminum vero à quo esse minorem qua[...] titatem, vel potius priuationem maio[...] quantitatis.

Dico secundo. Diminutio seu decretio motus viuentis à maiori quantitate ad min[...] rem.

Petes: An decretio sit motus positiuus?

Respon. duo esse in decretione, 1. vero restauratio aliqua eius quod deperditum [...] vi caloris naturalis. 2. est minor quanti[...] quam fuerit præcedens quæ restituitur, [...] deperditio ac negatio alicuius quantitatis [...] tione prioris est quid positiuum, ratione p[...] sterioris est quid negatiuum, nam in gene[...] omnis illa mutatio est negatiua quæ ten[...] ad negationem, ac destructionem alicu[...] formæ, sic corruptio in substantiis & rem[...] sio in qualitatibus sunt mutationes negati[...]

Dico 3. Accretio à nutritione differt, qu[...] accretio per se tendat ad quantitatem, nut[...] trio ad partialem substantiam quæ proi[...] est aggregatio aliqua, qua pars aliqua de [...] uo fit, ac priori parti agglutinatur.

Petes 1. An accretio & nutritio debe[...] censeri diuersi motus?

Respon. affirmando sicuti ipsi termini s[...] diuersi.

Petes 2. an accretio & nutritio realiter [...] ferant.

Resp. Aristot. *c.* 5. *lib.* 1. videri insinuare t[...] tum ratione differre. Ita etiam tenent om[...] Nominales, qui quantitatem à substan[...] tantum ratione differre dicunt, qui co[...] quenter loquuntur, cum motus non pos[...] habere maiorem distinctionem quam ter[...] ni motuum. Alii qui tenent quantitatem [...] liter differre à substantia, consequenter [...] cunt accretionem à nutritione distingui [...] liter. Ad Aristotelem vero in hac sententia [...] spondendum, quod nihil aliud voluerit qu[...] à parte rei accretionem semper esse con[...] ctam mutationi, atque ista vt à parte rei su[...] esse per intellectum distinguenda. An v[...] quantitas sine substantia acquiri possit [...] contra, id Aristoteles nec sciuit, nec scire [...] tuit naturaliter.

Di-

Dices: tantum vnicum esse terminum per se
[i]imo intentum, scilicet partem substantiæ
[q]uæ aggeneretur, quantitatem vero consequi
[q]uia indiuulse coniuncta est substantiæ, sed v-
[b]i tantum est vnus terminus per se intentus,
[pr]imo ibi tantum vna est actio & mutatio,
[er]go non dabitur motus augmentationis per
[se] tendens ad quantitatem.

Confirm. 1 quia vt ad aliquid sit per se mo-
[tu]s, illud debet per se fieri, & non ad produ-
[cti]onem, etiamsi sit res diuersa ab illa, ob id
[er]go negat Aristoteles per se esse motum ad
[na]turales potentias & figuras, sed quantitas
[se]mper fit ad productionem substantiæ.

Confirm. 2. quia in generatione totius nul-
[la] est mutatio per se tendens ad quantitatem,
[eo] quod illa quantitas congeneretur cum to-
[to] ergo similiter in generatione partiali, quia
[e]odem modo se habet.

Respon. nego maiorem, sunt enim duo ter-
[mi]ni per se primo intenti à natura substantiæ
[par]tialis & quantitas maior, & licet quanti-
[tas] semper consequatur substantiam, tamen
[int]ensio naturæ per se primo fertur in sub-
[sta]ntiã, vt scilicet restauretur quod deperdi-
[tu]m est virtute caloris naturalis, & simul et-
[ia]m per se tendit ad quantitatem quatenus
[pe]r se primo intendit permouere tendens ad
[qu]antitatem perfectam, suæque naturæ ac-
[co]mmodatam. Notandum vero nullum vi-
[ue]ns habere initio illam quantitatem quam
[ha]bere potest, sed habere vim intrinsecam se
[per]ficiendi, & per vim augmentatiuam sese ad
[il]lam quantitatem perferendi, vnde etiam per
[se] primo intendit natura istam quantitatem,
[&] ad illam formaliter tendit per augmenta-
[tio]nem materialiter, & non nisi per accidens
[ad] substantiam tendit, eo quod non possit
[qu]antitas acquiri sine substantia.

Ad primam confirmationem respondeo vt
[a]liquid sit.

Sufficit vt illud sit per se ab agente primo
[i]ntentum quod in quantitate locum habet,
[no]n autem in naturalibus potentiis & fi-
[gur]is.

Ad secundum respondeo idem in genera-
[tio]ne non esse motum per se ad quantitatem,
[q]uia non intendit agens per se primo ni-
si substantiam, contra fit in au-
gmentatione.

(***)

DVBIVM II.

Quomodo fiat Accretio?

VT melius tota hæc materia intelligatur, notandum 1. quod cum calor natiuus viuentis, qui per totum corpus diffusus est (licet præcipue in corde resideat) consumat continuo humidum radicale seu substantiale indiget viuens cibo qui humidum nutrimentale vocatur, tum ad restaurandam substantiam deperditam, tum etiam ad augendam & perficiendam præexistentem vt viuens debitam & conuenientem magnitudinem assequatur, quem cibum multis intercedentibus alterationibus transmutat sua virtute in substantiam quatuor humorum inter quos sanguis maxime est proximum ipsius nutrimentum.

Notandum 2. factum sanguinem ab hepate accipi in vena quæ caua dicitur ex qua diffluit sanguis ad alias venas per complures corporis partes distributas Quia vero istæ venæ non possunt intersecare omnes corporis partes, ideo in partibus viuentis vbi non sunt venæ, sunt foramina & viæ quædam, quę pori dicuntur, facti vi caloris naturalis, suntque aere aut vapore aliquo pleni: quos poros esse experientia testatur, sine illis neque sudor, nec capilli, nec furfures capitis exire possunt, nec aer etiam in carnem intrare, per hos ergo poros quodlibet membrum trahit è venis sanguinem sua virtute, quem sanguinem iam dispositum conuertit in suam substantiam, verbi gratia, carnem vel ossa corrumpendo formam sanguinis, & in eius materiam introducendo formam partialem cum forma viuentis, hæc conuersio dicitur nutritio seu partialis generatio in qua necesse est rem nutritam simul cum materia acquirere nouam quantitatem, eandem scilicet quam habebat antea eadem materia sub forma cibi quæ manet post illius corruptionem.

Notandum tertio, quod Aristoteles tantopere in hac materia inculcat nullum hic esse vacuum, neque penetrationem, dimensionem, nam pori illi non sunt vacui, sed aere aut vapore subtiliori pleni, sanguis vero in porum illum attractus, vaporem illum aut aerem expellit vel per alium porum, vel per partem eiusdem, sicut egreditur aer, cum aqua infunditur vasi angusti orificii.

Notan-

Notandum 4. Quia pori illi supradicti obturantur occupante substantia de nouo genita, locum quem occupabat sanguis fieri de nouo alios poros simili modo quo ante & ad similem finem.

Hi pori autem partim fiunt à calore naturali depascente continue substantiam viuentis, partim in pueritia & adolescentia, ex eo quod dilatentur membra & protrudantur vlterius, ex quo necessario fit vt illi meatus maiores fiant.

Notandum 5. Cum in restauratione substantiæ & quantitatis substantia & quantitas quæ acquiritur est æqualis illi quæ vi caloris naturalis est consumpta, ea sunt alio, dum nutritio neque habet aliud peculiare nomen, si quantitas quæ acquiritur est maior, dicitur augmentatio, si minor diminutio. Ex quo patet augmentationem præcise esse in ista mutatione qua viuens ratione sententiæ alimenti in suam substantiam conuersi quantitatis ipsius additione fit maius, non autem vt quidam volunt in quadam membrorum dilatatione quæ antecedit hanc conuersionem vel sequitur.

Dices: non videri posse consistere augmentationem formaliter in sola illa conuersione, sed requirere etiam illam dilationem membrorum apud viam, nam 1. ex sola conuersione si non dilatentur mēbra nō crescit viuens, neque occupabit maiorum eorum, imo nec poterit plus cibi conuertere quam fuerit substantiæ deperditæ, nam pori qui fient, fiunt tantum à calore naturali consumente substantiam membri in cuius substantiæ locum in poris illis succedit sanguis, qui non poterit habere plus quantitatis quam habuerit pars illa membri deperdita, nam si esset maior penetraret se cum quantitate partis solidæ præexistentis. 2. quia alias non posset reddi ratio, cur augmentatio tantum fit ad certam annorum periodum maxime versus longitudinem, nam vt ait Galenus, pueri & iuuenes æquali calore naturæ potiuntur, non igitur augmentatio cessat, quod debilitata sit virtus ad conuertendum cibum in maiorem substantiam, sed quia membra quæ in pueritia erant tenera & humida facile à calore dilatabantur, postea vero duriora effecta taliter distensionem pati non possunt: quod & ipsa experientia docet, nam tempore incrementi corpora fiunt subtiliora & rariora, post illud vel fiunt crassiora & pinguia.

Respond Concedendo ante augmentationem præcedere istam dilatationem membrorum siue propulsionem illorum ad maiorem locum, ex qua dilatatione resultant pori ampliores, sed nego augmentationem in ista dilatatione formaliter consistere, verum in productione quantitatis in istis poris facta. Nam tunc primo sicuti nouam portionem substantiæ sibi agglutinat, ita nouam quantitatem acquirit, quæ sine noua substantia esse non potest. In illa autem dilatatione non acquiritur noua substantia, ac proinde nec quantitas, neque re in seipsa extenditur, sed tantum versus locum exteriorem.

Vt autem intelligatur quomodo ista membrorum dilatatio fiat, ac pori ampliores, notandum quod cum natiuus calor coquit cibum vt in membri substantiam conuertat, simul educit vaporem, qui ex concoctione resultat, qui vapor nouum facit porum partes propellendo, quæ præcedentem porum oppleuerunt, ac consequenter reliquas partes versus locum exteriorem, quæ quia teneræ sunt facile cedunt, & tum intrat sanguis de nouo factus à membris expulso vapore, qui sanguis deinde conuertitur in substantiam viuentis, eductoque vna nouo vapore iterum fiunt noui pori dilatatis membris, & sic deinceps, ex quo sequitur, maiorem acquiri substantiam quam sit ea quæ deperditur, quia pori illi non fiunt ex sola deperditione, sed etiam membrorum depulsione.

Similiter satis colligitur, quomodo augmentatio fiat sine penetratione partium. Item, cur non toto tempore vitæ fiat accretio quando vero cessat vis propellendi partes viuentis versus aliquem locum, aut quia duriora sunt ossa, aut quia vis caloris debilitatur in concoctione, tunc cessat accretio. Hinc etiam patet, cur augmentum viuentis prius fit secundum longitudinem, quam secundum crassitiem, quia scilicet vis caloris & vaporum sursum tendunt.

DVBIVM III.

An Augmentatio sit continua?

De successione augmentationis nullum est dubium, sensu enim notum hominem paulatim

paulatim augescere, sed an illa accretio continue fiat sine interruptione, non parua est difficultas, item manifestum est, si nomine accretionis comprehendamus omnes motus & alterationes præuias fieri successiue ac continue, nam per motum localem primo traiicitur alimentum in stomachum, ac deinde in alias partes: Præterea ante conuersionem alimenti multæ antecedunt alterationes, sed difficultas est de sola illa maioris quantitatis acquisitione, an fiat continue sine interruptione, an vero ita successiue fiat, vt acquiratur pars aliqua quantitatis in instanti. Multi vero sunt, qui per minima discreta volunt fieri augmentationem, ita vt vnumquodque minimum alimenti discrete alteretur, & in instanti in vnumquodque discrete inducatur forma viuentis. Et consequenter in vno instanti acquiratur à viuente tota illius minimi quantitas & in altero instanti alterius minimi, & sic deinceps Alii sunt qui volunt nutritionem seu conuersionem alimenti in substantiam viuentis fieri in instanti, augmentationem tamen coniunctam fieri successiue ac continue. Sed hoc nullo modo intelligi potest, quomodo vero in instanti potest quis conuertere materiam alimenti diuisibilem in suam substantiam, & non eodem instanti coniungere sibi quantitatem illius alimenti quæ à materia non potest diuelli. Alii volunt augmentationem fieri successiue, sed totam rationem augmentationis ponunt in præuia dilatatione partium, quam sententiam præced. dubio refutauimus.

Nota vero, vt hoc dubium melius intelligatur, posse tribus modis intelligi accretionem, esse continuam primo, quod sit continua ac fiat sine interruptione toto vitæ tempore, & hoc sensu certum est, illam non esse continuam, neque vero viuens tota vita augescit. 2. quod sit sine interruptione à principio vitæ vsque ad tempus consistentiæ, verbi gratia, in homine vsque ad 25. annum. 3. an item breui aliquo tempore possit continua successiue, licet non totalis, partialis tamen augmentatio fieri, verbi gratia, intra vnum horum suscepto sanguine, an illius sanguinis quantitatem possit successiue acquiri, & vtroque hoc postremo sensu dicendum.

Dico 1. augmentationem totalem, seu quæ à principio vitæ vsque ad annos consistentiæ non esse continuam, nec esse posse, sed esse discretam.

Probatur: tum quia calor naturalis non semper est adeo potens vt maiorem partem alimenti in substantiam viuentis conuertat, aut membra dilatet & extendat; tum quia accretio sæpe impeditur vel defectu alimenti, vel motus, vel alia aliqua causa.

Dixi in conclusione neque posse esse continuam, quia sunt nonnulli qui putent hanc accretionem regulariter non esse continuam, posse tamen esse si continue suppeditetur alimentum, & viuens sit sanum calore naturali debilitato. Sed probatur nec hoc dici posse, quia cum pori sanguine sunt repleti, nullum amplius trahunt alimẽtum, sed circa id quod habent negotiantur membra, ergo deberet prius illud alimentum transmutasse, & nouos poros excitasse, priusquam aliud alimentum attrahatur, ne detur penetratio dimensionum, ac tum incipiat alterari & demum transmutare, ergo necessario inter priorem illam transmutationem & hanc posteriorem intercedit tempus. Et iuxta hanc conclusionem est intelligendus Aristoteles, sicubi videatur indicare accretionem non esse continuam, vel sane negat esse continuam, id est, perpetuo durare vt cum argumentatur contra Heraclitum.

Dico secundo. Accretionem partialem esse continuam.

Probatur primo, quia secundum Aristotelem augmentatio est motus, ad rationem vero proprie dicti motus pertinet continuitas, vnde Aristoteles non tantum dicit esse motum, sed etiam sæpe inter motus continuos recenset.

Probatur secundo. Ignis successiua continuitate augetur per additionem materiæ exterius adiectæ, vt patet in charta vel ligno, ergo etiam ob eandem rationem continue nutrietur & augescet viuens per additionem alimenti dispositi.

Probatur tertio, dum sanguis existit in poris corporis, aliquæ partes ipsius sunt propinquiores partibus viuentis, aliæ vero remotiores, eæ scilicet quæ propius centrum existunt, ergo virtus augmentatiua & calor naturalis, qui illius est instrumentum prius alterant partes propinquiores quam remotiores, idque alteratione successiua ac continua,

cum in alimento sit resistentia, neque vlla sit ratio cur aliquando consistat actio, ergo etiam successiue ac continue fit alimenti conuersio in substantiam viuentis.

Nota; alias esse rationes quibus aliqui hanc conclusionem probant, sed nihil concludunt, vti est illa 1. Bannies & Conimbricenses, quod res tam mouetur localiter per partium scilicet dilatationes, ergo successiue ac continue augescit; nam motus ille localis non est ipsi augmentationi intrinsecus, sed vel antecedit vel sequitur, neque alimentum dum conuertitur, mutat locum, sed eundem retinens locum fit substantia viuentis. 2 eandem probat Bannies ex eo quod augmentatio habeat terminos contrarios, sed falsum est vere esse contrarios, nam quantitas minor & maior non opponuntur, cum possint esse simul, licet quantitas minor in quantum habet coniunctam priuationem, maioris quantitatis sit terminus à quo & priuatiue oppositus, sed vbi non terminus à quo, est sola priuatio, non est resistentia, ac proinde nec successio, vt patet in formis substantialibus & alterationibus perfectiuis. 3. Non valet ista ratio, qua eam Bannies & alii stabiliunt, nimirum ideo esse continuam successionem, quia in quantitate est latitudo partium pertransibilis, nam & in formis substantialibus materialibus est latitudo extensiua partium, & in lumine latitudo grauium quæ tamen producuntur in instanti, vnde latitudo partium non arguit necessario debere esse successiuam productionem, nedum continuam, sed ex ea tantum concluditur posse esse illius successiuam formæ productionem. Ex ea igitur ratione tantum fit, quantum acquiri posse successiue, quia habet latitudinem partium, tamen ratione sui nihil repugnat acquiri totam simul, sicuti fit in generatione, compositum enim in instanti productum per generationem simul in instanti acquirit totam quantitatem materiæ.

Petes; quæ est igitur causa successiuæ acquisitionis quantitatis?

Respon. eam esse quam insinuat 3. ratio secundæ conclusionis scilicet, quia successiue continueque disponitur alimentum, ex quo sequitur augmentationem non esse successiuam vel continuam, ratione termini sui præcise, quasi forma acquirenda illam successionem vel continuitatem per se postulet, sed tantum per accidens, ratione alterationis successiue coniunctam. Qua ratione etiam diximus supra formam substantialem posse acquiri successiue, & hic in nutritione, quæ est substantialis aggregatio, contingit, eodem enim passu procedunt nutritio & augmentatio.

Dices 1. Si augmentatio sit continua, sequetur infinitis instantibus acquiri infinitam quantitatem.

Respon. negando sequelam, sicuti supra dictum est de alteratione, nam tota quantitas acquiritur in tempore, & pars quantitatis in parte istius temporis, singulis vero instantibus tantum respondent indiuisibilia quantitatis.

Dices 2. si continue fiat augmentatio non dabitur minimum naturale in viuentibus, non vero dabitur tam parua pars quin prius fuerit forma sub minori.

Respond. negatur ista sequela, minimum enim in viuentibus est rerum generationis; cum vero debeant constare partibus organicis quæ non possunt naturaliter sub quantitatis parua materia existere, requiritur certa & determinata quantitas, ita vt sub minori esse ac generari non possit, illud autem minimum non est rerum augmentationis vel aggregationis; partibus enim organicis iam debita quantitate constitutis potest fieri additio minoris & minoris partis in infinitum. Adde in augmentatione fieri augmentum per se 1. in partibus homogeneis, in quibus non datur minimum, partes vero heterogeneæ tantum ratione homogeniarum augescunt.

DVBIVM IV.

An in accretione qualibet pars viuentis augescat?

Dico 1. Omnes partes heterogenias in accretione augeri.

Probatur, quia in omnibus est vis augmentatiua, & res est clara experientia, cum vna pars crescit reliquas etiam crescere, nisi membrum aliquod sit aridum & sic male affectum, vt si sufficiens suggeratur alimentum possit omnibus partibus pro cuiusque exigentia distribui.

Di

Dico secundo. Non omnes particulas minimas partium homogeniarum immediate augeri. Ratio quia non dantur partes minimæ, tum quia vix posset hoc intelligi, posset fieri sine penetratione alimenti & ipsius partis.

Dico tertio. Augmentum fieri per valde minutas partes partium homogeniarum, quæ vix habent distantiam perceptibilem, ac proinde recte dici viuens augeri secundum omnes suas partes. Explicatur, in partibus homogeniis innumeri sunt pori in quibus recipitur alimentum, adeo vt licet inter porum & porum interiaceant minutæ partes solidæ carnis vel ossis, verbi gratia, tamen quia illæ partes intercedentes sunt vsque adeo minutæ, minimum est interuallum inter partem & partem aliam, & licet illæ partes sint adhuc diuisibiles, ac proinde secundum se totas non immediate augeantur, ratione tamen exiguæ quantitatis censentur quodammodo immediate augeri.

Nota primo, licet viuens dicatur augeri per intussusceptionem, quia alimentum ab omnibus partibus è venis sugitur & attrahitur, atque intra poros recipitur, contra quam in inanimatis tamen partes illæ minutæ partium homogeniarum augentur per iuxtapositionem.

Nota 2. Aristotelem dicere augeri viuens secundum partes formales, non materiales, sed hoc erit explicandum dubio sequenti.

DVBIVM V.

An maneat vnum & idem viuens post Accretionem?

Tota difficultas oritur ex eo quod cum in accretione (& eadem est ratio nutritionis) semper aliqua pars deperdatur, & aliqua pars noua acquiratur, quomodo viuens maneat idem, totum vero variatur mutata aliqua parte, imo cum tandem longo temporis interuallo omnes partes, quas viuens primo habuit, possint esse deperditæ, & omnes nouæ acquisitæ quomodo possit dici idem esse viuens. Auget difficultatem Aristotelem qui *lib.* II.*c.*5.*t.*35 dicit: tempore augmenti viuens manere, idem secundum formam, non secundum materiam, hanc vero dilabi ac diffluere, & propterea in accretione additionem fieri secundum formam, non secundum materiam, quia id, cui fit additio, permanere debet, quæ omnia videntur falsa, cum forma non minus videatur perire quam materia.

Aliqui dicunt, partes spermaticas seu humidum radicale acceptum in generatione semper manere, & ratione istarum partium manere toto tempore alimenti idem viuens, humidum vero nutrimentale perire, illudque restaurare.

Alii dicunt in viuentibus perfectis manere semper eandem formam, eo quod in illis anima sit indiuisibilis, in aliis tamen imperfectis, eo quod habent animas diuisibiles, fieri accessum & recessum formæ vti & materiæ. Imo aliqui sunt, qui licet admittant horum viuentium animas diuisibiles, tamen dicant semper manere eandem formam, neque quicquam illius accedere vel recedere accedente vel recedente materia.

Dico primo. Homo manet idem ante & post augmentationem. Ratio, quia manet eadem forma quæ accedentes nouas materiæ portiones informat, & recedentes desinit informare.

Dices: Compositum non tantum à forma accipit suam identitatem numericam, sed etiam à materia, ergo si hæc continuatio diffluit, & noua accedit, mutatur compositum.

Respond. licet identitas numerica ab vtraque parte essentiali pendeat, multo tamen magis à forma, vnde ipsa permanente censetur idem homo manere, maxime cum mutatio materiæ fiat insensibiliter, & singulis partialibus mutationibus vel nutritionibus non nisi exigua materiæ fiat accessio vel decessio, vt merito etiam censeatur ante & post huiusmodi augmentationem manere eadem materia, sicuti censetur eadem aqua cui vna quantitas accedit alia recedit. Fateor tamen post multum tempus per crebras augmentationes partiales posse perire totam materiam priorem alia noua succedente, sed quia illa additio fit lente & pene insensibiliter & nunquam tota materia simul mutatur, ideo censetur esse eadem.

Dico 2. In reliquis viuētibus pereunte materia simul perit forma, & per augmentationem accedente materia accedit & forma.

Probatur, quia longe probabilius est & fere mihi certum omnes illas animas esse diuisibiles, quod supponitur probandum *in lib. de anima*, & saltim omnium consensu valet argumentum in animalibus imperfectis, ergo decedente parte materiæ decedit pars animæ, & accedente parte materiæ pars animæ similiter accedit. Consequentia probatur, quia si decedit pars materiæ, vel perit pars formæ, quæ erat in illa materia vel non, si perit habetur intentum, si non perit vel habet, manet sub eadem materia, atque adeo simul cum materia recedit, vel manet sine materia, quod nullo modo dici potest, vel informat aliam partem materiæ viuentis, sed illa pars ante habebat partem formæ, ergo duæ partes formæ erunt sub eadem portione materiæ, adde nullam formam posse transire de subiecto in subiectum, similiter si accedente materia, non accedit, etiam pars formæ vel hæc materia habet aliquid formæ quod erat in altera parte materiæ vel non, si non, ergo aliunde debet habere, si habet, vel illa pars formæ deserit priorem materiam, vt hanc informet, vel non, si desinit iam altera pars non habebit formam viuentis, neque vnquam poterit fieri augmentum viuentis, quia conuersa vna parte alimenti in substantia viuentis, tantum de substantia viuentis peribit, si non deserit, ergo est eadem pars formæ in diuersis partibus atque adeo indiuisibiliter, nihil enim est aliud, formam esse indiuisibilem, quam esse totam in toto, & totam eandem in quauis parte.

DVBIVM VI.

Quale debeat esse Alimentum?

Nota: Dubium posse esse de proximo vel remoto alimento.

Dico primo. Alimentum remotum debere esse aliquo modo simile viuenti & proportionatum naturæ ipsius, id est, quod habeat qualitatem & temperamentũ non admodum dissimile temperamento viuentis Cum vero debeat in substantiam viuentis conuerti, si sit admodum dissimile ac disproportionatum viuenti, non poterit ab eo commutari, hinc fit, vt quia temperamentum viuentis in genere loquendo fere in humido & calido consistat. Ea quæ hanc qualitatum temperiem habent, maxime sunt accommodata nutritio[ni], quæ non habent, vt ferrum, lapides, &[c.] in quibus frigus & siccitas dominatur, no[n] sint apta nutritioni. Item in partiali, quia i[n] eadem viuentis specie, vt homine, varia sun[t] temperamenta, alii enim sunt sanguinei, al[ii] cholerici, &c. fit vt alimenta quædam mag[is] sint vni accommodata, quam alteri. Hinc i[l]la etiam in ciborum appetentia diuersitas.

Dico secundo. Alimentum remotum v[i]uentis non posse esse Elementum purum, se[d] debere esse aliquo modo mixtum, vel propri[e] dicta mixtione vel impropriè dicta, vt cu[m] aqua terræ permiscetur. Ratio quia viuen[s] debet nutriri simili, atque adeo mixto, & ele[-]menta pura habent qualitates minus inten[-]sas, quam vt possint à viuente commutar[i]. Argumenta contra hanc conclusionem vid[e] in Conimbr. *q 7. in c. 5.*

Dico tertio. Alimentum proximum ess[e] maxime sanguinem, non tamen solum, se[d] etiam reliquos tres humores. Item Principe[s] Medici. Priorem conclusionis partem omne[s] admittunt, posteriorem non item. Sed pro[-]batur, tum quia in venis omnes quatuor hu[-]mores sunt permixti, tum quia multæ sun[t] partes exangues, vt ossa, cerebrum, Ergo ha[-]bent aliud nutrimentum præter sanguinem quia membra diuersa diuersum habent tem[-]peramentum, Ergo requirunt diuersum ali[-]mentum proximum sibi magis proportiona[-]tum; tum quia secundum Medicos ventricu[-]lus chilo nutritur.

Dices: proprium receptaculum sanguini[s] esse venas vnde partes viuentis sumunt alimentum, cæteri vero humores habent alia receptacula, vt cholera in felle recipitur, Melancholia in liene, pituita vero licet etiam spargatur in venas, tamen id fit, quia facile vertitur in sanguinem, tum quia ab ea iuuatur sanguis vt facilius per omnes partes commeat.

Respond. E iam humores illos esse in venis permistos sanguine, vt patet cum à chirurgis vena pertunditur, licet ob nimiam copiam pars retrudatur in certa quædam receptacula, nam inter humores ad alimentum plus debet esse sanguinis, vnde si cæteri humores abundent, difficilior fit nutritio, & si plane sanguis corrumpatur, ipsa penitus impeditur.

Nota vero, vt intelligatur quomodo fiat utritio, tres fieri concoctiones alimenti, rimo quidem, postquam ore comminutum st, & præparatum, demittitur per œsophagum ventriculum, vbi prima fit concoctio, virute caloris naturalis, generaturque ex alimento cremor quidam, qui chilus dicitur, occi coloris separatis excrementis terreis. ic deinde cremor vna cum excrementis deorsum propellitur per intestina, & in delapsu cur relictis excrementis reliquam substantiam nutritioni idoneam per venas mesaraicas sugit, quam in 4. humores commutat, ita ac secunda concoctio fit in iecore, seu hepate, in quo chilus in 4. humores transit, ibique ud secernitur excrementum, quod in lotiū it: partem sanguinis puriorem cor ad se tra-, reliquum sanguinis vena caua excipitur, æ multos habet ramulos in totum corpus rsos, per hanc sanguis in omnes partes distribuitur, pituita sanguinem sequitur, item e vt dixi pars atræ & flauæ bilis in propria receptacula propellitur Sanguis vero cum alis humoribus vena caua exceptus in ea quidem alteratur & purior redditur, non tamen ansmutatur substantialiter. Ex hac vena inde à membris vicinis attractus intra porisipsorum ab ipsis partibus conuertitur in bstantiam viuentis secundum exigentiam temperamentum cuiusque partis, in qua oncoctione aliud excrementum ab alimento secernitur, qui deinde in sudores, pilos, vnges, aurium sordes, nasi mucum, oris sputa t, pars autem sanguinis delata ad cor ibi huc purior efficitur, partimque in alimentum ipsi cedit, partim ab illo commutatur in ritus vitales, qui per corpus sparsi innatum lorem tuentur & fouent, ac spiritus anima- qui sensationibus deseruiunt.

DVBIVM VII.

An rarefactio & condensatio sint motus per se tendentes ad quantitatem?

NOta duplicem esse rarefactionem & condensationem, impropriam vnam, cum aliqua extenditur & dilatatur, ex eo quod se habeat poros & vacuitates, in quo dum aliud corpus recipit necessario maiorem occupat locum, condensatio vero illi respondēs cum excluso ex poris illis ac vacuitatibus aduentitio corpore res constringitur, & minorem occupat locum. Ita spongia impropriè rarescit, cum non comprimitur, est enim tunc plena aëre vel aqua, cum vero comprimitur impropriè dicitur condensari. Altera rarefactio est propria, cum eadem materia non admisso extrinseco corpore intra se aut suos poros extenditur aut dilatatur in maiorem locum, condensatio contra cum eadem res reducitur ad minorem locum non excluso à se corpore aliquo intra poros concluso, sic aqua rarefit cum calore in vapores abit, aut aër in ignē fit subtilior cum vero vapor ille ad naturam aquæ redit condensatur. Et de hac propriè dicta rarefactione & condensatione nobis hic est sermo.

Variæ admodum sunt de hac re sententiæ, sed præcipuæ censentur hæ: alii dicunt rarefactionem tantum esse elongationem partium, condensationem vero esse earum approximationem, ita vt raritas, qui est rarefactionis terminus nihil aliud sit, quam distantia partium & densitas propinquitas earundem. Ex quo videntur sentire rarefactionem & cōdensationem esse motus quosdam locales. Alii censent in rarefactione & condensatione acquiri nouam quantitatem, & nonnulli quidem, manente priori quantitate nouam in rarefactione accedere. Alii vero totam præcedentem quantitatem perire, & aliam totam de nouo fieri. Alii dicunt esse motum ad qualitatem.

Dico 1 rarefactioni & condensationi coniunctum esse quendam motum localem, non tamen in eo sitam rationem rarefactionis & condensationis.

Prior pars patet, quia quod rarescit occupat maiorem locum, quod condensatur minorem, non potest autem nulla immutata parte eadem res occupare maiorem vel minorem locum sine motu aliquo ad istum locum.

Posterior pars probatur ex conceptu rarefactionis & condensationis, & ex ipsorum terminis, nam raritas & densitas non dicunt præsentias locales.

Dico 2. Impossibile est per rarefactionem acquiri nouam quantitatem priore permanente,

nente, & per condensationem fieri deperditionem alicuius partis quantitatis reliquis partibus remanentibus.

Probatur, quia vel tota prior quantitas informabat totam materiam quæ rarefit, vel non, si informabat, ergo non potest in eadem materia recipi alia quantitas, alias essent duæ quantitates simul in eadem materia, si non, ergo pars materiæ sine quantitate neque dici potest ante informasse totam, postmodum vero tantum partem, quia quantitas transiret de subiecto in subiectum.

Similiter in condensatione si perit aliqua pars quantitatis, vel perit in certa aliqua parte materiæ, vel in tota materia proportione quadam, non prius, quia sic materiæ pars remaneret absque quantitate, vel sane deberet ab aliis partibus quantitatem accipere, quod dici nequit, nam sic quantitas migraret de subiecto in subiectum, neque posset ex vna parte materiæ transire ad informandam alteram partem, quin aliam desereret, atque ita illa maneret sine quantitate. Neque alterum dici potest, quod illa quantitas pereat in tota materia proportione quadam, quia totum illud quod perit quantitatis fuit in aliqua materia, & sic vel illa materia caret quantitate post condensationem, vel mutuatur à vicinis partibus.

Dico 3. Posito quod quantitas realiter distinguatur à substantia, dici non potest in rarefactione & condensatione, totam quantitatem priorem perire, & alteram de nouo fieri, in illa quidem maiorem, in hac minorem.

Probatur, tum quia non est à quo corrumpatur ista quantitas, neque vero quantitas est quantitati contraria, tum quia cum rarefactio & condensatio fiant successiue ac continue, ac proinde singulis instantibus, quæ designari possit res magis rara vel densa facta singulis instantibus esset quantitas prior perdita atque adeo infinitæ quantitatis realiter distinctæ per istos motus periissent.

Dixi, posito, quod quantitas distinguatur realiter a substantia, nam si poneretur tantum modus ratione distinctus, non male dici posset tota quantitas perire, & alia de nouo fieri per rarefactionem, nam cum modus nihil sit secundum illos nisi situs, & posi partium substantiæ extra partes, variata i positione consequenter censeretur quan tas variari. Neque mirum videri debere modi illi ratione distincti per rarefaction & condensationem infinities multipli rentur, ac continue perirent, cum non entitates à re distinctæ, sed eadem res diue modo posita ratione partium aliter, & ali ad se inuicem habentium.

Dico 4. Rarefactio & Condensatio (quantitas distinguatur re à substantia non) non sunt motus ad quantitatem sed qualitatem potius.

Probatur prior pars ex præcedentibus clusionibus.

Confirmatur, quia non obstante eadem quantitate & partium extrapositione possi res dilatari & expandi, & frustra fingi noua quantitas, si manentibus partib cum eadem inpenetrabilitate, quam a habebant ponantur in maius loci spaci fundi.

Posterior pars probatur, quia maxi pars Philosophorum cum Aristotele consi tiunt, raritatem & densitatem quæ sunt t mini horum motuum esse qualitates ter speciei, ob idque motus ad illos cernit de nere alterationis.

Verum nota, has qualitates fere cen modos quosdam ipsius quantitatis, sed m videntur potius modi quidam diuersim de se habendi materiæ, & nihil aliud e quam subtilitatem & compactionem ipsi materiæ.

Vnde ab Aristotele definitur rarum, qu sub magna quantitate, id est, extensione spacio parum habet materiæ, densum, qu sub parua quantitate multum habet ma riæ Quantitas vero non dicitur rara densa, imo etiamsi quantitas à re tolleret manente entitatiua extensione, adhuc ratione materiæ esset rara vel densa, subt vel compacta.

Porro sicuti materiam necessario comi tur quantitas, ita cum materia fit rara densa, raritatem illam comitatur maior tensio ad locum, & densitatem, quæ coarctio ratione quantitatis quam natura ter consequitur aliqua in loco extensio, li in det

determinate hæc vel illa, maior vel minor o ratione maioris raritatis vel densitatis, ide patet, rarefactionem non esse motum l hanc extensionem in loco primario, & r se, sed tantum concomitanter & ex accinte.

Dices 1. in rarefactione rem quantam fieri aiorem, in condensatione minorem, ergo riari quantitatem.

Respond. patere ex dictis, res vero fit maior l minor, sed tantum ex accidenti & conmitanter, nam motus rarefactionis & ndensationis non tendit per se ad illam exnsionem, sed ad raritatem & densitatem, et raritatem & densitatem comitetur no- extensio. Adde hanc extensionem tanm esse in ordine ad locum, quantitas veduobus modis variari potest, vel in seipsa ditione nouæ quantitatis, & sic est termisaccretionis, vel improprie in ordine ad cum, eo quod res sub eadem quantitate istens recipiat maiorem vel minorem exnsionem secundum locum, vti hic fit.

Dices secundo. Vbi mutatur propria pasio, mutatur rei essentia, sed in rarefactione utatur æqualitas & inæqualitas, quæ sunt uantitatis passiones, alias aër decem pedum osset dici æqualis aquæ vnius pedis, si maeat eadem quantitas. Ergo. Item quantitas na, eadem manens poneretur in diuersis eciebus, fieret vero successiue bicubita, triibita.

Respondeo primo, passionem quantitatis on esse æqualitatem & inæqualitatem diisim, sed coniunctim acceptis, vnde vt maeat eadem quantitas, sufficit vt res maneat qualis vel inæqualis, sicuti etiam habet exensionem ad locum hunc vel illum indeterninate.

2. Dico has proprietates non immediate luere ex quantitate, sed mediate, eidemque onuenire ratione extensionis ad locum. Hæc vero, quia notior est, ita multarum proprietatum est causa, quæ ratione ipsius quantitati tribuuntur. Ita etiam species bicubiti & tricubiti non sunt species quantitatis proprie dictæ, sed extensionis ad locum, quæ in ratione huius dicuntur esse quantitatis species.

Petes; an raritas & densitas admittant intensionem & remissionem.

Respond. admittere; quia eadem pars quæ est minus rara & subtilis fit rarior & subtilior.

Finis Disputationis tertiæ, Iun. 9. Anno 1607.

DISPVTATIO VLTIMA.

De Actione & Passione.

DVBIVM I.

An simile possit agere in sibi simile?

NOta, aliquid tribus modis posse dici simile & dissimile: 1. quia in eadem qualitate conueniunt, licet in gradu illius qualitatis discrepent, 2. Quia in gradu & qualitate intensionis conueniunt, licet vnum superet in multitudine formæ alterum. 3. Quia non tantum eandem qualitatem habent in pari gradu intensionis, sed etiam vnum non plus habet formæ quam aliud extensiue. Duobus autem modis potest contingere, vt in vno plus sit formæ quam in alio, vel ratione densitatis: Quomodo ferrum candens pedale plus habet caloris summi, & ignis quam flamma pedalis, vel ratione extensionis, vt si æque intensus calor sit in duobus lignis, quorum vnum sit pedale, alterum tripedale.

Nota secundo, tribus modis aliquid censeri habere maiorem altero actiuitatem agendi: 1. Quia intensiorem producit qualitatem. 2. Quia vincit alterum in celeritate agendi. 3. Quia ad maiorem agit distantiam.

Dico primo Agens omnino simile alteri in qualitate, gradu, densitate & extensione formæ non potest in aliud omnino simile agere.

Patet, quia omne agens agit vt assimilet sibi passum, vnde si est omnino simile, non poterit agere, imo postquam agens produxit formam similem in passo, cessat actio ob eandem causam.

Dices.

Dices, ibi maior & facilior est actio, vbi minor est resistentia. Tunc enim actio procedit, cum virtus agentis excedit resistentiam passi, ergo vbi nulla erit resistentia, ibi facillima erit actio, sed inter similia nulla est resistentia, Ergo.

Resp. faciliorem semper esse actionem, vbi minor est resistentia, & instantaneam vbi nulla, si tamen in agente sit virtus, quæ non est nisi sit dissimilitudo aliqua agentis & passi, non autem si sint similia, alias duæ qualitates in summo se in infinitum intenderent, in genere autem, eo est maior actio & celerior, quo agens habet intensiorem formam ac maiorem virtutem agendi supra passum, & licet agens, vt agat, debeat superare resistentiam passi, si quam in eo inueniat, hoc tamen facit per virtutem, qua superat passum, illique est dissimile, vnde quo minor est resistentia, hoc facilius agit.

Dico 2. Agens quod habet eandem cum passo qualitatem sed intensiorem potest in illud agere. Res est clara, quia in gradu sunt dissimilia. Neque obstat, quod hic obiici posset, qualitatem intensiorem & remissiorem non contrariari neque opponi posse in ratione termini à quo, & termini ad quem, licet vero ratione sui non opponantur, ratione tamen contrarii admixti, vel saltem priuationis graduum superiorum, quæ est connexa qualitati remissiori sufficienter opponi, verbi gratia, calor vt sex sufficienter opponitur calori vt 4. ratione priuationis duorum graduum. In his duabus conclusionibus omnes conueniunt, in sequenti maior est difficultas.

Dico 3. Simile in qualitate & gradu intensionis non potest agere in simile, etiamsi alterum habeat maiorem extensionem formæ vel densitatem.

Probatur 1. quia quælibet forma actiua agit, vt assimilet sibi passum, Ergo cum iam inuenit formam suæ similem, nihil agit.

Prob. 2. Posito illo quod supra statuimus, gradus illos intensionis esse aliquo modo heterogenios & diuersæ perfectionis, argumentor. si simile ageret in simile, forma quæ deinde perduceretur esset perfectior forma producente; atqui imperfectius non potest producere perfectius. Hinc est illud axioma Aristotelis & omnium fere Philosophorum, actionem omnem procedere à proportione maioris inæqualitatis, non autem minoris, vt
proportione æqualitatis, quod nihil est al
dicere quam formam qua agens agit deb
superare perfectione formam quæ est in p
so. 3. Alias sequeretur, quod duo calida vt v
vel duo possent se mutuo intendere vsque
summum si vero calidum vt duo habens m
teriam densiorem potest augere calorem
duo in materia rariore, & producere calor
vt tria, poterit calor vt tria productus pro
cere vicissim calorem vt tria in materia de
siore, cum quæuis forma actiua possit ag
vsque ad assimilationem passi, & calor dein
vt tria productus in materia densiore auge
calorem vt tria in materia rariore, & faciet
lorem vt 4. & hic rursus producet quart
gradum in materia densiore, & sic deinc
vsque ad summum. Et licet hoc alii conced
eam tamen concessionem pro absurda rep
to, quæque rationi & experientiæ repugn
Neque valet quod Toletus dicit, id aliqua
do contingere, vt in furnis, qui occlusa res
ratione aliquando accenduntur, & in carb
nibus qui separati extinguuntur, coniun
accenduntur, nam in his omnibus non ge
ratur ignis vel calor summus à calore rem
so, sed ab aliquo igne incluso furni vel carb
nis partibus, qui nisi cohibeatur, facile exs
rat. Sin vero contineatur, tunc pars illa, q
summum habet calorem, in partem altera
agit. 4. Sequeretur, quod qualitas aliqua
summo, quæ esset in materia densiore, aug
ret qualitatem aliam in summo in materia r
riore, nam si calidum densum vt sex ratio
densitatis potest producere calorem vt sep
cur non etiam calidum vt 8. densum ob ea
dem rationem poterit supra suam intensi
nem.

Confirmantur hæc, quia calidum densu
vt quatuor si potest producere calidum
quinque, vel id faciet per calorem, vel per d
sitatem, non prius, quia calor vt quatuor ta
tum habet vim ex se producendi calorem
quatuor, non posterius, quia densitas non
actiua, & quamuis esset actiua, tamen no
esset effectiua caloris, sed alterius densitatis.

Dico 1. Calidum vt sex in materia densa e
magis actiuum, quam calidum vt sex in ma
teria rara, sed calidum vt sex in materia ra
producit calorem vt sex, Ergo calidum vt se
in materia densa producet plusquam calore
vt sex

: sex. Consequentia probatur, qui enim po- st aliquid dici magis actiuum, si non possit us producere?

Resp. Calidum vt sex in materia densa esse agis actiuum & fortius, quam calidum vt x in materia rara, non quoad substantiam ualitatis producendæ, sed tantū quoad mo- m, hoc est, vt diximus secundo notabili, nō e magis actiuum, non vt producat inten- rem qualitatem, sed vt citius producat alitatem suæ intentionis, densitas vero ad c iuuat ratione multitudinis formæ con- isatæ, vt celerius agat, eo quod facilius su- et resistentiam passi. Neq; verum est, quod erius obiicit Toletus, ferrum candens ppam comburere, cum tamen non habeat mam ignis, nam etsi ferrum non transmu- ır in ignem, est tamen in poris ferri ignis ltum condensatus, & forte ipsa substantia i, licet non sit ignis, tamen habet calorem 3. vel saltem valde intensum calorem, per m actionem ignis in poris existentis plu- um iuuat. Si autem calor sit in aliqua sub- itia, quæ neque poros habeat, in quibus tescat ignis, neque ipsa transmutata in se, a igne, nunquam combur et, sed tantū ca- m suæ intensioni respondētem producet.

)ices secundo: aër suo frigore hieme cogit as in gelu, & tamen aër remissius habet us quam aqua, alias aër conuerteretur in am, ergo agens remissius potest produce- ualitatem intensiorem.

esp. Intensius frigus istud nō esse ab aëre, frigus tam aëris quam aquæ prouenire nediate ab aliqua influentia, etsi imme- e aër frigus recipere potest ab astris, quid- aqua?

ices 3. duo luminosa, verbi gratia, vt 4. ıs producunt lumen quam singula, vno ndente lumen alterius, & 3. maius quam sic deinceps. Ergo tandem multiplicādo nosa poterit fieri vt multa luminosa vt 4 ucant in medio plusquam lumen vt 4.

onfirmatur 1. Quia saltem in ea parte in uminosum producit lumen æque inten- cum suo, aliud luminosum applicatum n parti aliquid producet, Ergo prius lu- intendet.

onfirmatur 2. Quia in reflexione lumi- x speculo producitur maius lumen, & n lumen radii reflexi non est intensius, quā sit lumen radii directi, cui coniungitur, i- mo potius minus intensum.

Respon. duo luminosa æqualia in intensio- nem non producere maius lumen in vlla par- te medii, quam alterutrum luminosum ha- beat in se, quod patet, quia si illa duo lumino- sa coniungantur & coeant in vnum, nusquam producent intensius lumen suo. Ergo nec di- uisa, producunt tamen in quauis parte medii plus luminis duo simul, quam si singula tan- tum seorsim illuminarent: Similiter dicendū, si sint duo luminosa paris intensionis, nusquā productum iri intensius lumen, quam habeat luminosum intensius.

Ad primam Confirmationem respondeo: dubium esse an agens in aliqua parte diuisibi- li producat æque intensam qualitatem cum ea quam habet, de qua re in fine huius dubii: Si non producat, confirmatio supponit fal- sum: Si producat, non augebitur lumen in ea parte quæ habet æque intensum lumen, alias duo luminosa in summo augerent lumen su- pra summum, duo tamen luminosa longius producerent lumen æque intensum cum suo quam singula.

Ad 2. Confirmationem respondeo, in refle- xione augeri lumen & calorem, id est, produci maius lumen & calorem quam produceretur, si non esset reflexio, sed hoc augmentum fieri à Sole, habente in se maius lumen & virtutem ac calorem quam producatur per radium di- rectum. Neque vero existimandum est, & esse in eadem parte medii duos radios seu duo lu- mina distincta, nam sic sese mutuo non in- tenderent vel radium aliquem reflexum age- re in radium directum ad productionem ma- ioris luminis) licet si radius reflectatur à cor- pore polito, & lumen in se continente vt spe- culum etiam speculum lumine quod in se ha- bet agat, sed totum lumen quod producitur immediate producitur à Sole, quia tamen ra- tione reflexionis producit maius lumē, quam produceret si non reflecteretur; nos distin- guimus lumen productum per radium dire- ctum, & lumen productum per radium re- flexum.

Peres: quomodo fiat ista luminis ac caloris reflexio.

Respond. non esse ita imaginandum fieri, quasi Physice aliquid reflectatur, vt fit cum pila à muro resilit, tantum enim est meta-

phorica reflexio virtute Solaris, cum vero virtus Solis vlterius possit diffundi & producere lumen in partibus vlterioribus, obiectum corporis opaci coarctatur eius Sphæra, atque adeo fit vt suam vim quam extendisset in vlteriores partes lumen producendo, quia impeditur, in partes propinquiores impendat.

Petes secundo, quomodo possit maius lumen per istam reflexionem produci, cum vtrunque lumen, quod erat Sol producturus in infima parte aëris, & illud quod erat vlterius producturus, si non fuisset impeditus, futurum fuerit longe remissius, quam sit illud quod producit per virtutem reflexam.

Respond. Virtutem Solis quæ debebat impendi in extensionem luminis, quando impeditur impendi in intensionem eiusdem, cum plura lumina non possint in eadem parte aëris recipi.

Ex dictis colligi potest, ex quibus capitibus agentis actiuitas crescat, 1. crescere non potest actiuitas agentis in intensione, nisi virtus intendatur, 2. Quoad modum & velocitatem actiuitas crescit, tum ex multitudine formæ, tum ex intensione, patet, nam luculentus ignis vel calor condensatus in ferro longe citius comburunt vel calefaciunt, quam paruus ignis vel calor in materia rariore, item calor intensus cæteris partibus longe fortius & citius calefacit. Ratio prioris est, quia in luculento igne omnes partes ignis agunt & iuuant se mutuo vnde citius producunt effectum suum, similiter cum calor est in materia densa, licet parum, multum est caloris, ac propterea fortior, & raptim agit, imo quia est in materia densa, multitudo formæ propinquius applicatur passo, secundum omnes partes suas, quam si forma tantum esset in materia magis extensa, partim crescit actiuitas, quoad velocitatem actionis, ex multitudine agentem, nam eadem est ratio, siue multum sit formæ, in eodem subiecto coniunctæ, siue in diuersis. Tertio, quoad distantiam crescit actiuitas, tum ex intensione formæ, tum ex multitudine eiusdem, nam intensior forma cæteris paribus agit in maiorem distantiam, & vnum agens extensum, extendit longius vim suam, verbi gratia, tripedale, quam pedale, & multa agentia simul, quam singula, seorsim. Quarto, quod ex postremo sequitur, licet intensio formæ, au multitudo non conferat ad producendum intensiorem formam, quam ponit in agente tamen confert ad producendum intensiorem formam, in quauis parte medii, quam minus intensa forma produceret: vel si sint plura agentia multitudo agentium conducunt ad producendum perfectiorem formam in quauis parte medii, quam quoduis agens seorsim produceret, Idem erit, si ex aduerso occurrant sibi duo agentia, nam in ea parte, quam virtute sua attinget, producetur forma perfectior quam à singulis procederet.

Petes tertio: Quomodo forma augeatur per antiperistasin a contrario.

Respond. non augeri per se, à contrario, sed tantum per accidens, contrarium enim non habet vim augendi contrarium, sed potius superandi & corrumpendi, augetur tamen contrario, quatenus ratione contrarii circumstantis retinetur aliqua substantia inclusa, quæ quia habet contrariam qualitatem, se contra tueatur, colligit se intus, & comprimit, quod nisi esset, foras erumperet, ac dissiparetur, ita aquæ puteales, hyeme sunt calidiores, ob calidā aliquam exhalationem, quæ intra terram propter aeris frigus circumstans, se recipit, à qua aquæ calefiant, si profundas habent scaturigines, ita etiam hyeme melior fit stomachi concoctio, eo quod frigore ambiente sese calor colligat, alioquin fluxurus, vti fit æstate.

Petes quarto, & postremo, vtrum agens aliqua spatii parte, æqualem sibi qualitatem producat.

Respon. esse rem valde dubiam, & controuersam, nam quod non producat, primo facit, quod in nulla parte aeris illuminari à sole, vel candela videatur tantum esse lumen quantum est in ipso sole, vel candela. Secundo, quod actio agentis non esset ex omni parte vniformiter difformis, tertio, quod alioqui difficile sit explicare, quomodo illa qualitas maxime si non habeat resistentiam, vti lumen nō procedat in infinitum, eadem intentione nam si pars aeris habeat lumen, vt octo, poterit in altera parte producere lumen, vt octo & hæc in aliam, & sic deinceps, cū non videtur maior ratio, cur ab vno potius procedat qualitas æqualis, quā ab altero: Tamen, quod produ-

producat, facit primo, quod illa qualitas habeat virtutem sufficientem ad producendum effectum, in aliqua parte sibi æqualem: Secūdo, quod experientia ostendat ignem produci à stuppa, ligno charta remota ab igne, ergo & calor, vt octo. Tertio, quia si in generatione ignis calor summus, produceretur in aliquo indiuisibili, passi ab igne, peto, quando extēditur calor summus, vt forma ignis, in partem quantam, à quo extendatur, an ab agēte, an ab illo indiuisibili, si prius, habetur intētū, si posterius, quomodo indiuisibile potest extēdere calorem, & formam ignis in partem diuisibilem? Adde secuturū idē incommodū, ac prius, nā calor ille in indiuisibile producet qualitatem sibi ęqualem in partem diuisibilē.

Dico igitur, mihi videri hanc partem posteriorem esse verisimiliorem, si modo in spatio illo sit subiectum capax tā intensæ qualitatis. Vnde ad primam rationē prioris partis dico, id verum esse, quia aer non est capax tam intēsæ qualitatis, maxime quandiu transmittit lumen, nā licet agens sit potens producere qualitatem sibi similem, tamen cum diffundit suā virtutem, per medium, quod ipsam nō continet, sed permittit effluere, nequit id præstare: Quod si iuxta Solem sit corpus opacū, maxime si sit bene politum, & tersum, quod contineat virtutē solis, verisimile est fore in ipso, & in aere, si sit interiectus, lumen ęque intēsum, cum lumine solis. Secūdo negari posset, quod assumitur, licet enim lumen candelæ & solis sit magis condensatum, non tamen est magis intensum, quam sit in aliqua parte medii.

Ad 2 Si agatur de facto, actionem esse vniformiter difformem, saltē verisimiliter, si virtus cōtineatur, non fore actionem vniformiter difformem, in toto illo spatio, in quo producit qualitatem sibi æqualem. Addo in qualitatibus, quæ habent resistentiam in toto illo spatio, in quo possant producere qualitatem sibi similem, & omnem vniformiter difformē in modo & qualitate vt prius producat qualitatem similem in parte vicina, quam remotiorem. Ad 3 Ex facto hos non posse fieri, quia talis qualitas non continetur, ne effluat, si cōtineatur à corpore aliquo opaco, tunc non posse procedere propter opacitatem corporis obiecti. Ita etiam credibile est in aere nō produci calorē vt octo, siue obiiciatur à superiori parte ignis aliquod passum opacū, quod contineat virtutem ignis. Quamuis etiam hic dici posset, ignem subtiliter vsq; ad passum euaporari, & ignis subtiles particulas, quæ nequeūt conspici, attingere lignum, chartam, stuppā, vel quid simile. Adde, formam, quæ non est in cōnaturali subiecto, nō posse qualitatē æque intensam alteri communicare, vt patet in aere directos radios recipiente qui aeri vicino tantū secūdariū lumē longe remissi⁹ cōmunicat.

DVBIVM II.

An detur reactio, siue an agens agendo repatiatur.

NOta primo, hanc quæstionē neq; fieri de quauis actione, neq; de quouis agēte: neque n. in genere locum habet hæc quæstio, cū manifestū sit id, quod generatur, non vicissim generari, sed de alteratione maxima cōtrouersia est, neq; etiam de quouis alterante, neq; n. in agentibus æquiuocis, vt cœlū, quæ non agunt per qualitatem contrariam, vt cum calidum, v.g. agit in id, quod est frigidū, expellendo frigus, an vicissim patiatur à frigido, ita vt calor eius minuatur, sunt n. nonnulli, qui ob difficultatem argumentorum negāt esse posse reactionem, ita vt idem secundum eandem partem agat & patiatur à contrario. Alii concedunt, posse esse reactionem vnius in alterū, à quo patitur, sed per qualitatem alterius contrarietatis: vt v.g. si calidum agat in frigidum, ignis sc. in aquam, aqua non reagit in frigus, sed per humorem. Alii cum viderēt hoc experientiæ repugnare dicebant calidum agens in frigidum posse vicissim frigefieri, non tamen per se, sed per accidens, quia aqua v.g. reagens per humorem tollit calorem ignis.

Nota secundo: Hanc quæst. præsupponere vtrunque esse intra Sphæram actiuitatis alterius, potest enim contingere tum ratione intensionis, vel extensionis, vel vtriusque, cum ratione subiecti ac natura qualitatis, (neque enim omnia agentia, aut virtutes actiuæ habent eandem actiuitatis Sphæram, vt vnum sit intra alterius Sphæram, non autem alterū vicissim intra huius Sphæram, quæ casu non erit reactio.

Dico esse reactionem, & repassionem, siue illud, quod agit, vicissim repati ab altero, secundum eandem partem, quia agit, idque secundum qualitatem contrariam.

Prior pars probatur 1. experientia multiplici, quia si aqua frigida infundatur calidæ, ac bullienti, tota aqua fit tepida; ergo illa, quæ erat frigida, incalescit, & quæ calida frigescit. Similiter, si gutta aquæ infundatur ferro candenti, & ferrum, & gutta vicissim agunt & patiuntur. Sic si ferrum totum immergatur aquæ, vel plumbum liquefactum, Item cum manus calida premit glaciem, frigescit manus à glacie, & glacies calore manus colliquescit. In alteratione cibus à viuẽte alteratur, & vicissim cibus reagit & alterat: rursum duo gladii inuicem collisi, ratione duritiei, & impetus impressi, sese inuicem obtundunt, & duæ phialæ vitreæ mutua percussione franguntur.

Probatur 2. ratione: Quia alias non esset mixtio, fit enim mixtio elementorum in se inuicem actione, quæ se ad certam temperiem reducunt, vt *infra*.

Posterior pars probatur ex eadem experientia superius allata. Quia aqua calida infusa frigidæ, agit in illam, & simul repatitur ab illa ratione solius caloris, & frigoris, in humore enim conueniunt solo calore, & frigore repugnant.

Secundo. Quia si tantum agerent in se inuicem, secundum diuersam contrarietatem, elementa symbola non reagerent, sed vnum tantum ageret, alterum pateretur.

Tertio sequeretur, quod in mixtione tantum duæ elementorum qualitates remitterentur, ac refrangerentur, aliæ manerent in summo, quia non repaterentur, & sic in eodem mixto esset calor, v.gr. vt 8. & frigus vt 4. vel 3.

Dices primo, actio non prouenit, nisi à victoria & excessu agentis, supra passum, ergo si vnum agit, vincit, & quod patitur, vincit, ergo non potest reagere in illud. Confirm. quia vel vtrumque est æqualis virtutis, vel inæqualis. Si æqualis, neutrum in alterum poterit agere, quia æquale non potest superare æquale: si æqualis, illud quod est maioris virtutis aget & superabit, non alterum, alias non esset actio à proportione minoris inæqualitas.

Respond. illud argumentum debere intelligi de qualitate, quæ est in agente & passo eiusdem speciei, vt verbi gratia, calidum vt 4. non potest agere in calidum vt 6. producendo calorem, quia calidum vt 6. in gradibus caloris superat. Similiter & illud, à proportione minoris inæqualitatis, non sequitur actio, optimè intelligi potest, de qualitate eiusdem speciei, in agente & passo. Secundo intelligamus de qualitatibus diuersæ speciei dico requiri victoriam agentis, supra resistentiam passi, non autem victoriam agentis in actiuitate supra actiuitatem passi, id est vt calidum, verbi gratia, agat in frigidum, requiri, vt calor fortius agat, quam resistat frigus, & similiter, vt frigidum reagat in calidũ vt frigus actiuitate sua fortius agat, quam calor in altero resistat, non autem vt vnum alterum superet in actiuitate.

Pro cuius intelligentia Nota primo, resistere, vt alias monui, non esse agere, licet enim frigidum reagens in calidum debilitet calidum, & sic etiam censeatur resistere, quatenus aduersarii vires retundit, quæ resistentia positiua, vel neque ab actione differt, in alia est resistentia negatiua, vel priuatiua, quæ in eo posita est, quod vna qualitas vi sua opponat se contrariæ qualitati, vt ab interitu se defendat, non aliquid agendo, sed non admittendo actionem contrarii, vel simpliciter vti cœlum, vel saltem secundum quid, æque scilicet ac difficulter cedendo, sic aqua, quæ calefit ab aere, si ignis non sit intra Sphæram aquæ, resistit actioni ignis, non reagendo, sed quia frigus difficulter cedit: Sic etiam columna resistit impellenti, & adamas frangere conanti.

Nota secundo, Sicuti aliud est resistere, aliud agere, ita potest vna & eadem qualitas magis esse passiua, minus tamen resistere contrariæ. Vnde qui de hac reactione philosophantur, duos ordines constituunt in qualitatibus primis, vnum, quoad actiuitatem, alterum quoad resistentiam, ita vt quoad actiuitatem reliquos superet calor, deinde frigus, post hos humor, demum siccitas. In resistentia vero vniuersus sit ordo, præ cæteris scilicet siccitas maxime resistat, deinde humiditas, tertio frigus, quarto calor.

Quod quidem verum est, & ad mixtionis intelligentiam iuuat, sed primum ad rem præsentem facit. Nam positis duobus etiam illis ordinibus posset stare, quoad

quartum

quantum vna superat in actiuitate, verbi gratia, calor tantum, & pari proportione frigus superet, in resistentia quo posito nulla sequeretur actio. Quod autem ad rem præsentem maxime facit, est quod quælibet istarum qualitatum sit magis actiua, quam contraria resistitiua, vt verbi gratia, calor agit in frigus, licet æquale sit in actiuitate, quia actiuitas illius fugat resistentiam frigoris, nec enim tantum resistit frigus, quantum calor est actiuus. Similiter frigus reagit in calorem, quia frigus fortius agit, quam calor resistit.

Ex quo patet, quo modo non tantum inter qualitates æquales in intentione possit esse mutua actio & passio, sed etiam inter qualitates inæquales, vt verbi gratia, si calor vt 8. agat in frigus, vt 4. poterit frigus reagere, quia licet maior sit actiuitas caloris, quam frigoris, minor tamen est resistentia caloris actiuitate frigoris.

Petes primo, vnde oriatur maior resistentia alicuius formæ.

Respon. ex iisdem capitibus, ex quibus maior actiuitas: sicuti enim actiuitas crescit ex intensione formæ, ex densitate, ex eiusdem extensione, ita etiam resistentia, sic vt quo intensior est forma, vel ratione densitatis, aut extensionis, plus est formæ, eo cæteris paribus respectu eiusdem agentis magis resistit.

Petes secundo, vtrum tantum possit actio contrariæ qualitatis, vt alterum contrarium nihil resistat.

Respon. non esse improbabile, vsque adeo posse crescere, vel ratione intensionis, vel extensionis formam in actiuitate, & contrarium ita esse remissum, ac purum extensum, vt nihil amplius resistat, vt verbi gratia, licet palea, vel stuppa aliquid habeat frigoris, illud tamen ita exiguum est, vt si ipsa in luculentum ignem, aut fornacem iniiciatur, nihil resistat, atque adeo in instanti fiat alteratio, & introductio formæ ignis.

Petes tertio. An etiam resistentia vnius, ita possit fugare actiuitatem alterius, vt alterum reagat, quamuis sit primum & immediate coniunctum fortiori agenti.

Respon. Etiam hoc probabile esse, & in palea ac stuppa in accensum fornacem coniecta videri habere locum, quid enim ignis tam actiuus & fortis in resistendo à stuppa repatiatur. Vnde non bene illi, qui volunt ex eo aliquid præcise repati, ab altero, quia habet materiam eiusdem rationis, adeo vt quantulumcunque sit formæ contrariæ, illud reagat: neque enim ex sola materia hoc prouenit, aut vi actiua quantulacunque contrarii, sed ideo aliquid reagit, quia eius actiuitas potest superare resistentiam, quam vt possit ab altero superari, non repatietur.

Dices secundo, hinc sequeretur, quod mutum agens tanquam sibi perfecte passum assimilaret, atqui hoc est falsum, ergo. Maior probatur, quia dum patitur, eius vis diminuitur.

Respon. posse agens assimilare sibi passum, primo si in passo nulla sit resistentia, nec reactio, vt dixi in stuppa, vel palea. Secundo si agens ita habeat passum intra sphæram actiuitatis, vt tamen non sit intra sphæram actiuitatis passi. Tertio, si passum ita reagat, vt tamen debilius, quam alius agens in ipsum: nam licet debilitetur fortius agens, per reactionem alterius, tamen vbi agens fortius ita superat passum, vt resistentia ipsius sit maior quam passi actiuitas, tunc agens fortius reducet suas qualitates ad statum naturalem, quas deinde in passum reducet. Si tamen qualitates illæ non essent in subiecto connaturali, tunc neutrum alterum sibi perfecte assimilaret. Similiter, si vtrumque in actiuitate, & resistentia esset par, aut pene par, non fieret perfecta assimilatio, sed vtrumque ad mixtionem concurret, & ad aliquam formam tertiam transiret, si tamen reliquæ adsint dispositiones, seruata ista qualitatum temperie. secunda, certe cum ad temperiem sese reduxerit, cessabit actio.

Finis librorum de Generatione & Corruptione.

COMMENTARIUS IN QVATVOR LIBROS DE COELO.

EXpositis corporis naturalis in genere principiis & affectionibus, o libris Physicorum, his libris partiales quasdam corporis species e plicat Aristoteles, partes scilicet vniuersi primarias, cœlos & e menta.

Inscribuntur hi libri, de cœlo, licet etiam hic de quatuor elementis disput denominatione sumpta à nobilissimo obiecto.

Tractatum hunc in 4 libros partitus est Aristoteles.

Primo de mundo, seu vniuerso agit, eumque docet esse perfectum, de de non posse esse infinitum, esse vnum generationis & corruptionis expertem.

Secundo de cœlo & astris in particulari, eorumque affectionibus.

Tertio de Elementorum natura, & motibus veterum opiniones adfert.

Quarto suam de natura elementorum, qualitatibusq; ipsorum & moti sententiam profert.

CAPVT I.

CApite primo docet, Physici esse de corporibus & magnitudinibus tractare, eorumque affectionibus, motibus ac principiis, quod probat, quia præter hæc in rerum natura nihil reperitur, quia vero omne corpus est continuum, illud definit. Continuum, est quod est diuiduum in ea, quæ semper & infinite diuidi possunt.

Hæc definitio per materialem causam datur, partes enim continui sunt quasi illius materia, vnio est forma.

Ostendit deinde, è tribus magnitudinibus solum corpus in genere continui esse perfectum, eo quod omni ex parte diuidi possit, tam secundum latitudinem, & longitudinem, quam profunditatem, cum linea secundum longitudinem tantum diuidatur, superficies tantum secundum longitudinem & latit nem.

Probat autem, corpus inter magnitud solum esse perfectum, quia iuxta Pyth reos, omnia sunt tribus definita, princ scilicet, medio, & fine, siue quod idem est, sunt omnia, ac proinde, quod habet te rium numerum, habet omnia, atque ade perfectum, cum nihil illi deest. Confi hoc primo, quia etiam in Deorum sacri ternario numero, tanquam perfecto vti iuxta illud: numero Deus impare gaudet cundo, quia de duobus ambos & vtrosq cimus, de tribus omnes, omnia autem, tc & perfectum formali significato non c runt, sed tantum connotato, & materia significatis, omnia enim fere rebus dis tribuimus, vt cum dicimus, omnes hom totum rebus continuis, sic totam aqua ci

mus, perfectum formis, sic perfectam scienam dicimus.

Probat secundo, corpus esse perfectum, quia nulla ibi magnitudo deest, neque enim ex fluxu corporis alia magnitudo generatur, sicuti ex fluxu lineæ superficies, ex fluxu superficiei, corpus.

Ex his infert, mundum in suo genere esse perfectum, tum ratione rerum contentarum, sunt enim corpora, quæ in ratione magnitudinis sunt perfecta, tum ratione sui, quia omnia continet, & à nullo continetur.

C A P V T II.

Probare intendit hoc cap. Aristoteles, præter quatuor elementa dandum esse corpus quintum simplex, id est, cœlum, ad quod probandum tres remittit hypotheses, tanquam dicendorum fundamenta.

Prima, omnia corpora & magnitudines per se loco moueri possunt. Probat, quia constant natura, ac interno principio motus.

Secunda. Motus omnis localis aut rectus est, aut circularis, aut ex his mixtus. Probat autem duplicem tantum esse motum simplicem, rectum, scil. & circularem, quia duplex est tantum magnitudo, recta & circularis. Circularis motus est, qui circa medium voluitur. Rectus est, qui in sublime, aut deorsum tendit, id est, à medio, seu centro mundi, vel ad medium, seu centrum tendit, probat item recte diuidi motum in simplicem, & mixtum, quia omne mobile vel est simplex, vel mixtũ, simplicium sunt motus simplices, mixtorum mixti, nisi elementum in illis aliquod prædominetur, vt in ferro terra.

Tertia, vnumquodq; corpus simplex vnico simplici motu simpliciter mouetur, his præmissis, rationes adfert, quibus quintũ corpus simplex, id est, cœleste sit astruendum, id est, necesse est, motum simplicem alicui corpori simplici conuenire, sed motus circularis est motus simplex; ergo. Subsumit: sed hic motus non conuenit elementis, quia illa mouentur motu recto, vnius autem corporis simplicis vnicus est motus simplex, ergo dandũ est cœlum, cui conueniant. Secundo motus circularis nulli elemento conuenit naturaliter, ergo cœlo, quod sit alterius naturæ ab elementis. Antecedens probatur, quia motus elementorum naturalis, motui eorundem violento est contrarius, nulli autem motui elementorum violento opponitur circularis, ergo. Tertio motus circularis est recto perfectior, est enim suapte natura perpetuus, ergo est alicui corpori, etiam perfectiori, & suapte natura perpetuo naturalis.

C A P V T III.

Probauit Aristoteles, dandum esse quintum corpus simplex, iam quibus proprietatibus ab elementis differat, ostendit.

Prima, cœlũ nec est graue, nec est leue, huius proprietatis occasione definit quid graue, quid leue, quid grauissimũ, quid leuissimum. Graue est, ꝙ naturæ vi ad leue mouetur, leue, ꝙ à medio, grauissimum quod omnibus quæ deorsum feruntur, substernitur: leuissimum, ꝙ omnibus, quæ supera capessunt, extat & eminet, vt ignis: hinc probat, cœlum nec esse graue, nec leue, hoc argumento. Quicquid est graue, vel leue, id à medio, vel ad mediũ fertur: sed cœlum nec à medio, nec ad mediũ fertur, ergo. Minor probatur, nam is motus esset illi naturalis, vel contra naturam: si naturalis, sequeretur cœlum esse, aliquod ex elementis: si cõtra naturam, sequeretur, motum illi oppositum esse ipsi naturalem. Colligit vlterius Aristoteles, nec partẽ cœli esse grauem, vel leuẽ, & licet à toto cœlo pars discindi posset, tamen non motum iri aliquo motu recto, cum partis & totius eadem sit ratio.

Secunda proprietas, cœlum est ortus & interitus expers, item augmenti & detrimenti, omnisq; alterationis. Primũ probat, quia non habet contrariũ, siue non datur qualitas qualitati ipsius contraria. Secundum probat, quia ꝙ augetur, & decrescit, etiam generari potest, & corrũpi, cum augmentatio partialis sit quędam generatio, & diminutio partialis corruptio. Nota vero loqui Arist. de augmentatione & diminutione, late sumpta, vt etiã inanimatis competit. Tertiũ probat, quia omne, ꝙ alterari potest, etiam accrescere & decrescere potest, loquitur hic Arist. de alteratione corruptiua, id est, de ea, qua qualitas alia expulsa acquiritur non autem perfectiua, nam etiam qualitates aliquas ipsum perficientes, habet cœlum. Tertia proprietas, q̃ ex priore colligitur, cœlum est perpetuum, & sempiternum ꝙ leuioribus quibusdã signis probat, id est, quia omnes tũ Græci tũ barbari, cœlũ sedem deorum, & domiciliũ statuerũt. Secundo, ꝙ nulla vnquã ab Astronomis in cœlo visa sit extitisse muta-

mutatio. Tertio, à nominis etymo, dicitur enim cœlum æther, non ἀπὸ τοῦ αἴθειν quod significat ardere, sed ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, quod significat perpetuo currere, vnde Anaxagoram reprehendit, qui ætheris nomine ignem significare voluerit.

In fine capitis colligit, vniuersum constare quinque corporibus simplicibus, nam motus simplex est circularis, & cœlo conuenit, vel est rectus à medio, & elementis leuibus, igni & aeri competit, vel ad medium, & grauibus, terræ & aquæ est attributus.

CAPVT IV.

QVod præcedentibus cap supposuerat, id hoc cap probat, motui scilicet circulari nihil esse contrarium, non rectum, quia rectus recto, non igitur circulari opponitur, alias duo motus essent eidem oppositi quod est absurdum; non circulare: nam si id esset, id vni ex his quatuor modis accideret, primo si diceretur motus circularis, a. b. contrarius motui, quo transitur linea ducta supra vel infra lineam A. B. & hoc non tam, quia motus oppositi sunt ad terminos oppositos, hi autem motus sunt ab eadem ad idem, tum, quia sic vni motui infiniti aduersarentur, cum super eis punctis possint duci infinitę lineæ curuæ, inæquales inter se. secundo, si dicatur motus, qui tendit per vnum semicirculum ab A. in B. opponi motui, qui fieret per eundem semicirculum à B. in A. sed hoc neque dici potest, quia motus contrarii debent esse inter terminos maxime distantes, maxima autem distantia in quaque re sumitur ex linea recta, quæ vna est. Curuæ autem lineæ possunt in infinitum variari, mensura siquidem omnis debet esse certa & definita, ex quo sequeretur, vnum motum habere plures, imo infinitos oppositos. Tertio, si dicatur motus, qui tendit per vnum semicirculum ab B. in B. opponi motui, qui fieret per alterum semicirculum à B. in A. quod etiam ob eandem rationem dici non potest. Adde hinc secuturum duos motus contrarios, sibi inuicem fore continuos, quod fieri non potest Quarto si dicatur motus vnus, qui tendit per vnam partem ab A. in A. opponi motui, qui fieret per partem oppositam ab A in A. sed hoc dici non potest, cum motus oppositi requirant terminos oppositos, hi autem duo motus a eodem ad idem punctum tendunt. Confi mat eadem Aristoteles, quia, inquit, cum i quolibet puncto circuli maxima possit ass gnari distantia, ducta diametro ab illo pur cto, ad aliud oppositum, si in illis motib esset contrarietas, deberent corpora, quæ ill mouerentur, vndecunque moueri inciperen ad omnia circuli puncta peruenire, cur omnia sint contraria, ac proinde sibi occu rere, quocirca si æqualis essent virtutis, amb quiescerent, & neutrum moueretur: si inæ qualis, illud quod alterum superaret, perpe tuo moueretur, alterum non posset motun suum absoluere, ac munus suum exequi, quo absurdum est: Deus enim & natura nihil fa ciunt frustra.

CAPVT V.

PRobat hoc cap. contra veteres, cœlum infinitum esse non posse, idque aliquot rationibus: primo, quia cum cœlum motum certo tempore conficiat, sequeretur infinitum pertransiri, quód absurdum est, secundo, quia cum motus sit finitus, & tempus, quo mouetur, etiam mobile, debet esse finitum vt seruetur proportio. Tertio cœlum terminis clauditur, cum sit figuræ sphæricæ, ergo non potest esse infinitum.

CAPVT VI.

HOc itidem cap docet, nullum è reliquis corporibus simplicibus posse esse infinitum, probat primo, quia cum elementa alia sint extrema, alia media, extrema infinita esse non possunt, quia eorum loca sunt finita, locus enim terræ est medium, quod definitum est, ne si vltra progrediatur terra ad cœlum ascendat. Quod si locus terræ sit definitus, consequenter & locus superius ignis illi oppositus. Vlterius, si loca extrema sunt finita, consequenter & media, quæ extremis continentur, ergo & media elementa sunt finita. Secundo idem probat, à virtute motiua, quia si corpus aliquod esset infinitum, haberet virtutem motiuam, seu grauitatem, seu leuitatem infinitam, alias finitum & infinitum mobile æqualem possent habere virtutem motiuam, imo finitum posset in grauitate, vel leuitate excedere, at vero infinitam virtutem

motiuam,

motiuam, dari est absurdum, talis enim virtus moueret, & non moueret, moueret, quia supponitur esse virtus motiua, non moueret, quia in instanti deberet moueri, quod est impossibile, nam cum sit infinita, infinite celerius deberet mouere, quam virtus finita, ac proinde in instanti. Quod si dicatur, minimo tempore motum iri, contra est primo, quia non datur minimum tempus, deinde cuiusuis temporis ad aliud tempus est proportio, ergo non manebit infinite, & consequenter, nec virtus motiua erit infinita.

CAPVT VII.

Persequitur institutum, probans non posse dari corpus infinitum, primo, quia neque corpus constans partibus similaribus, neque dissimilaribus: item nec corpus constans finitis, nec infinitis partibus, specie diuersis, quæ omnia similibus fere argumentis ex motu, loco, virtute motiua sumptis, probat. Secundo, tale corpus infinitum, nec à finito pati, nec in finitum agere posset, quia nec tempore finitum, cum finiti ad infinitum nulla sit proportio, nec infinito, quia omnem actionem et passionem, finem consequi oportet. Deinde si finito tempore pateretur, sequeretur, partem & totum & æquali tempore pati. Tertio ex motu probat, quia omne corpus potest moueri, infinitum non potest moueri: ergo. Minorem probat, quia nec circulari motu, nec recto, non circulari, quia infinitum non non habet medium, nec extremum, non recto, quia darentur plura loca infinita. Item si tale corpus moueretur, moueretur à fortiori infinito: finitum enim non potest habere virtutem infinitam, vt 8. *Phys* patet, ergo erunt plura infinita.

Probat item non tantum in mundo, sed nec extra mundum, dari posse corpus infinitum.

CAPVT VIII.

Hoc cap. probat, non esse plures mundos, alias enim terra alterius mundi ferretur ad terram huius mundi, & ignis ad ignem huius mundi, & sic de cæteris: nam vel terra huius mundi naturaliter quiescet, & tunc terra alterius mundi, quæ erit eiusdem rationis, ad hanc terram naturaliter ferretur, tanquam ad locum naturalem, in quo quiescat, vel terra huius mundi violente quiescit, & sic naturaliter ad terram alterius mundi tendet, quod dici non potest, quia deberet ascendere, quod est contra illius grauitatem. Quod si quis dicat, terram illam fore diuersæ rationis, infert ipse, nec illum mundum fore vniuoce mundum, eiusdemque rationis cum hoc mundo, quod est contra hypothesin, & opinionem eorum, contra quos argumentatur. Si quis vero dicat, licet sint eiusdem speciei, non tamen motum iri vnam ad alteram, propter distantiam.

Respondet, distantiam non mutare naturalem rei inclinationem.

Quantum hæc Aristotelis ratio momentum habeat ad ostendendum pluralitatem mundorum esse impossibilem, videbimus in quæstionibus.

Quoniam vero tota disputatio, quam hoc cap. instituit, hoc fundamento fere nititur, quod tanquam certum statuerat, singula nempe corpora habere certa quædam loca naturalia, ad quæ tendant, & cum quibus quiescant. Idem probat primo, quia illa non mouentur in infinitum, vel in incertum, neque ad loca mouentur per vim externam, ergo. Prius sic probat, quia quo viciniora sunt loco naturali, eo celerius mouentur, ergo. Si infinito motu mouerentur, in fine augeretur impetus grauitatis, & leuitatis. Posterius sic probat, primo, quia quod per vim externam mouetur, eo tardius mouetur, quo maius est: at contra accidere in Elementis videmus: quo enim maior, verbi gratia, terræ portio in terram descendit, eo maiore impetu fertur. Secundo quæ ab externo motore impelluntur, eo tardius feruntur, quo ab illo magis distant: at elementorum motus in fine est celerrimus. Tertio nihil ad eum locum per vim mouetur, vnde per vim auelli debet.

Addit in fine, alias rationes è Physica & Metaph petitas, nempe, quia 12. *Metaph.* demonstratur, vnicum esse primum motorem, & 8. *Phys.* vnum esse primum mobile, & vnum primum motum circularem, scil. inde colligi etiam putat, vnum esse tantum mundum.

Nota Aristotelem *in fine c.* cœlum vocare elementum, quia scil. est corpus simplex, ex nullo alio compositum, non quia ex ipso alia componantur.

CAPVT IX.

PErsequitur id, quod capite superiori instituerat, docetque, non tantum non esse plures mundos, sed nec esse posse, ne quidem temporis successu, totaque eius ratio est, quia tota materia est in hoc mundo consumpta, quam rationem in quæstionibus examinabimus. Itaque ad obiectionem, quæ fieri posset, pro mundorum pluralitate. Illa quæ habent formam materiæ permixtam, id est, res materiales, in quibus aliud est forma, seu ratio communis, aliud hæc forma, seu ratio communis ad aliquod singulare contracta potest habere multa indiuidua eiusdem speciei, ergo cum aliud sit mundus, aliud hic mundus, poterunt dari plures mundi. Respondet, antecedens esse verum, in iis, in quibus tota materia non est consumpta. Concludit, extra cœlum nec locum esse, nec vacuum, nec tempus, nullum locum, quia nullum ibi corpus, quod loco contineri possit, non vacuum, quia vacuum est locus carens corpore, aptus tamen repleri, atqui ibi nullum potest statui corpus, quod replet, non tempus, quia illud est mensura motus, qui esse non potest, vbi non est mobile.

CAPVT X.

HOc cap. & 2. sequentibus disputat Aristoteles, habuerit ne mundus durationis initium, an vero fuerit æternus. Et hoc quidem cap. aliorum de ea re opiniones refutat, primum Platonis, qui asserebat mundum esse genitum, non tamen interiturum, quod ex eo falsum ostendit, quod videamus omni: quæ generantur, etiam corruptioni esse ol noxia: hæc ratio bene concludit, de gener: tione Physica, non creatione, secundo Eur pidis asserentis hunc mundum sæpe oriri, interire, nisi salua maneat natura, & sul stantia mundi, atque adeo mundus semp perseueret. Vltimo Democritum refellit, q factum quidem aiebat mundum, ac inter turum, eo modo, vt non possit renasci, quc hic refutat, quia si alias factus, ergo corrupti restaurari potest, cum eadem materia, prius generationi possit subiici. Sed omn in hoc Aristotelis error prouenit ex eo, quo non agnouerit aliam actionem producti uam, quam generationem Physicam, vel agnouit, putarit Deum ex necessitate egi se, quicquid agit.

CAPVT XI.

HOc cap. varias tradit ingeniti acceptic nes, ad tollendum omnem in hac dispi tatione æquiuocationem, ingenitum ign primo dicitur, quod sine generatione hab initium, vt motus, secundo id, quod noi dum est, nasci tamen potest, vt homo n scitarus. Tertio, quod nullo modo fieri p test, vt Chimæra. Totidem modis oste dit vsurpari generabile, corruptibile, inco ruptibile.

CAPVT XII.

QVæstionem propositam soluit, statuit que mundum æternum, quia ingener: bilis, & incorruptibilis.

IN SE

IN SECVNDVM LIBRVM DE COELO.

CAPVT I.

QVIA *capite vltimo libri præcedentis* statuerat, mundum ac cœlum esse æternum: Consequenter hoc primo *c.* 2. *lib.* statuit, cœlum in motu suo non defatigari: hinc tres opiniones refellit, primam poetarum, qui fabulantur, cœlum Atlantis humeris fulciri, donec deorsum ruat: alteram Empedoclis, qui cœlo naturalem grauitatem inesse credidit, scilicet retineri sursum summa motus sui velocitate. Tertiam Platonis, qui *in Timæo* docet, orbes cœlestes ab anima mundi detineri, & circumuolui, licet innata grauitate deorsum nitantur. Qui omnes in eo peccant, quod cœlo grauitatem tribuant.

Ex iis, quæ Aristoteles hic habet, eruitur hæc defatigationis definitio.

Defatigatio est diminutio potentiæ actiuæ, & cognitiuæ, per diuturnam actionem, reparabilis tamen per quietem.

CAPVT II.

HOc cap. de positionum differentiis in cœlo agit, sexque in eo positionum differentias constituit, Sursum, Deorsum, Ante, & Retro, Dextrum & Sinistrum. Ex his solum duas posteriores in cœlo admittebant Pythagorei, reliquas negabant. Contra quos hic disputat Aristoteles. In primis igitur ait Aristoteles, has differentias positionum proprie in viuentibus, & animalibus reperiri, non tamen in omnibus, æqualiter. In animalibus perfectis, quæ non tantum sentiunt, sed etiam per gressum motum habent, insunt omnes positionum differentiæ, in imperfectis, quæ non mouentur solum quatuor, Sursum, Deorsum, Ante & Retro. In plantis, quæ motus & sensus sunt expertes, sursum tantum & deorsum, in animalibus vero, illas non nisi improprie & analogice reperiri, vel ratione nostri, quia scilicet sunt nobis ad dextram, vel sinistram, vt columna dicitur dextra, vel sinistra, qui eas partes repræsentant vt imagines & statuæ: hæ in iis, quibus proprie conueniunt, nunquam mutantur, in aliis quibus improprie, possunt mutari, vt columna, quæ nobis nunc dextra est, potest fieri sinistra.

Vt autem intelligantur rationes Aristotelis, quibus Pythagoreos refellit, sciendum, vnde hæ positionum differentiæ attendi debent, sursum & deorsum, ex motu accretionis attenduntur, sursum enim illa pars esse dicitur, vnde viuens attrahit alimentum, vt os in hominibus, & bestiis, radix in plantis. Deorsum pars opposita: Ante & Retro sensatione sumuntur. Ante n. illa pars dicitur, in qua maxime vigent sensus, eliciunturq; sensationes, vt facies in homine, retro est pars opposita, dextrum & sinistrum attenduntur ex motu progressiuo dextrum enim illud est, vnde incipit motus progressiuus, sinistrum pars opposita.

Refutat autem Pythagoreos, primo, quia licet dextram & sinistrum virtute differant, non tamen figura, sicut reliquæ differentiæ positionum. Secũdo sursum & deorsum priora sunt dextro, & sinistro, nam illa etiam plantis, hęc solum animantibus conueniunt. Tertio sursum & deorsum pertinent ad longitudinem, dextrum & sinistrum ad latitudinem, longitudo autem prior est latitudine, quarto prius est principium vegetandi, principio sentiendi, vel loco mouendi, ergo prius est sursum & deorsum aliis differentiis positionum.

Ex his concludit, has omnes positionum differentias in cœlo reperiri, eo quod cæteris omnibus animalibus perfecte conueniunt, ergo & cœlo, quod est perfecte animatum, intellige anima non sentiente, sed assistente, id est, intelligentia. Neque obstat, inquit, quod cœlum sit rotundæ figuræ, atque adeo constet partibus similibus, quia licet sint similes, ob munium tamen diuersitatem posse illi diuersas affectiones competere, has autem differentias positionum ita cœlo accommodat, vt sursum & deorsum sit in duobus polis, quia à polo ad polum sumitur cœli longitudo, cum in circulo, vel sphæra penes diametrum sit sumenda. Sursum accommodat polo Antarctico. Deorsum polo Arctico, cuius rei hæc est ratio, quia vti in rationalibus ea pars est dextra, vnde incipit motus, ita in cœlo oriens est pars dextra, occidens sinistra: Ante vero pars, versus quam tendit motus: Retro pars opposita. Quam constitutionem non possumus imaginari nisi nisi ponamus supra in polo antarctico.

Nota tamen aliter Philosophos, aliter Poetas, aliter Astronomos, aliter Cosmographos differentias positionum constituere. Cum enim Poetæ maxime considerent occasus siderum, dum conuertunt se ad occasum, habent ante in occasu, retro in ortu, dextrum in septentrione, sinistrum in austro. Astronomi vero, cum astrorum motus considerent, conuertunt se ad Zodiacum, ea parte qua medium cœli obtinet, quare ipsis ante est in meridie, retro in septentrione, dextrum in occasu, sinistrum in oriente. Cosmographi vero cum terræ latitudinem longitudinemque considerent, conuertunt se ad septentrionem, & sic consequenter reliquas situum differentias constituunt. Philosophi vero, vt dixi, partem vnde incipiat motus, considerant.

CAPVT III.

HOc capite probat plures esse motus circulares, atque adeo plures cœlos, longo sorite, & catenata argumentatione: hoc modo: Si cœlum est corpus diuinum, vti est, vtpote ingenerabile, & incorruptibile ergo habet motum circularem, qui solus potest esse æternus. Cum autem hic motus fiat circa aliquod centrum mediũ, quod quiescat, danda erit terra in medio immobilis. Si est terra, ergo est ignis, contrariorum enim si vnum sit necesse est, & alterum esse. Si rursus est terra & ignis, erunt & elementa media, hæc vero elementa cum inter se pugnent, dabitur necessario ortus & interitus. Hic autem esse non potest, nisi sint plures motus cœlestes, cum tam variæ generationes non possint in vnum referri, & æquabilem motum, vti est motus primi mobilis, ergo dantur plures motus cœlestes, atque adeo cœli. Quod autem Aristoteles in hac argumentatione terram & ignem dicat esse contraria, intelligendum non per se, sed ratione aliquarum affectionum, contrariarum, summæ scilicet grauitatis & leuitatis.

CAPVT IV.

PRobat cœlum & mundum esse rotundæ & orbicularis figuræ, primo, quia prima & nobilissima figura debetur primo & nobilissimo corpori, sed rotunda figura est prima, & nobilissima, ergo. Minorem probat, quia est simplicissima, in planis enim vnica linea, in solidis vna superficie, continetur, cum cæteræ figuræ tum planæ, tum solidæ, pluribus lineis, aut superficiebus terminentur. Secundo cœlum mouetur in orbem, ergo est orbicularis figuræ: alias si partes extimæ cœli aliam haberent figuram, cœlo moto daretur vacuum: motis enim angulis cœli spatium quod illi occupabant, remaneret inane. Idem incommodum ait, eueniet, si cœlum ponatur ouali figura: Tertio, cœli motus est velocissimus, quia mensura reliquorum. Mensura enim in suo genere debet esse minima, ergo motus ille fit per lineam breuissimam, linea autem circularis est inter lineas, quibus à eodem ad idem circulariter reditur, breuissima, ergo motus ille fit per lineam perfecte circularem, eritque proinde cœlum rotundæ figuræ. Quarto, omnia elementa sunt rotunda, & globosa, terram enim rotundam ambit circulariter aqua, hanc aer, aerem ignis, ergo & cœlum erit rotundum, quod ignem ambit. Ex his omnibus concludit, totum mundum esse perfecte sphæricum, & rotundum.

CAPV-

CAPVT V.

QVærit Aristoteles, cur cœli motus potius sit, ab oriente per meridiem, quam per septentrionem.

Respondet cum natura semper faciat, quod est optimum, nisi impediatur, ideo quia oriens est pars dextra, vnde incipit motus, item meridies pars est anterior, ob idque nobilior septentrione, merito ab oriente inchoatur motus cœli, quia inde incipit motus.

Respondet D Thomas, non esse vitiosum circulum, sed regressum demonstratiuum: ibi enim à posteriori, seu signo probat, quæ sit pars dextra. Hic vero à priori, seu causa probat, cur ab oriente debuerit inchoari motus. Si quis vlterius petat, quæ sit causa distinctionis partium in cœlo, Respondet, esse vim intelligentiæ cœlo applicatæ.

CAPVT VI.

PRobat motum primi mobilis esse æquabilem.

Nota, solere illa distingui, motum æquabilem, & vniformem, quod motus æquabilis sit, cum eodem motu, & æquali tempore, idem spacium percurritur. Vniformis vero dicitur, cum omnes partes mobilis æquali velocitate mouentur; quod cœlo non conuenit. Partes enim polis viciniores tardius mouentur aliis partibus, quæ à polo longius absunt. Multi tamen illa confundunt, & inprimis interpres noster, qui pro eodem accipit æquabile & vniforme.

Probat autem motum illum esse æquabilem, primo, quia motus inæqualis habet incitationem statuum, & retardationem. At nihil horum est in primo mobili, ergo. Minor probatur, Nam hæc incitatio, vel reperitur in principio vel medio, vel fine, vti motus violentus, qui in principio est velocior, vel vti motus progressiuus, qui in medio, sed cœli motus nec habet principium, vel medium, vel finem. ergo.

Secundo, omnis inæqualitas motus, vel oritur à mouente, vel à mobili, vel ab vtroque, sed à neutro potest oriri, cum vtrunque sit æternum, ingenitum, & immortale, ac defatigationis expers: Tertio, pugnat cum experientia.

CAPVT VII.

AGit de natura Stellarum, dicitque eas esse partes quasdam densiores sui orbis, eiusdemque cum suis orbibus naturæ, quæ propter densitatem plus recipiunt luminis, neque illud transmittunt, ob idq; fiunt conspicuæ. Docet item contra quosdam Philosophos, illos non esse igneæ naturæ, licet enim in hisce inferioribus calorem excitent, id tamen non fit ratione caloris, quam in se habeant, sed ratione motus & luminis reflexi.

CAPVT VIII.

PRobat hic stellas omnino per se moueri, sed ad motum sui orbis. Primo, vel vtraq; quiescunt, vel vtraque mouentur, vel astra mouentur cœlo immoto: non primum, quia supponitur terram non moueri, quo posito est contra sensum asserere vel cœlum, vel astra non moueri, non secundum, quia sequeretur, æquali celeritate stellas moueri, qua ipsum cœlum, quod est absurdum. Nam eadem debet esse proportio motus, quæ est ipsorum mobilium, in magnitudine: non tertium, quia idem incommodum sequeretur, neque esset ratio cur stellæ polis vicinæ tardius mouerentur, iis, quæ sunt vicinæ æquatiori.

Secundo, quia stellæ cum sint rotundæ, si per se mouerentur, vel mouentur motu conuersionis, vel volutationis. Non prius, quia sic stellæ nunquam mutarent locum, secundum se totas, quod est contra experientiam, noua conuersio est motus, quo manente toto in eodem loco, partes in orbem voluuntur: non posterius, quia eadem semper lunæ facies apparet, quod non fieret, si volutaretur, cum volutatio sit motus, quo totum mobile mouetur in orbem, cum mutatione totius mobilis, vt si globus per planum voluatur.

Dices, sol in ortu & occasu circumagi videtur, ac tremit, ergo etiam motu conuersionis fertur.

Resp. id tantum per apparentiam fieri, ratione claritatis, & distantiæ, ac vaporum interpositione. Sic etiam stellæ scintillare, ac tremere, ob distantiam videntur, non autem propinquiores planetæ, excepto Mercurio, quia inter omnia astra minimus, in ea autem paruitate nimium distat, quam vt possit ocu-

lus sine vacillatione illum intueri. Probatitem astra non moueri, motu progressiuo, quia non habent organa ad eum motum apta. Demum concludit, quia astra mouentur in orbem, motu sui orbis, illa esse rotunda.

CAPVT IX.

CONtra Pythagoreos probat, hoc c. astra suo motu nullam excitare harmoniam, fieri enim non posse, vt illam non audiremus.

Resp Pythagorei, aures nostras ab initio ita hoc sono esse oppletas, vt consuetudine non animaduertant, vti malleatoribus accidit. Contra inquit Arist. cum nulla talis consuetudo tollat sensum, erigentes saltem aures attentius illam audiremus: deinde si tonitru maxima saxa disrumpat, multo magis sonus qui propter magnitudinem corporum, quæ mouentur, longe vehementior existit, omnia hæc inferiora comminueret. Tertio, sicut ea, quæ alteri adhærent, vt malus, aut puppis naui sonitum non edunt, dum nauis mouetur, ita nec astra motis cœlis. Quarto, Quicquid sonum efficit, eget medio aliquo corpore, quod intercipiat, apto ad recipiendum sonū, aëre scilic. vel aqua, atqui nullum tale est inter cœlos, ergo.

CAPVT X.

DOcet Sphæras inferiores, quo à primo mobili sunt remotiores, eo celerius motus suos proprios absoluere. Ratio, quia nimis à raptu primi mobilis, contra quem motu proprio nituntur, impediuntur.

CAPVT XI.

PRobat omnia astra esse rotunda, primo, quia cum non progrediantur, illa eis figura maxime conueniet, quæ ad hoc est ineptissima, talis est Sphærica, ergo. Secundo, cum sit eadem ratio omnium, Sol autem & luna sunt rotunda, etiam erunt & reliqua.

CAPVT XII.

PRoponit duas quæstiones difficiles, suo tempore, prima; cur astra cœlorum intermediorum habeant plures motus, quā extremorum, media enim habent stationes, retrogradationes, directiones, quas non haben stellæ firmamenti, (quod ab Arist. cēsetur primum mobile nec astra in fine Sol & Luna Cēset enim Arist. Solem immediate esse supr Lunam, vnde in nostra sententia, de ordin cœlorum cessat, ex parte quæstio Aristotelis supponit enim falsum.) Altera quæstio est, cu in fundamento plurimæ sunt stellæ, in reli quis cœlis tantum vnum astrum.

Resp. Arist. ad primam, sed admodum ob scure, videtur hoc velle aliqua esse entia, qu quiete sine vlla operatione perfectum bonur assequantur, vt Deus & intelligentiæ, alia esse quæ paucis motibus egent, vt summo bon appropinquent, tale est primum mobile, ali esse, quæ pluribus motibus ad illud acceder conantur, vt Planetæ intermedii: alia vero e se, quæ quia nimium distant ab illo summ bono, paucis motibus egent, quia ad illud im perfecte nituntur, ita planetæ infimi: alia de nique quæ ab illo longissime distant, nullo modo ad illud nituntur, ob idque nullo cie motu, vt terra.

Respon. ad secundum, ideo id esse, quia pr mum mobile est nobilius, quare debet esse o natum pluribus stellis, deinde vt paucit motuum multitudine stellarū compensentu

CAPVT XIII.

VArias refert de terræ situ, motu, quiete, figura sententias. Prima de situ eorū, q eum in medio mundi collocarunt, secunda a ferentium ignem esse in medio, terram ver in gyrum volui. Quod ad motum spectat, al dixerunt moueri circa medium, eo quod ill non sit in medio: alii in medio esse, & nihilc minus circa axem vniuersi moueri. Quod a figuram attinet, quidam dixerūt esse planan

CAPVT XIV.

HOc cap. probat terram non moueri ci cularitér. Deinde docet, terram esse r tundam, ex duobus perpendiculis demissi quæ licet sibi inuicem appropinquent, cum terra tamen angulos rectos efficiunt.

COM

COMMENTARIVS IN TERTIVM LIBRVM DE COELO.

CAPVT I.

HOc libro & sequenti de Elementis agit, & quidem cap I. huius, recenset veterum sententias quorundam, negantium esse generationem, aliorum dicentium omnium rum esse generationem, easque refutat. Dede contra Platonem probat, corpus non nstare ex superficiebus, & consequenter nec perficies ex lineis, nec lineam ex punctis.

CAPVT II.

HOc capite item refellit varias sententias de motu Elementorum.

CAPVT III.

PRobat esse Elementa, quia sunt motus simplices, Elementi deinde tradit definitionem. Elementum est id, in quod cætera diuiduntur, cum potestate insit vel re ipsa, ipsum item in ea quæ specie differunt diuidi non oteſt. Per genus definiti, quod est corpus, artur materia & forma. Dicit cum potestate sit, vel re ipsa, non enim vult hic docere vequod alibi de generatione pertractandum t, quodque etiamnum dubium est, an Elementa sint formaliter & actu in mixto, an ntum potentia.

Per vltimam partem excluduntur corpora ixta.

CAPVT IV.

CApite 4. probat non esse infinita Elementa contra Anaxagoram & Democritum.

CAPVT V.

CApite 5. probat non tantum esse vnum Elementum.

CAPVT VI.

CApite 6. probat Elementa ita esse æterna, vt ortus & interitus non sint libera. Prætetea nec in corpus simplicius, nec in indiuisibile Elementa resolui posse.

CAPVT VII.

CApite 7. Elementa non generari partium segregatione, v.g aërem ex aqua non generari per secretionem, quasi antea re ipsa in ipsa extitisset. Secerni vero est tantum ex altero depromi, non autem fieri. Deinde generationem non fieri sola mutatione figurarum, quia sic pars ignis non esset ignis, neq; dissolutione Planetarum seu extremitatum, quia sic ex non corpore fieret corpus.

CAPVT VIII.

HIc docet absurdum esse assignare Elementis figuras differentes specie, vt Platonici faciebant, qui terrę cubicam figuram, igni tetrahædron, aëri octahædron, aquæ icosahædron, cœlo dodecahædron assignabant.

IN QVARTVM LIBRVM.

CAPVT I.

DE grauitate & leuitate Elementorum motiuis virtutibus agit hoc libro, & quidem hoc 1. cap. docet, quid graue & quid leue, dicitq; graue & leue duous modis sumi, primo absolute 2. Comparaue; Absolute leue est, quod in sublime fertur, in extremum locũ, vt ignis; absolute graue est, quod deorsum & in mediũ fertur, vt terra; Comparatiue leue quod nõ fertur in sublimẽ locum, sed tamen sursum fertur alicuius comparatione, vt aër respectu aquę Comparatiue graue ꝙ nõ fertur maxime deorsum, vt aqua,

CAPVT II.

CApit. 2. veterum sententiam de causa grauitatis & leuitatis refutat.

CAPVT

CAPVT III.

HOc capite rationem adfert, cur leuia & grauia ferantur sursum & deorsum, quia scilicet illa sunt illorum loca naturalia, eorumque adeptione perficiuntur ac quiescunt.

CAPVT IV.

DOcet hic dari Elementum absolute graue, quod nullum habeat leuitatem, aliud absolute leue: alia intermedia, quæ cum diuersis comparata grauia & leuia dici possunt: Item mixta corpora moueri secundum Elementi prædominantis virtutem.

CAPVT V.

PRobat cap. 5. esse 4 Elementa. Ex quo colligit quadruplicem esse materiam secundam scilicet, id est, diuersis accidentibus affectam. Item ostendit Elementa media grauidare in locis suis naturalibus. Si vero aqua tollatur, aër descendet: Sin autem superiora tollantur, verbi gratia, ignis, non ascendet aer, sicut nec aqua in locū aeris nisi violent

CAPVT VI.

DOcet figuram non esse causam mot esse tamen celerioris vel tardioris m tus.

Duas item quæstiones proponit, 1. Cur l tum ferrum aut plumbum aquæ supernat rotunda vero & acuta illico demergantu 2. Cur particulæ rerum grauium, vt arenu aureæ & huiusmodi minuta ramenta in ae suspensa volitent? Ad primam reiecta Dem criti responsione dicit, causam esse, quod la multum de subiecto corpore comprehend quod idcirco facile diuidere non possint. Al vero parum, quod proinde facile diuidant. alteram vero respondet, eius rei causam e resistentiam medii, ne diuidatur, quod m gnitudine sua superet vim eorum motiuam, quia deorsum ferebantur.

AD LIBROS DE COELO DISPVTATIONES.

DISPVTATIO PROOEMIALIS.

DVBIVM I.

Quodnam sit horum librorum obiectum?

DIco obiectum materiale adæquatum horum librorum est corpus simplex. Formalis ratio sub qua consideratur est determinata cuiusque corporis simplicis natura, prout suarum affectionum naturalium est principium.

Probatur prior pars, quia sub hoc obiect adæquate continentur omnia quæ his libr tractantur, Cœlum nimirum & Element quorum natura & proprietates hic demo strantur. Neque potest dici, vt quidam v lunt, tantum per accidens, & in ordine ad cœ lum hic agi de Elementis, cum totus terti & quartus liber versetur in consideratio naturæ Elementorum & proprietatum, q in ipsis reperiuntur, neque vsquam appar ea tractari ab Aristotele in ordine ad cœlu Adde si hic per se non de Elementis tractetu nusquam per se de illis in Physica tracta Deinde hi libri cum pertineant ad Physican & in

& in 8. libris Physicorum tractatum sit de corpore naturali in genere, necessario in his libris tractatur de aliqua specie corporis naturalis, prima autem corporis naturalis species est corpus simplex.

Posterior Conclusionis pars probatur, quia hi libri versantur circa species corporis naturalis prout à Physico cõsiderari debet, Physici autem est considerare naturam & affectiones ex natura fluentes, vt recte Aristot. 1. de cœlo c. 1. Adde species corporis naturalis esse obiectum Physicæ contractum. Ergo & ratio sub qua considerantur, debet esse ratio formalis Physici obiecti contracta, limitata & determinata. Vnde male Simplicius, qui vult rationem formalem hic esse, qui vult corpus simplex prout mobile ad vbi. Neque enim tantum hic consideratur natura corporis simplicis prout est prima motus localis, sed etiam aliarum affectionum.

Dices 1. hos libros inscribi de Cœlo. Ergo illorum obiectum erit Cœlum.

R. librorum inscriptiones esse arbitrarias, & intentum ab obiecto adæquato, vt Arithmetica, Physica, alias ab obiecto primario materiali, vt Theologia, alias aliunde, vt libri Analyseos, Topica, Metaphysica.

Dices 2. in libris de generatione agi de Elementis. E. non pertinere ad obiectum horũ librorum.

Resp. de illis agi in libris de Generat. non vt sunt natura, & principium suarum affectionum, sed vt principia mixtorum, quatenus scilicet per sui mixtionem concurrunt ad cõstitutionem mixti.

Dices 3. De Mundo hic agi toto libro 1. & ad mundum referri posse omnia quæ hic tractantur.

Respond hic agi de corpore aliquo naturali, mundus autem non est vnum aliquod corpus, sed aggregatum ex pluribus, quod per se in scientia considerari non potest. Et licet aliquo modo referri possint corpora simplicia ad mundum, tanquam partes integrantes ad totum, non tamen ad vnam tanquam rationem communem, in qua conueniant: perspicuum autem est, de illis agi prout in ratione aliqua communi conueniunt, & sunt sub genere corporis naturalis, omnia vero quæ de mundo dicuntur ratione corporũ simplicium illi conueniunt. Vnde & in ordine ad illa de ipso tractatur.

Dices 4. Non explicari hic proprietates corporis simplicis, neque ipsius naturam, sed tantum specierum, ipsius cœli, scilicet & Elementorum

Respond. totum esse verum, propterea non assignauimus pro ratione formali rationem vel naturam corporis simplicis abstracte conceptam, sed limitatam & determinatam naturam corporis simplicis, vnde nota, scientiæ prout maioribus vel minoribus terminis cõcipiuntur, aliquando tantum abstracte considerare obiectum, aliquando determinate, & tamen idem obiectum assignari solet. Exemplo sit Physica, quo nomine si tantum complectamur 8. libros Physicorum, habet obiectum corpus naturale abstracte consideratũ, & secundum rationem abstractam ab omnibus inferioribus: Si latius extendatur Physicę nomen, vt præter hos libros contineat reliquos, qui tractant de speciebus corporis naturalis, nihilominus obiectum adæquatum constituetur corpus naturale, vt hic, siue vt affectionum naturalium est principium, sed talis scientia non considerat obiectum suum abstracte tantum, sed etiam vt determinata est per rationes formales inferiorum. Si libros omnes qui tractant de speciebus corporis naturalis simul coniungamus, excludendo eos qui tractant de corpore naturali in genere, nihilominus tamen adhuc obiectum debebit constitui corpus naturale, vt assignetur obiectum adæquatum, non quidem secundum rationem abstractam, sed secundum rationes determinatas omnium inferiorum considerarum: Idemque est fere ac si dicas, omnia inferiora corporis naturalis esse obiectum, non autem ipsum corpus naturale abstractum. Ita hic se res habet, non consideratur in his libris de Cœlo corpus simplex secundum rationem abstractam sed secundum rationes determinatas inferiorum, prout scilicet vnaquæque ratio formalis ac natura cuiusq; Elementi ac Cœli est causa suarum naturalium affectionum.

(**)

DISPVTATIO I.

De Mundo.

DVBIVM I.

An Mundus sit perfectus?

DIco Mundus est perfectus. Probatur tum quia à perfectissimo artifice, & ad finem perfectissimum conditus, tum quia habet omnia requisita ad eum finem ad quem à Deo est creatus, ad hominum scilicet habitationem & rerum productionem.

Perfectum autem illud est, cui nihil deest, tum quia in eo omnes rerum gradus, quæ scilicet habent esse, viuunt, sentiunt, intelligunt, reperiuntur. Itemque singulorum graduum diuersæ species, & singularum specierum multa indiuidua, quæ omnia in suo genere & essentiali ratione sunt perfecta, suisque item proprietatibus & accidentibus. Ergo mundus ex his conflatus est perfectus.

Dices 1. Multa deesse huic mundo, rerum scilicet species in infinitum possibiles, quæ à Deo perduci possunt. Ergo.

Respond. nullas species quæ non sunt & à Deo produci possunt esse mundo necessarias siue ad integritatem, siue ad sufficientem ornatum, siue ad finem in quem destinatus est.

Dices 2. Dissidium Elementorum turbare pacem & perfectionem vniuersi, Ergo aliquid illi ad perfectionem deest.

Respon. hoc dissidium facere ad perfectionem & bonum vniuersi, ex mutua enim Elementorum in se inuicem actione generantur mixta & tot variæ rerum species, sine quibus mancus esset mundus. Adde quod vnum Elementum per alterius actionem deperdit, aliunde per suam actionem compensare maximo Deo ita omnia moderante, & ad suos fines dirigente, vt integra conseruet quæ ad integritatem vniuersi sunt necessaria.

Dices tertio. In mundo multa esse imperfecta vt monstra, & in genere moris peccata.

Probo, omnia illa suam habere speciem, ac proinde essentialem perfectionem, ob idque esse in suo genere perfecta, & quamuis rerum particularis causæ ea producentis dicantur imperfectiores & defectus, quia à suo fine vel recta ratione causa illa deuiat, tamen non sunt mala aut defectus absoluti sed respectiui. Addo hoc etiam ad mundi perfectionem facere, vt vnaquæque res secundum exigentiam naturæ suæ agat, atque adeo alterius actionem impediat, ob idque generentur monstra. Similiter conueniens erat vt Deus hominem relinqueret suæ libertati, vt natura ipsius postulat, ex quo consequens erat commissum iri peccata.

Respondeo secundo. Hoc argumentum tantummodo probare mundum & creaturas quæ defectibiles sunt non habere omnimodam perfectionem vt Deus.

Dices quarto. Deus cum mundo non est quid perfectius, quam Deus solus Ergo mundus nihil habet vel adfert perfectionis.

Respond. Deum & mundum simul non esse quid intensiue perfectius, quam Deum solum habet enim Deus omnem perfectionem intensiuam possibilem, ob idque infinitam in omni genere entis Deus autem & mundus esse aliquid extensiue perfectius, quam Deus solus, sunt enim plura perfecta.

Petes, an potuerit Deus perfectiorem hunc mundum facere?

Resp. non potuisse mundum perfectiorem fieri, quoad perfectionem rerum essentialem quæ in mundo sunt, cum quælibet essentia sit posita in indiuisibili. Similiter nec quoad perfectionem propriarum passionum, neque quoad ordinem, qui est inter partes vniuersi, neque quoad finem vltimum qui est Deus, ad cuius gloriam, bonitatem & sapientiam manifestandam sunt producta, cum neque conuenientiorem ordinem, neque meliorem finem ad quem ordinentur habere possint. Potest tamen mundus perfici accidentariis quibusdam perfectionibus, item quoad durationem, magnitudinem, numerum partium & specierum multitudinem, cum ante potuerit produci, quam fuit productus & diutius durare quam sit duraturus, & maior fieri plures que Cœli, & Cœlum pluribus astris ornari multæ aliæ rerum species, quæ non sunt productæ à Deo produci.

Nota tamen non futurum fuisse tum, eundem plane mundum cum quæuis pars ad integritatem

tegritatem ipsius spectet, mutata autem parte integrali mutetur totum.

DVBIVM II.

An Mundus habuerit esse à se an ab alio?

EXistimarunt nonnulli ex veteribus Philosophis mundum hunc factū esse ab aliqua prima causa, sed ex præiacente materia, quæ à se, non ab alio existeret, quam materiā chaos appellarunt Deumque non aliter res posse efficere crediderunt, quam quidam artifex, qui materiam prærequirit quam efformet. Quorum Philosophorum illud fuit commune pronunciatum: Ex nihilo nihil fit.

Dico 1. Mundus non habet esse à se, sed ab aliqua causa. Conclusio fide & lumine naturæ nota. Probatur, quia neq; ratione totius, neq; ratione alicuius partis potest dici esse à se. Ergo. Prior pars probatur, quia multa fiunt & producuntur de nouo, multa corrumpuntur, quæ autem habent esse à se, habent esse necessarium & æternum. Posterior pars probatur, quia si qua pars, esset Cœlum, hoc autem non est à se. Ergo. Minor probatur 1. quia est finitum & limitatum etiam secundum Aristotelem, repugnat autem esse finitum & esse à se habere: nam à quo finiretur & limitaretur, cū omnis limitatio includat dependentiam ab alio. Si quis dicat limitari à materia, quia scilicet materia non erat maior. Peto quis materiam limitauit vt non esset maior? Probatur 2. Minor, vel habet cœlum esse per essentiam, & sic habet omne esse, ac proinde infinitum, atque adeo est Deus, vel habet esse per participationem, Ergo ab alio, à quo illud participet. 3. Indiget Cœlo motore vt agat, ergo multo magis vt sit, nam si à se moueri nō possit, & (vt probat Aristot.) deueniendum ad primum motorem, multo magis ad primum effectorem. 4. Res præstantiores quam sit Cœlum sunt factæ, vt homo, ergo multo magis Cœlum. 5. Cœli (& eadem est ratio Cœlorum) habent causam finalem, ergo & effectricem. Consequentia etiam valet secundum Aristotelem, & patet, quia finis est id cuius gratia cætera fiunt, & quicquid habet finem, debet ab aliquo ordinari in finem. Is autem qui ordinauit non potuit alius esse à causa efficiēte.

Dico 2. Nec materiam habere esse à se. Probatur iisdem rationibus, quibus primam probauimus conclusionem.

Confirmatur 1. quia materia est omnium entium imperfectissimum pura potentia, ac pene nihil. Ridiculum autem est, enti imperfectissimo tribuere quod est summæ perfectionis in Deo.

Confirmatur 2. Si fuit à se materia Deoque coæua, vel fuit informis vel habuit formam. Prius dici non potest, nam per totam æternitatem extitisset materia sine forma, quod naturæ illius repugnat. Si formam habuit vel illam habuit à se, & sic non tantum materia, sed etiam totum compositum esset à se, vel non habuit formam à se sed à Deo, sed neque hoc dici potest, quia si habuit esse à se, habuit etiam à se quicquid necessarium est id esse à se, atque adeo formam. Ex quo fit, materiam sola creatione à Deo potuisse esse.

Petes quid super hac re senserit Aristoteles, & an creationem agnouerit?

Respond. nusquam expresse id vel negare vel asserere Aristotelem Ex eius dictis autem & principiis quæ admittit nihil aliud dici potest quam non sibi constitisse Aristotelem, & nunc videri negare, nunc asserere creationes.

Negare videtur 1. quia passim illud pronunciatum vsurpat, ex nihilo nihil fit. Creatio autem est ex nihilo productio. 2. Libro 1. de Cœlo ca. 9 probat non posse esse plures mundos quia tota materia est in hoc mundo, consumpta natura si agnouisset posse esse à Deo de nouo creari nouam materiam, consequenter dixisset posse à Deo fieri alios mundos. 8. Physicor. & 1. de Cœlo asserit Cœlum non esse genitum aut factum, hæc vero pro eodem vsurpat, ergo non agnouit aliam substantiæ productionem quam generationem. 4. Passim ait sempiterna, vel principia sempiternorum nullam habere causam, ergo cū mundus ab eo ponatur æternus, nullam habebit causam. 5. Omne agens secūdum Aristotelem agit per motum, vel mutationem, ergo sentit ea quæ sunt æterna non fieri ab vllo agente, cum ab æterno nihil potuerit mutari, alias æternitati aliquid præexstitisset 6. Omnem potentiam actiuam definit in ordine ad passiuam, ergo censet omne agens præexigere materiam. Asserere vero videtur

Aristoteles 1. quia 2. & 12. Metaphys. dicit in vnoquoque genere causæ deueniendum esse ad aliquam causam primam, quæ sit causa cæterarum, ne in infinitum processus fiat. 2. quia 1. de Cœlo c. 9. dicit, naturam esse quandam diuinam & immortalem, à qua in cæteris illud esse & viuere quod habent, in aliis quidem exactius in aliis obscurius dependet. 3. in libris de generatione dicit non omnibus rebus conuenire, vt semper sint, quia longe ab ipso principio absunt. 4 Duodecimo Metaphys. ait, cœlum & naturam dependere a Deo. 5. admittit omnium rerum esse causam finalem, ergo & efficientem. 6. libro de mundo (si quidem is sit Aristotelis) id expresse asserit. Itaque inquit vetus fama est, & quidem hæreditaria, mortalium omnium vniuersa à Deo & per Deum nobis esse constituta. 7. Secundo Rhet. cap 23 dicit, dæmones esse opus Dei. 8 Secundo de generatione asserit, tot esse principia, eaque in perpetuis & corruptibilibus 9 quia 1. Metaph. t 20. dicitur Deum omnia cognoscere, quia est causa omnium, at non quia causa finalis, quia hæc vt talis non cognoscit effectum, ergo vt efficiens. 10. Secundo de generation. animalium capit. 3. dicit: animam rationalem esse substantiam quandam diuinam, & extrinsecus aduenire formæ materiæ, ergo censet non per generationem seu eductionem è potentiæ materiæ fieri, ergo creari. Volunt aliqui Aristotelem agnouisse creationem sine nouitate essendi, non autem cum nouitate essendi, id est, creationem rerum æternarum ab æterno, non autem in tempore Sed contra eos faciunt multa argumenta, quibus probauimus Aristotelem videri id negare, & postremum illud de anima rationali.

DVBIVM III.

An mundus fuerit ab æterno an in tempore conditus?

DIco 1. Mundum creatum in tempore, & in hoc Aristotelem errasse.

Conclusio fide certa.

DIco 2. Conuenientius fuisse mundum creari in tempore, quam ab æterno.

Probatur, quia hoc nobis magis insinuat Dei potentiam, gloriam, bonitatem, sapientiam, libertatem, nam si ab æterno fuisset homo vel quæuis alia creatura, facile nobis persuasum fuisset eam à Deo esse independentem, vel Deum ex necessitate naturæ agere non libere, vel Deum creaturis indigere atque adeo non ex amore & desiderio sese communicando suis creaturis adductum esse vt produceret creaturas: Ex eo vero, quod Deus crearit in tempore creaturas, facile apparet, ipsum esse primam causam efficatricem, omnia sua virtute infinita conseruare esse vltimum finem omnium, rursus esse primam causam exemplarem cum omnibus cooperari omnia præsentia, præterita, futura cognoscere, infinitæ esse virtutis in agendo tantam habere libertatem, vt arbitratu suo possit mundum producere & non producere, tantam habere gloriam & perfectionem, vt nullius creaturæ opere indigeat, &c.

Dices, non erat tempus quando mundus erat conditus, neque enim erat motus cuius mensura est tempus, ergo non potuit mundus creari in tempore.

Respond. tempus non sumendum hic positiue, sed negatiue, pro negatione scilicet æternitatis, vt sensus sit non fuisse creatum ab æterno.

Addo, licet non fuerit creatus in tempore aliquo reali, fuisse tamen creatum indeterminata aliqua mora temporis imaginarii, & hoc sufficit ad veritatem illius Propositionis.

Dices secundo, melius fuit, Deum ab æterno creare & communicare se suis creaturis, Deus autem semper facit id quod est melius.

Respondeo primo, adhuc dubium esse, an Deus potuerit ab æterno creare, & vtrum non sit repugnantia ex parte limitationis creaturæ.

Respondeo secundo, licet id esset possibile, non tamen melius aut conuenientius fuit ita fieri, vt patet ex rationibus 2 Conclusione allatis.

R 3. Concessa maiore, nego minorem, etsi vero Deus semper id quod est bonum faciat, non

on tamen ad optimum simpliciter necessi-
tur, alioqui sequeretur, Deum nihil posse
elius facere, quam quod fecit.

Dices tertio. Ergo Deus per totam æterni-
tem fuit otiosus; & consequenter nec bea-
s.

Respon. Deum non fuisse otiosum, sed sui-
sius contemplatione beatum, filiumque ab
erno, per illum & Spiritum S. per volunta-
m produxisse, creaturæ vero, vel creatura-
m productio nihil ad Dei beatitudinem
nfert.

Dices quarto, vel potuit Deus ab æterno
are, & noluit, & sic auarus fuit vel inuidus,
saltem non bonus, vel voluit & non po-
it & sic erat infirmus.

Respon. potuisse, atque adeo non fuisse in-
num, non tamen voluisse, neque defuerunt
dix) Deo rationes, cur id nollet, neque il-
eralis fuit, aut auarus cum liberalis non di-
ur qui semper & quauis occasione dat, sed
i dat, quando est conueniens, & recta ra-
iudicat esse dandum. Ob eandem ratio-
m nec mundus dici potest, imo etsi nun-
am produxisset, non tamen fuisset inuidus,
enietur inuidus qui dolet de alterius bo-
, quod existimet suæ excellentiæ aliquid
ommodi afferre, quod in Deo locum ha-
re non potest. Addo nec minus bonum fu-
um, si non produxisset, non enim tenetur
us suam bonitatem impartiri aliis. Neque
m creat aliquid illi accedit, neque dum
n creat aliquid decedit.

Dices quinto Omnibus ad agendum posi-
actio sequitur, habuit Deus omnia requi-
a ad agendum ab æterno Ergo.

Respon. Maiorem esse veram in agentibus
cessariis non liberis.

Dices sexto Exemplar mundi & creatura-
n fuit æternum cum sit ipse Deus, ergo &
ndus æternus, cum exemplar & id cuius
vt exempla sint correlatiua ac proinde si-
l natura

Respon. Exemplar mundi fuisse æternum,
n tamen ab æterno fuisse causam actu sed
tentia, atque adeo respexisse tantum effe-
tum possibilem non existentem, addo re-
lationis rationis non requirere ter-
minos reales,

(***)

DVBIVM IV.

Quo tempore mundus fuerit creatus?

OMnes fere, Gerardo Mercatore excepto, qui vult Mense Iulio Mundũ fuisse creatum, consentiunt, in alterutro æquinoctiorum mundum à Deo productum, & nonnulli verno æquinoctio, alii autumnali.

Dico, verisimilius esse mundum verno æquinoctio initium habuisse.

Probatur primo, quia verisimile est mundum amœnissimo anni tempore fuisse productum, ergo vere, quod ob suam amœnitatem adolescentiæ comparatur.

Probatur secundo Ver maxime ad generationem est accommodatum, eoque mundus quodammodo quotannis renouatur, ergo verisimile est eo tempore nouum emersisse.

Probatur tertio. In mundi creatione Deum præcipuam habuisse rationem Palæstinæ, verisimile est, vbi erat, vel certe non longe aberat Paradisus terrestris, atqui rerum illius regionis præcipua anni pars est ab æquinoctio verno vsque ad finem æstatis.

Confirmatur 1. quia quis credat Deum creasse mundum eo tempore quod ætati senescenti comparatur cum omnes frondes decidunt, & omnia ad interitum tendunt, imminenteque ingratissima anni tempestate.

Confirmatur 2. quia cum productissimus est mundus herbis virentibus, terra est ornata. Iussit enim Deus, vt habetur 1. Gen. germinaret terram herbam virentem, hoc autem fit verno tempore, Ergo.

Probatur quarto, quia verisimile est eo tempore mundum creatum quo spiritualiter recreatus à Christo, & reparatus fuit Christus autem sub æquinoctium vernum, id est, 25 Martii incarnatus fuit, & sub idem tempus passus. Ergo.

Probatur quinto, quia communis fere hic fuit Patrum & Dd. omnium sensus, verno tempore creatum mundum, cum sol est in principio Arietis, aut certe quartam diem à condito mundo fuisse æquinoctium vernum, quo die sol creatus fuit, & verisimiliter in principio Arietis.

Confirmatur hoc 1 quia in Synodo Palæ-

ſtinæ communi conſenſu Patrum declaratum eſt, mundum fuiſſe verno tempore conditum.

Confirmatur 2. *Exod*. 12. imperat Deus vti Hebræis Menſis Niſan qui partim Martio, partim Aprili noſtro reſpondet, habeatur primus Menſis Anni. Neque valet coniectura aduerſariorum, quaſi voluerit Deus hunc Menſem eſſe primum, qui alias nec eſſet, nec haberetur primus. Potuit enim Deus imperio ſuo confirmare id, quod alias vſui receptum eſſet, vel ſane id quod deſuetudine aut incuria in obliuionem abibat reuocare in memoriam & ſtabile efficere.

Conſentiunt item nobiſcum Aſtronomi, qui exordium motus Solis in Zodiaco ab Ariete inchoant. Conſentiunt Poetæ, inter quos Virgilius lib. 2. Georg.

Non alios prima naſcentis origine mundi.
Illuxiſſe dies, aliumue habuiſſe tenorem.
Crediderim, Ver illud erat, Ver magnus agebat.
Orbis, & Hibernis parcebant flatibus Euri.

Dices, tunc fuiſſe maturos fructus, ergo veriſimile eſt tunc fuiſſe Autumnum, quo tempore fructus ſolent eſſe maturi.

Reſpond. fuiſſe maturos fructus, ſed Dei, non naturæ, vi tales productos etiam Menſe Martio. Adde nec Autumno omnes fructus eſſe maturos, ſed multos ante matureſcere, & nonnullos etiam Vere, maxime in regionibus calidioribus.

Dices vlterius, ſi fuerint maturi fructus Menſe Martio, Ergo debuerunt conſeruari vſque in ſequentem Septembrem, vt hominibus & animalibus ad cibum ſuppeterent.

Reſp. 1. Et hoc à Deo, vt & multa alia ſupra naturam in illa prima rerum creatione veriſimiliter fuiſſe factum. Addo paucos tunc fuiſſe homines & animalia, magnam vero fructuum copiam.

Reſp. 2. In quibuſdam regionibus tanta eſt auræ temperies, vt vineæ & arbores toto anno maturos habeant fructus, & quadruplicem fere continue propaginem, adeo vt ſimul ſemper ſint in flore, enaſcentes appareant fructus, creſcentes & maturi. Quod ſi etiamnum tanta temperies in quibuſdam locis reperitur, non eſt dubium eo modo & longe adhuc magis temperatam fuiſſe Paradiſum terreſtrem & loca vicina. Petes; quo die fuerit creatus mundus? Reſp. die Dominico inceptam mundi creationem, cum ſeptimo die Deus requieuit, ob idque is dies Sabbatum ſit dict quod requiem ſignificat.

DVBIVM V.

An plures Mundi creari poſſint?

Dico plures Mundos eſſe poſſe concl fide & lumine naturæ certa.

Probatur, quia neque repugnat ex pa potentiæ Dei, quæ eſt infinitæ, neque ex pa obiecti, ſeu rei creandæ, cum vnaquæque cies poſſibilis poſſit in plura indiuidua m tiplicari.

Dices 1. ex Ariſtotele, ſi darentur plu Mundi vel terra alterius Mundi ferretur terram huius Mundi, vel terra huius M di ad terram alterius, atqui hoc eſt ab dum.

Reſpon Neutram motum iri ad alter quæuis enim Elementa haberent locum terminatum in proprio ſuo Mundo, cum partes illius: quia vero non ſunt alterius M di partes, non mouentur ad alterum M dum. Neque vero exiſtimandum eſt, vt Ari teles cenſuit, terræ locum naturalem ita gatum eſſe infimo huius Mundi loco, vt poſſit etiam in alio loco naturaliter quie re, ſed inclinatio terræ (idem eſt de aliis mentis ſtatuendum) eſt vt ſubſternatur on bus corporibus ſui mundi, quæ inter ſe bent ordinem, non vero aliis, cum qui non habet ordinem. Hinc colligas, terr in ſpatiis imaginariis aut vacuum ſi pon tur, nullo modo motum iri, quia non hab corpus leuius, cui naturaliter deſideraret ſterni.

Dices 2. ex eodem Ariſtotele, tota mat eſt conſumpta in hoc mundo, Ergo non ſunt eſſe plures mundi.

Reſp. Sicuti Deus hanc naturam crea ita & alia creare poſſet.

Dices 3. Si Deus poſſet plures Mundos ducere & non producat, fruſtra erit illa potentia, cum non conſequatur finem ſu

Reſp. Potentiam Dei non ordinari ad c turas tanquam ad finem, vnde, licet nihil ducerer, potentia Dei non eſſet fruſtra, eſſet in Deo ad Deū ipſum perficiendum, exigentia naturæ illius, ſicuti non eſt fru potentia generatiua in homine etſi ali

ma

maneat cœlebs. Adde esse frustra potentiam llam generatiuã, quæ cum aliquid producat ion tamen producit efficitque quidquid po- est, alias omnis potentia in nobis aliisue re- ,us esset frustra, vis in igne producẽdi ignem, n leone generandi leonem esset frustra, quia nultos ignes vel leones non producunt quos ossunt producere, sic in nobis virtus nutriti- a, visiua esset frustra, potentia etiam passiua aturæ esset frustra.

Petes; an possit Deus plures mundos in in- nitum perfectiores producere? Respon. pos- :, quia cum mundus sit finitæ perfectionis, ıtegratur vero ex partibus, quæ finitam ha- ent perfectionem. Quauis autem finita erfectione potest dari maior, Ergo & quo- is modo perfectior effici potest.

An solo Dei generali concursu posset mundus in æternum durare?

QVin Deus possit efficere vt mundus sem- per perduret speciali aliqua ratione in- :bita naturis rerum concurrendo non est ubium: sed dubitari solet, an ad hoc etiam ıfficeret generalis ille concursus, quo nunc ;itur Deus res conseruando & ad earum a- tiones influendo, qui est naturis rerum pro- ortionatus & quodammodo debitus. Ne- ue petimus, an de facto Mundus perseuera- ırus sit in æternum, sed de possibili, constat nim mixta omnia in die iudicii corrumpen- a De Cœlo & Elementis magna est contro- ersia apud Theologos, an substantialiter nt immutanda, an vero tantum accidentali- r. Plerique fere accidentalem tantum futu- ım existimant immutationem, mihi verisi- ıilius videtur etiam substantialiter immuta- ım iri, ob loca sacræ Scripturæ, quæ id vide- ır satis aperte indicare. *Isaia* 51. Cœli sicut ımus liquescent, & terra sicut vestimentum tente attereretur. *Psalm.* 101. ipsi (scilicet cœ-) peribunt, &c. *Matth.* 24. Cœlum & Terra ansibunt, &c. *Apocal.* 21. Primum cœlum & ıma terra abiit & mare iam non est. 2. *Pet.* 3. duenict autem dies Domini vt fur, in quo œli magno impetu transient, elementa ve- calore soluentur, terra autem & quæ in i- a sunt opera exurentur. Cum autem hæc omnia dissoluenda sunt, &c. eodem cap. Item *Apocalip.* 20. & *Esaia* 65. cœli noui & terra noua futura dicuntur, satis apparet immutanda etiam secundum substantiam. Quicquid tamen sit de illis locis, saltem prio- ra illa loca vix aliam explicationem admit- tant, vt cum torta sit illa explicatio si dicatur, totam illã immutationem, alterationem, dis- solutionem solas qualitates attingere. Qui- bus oracula Sybillæ concinant.

Tunc ardens fluuius cœlo manabit ab alto,
Igneus, atque locos consumet funditus omnes,
Terramque Oceanumque ingentem, & cærula Ponti
Stagna, lacus, fluuios, fontes diteraq; seuerum.
Cœlestemq; polum, cœli quoq; lumina in vnum
Fluxa fluent forma delera prorsus eorum.

Dico, solo Dei concursu generali posset in æ- ternum perseuerare mundus cum omnibus rerum speciebus tum simplicibus tum mixtis:

Probatur, quia posito Dei concursu gene- rali intelligentia moueret cœlos, elementa; admixtorum compositione cõcurrerent, cœli in hæc inferiora per influentias suas agerent, vnde sequeretur perpetua mixtorum genera- tio, vnumquodque viuens produceret sibi si- mile, suamq; speciem in aliis indiuiduis pro- pagaret, Ergo omnes rerum species atque ad- eo mundus totus perseueraret.

Dices primo. Viuentia habeat terminos magnitudinis & paruitatis, atqui obseruatum est paulatim humanam naturam, & idem fere de multis iudicium, deficere & paulatim spe- cies minores fieri, ergo tandem ad eam parui- tatem deueniretur, sub qua humana natura conseruari non posset, atq; adeo periret præ- stantissima mundi species.

Respond. ante diluuium homines extitisse maiores, & diutius vixisse per vegetam natu- ram & efficacia alimenta Post diluuium ve- ro paulatim defecisse corrupta terra inunda- tione, donec ad statum peruenerit, sic vt à multis seculis neque longæuitate neque ma- gnitudine homines quidquam defecisse, fue- rit animaduersum vt patet ex antiquis statuis q̃ supersunt, queq; vt plurimum hominis ma- gnitudini respondebant, & sicuti nunc ma- gni interdum paruos generant, ita parui in- terdum magnos. Constat a. 4000. annorum vitæ humanæ ordinarium terminum esse 80. annos, atqui quot iam reperiuntur cẽtenarii.

Imo

Imo in India ab Hiſpanis nuper ſenex 300. annorum, qui ſingulis annorum centenariis dentes mutarat.

Dices ſecundo, generationes à parte ante non potuerunt eſſe æternæ ergo nec à parte poſt, cum vtrumque eadem ſequatur repugnantia.

Reſpond nego conſequentiam. Ideo enim non poſſunt eſſe ab æterno, quia omnem generationem naturalem præire debet alteratio & diſpoſitio ad formam. Imo nec alteratio potuit eſſe ab æterno, cum ſit motus, atque adeo præſupponat alterabile. Ex eo vero quod in æternum durent nulla eiuſmodi ſequuntur incommoda. Adde ſi ab æterno fuiſſent generationes infinitæ, actu eſſent pertranſita, infinitæ eſſent animæ rationales. Ex æternitate vero generationum à parte poſteriori nihil tale ſequitur, neque vnquam eſſet verum dicere infinitas generationes eſſe præteritas.

DISPVTATIO II.

De Natura Cœli.

DVBIVM I.

An cœlum ſit corpus?

HÆc quæſtio duplicem habere poteſt ſenſum. 1. an corpus ſimplex vt corpus ſimplex opponatur mixto. 2. an ſit corpus ſimplex, id eſt, non compoſitum ex materia.

De priori ſenſu hoc dubio, de altero ſequenti dubio agemus.

Multi ex ſanctis Patribus Platonicisque cenſuerunt, cœlum eſſe igneæ naturæ, nonnulli è terra, alii ex vitro, alii è ſaxo aut ferro candenti, alii ex aere compacta aſtra voluerunt.

Dico primo. Cœlum non eſſe Elementum.

Probatur ex definitione Elementi, cœlum enim non ingreditur compoſitionem mixtorum.

Probatur ſecundo. Cœlum diſtinctas habet proprietates ab Elementis, vt incorruptibilitatem, ergo ratio qua id Ariſtoteles probat, quia habet motum ſimplicem ſcilic circularem diſtinctum à motu Elementoru eſt valde infirma, tam facile enim mou poſſunt Elementa in loco ſuo naturali mo circulari, ſi impellãtur ab intelligentia qua cœlum. Et de facto mouetur ignis & aeris ſ tem ſuprema pars in orbem, vt planum eſt Cometis, ſiue id fiat motu raptus, vt comm niter Aſtronomi, ſiue ab aliqua intelligenti Et tam quieſceret cœlum naturaliter, ſi n impelleretur ab extrinſeco motore quam lementa. Vnde motus ille non eſt magis cœ naturalis quam Elementis. Imo vnumquo que corpus, ſi ſpectemus intrinſecam prope ſionem priuatam in loco naturali magis i clinatur ad quietem quam ad motum: qu autem Elementa extra locum naturalem p ſita moueantur, eſt vt reducant ſe ad locu ſuum naturalem.

Dico ſecundo. Cœlum non eſt mixtu Probatur tum quia alias eſſet generabile corruptibile, tum quia moueretur motu E menti prædominantis atque adeo non hab ret locum naturalem ſupra omnia Elemen

Dices: Cœlum habet accidentia eiuſde ſpeciei cum accidentibus rerum ſublun rium, vt quantitatem, figuram, lumen, rarit tem, denſitatem, ergo & naturam.

Reſpon. eadem accidentia ſpecie poſſe e in rebus ſpecie diſtinctiſſimis.

DVBIVM II.

An cœlum conſtet Materia & forma?

EXiſtimauit Auerroes, Zabarella & no nulli alii, cœlum non eſſe quid compo tum ex materia & forma, ſed eſſe quid ſir plex, vel vt alii exponunt eſſe materiam ſeip actuatam, non per aliquam formam re d ſtinctam.

Dico primo. Cœlum non eſt pura materi probatur, tum quia cœlum eſt corpus ac ſu ſtantia, eſſe vero ſubſtantiale, maxime hab tur à forma, tum quia materia eſt pura pote tia & pars duntaxat ſubſtantiæ, eſt ens impe fectiſſimum ac prope nihil, tum quia mat ria de ſe non eſt actiua. Conſtat vero cœl de ſe eſſe actiuum, tum quia formæ accide tales conſequuntur formam ſubſtantialen

cu,

cum itaque cœlum habeat accidentia, habebit & formam substantialem.

Dico 2. Cœlum non esse puram formam: Ratio quia alias esset spirituale & immateriale, atque adeo expers quantitatis, figuræ, raritatis, densitatis, luminis, cæterorumque accidentium materialium, ob idque neque per sensum perceptibile, ergo cum hæc accidentia cernantur in cœlis quæ materiam necessario consequuntur, consequenter asserere debemus cœlos materia constare.

Dico 3 Cœlum esse compositum ex materia & forma. Probatur, quia secundum Aristotelem omnis substantia aut est materia aut forma, aut ex his compositum, sed probatum est neque esse materiam, neque formam. Ergo. 2. Cœlum sub obiecto Physices continetur, ergo constat principiis corporis naturalis, quod est Physicæ obiectum, principia autem illa sunt materia & forma. 3. forte argumentum ducitur ex S. Scriptura vbi *cap.1.Genesis* indicatur, cœlos ex aquæ materia conditos, forma scilicet aquæ pereunte, cœli vero forma subintrante. 4. Hæc videtur Aristotelis sententia, nam 12. *Metaphys. t.11. cap.2.* ait, omnium corporum sensibilium eadem esse principia, materiam scilicet & formam. Cui consonat id quod habet 8. *Metaphys. t.10* vbi ait: omnem substantiam sensibilem materia constare. 2. *de generat. cap.9.* ait: duo principia, materiam scilicet & formam etiam rebus æternis tribui, rebus sublunaribus addi tertium, priuationem scilicet ad generationem constituendam. Adde multis aliis locis asserere, cœlum habere materiam, vt 1. *de cœlo c.9.* negat plures esse posse cœlos, quia tota materia est consumpta, vnde male Scotus, qui vult Auerroem hac in re optime Aristotelis sententiam assecutum.

Dices 1. Aristoteles 8. *Metaphys. t.14.* ait: neque omnium est materia, sed eorum quorum est generatio mutua mutatione; quæ vero sine mutatione sunt, aut non sunt, ea materiam non habent, & *t 12.* ante dicit: Substantias perpetuas aut non habere materiam, aut non talem, sed solum, quæ secundum locum sit mobilis. Item *lib.8. t.17* ait, in rebus perpetuis non esse potentiam ad esse simpliciter, sed tantum ad vbi, alioqui etiam esset potentia ad non esse, cum omnis potentia sit contradictionis. Rursus *lib.1. de generat.* reprehendit Diogenem, quod omnibus rebus tribueret materiam.

Respond. ad primum Aristotelis locum: aperte ibi Aristotelem non loqui de cœlis, neque conferre inferiora hæc cum corporibus cœlestibus, sed tantum conferre aliqua quæ incipiunt esse per mutationem cum aliis quæ esse incipiunt aut esse desinunt sine mutatione in his inferioribus, vt puncta inquit & formæ, & hæc non habent materiam, siue non constant materia, sed tantum illa quæ in se inuicem transmutantur, manente eodem subiecto.

Ad secundum dico: Aristotelem non voluisse ibi decernere an haberent cœli materiam, sed si habent (quod erat dubium) non habere materiam, qualem habent hæc inferiora corpora.

Ad tertium respondeo 1. Aristotelem non loqui de potentia materiæ, sed de potentia ad existentiam, non habent igitur æterna potentiam vt sunt, alias si haberent huiusmodi potentiam, haberent etiam potentiam, vt aliquando non essent, atque adeo non essent necessario. Respondeo 2. si dicamus Aristotelem de potentia materiæ loqui, vt per esse simpliciter intelligat formam, dico, etiam perpetua non habere potentiam ad formas, non quomodocunque sed quæ aliquando fuit coniuncta priuationi, alias haberent potentiam, & etiam forma spoliarentur.

Ad 4. respondeo: Diogenem reprehendit, quod materiam omnium similem faceret, id est, transmutabilem.

Dices 2. non venimus in cognitionem materiæ, nisi per transmutationem, Ergo sine sufficiente ratione asseritur materia vbi nulla videtur transmutatio Confirmatur, quia talis materia in cœlo esset superuacanea, cum non sit generationis vllius subiectum.

Respond. primam quidem materiæ cognitionem ex transmutatione sumptam esse, tamen facile ex collatione vnius corporis cum alio collectum est, hoc omnibus corporibus commune esse, vt materia constet, & hanc materiam tanquam proprietatem consequi quantitatem: Vnde à posteriori colligimus, vbi sit quantitas, ibidem etiam esse materiam.

Ad confirmationem dico, talem materiam non fore superuacaneam, cum sit ex exigentia

naturæ ipsius, quia nimirum ad ipsius cœli substantiam constituendam est necessaria, neque est necesse, vt illa ad aliquem finem extrinsecum ordinetur.

Dices 3. Vti datur substantia simplex & carens omni compositione Physica, tam ex materia & forma, quam ex partibus integrantibus, vt intelligentiæ & alia quæ vtramque compositionem admittit vt corpora hæc inferiora transmutabilia, ita ad splendorem vniuersi videtur pertinere, vt sint aliqua quodammodo media, quæ non habent compositionem ex materia & forma, habeant tamen compositionem ex partibus integrãtibus seu quantis.

Respon. pari modo desiderari posse in vniuerso quæ constent materia & forma, non tamen constent partibus integrantibus, sed sicuti hoc fieri non potest, ita nec illud, cum quantitas compositioque partium integrantium sit indiuulsa tanquam proprietas coniuncta materiæ. Addo, si per impossibile dari posset talis substantia, vel esset substantialiter actus purus, ac proinde substantia æque simplex substãtialiter & angelice, illa enim compositio ex partibus quantis non est ipsius substantiæ nisi per accidens, vel esset pura potentia atq; adeo ens imperfectissimum.

Dices 4. Si haberet materiam, haberet potentiam passiuam, atque adeo esset cœlum corruptibile.

Respon. Hoc argumentum petere sequens dubium.

DVBIVM III.

An Materia cœli sit eiusdem rationis cum Materia horum inferiorum, an diuersa?

TOta quæstionis huius difficultatis oritur ex incorruptibilitate cœli. D. Thomas enim cum suis materiam hanc diuersæ rationis ponit, eo quod non putent incorruptibilitatem cœli aliter posse defendi vel saltem non tam commode Alii quorum fere princeps Ægidius *in 2. dist. 2.* tenent esse eiusdem rationis, quod aliter putent incorruptibilitatem cœli posse defendi: In quam etiam opinionem videtur abire Scotus qui ait, Philosophice loquendo, verisimilius esse cœlum non constare materia, Theologice vero materiam habere cum his inferioribus communem.

Dico, probabilius est materiam cœli esse eiusdem rationis cum materia horum inferiorum.

Probatur 1. fortissimo argumento Theologico, quo conuictus Scotus, dixit, Theologice hanc sententiam esse tenendam, & Molina, cum antea Philosophiam professus, contrarium tenuisset in opere sex dierum, mutauit sententiam, & nobiscum sensit Argumentum est tale: Secundo die creationis mundi, vt habetur *Genes. c.* 1. fecit Deus cœlos & firmamentum, atqui non proprie dicta creatione & materia simul producta, sed ex materia primo die producta, aquis scilicet. Ergo habent cœli eandem materiam cum elemento aquæ, ac proinde eiusdem rationis cum materia sublunari. Minorem omnes concedunt, omnem enim materiam primo die creauit, Deus, ex quo deinde cætera condidit Maiorem Pater Suaretz negat, sed ait, primo die creatum cœlum, cum dicatur in principio creauit Deus cœlum & terram. Sed contra communiter ibi intelligunt per cœlum, cœlum Empyreum, de quo non disputamus, non autem inferiores cœlos. Deinde, si cœli primo die creati, quid factum est secundo die, quando dicitur, Deus fecisse firmamentum quod cœlum nuncupauit? Respondet P. Suaretz, aerem vel partem aeris infimam, quæ diuideret aquas ab aquis, id est. nubes & aquas, pluuias ab aquis marinis & fluuialibus. Contra 1. credibile est, tunc temporis aërem fuisse purissimum, neque vllas nubes extitisse, maxime cum dicatur 2. cap. nondum pluerat Dominus super terram. 2. quis non videt hoc esse torquere Scripturam, vocare aerem cœlum & firmamentum, & licet aliquando Scriptura aerem vocet cœlum, vt cum dicit, volucres cœli, id tamen nunquam facit, nisi vbi ratione materiæ substantiæ clarum est; intelligi aerem. Et quis credat, in descriptione primæ creationis mundi Spiritum S. per Moysen tam improprie locutum, & vsum tam manifesta æquiuocatione. Adde, quod Hebræi proprie vocant cœlum ab aquis nomen esse deriuatum. Deinde esto, aliquando Scriptura aerem vocat cœlum; Vbi vnquam lectum, vt aer vocetur firmamentum, maxime cum nomen firmamenti apud Hebræos significet expansio-

-panſionem, quo nomine intelligunt rem ſolidam extenſam, iuxta illud: Extendet cœlum ſicut pellem, quod aeri non conuenit. Denique paulo poſt eodem capite dicitur Deus feciſſe luminaria in firmamento cœli, ſolem, lunam, ſtellas: Peto itaque an ibi per firmamentum intelligat aerem, clarum enim eſt, quod non: Et quis dubitet illud ibi firmamentum deſignari, quod Deus paulo ante condiderat. Neque credibile eſt S. Scripturam aliter & aliter accepiſſe nomen firmamenti eodem capite Reſtat igitur vt ex aquis ſint cœli conditi, quæ totum ſpatium à terra ad cœlum Empyreum replebat, quas Scriptura abyſſum vocat.

Probatur 2. Cœlum quantitatem habet & accidentia materialia eiuſdem rationis cum quantitate & accidentibus rerum ſublunarium, ergo & materia ex qua hæc tanquam proprietates conſequuntur.

Probatur 3. Datur vnicus actus purus, Ergo & vnica pura potentia.

Confirm. 1 quia non videtur vlla latitudo eſſe perfectionis in pura potentia, & ente imperfectiſſimo.

Confirm. 2. quia vel materia cœli eſt pura potentia vel non, ſi prius ergo conuenit in ratione eſſentiali, cum materia horum inferiorum, quæ ex ſua ratione eſt pura potentia; Si poſterius, ergo habet aliquid actiui & de ſe eſt actuata, denique fruſtra multiplicantur materiæ primę ſine neceſſitate Et probatur quia ſi qua eſſet ratio multiplicandi, eſſet cœli incorruptibilitas, atq; alio modo facile aſtruitur cœli incorruptibilitas ſine multiplicatione ſpecifica materię, vt paulo poſt dicemus, E

Confirmatur, quia vt tueantur hanc cœli incorruptibilitatē per multiplicationem ſpecificam materiæ, eo ferè delabuntur, vt concedant omnes cœlos habere diuerſam inter ſe ſpecie materiam, neq; hoc tantum, ſed etiam materiam aſtri, cū materia ſui orbis & quamlibet partem materiæ cum altera parte eſſe diuerſæ rationis, ſicut vnum cœlum habeat infinitas materias ſpecie diuerſas: mihi tamen eorum conceſſio pro abſurdo eſt.

Dices 1. Radix corruptibilitatis in hiſce inferioribus eſt materia prima, quæ quia eſt in potentia, ad varias formas ideo mutatur, & eſt ſucceſſiue ſub variis formis, ergo ſi ſit eadem materia in cœlo, erit in potentia ad formas ſublunares, & conſequenter erit cœlum corruptibile.

Reſpon. duabus viis poſſe huic obiectioni ſatisfieri, quarum vtraque eſt probabilis, & ſufficit ad explicandam incorruptibilitatem cœli, eiuſque quam cernimus ſine vlla mutatione conſiſtentiam. Primo habere quidem cœlum in ſe radicem corruptibilitatis eandem quam habent hæc inferiora, ſed deeſſe agens in rerum natura ſufficientis virtutis, quod poſſit alterare & corrumpere cœlum. Sed hac via procedendo fatendum eſſet cœlum non eſſe incorruptibile ab intrinſeco, ſed defectu extrinſeci agentis petentis in cœlum agere.

Et hanc ſententiam non carere probabilitate, oſtendunt ea quæ diximus *diſp. 1. dub. 6.* vbi diximus probabile eſſe ex carminibus Sybillæ & locis S. Scripturæ de facto virtute ignis cœlum in die iudicii corrumpendum. Addo aliquos admittere etiam modos alterati cœli, & nouas in eo generationes fieri, vbi cum apparuit noua illa ſtella in Caſſiopæia ſub Annum Domini 1572. Et ſane mirum eſt, aliquos eſſe tam religioſos in hac materia, vt talem in cœlo incorruptibilitatē ponere non audeant, quaſi piaculum ſit nō omnimodam & perfectiſſimā cœlo incorruptibilitatem attribuere cū ipſi formicis imperfectius faciant. Maxime cū hæc incorruptibilitas æque facile conſtantem illam cœli manentiam durationemque explicet. Talem fere incorruptibilitatem experimur in quibuſdā rebus ſublunaribus, ſicut ab externa actione etiam fortiſſimorum agētium nullū nocumentū accipiat, Adamas nihil ab igne aut ferro patitur: Aurū etſi ignis virtute poſſit liqueſcere, nullum tamen detrimentū ab igne accipit, quantumuis diu in igne perſeueret: Laricē, Alumen, & multa alia quæ ab igne corrūpi non poſſint, leges apud Leuinum Lemnium *l. 2. de occultis naturæ miraculis c. 12.* celebre illud de mātilibus è lino Albeſtino quę igne expurgantur, nullo modo adurūtur; itē animalia ferūtur in igne viuere, vti de Salamandra quidam referunt, ſed refutant alii, de Cariſtiis auibus Solinus refert, Ariſtoteles & Plinius de Pirauſis, quæ, ſi vel exiguo tempore extra ignem degāt, emoriuntur. Rurſum apud Antiquos oleum fiebat incombuſtile, quo vrendo non conſumeretur. Et ſeculo præcedente Paulo III Pontifice inuēta fuit,

Romæ ſepultura Tulliæ filiæ Ciceronis, in qua lucerna fuit ardens, quæ iam arſerat facile annos 1550. Lignum cedrinum quantavis diuturnitate temporis non computreſcit.

Ex his patet, poſſe manere incorrupta ea quæ habent materiam eiuſdem rationis inter ſe, neque neceſſario ab ſe inuicem pati, ſi vel per ſoliditatem vel per qualitatem aliquam occultam ipſis inditam repugnent agenti externo, ne ipſius admittant qualitates.

Secundo poteſt huic obiectioni ſatisfieri, negando, radicem corruptibilitatis adæquatam eſſe materiam primam, ſed materiam affectam qualitatibus contrarium habentibus, quæ proinde alterari poſſit, & peregrinas qualitates prioribus expulſis admittere. Vnde cum cœlum habeat qualitates, quæ non habeant contrarium, non poterant expelli, atque adeo nec cœlum corrumpi. Hinc Ariſtoteles 1. de cœlo probans, cœlum eſſe incorruptibile, hanc rationem adfert, quod cœlum non habeat contraria, nuſquam vero id ex eo probat, quod habeat materiam diuerſæ rationis, vt vel ex hac ratione ſatis probabiliter conici poſſit, Ariſtotelem nobiſcum ſenſiſſe.

Petes 1. an radix illa incorruptibilitatis debeat reiici in ſolas illas diſpoſitiones cœli, an vero etiam in formas.

Reſpon. Manare hanc incorruptibilitatem proxime ab ipſis diſpoſitionibus, remote & tanquam à prima radice ab ipſa forma cœli, quia enim forma cœli ex ſua natura, vt materiam informet, exigit tales diſpoſitiones ſibi peculiares, quæ contrarium non habeat, ideo eſt prima radix huius incorruptibilitatis, diſpoſitiones vero illæ ac qualitates proxime repugnant, non admittendo peregrinas qualitates.

Petes 2. quomodo cœlum reſiſtit peregrinis qualitatibus, cum qualitates eius non ſint illis contrariæ. Reſiſtentia autem fiat per qualitatem contrariam, verbi gratia, frigus reſiſtit calori.

Reſpon. non omnem reſiſtentiam fieri per qualitatem contrariam, vt patet, cum Adamas reſiſtit calori ignis, ſed ſolam illam reſiſtentiam quæ eſt coniuncta cum reactione.

Dices 2. Si eſt materia eiuſdem rationis in cœlo, habet illa materia appetitum ad omnes formas ſublunares, ergo vel appetitus ille erit fruſtra, vel nunquam ſatiabitur, vel poterit aliquando illas formas admittere.

Reſp. Materiam, quantum eſt de ſe, habere potentiam ſiue appetitum ad formas ſublunares, ſed nota, hunc appetitum non eſſe ad omnes formas in particulari, vel aliquam illarum determinate, ſed ad omnes in genere & in confuſo, ita vt materia aliquam in confuſo appetat, tanquam turpe pulchrum, & imperfectum, id quo perficiatur, & qua vi adepta ſatietur ac quieſcat, adeo vt nullam aliam deſideret, niſi ſub conditione, poſito quod priore forma ſpolietur. Itaque materia rerum formę in genere habet appetitum naturalem reſpondentem deſiderio elicito rerum formæ quam habet appetitum reſpondentem amor ac cōplacentiæ. Rerum formarū ad quas non habet appetitum qui reſpōdet deſiderio conditionato, quo fit materiam cœli cum indiuulſe adhæreat formæ cœli, non appetere formas ſublunares appetitu abſoluto ſed tantum ſub conditione ſi fieret vel fieri poſſet vt forma ſua ſpoliaretur. Vnde ſatis patet, neq; fruſtra eſſe hunc appetitum & ſufficienter ſatiari ea forma quam habet. Adde, non eſſe neceſſe potentiam materiæ ne ſit fruſtra actuari omnibus formis, ad quas habet potentiam, in omnibus portionibus indiuiduis materiæ, ſed ſufficit vt in aliqua materiæ portione potentia ipſius actuetur & appetitus ad omnes formas expleatur, ſic ſatis eſt materiæ cœli quod eadem ſpecie materiæ habeat potētiam ſuam actuatam, forma terræ in terra forma ignis in igne, alias neceſſe eſſet dicere, non ſatiari appetitum alicuius materiæ indiuiduæ, niſi omnes formas induerit, ob idque eſſe fruſtra. Ita potentia cauſæ efficientis, verbi gratia, ignis eſt potentia ordinata ad infinitos effectus poſſibiles, quos tamen nunquam producet, non ob id tamen eſt fruſtra, ſufficit enim vt in aliquo indiuiduo vel pluribus ea potentia reducatur in actum.

Dices 3. Omni potentiæ paſſiuæ reſpondet in rerum natura actiua, quæ eam ad actum producere poſſit, ergo ſi datur potentia paſſiua in materia cœli ad formas ſublunares, dabitur etiam actiua quæ poſſit eam ad actum perducere. Et conſequenter dabitur virtus quæ poterit cœlum corrumpere.

Reſp. Omni potentiæ paſſiuæ completæ & proximæ debet dari actiua reſpondens, non autem

utem incompletæ & nimis remotæ, qualis ſt potentia materiæ primæ. Adde dari Deum in ordine agentium naturalium qui eam potentiam poſſit ad actum perducere.

Dices 4. Materia horum inferiorum eſt in potentia contradictionis, materia cœli non eſt in potentia contradictionis, Ergo Maior probatur quia poteſt eſſe & non eſſe. Minor probatur, quia materia cœli ſemper eſt & neceſſario ſub forma cœli: Et in rebus perpetuis ſecundum Ariſtotelem 9. Metaph. t. 11. nulla eſt potentia.

Reſpon. tam materiam horum inferiorum quam cœli eſſe in potentia contradictionis rerum agentis Dei, poteſt enim eſſe & non eſſe Deo annihilante, ſecundum Ariſtotelem, cum vtraque ſit perpetua, vtraque careret potentia ſcil. cet non eſſendi, de qua intelligendus Ariſtoteles illo loco, ſimiliter & cœlum ſecundum ipſum eſſendi potentia careret. nō item careret potentia quæ ſit receptiua formæ cœli, imo ſi de potentia receptiua loquetur Ariſtoteles, vel concedendum ipſis eſſet cœlo nullam eſſe materiam, cum materia ſua ratione ſit potentia, vel ſi admittant materiam in cœlo, in cœlo eſſe potentiam contradictionis, nam cum in cœlo ſit materia quæ ſit potentia, omnis autem potentia ſit contradictionis, erit & in cœlo potentia contradictionis.

Dices. Non repugnat dari materiam diverſæ rationis. Ergo veriſimile eſt dari in cœlo.

Reſp. 1. Antecedens eſſe valde dubium, & licet difficile ſit rationem implicantiæ aſſignare, veriſimile eſt tamen repugnare & ratione puræ potentiæ, quæ eſt ens imperfectiſſimum, ac proinde ſine latitudine perfectionis.

Reſp 2. Conceſſo antecedente, nego conſequentiam, cum ex S. Scriptura planum ſit, omnia ex eadem materia condita, niſi forte illis velit cœlum Empyreum habere materiam alterius rationis, cui non admodum repugnabo, quanquam contrarium putem veriſimilius Neque conueniens erat, vt materia in cœlis eſſet alterius rationis, cum enim omnia mundi corpora eſſent ordinata ad vnum vniuerſum componendum & ita diſtributa vt inferiora actiones ſuperiorum reciperent, conueniens erat, vt communicarent in materia, & veriſimile eſt ita factum, maxime cum veriſimile ſit, corpus quod habet materiam diuerſæ rationis non poſſe agere in aliud, quod aliam ſpecie materiam habeat.

Dices 6. Formæ viuentium ſunt perfectiores formis cœlorum, ſed illæ non poſſunt cōtinere materiam ſuam à ſuſcipienda alia forma. Ergo nec hæ poterunt.

Reſp. ad maiorem, formas viuentium ſaltem aliquorum eſſe ſimpliciter & abſolute perfectiores formis cœlorum, tum in ſubſtantia ſua, ratione gradus perfectioris quem continet, tum quia ſunt principia operationum perfectiorum diſpoſitionumque ad illas: Secundum quid tamen eſſe cœlum perfectius & ex accidente, ratione ſcilicet qualitatum, quibus eſt præditum, ſoliditatis, lucis, aliarumque, quæ cum non habeant contrarium, peregrinas non admittunt, ob idque ſubiectum ſuum faciunt incorruptibile Neque neceſſe eſt, vt quod ſimpliciter & abſolute eſt perfectius, in omnibus excellat & præſtet, vt patet, & ſi enim homo ſimpliciter omnibus belluis præſtet, elephanto tamen magnitudine eſt inferior, leone viribus Coruo, Ceruo, Phœnice longæuitate ac vitæ diuturnitate.

Dices 7. hanc ſententiam repugnare Ariſt. multis enim locis videri aſſerere, habere materiam alterius rationis, nam 8. Metaphyſ t. 4. ait: non eſſe neceſſe, ſi quidpiam habeat materiam lationi ac motui locali accommodatam, id eſt generationi corruptioniue ſubiectam habere. 12 Metaphyſic titul. 1. Omnia vero, quæ mutantur inquit, habent tamen diuerſam, & perpetuorum, ea quæ non ſubeunt generationem, mobilia vero ſunt latione, at non generabilem, ſed ſubeuntem tantummodo lationem. Vbi videtur indicare Ariſtoteles, materiam quidem eſſe in cœlo, ſed alterius rationis, vtpote ingenerabilem Decimo Metaphyſ. capit. 13 dicit corruptibile & incorruptibile differre genere, at non genere: logico ergo genere Phyſico, hoc eſt materia.

Reſp 1 parum nos morari Ariſtotelem, vbi ſententia illius non congruit cum ſenſu ſacræ ſcripturæ, maxime cum certum ſit, Ariſtotelem in hac materia de cœlo ſæpius eſſe hallucinatum. Vnde qui hanc ſententiam tuentur, vt plurimum concedunt hanc ſententiam nō eſſe Ariſtotelicam, ſed Theologicam, ex Theologiæ principiis deductam.

Resp. secundo, nego assumptum, vt patet ex dictis, nam & loca allata commode explicari possunt, ad primum, concedo totum dictum Aristotelis, neque inde colligitur esse materiam diuersæ rationis, sed tantum accidentibus ac dispositionibus diuersæ rationis affectam, nam per rationem generationi corruptionique subiectam, intelligit materiam affectam dispositionibus, quę expelli possint, seu materiam secundam transmutabilem non primam. Ad secundum similiter dico, materiā illam esse diuersam, non specie, sed accidente, vnam esse proxime dispositam ad generationem recipiendam, alteram non, & hoc intelligit per materiam non generabilem: Et quidē Aristotelem esse intelligendum de materia secunda diuersa, non prima, patet ex eo, quod dicat ea, quæ transmutabilia sunt, habere materiam diuersam, quod intelligi non potest de materia prima, ad tertium Respondeo nec intelligi de genere logico, (quāquam nonnulli explicent de genere proximo logico) neq; de genere Physico, hoc est materia, sed differre specie, vt patet ex discursu Aristotelis & Syllogismo, quem facit.

Contraria differunt specie,
Corruptibile & incorruptibile sunt contraria.
Ergo corruptibile & incorruptibile differūt specie.

Petes primo, an Cœlum natura sua nullam prorsus admittat generationē, aut corruptionem Responsionem dubii facit stella illa, quæ sub annum Domini 1572 apparuit in Cassiopæia, lucidissima: Cōstat enim non fuisse Cometam, in suprema parte aëris, cum non pateretur aspectus diuersitatem, totoq; biennio semper eadem distantia fuerit à stellis fixis vicinis, æquabilique motu cum illis mota: Ex quo concluditur, eam in firmamento fuisse.

R. illam fuisse in firmamento, sed miraculo, non naturaliter exortam, ad aliquid prędignificandum, quanquam quid illud sit incertū: Similiterq; miraculo postea corruptam fuisse.

Petes 2. An sint veræ aquæ supra firmamētū?

Respon. esse supra firmamentum, eiusdem speciei cum nostris, & posito quod firmamentum & Cœlum 4. *Gen* proprie capiatur, vt diximus initio huius dubii, certum foret, quia Deus illud firmamentum fecit, vt diuideret aquas, quæ super Cœlos sunt, ab aquis quæ sub Cœlo Confir. quia *Ps* 148. dicitur: Laudate eum Cœli Cœlorum, & aquæ quæ super Cœlos sunt: & *in Cantico 3. puerorum* benedicite aquæ quæ super Cœlos sunt, Domin[o] que videtur fere sensus sanctorum Patrum quis dicat quo fine dicam, Deum non car[ere] fine licet eum nesciamus: Neque obest, q[uod] videantur ibi esse extra locum natural[em] Neque enim ad centrum tendunt, secun[dum] se præcise, sed tantum cum sunt sub conc[auo] Lunæ, & sub se habent elementum leuius: [un]de & ibi forte naturaliter quiescunt: Si [quis] petat, an illæ sint corruptibiles tamen pe[r ac]cidens defectu agentis contrarii quod co[m]pat, esse incorruptibiles si dicas Solis & a[stro]rum lumine corruptum iri, dicam impedi[ri] iri actionem, ne detur penetratio dimen[sio]num. Cum enim totus locus, quod est i[nter] firmamentum, & Cœlum Empyreum s[it a]qua plenus, si luminis reflexi calore alter[e]tur aqua, deberet rarescere, atque adeo m[aio]rem occupare locum, quod fieri non posse ne penetratione dimensionum.

DVBIVM IV.

An Cœlum sit animatum?

Platonici, Aueroistæ, Arabes, Ægyp[tii] Chaldæi & Philosophi fere omnes anti[qui] censuerunt, Cœlos esse animatos, totum mundum anima esse præditum, & alii quid[em] habere vnam animam, quam animam mu[ndi] vocarunt, alii vero singulis rebus suas anim[as] attribuerunt; sed sententia hæc est temera[ria] & parum sana.

Dico 1. Cœlū non esse animatū vlla ani[ma].

Probatur 1. quia anima est actus corp[oris] organici, Cœlum autem non habet vlla or[ga]na, cum sit rotundæ figuræ, ergo.

Probatur 2. omnis anima est propter o[pe]rationem aliquam vitalem, ab intrinseco, nulla talis operatio in Cœlo cernitur, ad ea[m] que rotunda figura est ineptissima.

Probatur 3. si Cœlum esset animatū, frus[tra] Cœlis attribuerentur intelligentiæ, à qui[bus] mouerentur, possent enim tunc moueri intrinseco.

Probatur 4. Vel illa anima esset vegetati[ua] vel sensitiua, vel rationalis, nihil istorum d[ici] potest: non primum, quia si Cœlum vegetatur, ac nutriretur esset intrinsece generabi[le] & corruptibile, cum nutritio supponat dep[er]ditam substantiam, & per nutritionem n[on] aggeneretur Deinde si nutritur quo alim[en]to,

, an vaporibus oceani, vt voluit Cleanthes, qui vapores non ascendunt vltra medium ris regionem, iidemque in aquam conuersi terram cadunt. Adde omnes vapores, quos l exugit, non fore sufficientes ad vnius astri imentum. Non secundum, quia anima sen-iua supponit vegetatiuam, tũ quia organũ nsus consurgit ex commixtione primarum ualitatum, Cœlum autem est corpus sim-ex Non tertium, quia anima rationalis sup-onit vegetatiuam & sensitiuam, sequeretur inde Cœlum esse beatitudinis capax.

Dico secundo. Intelligentia mouens Cœ-m non est forma Cœli.

Probatur, tum quia intelligentia est actus irus per se subsistens, nullumque ordinem cens ad materiam, tum quia nõ vnitur Cœ-, per se vnum cum illo constituens, tũ quia Aristotele constituitur intelligentia in ea œli parte, quę celerrima vertigine fertur, er-o ne quidem ex Aristotelis sententia cœlum t animatum, cũ anima debeat omnes partes formare. Adde secundũ Theologos intelli-entias habere definitũ terminũ suæ expãsio-s, eũq; longe breuiorẽ, q̃ sit cœli amplitudo.

Dico 3. Potest tamen cœlum æquiuoce dici iimatum propter animã, id est intelligentiã sistentẽ. Ita D Th. ea vero differt forma assi-ens ab informante, ꝙ informans sit in per se-a, & pars rei ordinem dicẽs ex natura sua ad teram compartem, cum eaq; vnum aliquod onstituens, assistens vero nihil horũ: sed ex se substantia perfecta tantum per accidẽs, rei oniuncta, vti nauta naui, sic Aristot. & patres iterpretandi cũ videntur cœlum esse anima-im, tunc n. capiunt cœlum pro aggregato ex elo & intelligentia. Dices primo, Quod dat perari, dat esse, intelligẽtia dat operari, ergo.

R. Quod dat operari intrinsece, dat esse, nõ quod extrinsece tantũ dat operari, deinde ꝙ pproximat tantũ, & applicat agens passo, nõ icitur recte dare operari, cum nõ det virtutẽ gendi, neq; in actu primo, neq; in actu secũ-o, sed sit tantum conditio requisita ad agen-am. Intelligentia autem tantũ applicat cœ-m, & approximat rebus in quas agit.

Dices 2. Primum in genere mobilium est ouens seipsum, sed cœlum est primum mo-le, ergo mouet seipsum; ergo habet animã.

R. maiorem esse falsam, potest enim primũ obile ab alio immoto moueri, & secundum Aristotelem, omne quod mouetur, ab alio mouetur: Erit tamen maior vera, si cœlum su-matur pro aggregato ex primo mobili & in-telligentia.

DVBIVM V.

Quid sint stellæ cæteraq; astra?

NOta opacum & densum differre, densum enim dicitur, quod in parua quantitate multum habet materiæ & raro opponitur. Opacum vero, quod non transmittit lumẽ, aut radios visuales insidentes, & pellucido seu diaphano opponitur, neq; necesse est, vt si quid densum sit, id statim etiam sit opacum, vt patet in aqua, vitro, lapide speculari ipsisq; cœlis ex communi sententia, id tamen quod opacum est, simul habet densitatem coniũctam.

Dico igitur primo, Astra ex quinta substantia esse naturæq; esse incorruptibilis. Probatur iis omnibus argumentis, quibus probari solet cœlum esse incorruptibile, rationes enim illæ maxime in astris locum habent.

Dico 2. Astra omnia, quę à se lucent, nõ necessario ponenda sunt è dẽsiore materia, quã sint cœli, imo forte ex rariore materia.

Prior pars probatur, quia densitas non est causa lucis, neq, etiam causa reflexionis lucis cum idem possit esse densum & diaphanum.

Secunda pars probatur quia licet experiamur, ignem in rara materia non lucere, tamen etiam experimur in densa minus lucere, vt in ferro, ergo lucis natura videtur exigere subiectum mediocriter rarum. Cœli vero secundũ se totos communi consensu Philosophorum, & Astronomorum sunt valde solidi, & densi, & vt ait sacra scriptura, quasi ære fusi, ergo astra non habent crassiorem materiam, quam ipsi cœli, & verisimiliter non tam densam, & sane si densitas esset causa, cur reflectatur ad nos lumen astrorum, non video, quomodo totum cœlum non sit futurum lucidum, cum habeat tantam densitatem.

Dico tertio, verisimilius est nulla astra præter lunam esse opaca, lunam vero esse densam & opacam. Probatur prior pars, tum quia credibile est vt infra docebo, omnia astra præter Lunam à se habere lumen, non autem à sole, tum quia forte, vt dixi, non habent densitatem sufficientem ad opacitatem.

Posterior vero pars probatur, quia à se luna non habet lumen, lumen vero, quod à sole recipit

recipit, reflectit ac remittit, ergo opaca est & densa fere ad eum modum, quo æs politum, aut vitrum non pellucidum; maculas in Luna nõ est necesse esse partes magis raras, vt communiter dici solet, sed minus opacas, quæ proinde minus retinent lumen, vt in alteram partem reflectant ac remittant.

DVBIUM VI.

An Cœli inter se specie distinguantur? An astra ab ipsis Cœlis, an astra inter se?

SI detur tantum vnum cœlum, quod diximus in Sphæra non esse plane improbabile, frustra instituitur hæc disputatio, quod ad primam partem, tunc enim totum illud subtile corpus, quod inter firmamentum & elementum ignis est interiectum, vnius erit speciei. Sed quia id non constat, videndum quid dici debeat, posito quod Cœli sint solidi. Censent aliqui, omnes & cœlos & astra esse eiusdem speciei, alii vnumquodque astrum eiusdem esse cum suo orbe speciei, licet cœli ipsi inter se specie distinguantur: alii vero & cœlos inter se differre, & astra ab orbibus & astra inter sese.

Dico primo, Cœlos inter se non differre specie.

Probatur, quia nulla est sufficiens ratio, ad hanc distinctionem inducendam, ergo. Antecedens probatur, quia neque accidentia, quæ habent communia, vt quantitas, densitas, figura, motus circularis: hæc enim potius arguerent contrarium, neque accidentia propria aut effectus peculiares, cum nulli tales assignari possint, qui in ipsos cœlos varios referri possunt.

Dices primo, Habere motus diuersos.

Resp. motus illos tantum esse numero diuersos, non autem specie, tendere quod ad vbi numero diuersum tantum. Adde vnum Cœlum non magis ex se postulare moueri, quam quiescere, neque potius moueri in hanc partem, quam in aliam, sed esse aptum recipere, quemuis impulsum ab externo motore.

Dices secundo, vnum Cœlum contineri ab alio, idque arguere minorem perfectionem.

Resp. id fieri, tum quia vnum Cœlum quantitate minus est, tum quia inter astra, quæ cõtinent certus ordo esse debet; ad bonum vniuersi, non autem, quia vnum nobilius substantialiter sit altero.

Dices tertio, Vnum Cœlum habere diuersas influentias ab alio.

Respon. astra ipsa habere diuersas influentias, non autem ipsos Cœlos astris sepositis. Excipio tamen Cœlum Empyreum, quod vtrum habeat peculiares influentias, videbimus infra.

Dico secundo, Verisimilius est astra à suis orbibus specie differre.

Probatur primo, quia non fuerunt simul producta secundum formam suam, cum Cœlis secundo die, sed quarto die, ergo habent diuersam formam à suis orbibus, atque adeo speciem: Nam tantum dicere facta esse quarto die, secundum aliquod accidens, lucem scilicet, est torquere scripturam, cum id quo fit lucidum, non dicatur simpliciter fieri, sed fieri lucidum, & alias Sol non diceret nudam substantiam, sed ipsam substantiam, cum istis accidentibus. Adde in prima illa creatione describi diebus singulis, productiones substantiarum, non accidentium & sane durum videtur, dicere illo quarto die Deum nullam nouam substantiam produxisse.

Probatur secundo, Diuersa accidentia, proprietates, effectus arguũt diuersam naturam, atqui in astris hæc cernuntur, ergo. Minor probatur, quia Cœli & astra inter se raritate & densitate differunt: Opacitate & diaphanitate astra sunt lucida, non Cœli, habent astra peculiares influentias, in hæc inferiora, non Cœli.

Confirm primo, quia lumen, quod habet astra, verisimiliter illud habent, & ex gentia naturæ suæ; ergo cum Cœli non habeant illud, verisimiliter specie ab illis differunt.

Confirm secundo, Quia à posteriori ab effectibus distinctis, solemus naturarum distinctionem agnoscere.

Dices primo, cum Conimbricensibus, non sufficienter colligi ex diuersitate effectuum naturarum diuersitatem, cum idem homo, v. g. secundum diuersas partes, varios effectus edat, cerebrum enim refrigerat, cor calefacit, pedes ambulant, sed dico instantiam hanc nõ valere, neq; enim negamus, quin idem possit diuersos

diuersos effectus producere, sed eosdem effect in specie dicimus in aliis indiuidus eiusdem speciei reperiri. Deinde falsum est, diuersas illas hominis partes esse eiusdem speciei, cum formas habeant heterogeneas diuersas, & quamuis id forte non admittant tamen necesse est concedant in animantibus id fieri, propter organorum diuersitatem, in aliis vero corporibus, quæ hanc organorum varietatē non habent, nunquam cerni in diuersis partibus effectuum diuersitatem. Vnde cum Cœlum inanimatum sit, & organis careat, necesse est eosdem effectus vni parti, & alteri tribui, si eiusdem sunt speciei, melius forte exemplis illis, quæ obiiciemus post tertiam conclusionem, occurrisset.

Dices secundo, Aristotelem *cap.7. & 2* asserere, stellas eiusdem naturæ esse cum suo orbe.

Resp. Aristotelem velle, non esse igneæ naturæ sed quintæ substantiæ incorruptibilis, & aliquo modo saltem in natura generica cum orbibus conuenire.

Dices tertio, astra sic non fore cum suis orbibus continua enim res diuersæ speciei continuari non possunt.

Resp. posse id concedi, neq; id mirum, cum id in Luna communiter asserant Astronomi, ut intra suum Epicyclum, circa proprium centrum etiam circumuoluatur, item & alios planetas cum Epicyclis à suis orbibus diuellunt Astronomi, quid ni & cætera astra.

Petes, ex qua materia Deus illa astra confecerint.

Resp. vel ex materia prius informata forma Cœli, vel in iis concauitatibus, in quibus astra confecit, reliquisse aquam ad illorum productionem.

Dico tertio. Astra siue sint in eodem orbe, siue diuerso, quæ distinctas habent operationes & effectus, naturam etiam specie distinctam habent, vt v.g Sol & Luna; Sol enim à se lucidus, Luna alieno lumine, Sol exsiccat, & ad rerum generationes disponit, Luna vero humefacit, & res corrumpit, ita alia astra ventos, alia pluuias; alia serenitatem conciliant, quæ omnia diuersam naturam arguunt.

Dices, vnus magnes ferrum attrahit, alter se repellit, vnus pixidem nauticam in Septentrionem agit, alter in Austrum: Immo item vna sui parte ferrum trahit, altera repellit, vna in Boream acum nauticam conuertit, altera in Austrum, vnum vinum distinctos plane effectus habet ab altero vino Vna terra virtutem habet quædam generandi, quæ terra alia producere non potest. Aquæ diuersæ reperiuntur, quæ diuersissimos habent effectus, ac pene prodigiosos, vt fontium, quædam aquæ calidæ, & nonnullæ lignum, aut faces accendunt, aliquæ amaræ, aliæ venenosæ: Fluuius quidam in Ponto equarum pascentium lac nigrum efficit: Ergo ex diuersis effectibus non bene colligitur diuersitas specifica, neque enim probabile est, hæc omnia inter se specie differre.

Resp. magnetes illos esse probabiliter diuersæ speciei, cum tam contrarii effectus, & proprietates ab eadem naturæ specie manare non possint. Quod autem vnus & idem lapis, secundum diuersas partes, habeat diuersos effectus.

Dico similiter illum lapidem secundum diuersas sui partes esse diuersæ naturæ, neque mirum, res diuersæ naturæ ita copulari, cum res distinctissimæ, & per artem, & per naturam misceantur, vt aurum & argentum, cæteraque mineralia. Vina etiam quæ diuersos effectus habent, videntur diuersæ speciei, pro diuersis terris, ex quibus vineæ diuersum succum exsugunt, diuersimodeque transmutant quanquam contrarium sit etiam valde probabile. Dici enim potest, eandem rem specie diuersis qualitatibus peregrinis imbui posse: Sic nonnullæ herbæ quibusdam in locis venenosæ sunt, quæ in aliis nullum nocumentum adferant. Malus Persica in Perside venenata est, quæ hic est sine veneno, quæ tamen distingui specie non est credibile, Aquæ & terræ diuersas habent proprietates, quia sunt impuræ, & rebus aliis permiscentur, quæ varia qualitate sunt imbutæ.

DVBIVM VII.

Vtrum Cœli & astra naturæ dignitate sublunaribus præstent?

Non dubium, quin Cœlum elementis natura præstet, quod tum Cœli situs supra omnia elementa, tum circularis motus, tum incorruptibilitas, tum in ipsa elementa influxus ad

xus ad generationes rerum, satis arguit: atque adeo mixtis inanimatis quæ ex elementis cō-stat: rursum conuenit inter omnes hominem præstantiorem esse cœlo: Licet enim, vt multi volunt, cœlum materiam diuersæ rationis ab homine, ob idque perfectiorem habere videatur, tamen anima rationalis immaterialis, quæ est forma hominis, longe dignitate præstat, formę cœli, quam ob causam à quibusdā homo dictus rerum materialium & immaterialium horizon. Sed de aliis viuentibus controuersia est, an illa nobilitate cœlum vincāt.

Dico verisimile esse cœlum habere naturam nobiliorem, quam animantia imperfecta, & forte etiam quam cætera animantia perfecta. Ita Marsilius *in primum quæ.* 1. *a* 2. & Gregorius à Valentia *tomo* 1 *d.sp* 1.*q.*3.*punct.*6. Dixi esse verisimile, nam altera sententia valde etiam probabilis est, & authorum numero vincit.

Probatur conclusio Cœlum est causa æquiuoca, & vniuersalis plurimorum, saltem effectuum specie distinctorum, in his inferioribus, animantia nihil istorum possunt efficere, sed suis actionibus vitalibus sunt contenta, ergo verisimile est, maiorem cœlum continere perfectionem, quam ista viuentia.

Confirmatur primo, Quia esse causam vniuersalem, & influere ad omnes effectus rerum sublunarium, independenter ab vllis rebus materialibus esse, & agere, est valde magna perfectio.

Confirmat. secundo, ex incorruptibilitate cœli, quæ ab intrinseca cœli natura probabiliter oritur.

Confirmat. tertio. Quia quis dicat plantam vnam, aut formicam, aut pulicem esse cœlo perfectiorem, imo ipsomet cœlo Empyreo, quod tamen coguntur asserere, & asserunt qui in contraria sunt sententia.

Confirmat quarto. Quia licet negent aliqui, cœlos immediate ad generationes viuentium influere, sed tantum remote & dispositiue dicant concurrere, tamen cum ad aliorum inanimatorum generationes immediate concurrant, etiam ipsorum sententia, imo totum, aut fere totum efficient, verisimile est cœlum etiam ad viuentium generationes immediate concurrere, cur enim potius concedant, cœlum ad auri generationem immediate concurrere, vel lapidis, quam ad plantarum, vel animantium generationem maxime, si ex putri materia gignerentur, cum nullum aliud sit assignare agens, quod formæ vnionem immediate attingat, & hoc est quod vult Aristoteles, cum ait, homo hominem generat, & Sol, id est, vt quomodo homo attingit generationem, vel alia causa partialis, eo etiam modo, & tam immediate cœlum attingat.

Dixi in conclusione, cœlum videri perfectius, quam animantia, saltem imperfecta quia licet idem de perfectis dici possit, probabiliter, res tamen clarior est imperfectis, quorum generationes cœlum, vt causa æquiuoca, ac principalis totaliter nonnunquam videtur efficere, cum non sit aliud agens, cui possint attribui, vt si quando ex putri materia oriantur: Perfectorum vero animantium generationes, sine semine animalis eiusdem speciei, aut saltem generis perfici non possunt: Vnde rationabilius dubitari potest an cœlum perfectione hæc animantia superet.

Dices, gradus viuentium est perfectior gradu inanimatorum, ergo omnia viuentia natura sua sunt perfectiora, non viuentibus.

Confirm. primo, Quia viuere est perfectius simpliciter: ergo maior est perfectio viuere quam non viuere.

Confirm. secundo, Quia operatio vitalis & manans à principio intrinseco est perfectior operatione transeunte, ergo & agens quod operatur vitaliter est perfectius eo agente, quod tantum operatur transeunter.

Respond. ad argumentum, nego consequentiam, hinc enim tantum habetur, in gradu superiori, & ratione generica omnia viuentia superare non viuentia, non autem in ratione specifica. Quid enim vetat habere genus perfectius, & sic secundum quid, esse perfectius, simpliciter tamen ratione differentiæ specificæ, esse imperfectius? Et sicut multorum assertione, cœlum habet materiam perfectiorem, ac proinde est secundum quid perfectius homine, tamen simpliciter ratione formæ, imperfectius, cur non similiter dici poterit in genere ac materia Metaphysica, licet vnum habeat genus imperfectius, ratione tamen formæ Metaphysicæ, seu differentiæ contrahentis esse perfectius

Itaque

Itaque vt recte argumentemur, à proportione perfectionis, quæ est inter ipsa genera, ad proportionem perfectionis, quæ est inter species diuersorum generum, tantum colligere possumus, omnes species generis perfectioris, simul sumptas, esse perfectiores omnibus speciebus alterius generis, & speciem perfectissimam generis perfectioris, esse perfectiorem specie perfectissima alterius, hominem verbi gratia, esse perfectiorem perfectissimo, non viuente, Cœlo scilicet, item speciem imperfectissimam illius esse perfectiorem, specie imperfectissima alterius, non autem bene comparari speciem imperfectam, vel imperfectissimam vnius, cum perfectissima alterius. Ita licet substantia in genere sit accidente perfectior, & quoduis accidens etiam in specie comparatum cum suo subiecto, imperfectis, quid tamen vetat aliquod accidens, ex ratione sua specifica esse substantia aliqua perfectius, verbi gratia, lumen astrorum terræ puluisculo, vel saltem gratiam virtutesque supernaturales? immo asserit Diu. Aug. *libro secundo, de libero Arbi.* lucem esse longe nobiliorem auro: rursum, licet potentia cognitiua, in genere sit perfectior appetitiua, & cognitio vitalis in genere, amore vitali, quis tamen dicat, potentiam visiuam etiam in brutis esse perfectiorem voluntate, quæ est in homine, aut angelis, aut visionem amore.

Ad primam Confirm. concedo, viuere esse perfectionem simpliciter, ob idque cæteris paribus, id esse perfectius, quod habet vitam, quam quod non habet, non autem id necessario esse, simpliciter, perfectius, quod habet vitam, si cætera sint imparia.

Ad secundam Confirm. Respondeo, operationem vitalem ac permanentem esse perfectiorem operatione transeunte, in genere, & perfectissimam operationem vitalem perfectissima operatione transeunte, non autem quamuis operationem vitalem, quauis operatione transeunte: agere enim transeunter, per modum causæ vniuersalis, ipsas rei substantias per generationem attingendo, quod cœlo conuenit, est perfectius, quam auditus asini, vel visio formicæ, quæ est productio immanens accidentis Adde, cum omnis actio dignitatem suam ac perfectionem accipiat à termino, quid ni substantialis productio erit nobilior accidentali, quamuis terminus actionis in agente remaneat? Rursum, cum multorum sententia, Deus se solo potest producere actum vitalem, seu terminum alicuius, verbi gratia, visionis peto, si Deus producat, vel tollitur substantialis ipsius perfectio, vel non, si tollitur, ergo Deus non producit actū eiusdem speciei, quod est contra suppositum, si non tollitur, ergo datur operatio transiens æque perfecta, ac operatio immanens, cum idem sit vtriusque operationis terminus.

DISPVTATIO III.

De Cœli accidentibus.

DVBIVM I.

An motus circularis sit Cœlo naturalis?

NOta, naturale aliquot modis vsurpari, primo, naturale aliquid alteri dicitur, ad quod res peculiariter intrinsecã habet inclinationem, tanquam ad sui perfectionem, sine quo res est in statu violento, vt terræ locus deorsum est naturalis, aquæ frigus. Secundo, naturale dicitur, ad quod res non habet priuatã inclinationem totius, cuius pars est, sic aquæ naturale est sursum tendere, ad bonum vniuersi, ne detur vacuum, cum tamē priuatæ inclinationi sit violentum, naturale est manui, obiicere se, si caput lædatur, ad conseruationē totius; Tertio naturale dicitur illud omne, quod non est violentum, & contra naturam, si ad id recipiendum res habeat passiuam potētiam, vel actiuam, ad efficiendū licet ad illud, tanquam sui perfectionē peculiariter non inclinetur, vt hæc vel illa figura ceræ, albedo vel nigredo columbæ, loqui, vel currere homini.

Dico primo, Motus circularis non est cœlo naturalis, primo mōdo, quasi sine eo cœlum non sit in statu naturali, aut careat perfectione aliqua naturæ ipsius debita.

Probatur, Quia per illum motum non acquirit, nisi aliud & aliud, vbi neque motus ille est propter alium finem, quam vt alium & alium locum Cœlum acquirat, sed secundum

dum se non magis exigit hanc loci partem, quam illam, & siue hanc habeat, siue aliam, æque censetur habere omnia naturæ debita, & esse in statu naturali, ergo.

Minor probatur, quia si magis hunc locũ, quam illum exigeret, adepto illo quiesceret, sicuti terra adepto loco naturali quiescit, ergo cum nusquam quiescat, ad nullum locum peculiariter, ex propria sua inclinatione tendit, deinde si ad aliquem locum peculiariter inclinaretur, cum nunquam quiescat, semper esset extra locum naturalem.

Adde per motum circularem, Cœlum secundum se, totum non mutare locum, cum totum semper sit in eodem spacio, sed tantum partes vicissim in aliarum loca succedere.

Dices primo, motum illum à Cœlo appeti propter se, vt immediate per motum perficiatur.

Respond. motum non posse propter se appeti, cum sit tantum via ad terminum, neque ratione sui perficere, sed ratione termini acquisiti.

Dices secundo. Cœlum hunc motum appetere, vt applicatum diuersis rebus sublunaribus, variæ influat, seque illis communicet.

Resp. ita rem habere, sed hoc Cœlum non perficit intrinsece, sed extrinsece duntaxat: Negamus autem hic istum motum intrinsece Cœlum perficere. Nam si quis animo fingat, Cœlum manere immotum, res vero sublunares Cœlo applicari, idem continget, quod iam accidit moto Cœlo, & æque Cœlum influet in res illas, neque tamen perfectio aliqua deesse Cœlo censebitur.

Adde ad confirmandam conclusionem, in eorum sententia, qui dicũt, non immutatum iri substantialiter Cœlum, post diem iudicii, tunc temporis violenter quieturum Cœlum, & contra naturam, si motus sit ei primo modo naturalis.

Dico 2. Motus circularis dici potest Cœlo naturalis, secundo & tertio modo. Probatur, quia licet ex priuata sua inclinatione ad illũ non inclinetur, quatenus tamen ille motus cedit in bonum vniuersi, cuius pars est, ob id merito illi naturalis dicitur. Item, cum habeat potentiam passiuam ad illum recipiendum, neq; appetitum habeat repugnantem, dici poterit naturalis.

Hinc patet, potentiam illam ad motum in Cœlo esse potentiam indifferẽtem, & neutrã, vt quantum est de se, Cœlũ non magis postulet moueri, quam quiescere, & tam illi fore naturalem quietem, quam motum, sicuti in materia est potentia indifferens, ad hanc vel illam formam, sic tamen, vt ad nullam illarũ peculiariter inclinetur.

Dices, videri hoc esse contra Aristotelem, qui ex numero motuum simplicium colligit, dari corpora simplicia, vt vnicuique corpori simplici respondeat vnus motus naturalis: Motus vero naturalis elementorum, est illis ex priuata inclinatione naturalis, ergo & circularis Cœlo.

Respond. illum recte colligere, non tamen exacte disquirere, quomodo quilibet motus possit dici naturalis: & credibile est, illum nihil aliud voluisse, quam id quod diximus. Adde hallucinatum Aristotelem, qui putabat, hunc motum ita Cœlo naturalem, vt necessarius sit & perpetuus Deusque illum impedire non posset, vtpote qui ex eius sententia, in huius mundi gubernatione necessitate naturæ aget.

DVBIVM II.

An Cœlum moueatur effectiue à sua forma, an ab intelligentia?

Dico primo, Cœlum non moueri effectiue, à sua forma.

Probatur primo, Cœlum non est animatũ, ergo non potest moueri à sua forma effectiue. Consequentia probatur, quia proprium est rerum animatarum, in loco naturali se ab intrinseco mouere.

Probatur 2. Si à propria forma mouetur, cũ quæuis pars cœli æque habeat illud principiũ actiuum motus, cur vna pars Cœli celerius mouetur altera? cur versus vnam partem potius mouetur quam alteram?

Dices, natura est principium motus, ergo forma Cœli, quæ est illius natura specialis, est principium illius motus partialis.

Respondeo, naturam non esse necessario actiuum principium motus, sed vel actiuum, vel passiuum. Forma autem Cœli est passiuũ principium illius motus circularis.

Petes,

Petes, cur forma elementorum potius est principium actiuum motus sui, mediante qualitate motiua, quam cœlum.

Respond. Vnamquamque formam habere vim reducendi se effectiue ad statum naturalem, si quando inde deturbetur. Ita aqua se reducit ad frigus naturale, postquam incaluit, elementa reducunt se ad locum naturalem. Quod autem est in loco, & statu naturali, non habet vim internam quidquam in se efficiendi, nisi sit animatum.

Dico secundo. Cœlum mouetur ab intelligentia.

Probatur primo, Quia nullum aliud est assignare principium motus effectiuum, neque enim forma, vt probatum est, neque vllum aliud agens corporeum, alias defatigaretur, ergo.

Probatur secundo, hæc vna fuit ratio, qua philosophi naturales venerunt in cognitionem intelligentiarum, quanquam in eo erravit Aristoteles, quod cœlestium orbium numero numerum intelligentiarum definierit, neque enim Angeli primarie ob cœli motum sunt conditi.

Probatur tertio, Non est conueniens, Deum administrare ac dispensare motus illos cœlestes, per se, immediate, sed per alios, legis enim Dei prouidentia & gubernatio decet, cum infima per media, id est, cœlos, intelligentias regit, & commune est illud theologorum axioma, Deus facit per causas secundas, quicquid ab illis immediate præstari potest.

Dices primo. Deum immediate per se mundum gubernare, vt sacra Scriptura insinuat, ergo non per angelos.

Respond. Deum immediate mundum administrare interius disponendo, & ordinando vnumquodque in suum finem, non tamen exterius exequendo, quæ duo in gubernatione includuntur. Sicuti princeps, qui omnia, quæ sunt facienda in regno suo, per se disponit, ordinat, imperat, mandat, alii ad eius nutum exequuntur.

Dices secundo. Omnipotentiæ naturali passiuæ respondet alia naturalis actiua, ergo potentiæ naturali passiuæ cœli ad motum respondere debet mouens corporeum, vt mobile & motum proportionentur.

Respond. nego consequentiam, debet quidem agens naturale respondere potentiæ naturali, passiuæ. & ita hic respondet Angelus, qui in numero agentium naturalium continetur, inter mouens vero & motum non requiritur proportio naturæ, ne quidem in ratione corporis, in motu locali, sicuti ad alios motus naturales, vel mutationes, sed sufficit ea proportio, vt vnum potens sit imprimere impulsum, & aliud substernat se & accommodet ad recipiendum.

Dices tertio. Motum illum fore violentum, fiet enim à principio extrinseco, nihil conferente passo.

Respon. non sufficere ad rationem violenti, vt passum nihil conferat, sed vt renitatur, per intrinsecam inclinationem, vt diximus in Ethicis.

Petes primo, an primum mobile immediate à Deo moueatur.

Respond Ita censere Aristotelem, sed non recte; vti enim cætera Deus in hoc mundo aliorum ministerio dispensare consueuit, ita & primum illum motum.

Petes secundo, Ex quo Angelorum ordine sint intelligentiæ, quæ cœlos mouent.

Respond. cum sancto Thoma *2. contra gentes cap. 80. & opusc. 10 art. 17.* & B. Dionysio *c. 6. & 7. cœlestis Hierar.* verisimile esse, ex ordine virtutum, dum modo hic ordo, vt vult S. Dionysius, medium in secunda Hierarchia obtineat: is enim ordo externa ministeria, quæ generalem vniuersi gubernationem concernunt, exequitur, nullum siquidem ministeriũ præstantius videtur, aut nobilius, post ipsa cœlestis patriæ ministeria, quam ad bonum vniuersi procurandum destinari, totiq; mundo, quodammodo præfici.

Petes tertio. An plures intelligentiæ, an vero vna omnes cœlos moueat.

Respon. cum Aristotele, singulis cœlis planetisue vnam intelligentiam esse deputatam, tum quia vix videtur finitæ virtutis, tot orbes eius magnitudinis, tamque à se dissitos mouere; tum quia facilius motus ille dispensabitur à pluribus, maxime cum non moueantur cœli æqualiter & maximus existat intelligentiarum numerus, tum quia vix est credibile, vnum Angelum tantam habere suæ substantiæ expansionem, vt à primo mobili ad cœlum lunæ porrigatur, Quot sint autem intelligentiæ motrices, difficile est definire: videtur

detur autem sufficere singulis orbibus totalibus vnam ascribere, qui orbem excentricum deferentem planetam, vel epicyclum moueat, nisi quis velit etiam epicyclis suam intelligentiam ascribere. Similiter & lunæ peculiarem ratione motus, circa proprium centrum. Cæteris orbibus excentricis, secundum quid, ex communi sententia non est intelligentia deputanda, cum tantum moueantur motu raptus. In ea sententia, quæ ponit octo cœlos, possunt illis statui excentrici immoti. Si quis vnum duntaxat cœlum ponat, singulis sub firmamento planetis suā ascribet intelligētiam.

Petes 4. In quo loco sui orbis sit angelus.

Resp. 1. contra Thomistas, Angelum non tantū esse in loco per operationē, sed per realem præsentiam ipsius substantiæ, Angeli scil.

Respon 2. non esse diffusum per totam magnitudinem sui orbis: neq; enim habet Angelus tantam expansionem ac dilatationem sui, vt communiter Theologi.

Resp. 3. non esse necesse, dicere esse in extima superficie sui orbis, cum æque possit mouere inexistens suo orbi.

Resp. 4. non esse per totum circulum medium sui orbis, vt videtur Aristoteles velle. Quid enim est necesse, cum Angelus ex se non requirat extensionem, & non minor sit illius virtus, cum existit spatio indiuisibili, quam cum est expansus. Deinde agens corporeum mouet corpus sphæricum, illud tantum tangendo in puncto, ergo & à fortiori, Angelus orbem suum circumaget, licet in puncto sit tantum præsens, & illi immediate suum impulsum imprimat.

Resp. 5. verisimile, illum in medio isto versus circulo, seu in æquatore, tum quia in ea parte velocissimus est motus cœli, tum quia vt corpus sphæricum circumagatur, nusquam commodius imprimuntur impulsus, quam in eo circulo medio, vt manifestum est.

Resp. 6. non esse in oriente, quia cum nullum sit oriens fixum, sed vnaquæque regio suum habeat orientem, non est maior ratio, cur in vnius regionis oriente sit potius, quam in alia.

Resp. 7. Neque esse necesse intelligentiam certo alicui puncto affigere, Arieti, verbi gratia, sed ita liberam, vt possit locum mutare, atque adeo non moueri per accidens ad motum sui orbis, & hæc probabiliter dicta sunt, si cœli sint solidi, alias quamque intelligentiam suo planetæ adiungant, à qua ille circumferatur.

Petes 5. An intelligentia necessario, an libere moueat cœlum?

Respon. Dubium esse, an intelligentia cœperit mouere cœlū, antequam videret Deum, beatitudinemq; esset adepta: si ante beatitudinem mouerit, libere mouit, Deus tamen ita suauiter inflectebat libertatem ipsius, vt moraliter fuerit impossibile, à motu cessare, etsi fuisset cessaturus, propria voluntate, fuera[t] Deus illum determinaturus: nunc vero adepta beatitudine est angelus determinatus, a[d] impulsum illum cœlo imprimendum: omni[s] enim beatus est determinatus ad amore[m] Dei, atque adeo ad id omne, quod necessa[-]rium est ad illum amorem conseruandum, [&] consequenter ad præstanda omnia, quæ sun[t] à Deo imperata, Deus autem motum illu[m] angelis imperauit.

DVBIVM III.

An intelligentiæ per intellectum [&] voluntatem cœlos moueant, an vero per aliam potentiam ab illis distinctam?

CEnsent aliqui, intelligentias per intell[e]ctum & voluntatem mouere cœlos, p[er] intellectum, dirigendo, per voluntatem ex[e]quendo, neque habere aliam potentiam [ab] iis distinctam, qua illos moueat.

Dico potentiam motiuam Angelorum e[sse] diuersam ab intellectu & voluntate.

Probatur 1. Quia quis dicat mouere cœ[lum] esse intelligere, aut velle, aut motum illum [es]se intellectionem, aut volitionem: hoc e[st] per se videtur absurdum: Probatur assu[m]ptum, quia intelligere, aut velle est actio i[m]manens, actio qua angeli cœlos mouent, [est] actio transiens.

Probatur 2. Tam est distincta actio mo[ue]re, aut velle, quam velle & intelligere, sed v[el]le & intelligere sunt actiones specie dis[tin]ctæ, & à diuersis potentiis elicitæ, ergo sim[ili]ter mouere & velle.

Probatur 3. Potentia motiua distingui[tur] ab intellectu, & voluntate in homine, erg[o] in Angelis, Probatur consequentia, quia [e]ratio in vno magis euincit, quam in alio,

quæ est ratio, cur illæ magis permisceantur in Angelo, quam in homine, cur non eadem ratio peruincit de intellectu & voluntate.

Probatur 4. intellectus & voluntas vel non habent obiectum in rerum natura, vel si habent, præsupponunt esse obiecti sui, non autem faciunt, vt obiectum suum sit in rerum natura, at potentia motiua facit obiectum suum existere: ergo differt ab intellectu & voluntate. Quocirca, quod alii dicunt, intellectum dirigere hunc motum, voluntatem exequi, quoad priorem partē, verum est, sed hoc non est mouere quoad posteriorem, falsum, neque enim voluntatis est exequi, vt patet in homine; sed tantum applicare alias potentias ad executionem.

Petes, quomodo distinguatur hæc potentia motiua ab aliis.

Respond. eodem modo sentiendum, sicut de intellectu & voluntate inter se, si dicis intellectum, & voluntatem in Angelo & homine distingui realiter, dices etiam potentiam motiuam ab intellectu & voluntate distingui realiter: sin existimes, intellectum & voluntatem in homine & angelo tantum distingui, ratione, etiam dicas potentiam motiuam distingui intellectu, & voluntate ratione: neque hoc est recidere in alteram sententiam, illi enim volunt voluntatem, qua voluntas est, formaliter mouere, & mouere formaliter esse velle, quod censemus falsum. Nos vero, etsi dicamus tantum ratione distingui, negamus tamen formaliter mouere esse velle, aut voluntatem, qua voluntas est, formaliter mouere, licet concedamus, voluntatem materialiter mouere: sicuti dicatur licet intellectus & voluntas tantum ratione differre, falsum tamen est, intellectum velle, aut voluntatem intelligere, nisi in sensu materiali, & identico, non autem formali.

Dices 1. Ea quæ sunt dispersa in inferioribus, in superioribus colligi, ergo cum potentia motiua sit in homine distincta ab intellectu, & voluntate in angelis, erit eadem cum illis.

Resp. si illud argumentum quicquam concluderet, euinceret etiam intellectum & voluntatem confundi in Angelis. Item quinque sensus in homine debere permisceri, & esse vnam eandemque potentiam, cum in brutis sint distinctæ.

Dices 2. Natura intelligentiarum tota pure intellectualis est, ergo non habet potentias, nisi intellectuales, sed intellectuales potentiæ sunt tantum duę, intellectus & voluntas, ergo præter intellectum & voluntatem non habent intelligentiæ alias potentias.

Respon ad primam consequentiam, esse æquiuocationem in voce intellectualis. Si enim per potentias intellectuales intelligas potentias immateriales, & spirituales, conceditur illa consequentia, nam & potentia illa motiua intellectualis erit, id est, spiritualis, & immaterialis, vtpote, quę insit immateriali substantiæ, & hoc sensu falsum erit, quod subsumitur, tantum esse duas potentias intellectuales; si per potentias intellectuales intelligantur potentiæ, quæ ex sua ratione consequantur gradum intellectiuum, neganda est consequentia, motiua enim potentia in Angelis, licet ex sua ratione non sequatur gradum intellectiuum, cum insit etiam aliis rebus materialibus, quæ se & alia mouent, est tamen in angelis per accidens, ratione subiecti immaterialis, sicut in homine principium vegetandi, ac sentiendi est immateriale, non ex ratione sua formali, præcise, sed ratione talis animæ, cui coniungitur. Hæc de motu, nunc de astrorum lumine.

DVBIVM IV.

An omnis astrorum lux sit eiusdem speciei?

SVppono primo, contra Platonicos, lumen non esse corpus, cum enim sit in aere, essent duo corpora penetratiue in eodem loco. Item contra quosdam, non esse formam substantialem illius corporis, in quo est, sed esse qualitatem ac formam accidentalem.

Suppono 2. discrimen esse inter lucem, lumen, radium, & splēdorem: Lux enim est qualitas illa, prout est in causa ac subiecto connaturali, vt lux in sole, lumen prout est in medio ac subiecto, quod à se illam qualitatē non habet in aere. Radius est illa eadē qualitas, prout manat à corpore lucido, per lineam rectam. Splendor dicitur lumen reflexum à corpore opaco, sæpe tamen hæc confunduntur. Radius lata significatione diuidi cōsueuit in rectum, reflexum, fractum, refractum. rectus est, cum sine obstaculo à luminoso recta via pergit, re-

git, reflexus cum in corpus opacum incurrit, à quo per eandem viam repellitur. fractus cum è medio raro in densum se colligit, refractus contra, cum à medio denso in rarum.

Dico lucem in astris omnibus esse eiusdem speciei. Probatur, quia est idem specie primarius effectus lucis, in omnibus astris, nimirum lucere & illuminare, ergo & lux ipsa. Deinde multi dicunt, intendi astrorum lumen per receptionem lucis à sole, ergo fateantur illi, necesse est, lucem in omnibus esse eiusdem speciei, cum vna qualitas non possit intendi ab altera diuersæ speciei.

Dices primo, Lumen solis obscurare aliorum astrorum lumen, ergo esse alterius speciei, nec enim eiusdem speciei se mutuo in actione impediunt, sed iuuant potius.

Respon. à parte rei non obscurari, aut tolli lumen astrorum, per aduentum solis, cum noctu non minus astra accipiant radios solares, quam interdiu, vnde eodem modo per noctem deberent occultari, & patet interdiu nihil tolli de eorum lumine, quia si quis in profundo puteo existat, quo radii solares non peruadant, etiam meridie stellas conspiciet, vitio autem, cur non appareant interdiu, tota est referenda in potentiam visiuam, quæ à maiore luce impeditur, quo minus minorem conspiciat, obiectum enim sensibile, si sit altero longe intensius, totam potentiam ad se rapit, sic sonus maior impedit auditum à percipiendo minore sono, & ita se res habet in aliis potentiis sensitiuis.

Dices secundo. Lux astrorum est nobilissima proprietas naturam ipsorum consequens, ergo cum astra distinguantur specie, etiam lux in illis distinguetur specie. Confirm. quia lux in diuersis astris producit effectus specie distinctos, vt sol exiccat, vitam & spiritum rebus confert; luna humefacit, & humores ciendo corrumpit.

Resp. Lucem non esse proprietatem, quæ particularem astrorum naturam consequatur, sed genericam duntaxat, vel esse accidens illis commune, non repugnat autem idem specie accidens esse in multis subiectis specie distinctis.

Ad confirm. respon. etiam in eodem astro lumen pro ratione subiectę materiæ, diuersos effectus procreare, vt solis calor indurat lutum, & mollit ceram, vel ratione causarum aliarum simul concurrentium, vt nunc serenitatem, nunc pluuius, qui tamen effectus diuersi non arguunt in sole lumen esse diuersæ speciei. Quòd autem sol exsiccet, luna humefaciat, inde oritur, quod sol ita humores excitat, vt per calorem etiam consumat. Luna autem humores excitat lumine & modico suo tepore, quos tamen consumere non potest. Hinc perniciosum est ad lunam, maxime plenilunio dormire.

Petes primo, an lumen astrorum & horum inferiorum, sit eiusdem speciei.

Respon. Si agatur de lumine, de sole producto, videri maxime probabile, esse eiusdem speciei, tum quia lumen à sole productum in luna, & si quod in aliis astris producit esse eiusdem speciei tantum, quia videtur lux solis esse causa vniuoca luminis. Quæ enim ratio sufficiens ad indicendum distinctionem specificam? Idem etiam dico de lumine iguis. Quæ enim necessitas ad hanc distinctionem inducendam? maxime cum experiamur, lumen candelæ posse lumen solis intendere, cum sol sub auroram medico lumine nostrum hemisphærium illuminet.

Petes secundo. An saltem lux, quæ futura est in corporibus beatorum, sit futura diuersę speciei à luce solis.

Respond. Probabilius videri, fore diuersæ speciei, primo quia lux illa eleuat corpus gloriosum, ad statum plane supernaturalem, vt non tantum quoad modum, quo acquiritur, sed etiam quoad substantiam, videatur esse supernaturalis. Secundo colligitur ex effectis lux enim illa corpora gloriosa, alioqui opaca, reddit transparentia, & diaphana, quod lux nostra non præstat, lux solis calefacit & alterat, nihil simile efficit lux illa in beatorum corporibus, neque ex eo quod futuri sint in beatis eiusdem speciei colores, satis colligitur, fore etiam eiusdem speciei lucem, quia colores illi ex causis plane supernaturalibus manabunt, optimo scilicet temperamento. Neque obstat, quod beatorum corpora in Scriptura dicantur futura lucida, vt sol, significatur enim similitudo non identitas, neque fuit excellentius quidquam, aut lucidius sole in rebus corporalibus, cui claritas illa comparari posset. Sacra vero Scriptura per ea, quæ vide-

videmus, solet nós ducere in cognitionem eorum, quæ non videmus.

DVBIVM V.

An astra habeant à se lumen, an à sole mutuentur?

QVidam censuerunt esse supra firmamentum vnum cœlum immobile, quale nos ponimus Empyreum, vndequaque lucidum, stellas vero & astra esse foramina quædam in cœlo inferiore, alia aliis maiora, per quæ videretur lux ista cœli immobilis: sed hæc sententia facile refutatur, tum quia sol & reliqui planetæ deberent in cœlo cum stellis poni, & æqualiter à terra esse remoti, tum quia saluari non posset diuersitas motus planetarum inter se, & ab astris fixis, tum quia saltem luna non potest dici tale foramen, cum interdum sit opaca, tum quia diuersa lux in planetis ac stellis apparet. Saturnus enim videtur fuscus, Iuppiter clarus, Mars rubeus, sol ardens & radians, Venus candens, & rutilans, Mercurius argenteus, & sub viridis, Luna albicans, tum quia Luna deberet habere æqualem lucem, cum sole, cum habeat æqualem diametrum visualem. Alii omnem stellarum lucem à sole manare crediderunt, plerique partim habere à se, partim à sole.

Dico primo, Lunam lumen à sole mutuare, à se vero nihil habere luminis. Prior pars manifesta est, tum ex lunæ deliquio, quæ ob id deficit, quia à recipiendo solis lumine interuentu vmbræ terræ impeditur, tum ex incremento & decremento lunæ, quod inde accidit, quia luna ex ea parte illuminatur, qua solem respicit. Posterior pars probatur, quia si aliquod lumen à se haberet, appareret, consp iceretur que semper quando luna non plene à sole illuminatur, item cum est plena eclipsis lunæ.

Dices, apparere in eclipsi, ea enim pars quæ in vmbram incidit, rubicunda apparet, item nonnunquam cum est corniculata, totum corpus lunæ apparet.

Respond. illud lumen, quod cernitur in luna, cum non plene eclipsatur, non esse natiuum lumen lunæ, sed esse secundarium lumen, ꝙ à partibus directe à sole illuminatis, redundat in alias partes, & obscurius cernitur. Si quis petat, quare hoc lumen non semper cernatur in luna: dicam, id fieri, vel quia aer non est tam purus, vel quia magna pars lunæ nobis obuersa illuminatur à sole, ob idque impeditur maiore luce sua, ne cernamus obscurius illud lumen.

Dico secundo, verisimilius videri, cætera astra habere natiuum lumen, & à sole nihil luminis accipere. Ita Molina, Auicenna: Probatur 1. quia alias illa astra deberent esse opaca, vt lumen solis receptum ad nos reflecteret, secundo, quia alias per accessum ad solem, vel recessum, paterentur incrementa & decrementa, quod est contra experientiam, quocunque enim in loco conspiciamus stellas, siue soli oppositas, siue etiam vicinas, eadem apparent magnitudine & æque lucida: Adde Venetem semper apparere rotundam, si autem à sole lumen acciperet, cum sit vicina soli, tantum exigua sui parte, quæ nobis esset conspicua, illuminaretur, ac proinde continuo appareret corniculata. Tertio Stellæ, quæ soli ex diametro sunt oppositæ, maxime sunt à sole interuallo distitæ: distant enim recta linea toto interuallo, quod est autē terra ad solem, id est, semidiametris terræ 23. millibus septingentis triginta tribus, sic vt vicies ter tantum distent à sole, quantum sol à nobis. Ob idque respectu istarum stellarum vix videatur sol habere magnitudinem, quam habet aliqua stella, saltem primæ magnitudinis, quæ proxime ad solis quantitatem accedit, respectu nostri, ergo non est credibile, stellas illas à sole illuminari, respectu quarum tantillam habeat magnitudinem.

DISPVTATIO IV.

De influentiis cœlorum in hæc inferiora, eorumque vi actiua.

DVBIVM I.

An cœli agant in hæc inferiora?

DVo hic quæri possunt, primum an agant tanquam causæ vniuersales, cum causis parti-

particularibus, ad earum actiones concurrendo. Alterum, an interdum agant, vt causæ partiales se solis producendo effectum, vel determinatum influxum præbendo.

Dico primo, Astra agunt interdum, vt causæ partiales, probatur, quia multi sunt effectus, qui à solis astris producuntur, nulla alia causa efficiente concurrente, vt illuminatio, calefactio. Item vaporum attractio, vndæ, pluuiæ, multa item sunt alia, quæ cum aliam causam partialem non habeant, necessario in cœlum videatur referenda, vti auri & cæterorum mineralium in terra, productio animalium ex putri materia genitorum fluxus & refluxus maris in lunam referri communiter solent; ostreæ, conchylia implentur, aut euacuantur iuxta lunæ incrementa vel decrementa Celenites lapis lunæ crescentis & decrescentis imaginem reddit, sol heliotropium florem continuo ad se conuertit. Experimur in nobis ipsis varie corpora nostra à cœlo affici, multumq; ad curationem corporum valet temporum congruorum obseruatio, vt præcipit Galenus Sol vere plantarum, animaliumque generationes prolicit; ab astris vbertas, sterilitas, pestilentia prouenit D. tamen Damascenus *l.2. fidei orth cap 7.* negat cœlum esse causam rerum in his inferioribus, vt pluuiæ, ventorum &c. Sed signa tantum, eo quod scilicet in multis effectis debeat cœlum determinari ab aliis causis, vel materialibus, vel effectiuis, vel quia hæc non immediate à cœlo manant, sed tantum mediante aliquo effectu præuio, v.gr. sol vapores eleuat, qui deinde suapte vi in aquam conuertuntur, vnde oritur pluuia.

Dico secundo, cœlum etiam in hæc inferiora agit, quasi vniuersalis causa.

Probatur, quia licet in arboribus ad fructus suos edendos in animalibus ad sobolem generandam sit virtus, ea tamen est debilior, nec sufficiens se sola, multum proinde cœlum confert, vt virtutem illam proliciat ac excitet, materiam alterando disponat, ipsamque formam materiæ coniungat, vt patet, per accessum enim solis omnia ad generandum fiũt vegeriora, ac fortia, per recessum inertia, & hæc videtur esse mens Aristotelis, qui *c.3. l.2. de cœlo.* probat esse plures cœlos, motusque in cœlis, quia per solam elementorum pugnam non posset oriri, ac continuari tanta generationum diuersitas, & 2 *Phys. cap.2.* dicit, hominem ab homine & sole generari.

Petes, Qui effectus à cœlis non pendeant?

Respond. non videri simplicium corporum actiones à cœlis pendere, nam & ignis in spatiis imaginariis constitutus, calefaceret, & stuppam vreret, aqua frigefaceret, item actus supernaturales & liberi, qui à Deo, Angelis, dæmonibus, hominibus, quique magorum interuentu fiunt, aut sanctis precibus impetrantur, item fortuiti, casuales effectus non pendent à cœlis, cum cœli agant naturaliter. Sæpe item mores & ingenia hominum, habitus, consuetudines, complexiones non habent ortum ex cœlis, sed libertate hominis, ex alimentis enim, quæ quis libere vsurpat, ex immodicis exercitiis & similibus oriuntur infirmitates, & corporum variæ complexiones; sunt etiam aliqui effectus, qui respectu omnium astrorum, vel particulatium, sunt contingentes, licet omnium causarum respectu sint necessariæ, vt pluuiæ, venti, sic temperies quæ inducitur à duobus astris vno calorem, altero frigus producente, respectu singulorum est effectus contingens, respectu vtriusque simul sit necessarius.

Dices primo, omne agens agit, vt assimilet sibi passum, cœlum nihil producit sibi simile, ergo.

Respond maiorem esse veram, de causa vniuoca, non æquiuoca, vel dici potest omnem causam effectum facere similem in aliqua ratione, vel specifica, vel generica, vel analoga. Adde cœlum in illuminatione producere effectum vniuoce similem.

Dices secundo, si cœli agunt in hæc inferiora, agunt naturaliter, & necessario, ergo certo & infallibiliter prænosci poterunt, ac prædici possunt ab astronomis effectus, qui à cœlis pendent: at vero experimur illos sæpe in iis prædicendis falli.

Respond. negando consequentiam, neque enim astronomi perfecte cognitas habent virtutes, quibus astra in hæc inferiora influunt, maxime cum vnius astri concursus valde varie possit modificari, per aliorum astrorum causarumque efficientium concursus, itemque materiæ diuersam effectione, quæ omnia cognoscere est impossibile.

Dices, mouens & motum debent esse simul,

mal, cœlum longe distat ab his inferioribus, ergo in ea non potest agere.

Respon. non requiri contactum Physicum, sed virtutis, sic ignis immediate hominem calefacit, etsi eum non contingat, & licet contactus Physicus requireretur, etiam hic sufficienter reperitur, nam cœlum in proxima corpora, & hæc in contigua agunt, & sic deinceps, vsque ad hæc inferiora.

DVBIVM II.

An cœlum in hæc inferiora agat per lucem?

QVidam Thomistæ censent, motum cœlo esse rationem agendi.

Dico primo, Motum non esse cœlo rationem agendi, aut virtutem qua agit.

Probatur primo, Non est ratio, cur potius motus sit cœlo ratio agendi, quam aliis rebus, atqui constat elementa, non agere per motum, sed per qualitates actiuas, ergo.

Probatur 2. Motus per se est ens imperfectissimum, & via ad terminum, ac de se productiuus tantum termini, vt quo, ergo non est tam variarum rerum, quæ in his inferioribus producuntur causa.

Probatur 3. Posita sufficiente virtute agendi, & passo debite approximato, sequitur actio, sed possunt illa sine motu cœli esse, ergo.

Dico secundo. Motum cœli esse conditionem necessariam cœlo ad actionum generationumque diuersitatem, quam edit in his inferioribus: Explicatur, sicuti applicatio & approximatio simpliciter est necessaria agenti, vt in passum agat, ita ad varietatem, generationum diuersa ac difformis requiritur applicatio, quod fit per motum, nam per motum sol ac reliqua astra, aliis ac aliis terræ partibus vicissim ac diuersimode applicantur. Probatur conclusio, quia idem agens naturale eodem modo applicatum, semper producit idem, ergo, vt diuersa producat, debet diuersimode applicari, & hoc modo intelligendus Aristoteles, sicubi generationum diuersitatem in cœli motum referat, nihil enim aliud vult, quam motum illum esse conditionem necessariam, sine qua non contingeret tanta effectuum diuersitas.

Petes, an cessante motu cœli cessaret in his inferioribus omnis actio.

Respond. non cessaturam, ignis enim aeque calefaceret, & vreret, aqua frigefaceret, homo moueretur, ferrum secaret &c.

Probatur, tum quia non est influxus cœli, ad omnem actionem in his inferioribus necessariam, tum, quia licet tunc sol non influeret diuersimode, per diuersam sui ad varias mundi partes applicationem, tamen influeret informiter in eas partes, ad quas esset approximatus, vnde & effectus eos videret, quos ederet ad easdem partes applicatas per motum, tum, quia Elementa, magnes & alia quamuis immota, tamen agunt, ergo & cœlum.

Deinde neq; ab intelligentia per impulsum vim accipit agendi, neq; motus, vt probatum est, intelligi potest ratio agendi. Præterea ita de facto contigit tempore Iosue, cum ipse imperio suo iussit solem integrum diem stare, quis enim dicat eo tempore cessasse omnium naturalium causarum actiones? Saltem dubitari nequit, quin homines mouerentur, quin ferrum secaret, quandoquidem toto illo die commissum fuerit prælium.

Dices primo ergo sol post diem iudicii etiam quiescens, inferiora hæc calefaciet, atque adeo corrumpet, cum alterationem corruptiuam sequatur corruptio, vel sane miraculo conseruabuntur inferiora elementa incorrupta, quod gratis dicetur.

Resp. primo verisimile esse, vt dixi, cœlum & elementa substantialiter immutatum iri post diem iudicii, & in incorruptam substantiam esse transformanda.

Resp. 2. Si tantum accidentaliter immutentur, Deum largiturum illis incorruptionē aliquam, supra naturæ cōditionem, neq; hoc est absurdum, cum nō amplius debeant rerū generationi deseruire, sed sanctorū beatitudini.

Dices 2. primum in vnoquoque genere esse causam reliquorum, ergo motus cœli erit cæterorum motuum causa. Confir. quia motus cœli, respectu inferiorum, comparatur motui cordis in animalibus, respectu cæterorum membrorum, atqui non moto corde, cætera membra non mouentur, ergo.

Resp. primū in vnoquoq; genere causæ esse cæterorū causam. Ita Deus in genere efficientium, aut finalium causarum, cum sit prima, est etiam cæterarum causa, non autem intelligendum est axioma illud, de eo, quod ordine dignitatis, aut temporis est primum.

Ad confirmationem respon. esse inter ea similitudinem aliquam, non tamen omnimodam, quia sicuti cor omnibus corporis partibus spiritus vitales ad varias functiones exercendas dispensat, ita cœlum motu suo vim rebus inferioribus ad generationum diuersitatem, modo secunda conclusione explicato. Ideo autem corde immoto, cætera membra nihil agunt, quia homo est mortuus, ac proinde virtus ad agendum deest, cœlo autem moto, adhuc virtus agendi in his inferioribus permanet, & cœli influxus.

Dices tertio, agentia inferiora esse essentialiter subordinata, in suis actionibus cœlo, ergo cœlo immoto nihil agit. Confirm. Quia omne mouens dependet à primo mouente, at primum mouens corpus nullum mouet, nisi mediante motu cœli.

Respondeo, ex dicto patere, non enim est essentialis subordinatio, quoad omnes actiones, neque cœlum immotum omni actione ac influxu caret. Ad confirmat. nego minorem.

Petes secundo, an motus cœli non sit causa caloris, in his inferioribus: Videtur enim motus suapte natura calefactiuus, nam ambulatione homo incalescit, culter similiter, dum acuitur, attritu duorum lapidum, vel chalybis, & silicis ignis erumpit, idem ferunt de leonis ossibus, similiter videmus equorum soleas scintillas eiaculari, molas interdum motu ignem concipere, item ferunt sagittas plumbeosque globos tormentis eiectos liquescere.

Respond. motum per se non esse productiuum caloris, sed tantum accidens, cui rei argumentum est, quod non quemuis motum consequatur calefactio, aer enim vento huc illuc impulsus non calescit, homo in naui etsi celerrime moueatur ad motum nauis, non tamen incalescit, sed habet se quasi non moueretur. Sed adhuc difficultas est, quando res motu incalescit, quid sit productiuum caloris. Docent Conimbricenses, calorem illum excitari, & ignem generari attritione aeris inter duo corpora solida, per eorum affrictum, vel aliter, attritionem vero & rarefactionem calor consequitur: licet enim naturaliter rarefactio ex calore oriatur, via tamen violenta: contra rarefactio præcedit, calor sequitur, quod quidem verum est, vbi per motum solida in se affricantur, aer enim interceptus, vel qui in poris est, attritione rarescit: Sed nego primo, vbi non interuenit ille solidorum affrictus, motum calefacere, vt cum sagitta emittitur, aut globus plumbeus tormento exploditur: quæ enim ibi esset aeris attritio, nam dicere solo motu ac diuisione aeris aerem ipsum atteri, & rarescere, gratis dicitur, alias omnis motus id efficeret, & homo non minus incalesceret, in naui quietus quam in terra ambulans. Deinde, etiamsi diuisione aer rarescerer, non tamen propterea res incalesceret, nam continuo nouum aerem subit, & priorem iam rarefactum deserit. Secundo cum aliquid ignescit, nego aerem ignem concipere, vel si ignescit, ignem illum ob raritatem non apparere, id vero quod apparet, & excutitur, ignitum, est ipsa substantia ferri, lapidis &c. quæ ignem concipit, vt patet, cum quis affricet chalybem silici, ignis qui excutitur, est in materia densa, & si quis materiam illarum scintillarum examinet, cum iam extinctæ fuerint, inueniet chalybis ramentum fuisse accensum. Itaque in omni quidem affrictu solidorum atteritur, & rarescit aer, vel qui intercipitur inter solida, vel qui in poris est, ea vero materia ignescit, quæ est idonea ad ignescendum, vti sunt omnia metalla, & mineralia, ac maxime chalybs, quia materia illorum habet admixtum sulphur, quod nullo negotio ignescit, vnde exigua ramenta decisa statim ignem concipiunt. Tertio falsum est, quod aiunt Conimbricenses, ideo scintillam deorsum ferri, quia impetus excutientis deorsum fertur, sed ratio est, quia materia accensa est chalybs. Hinc patet omnia solida calorem per affrictum concipere, non tamen omnia ignescere, motum vero ad calorem se habere per accidens. Adde hominem, præterquam quod pedibus aerem attrahat, etiam inambulando vitales spiritus excitare, & ad exteriora vocare calorem motiuum. Ad illud de globis plumbeis liquescentibus dico, id fieri vi caloris à puluere accenso impressi, non à motu, vel aeris attritione. Alterum de sagitta emissa credam cum experiar.

DVBIVM III.

An cœlum per lucem agat?

RESpon. affirmatiue, patet enim sensu, cœlum per astrorum lucem illuminare, & calefa-

calefacere, & consequenter interuentu caloris ad generationem disponere. Ita sal marinus in Lusitania, Rupellæ & alibi, Solo calore Solis fit, aqua enim marina in scopulos eiecta, & in eorum concauitatibus retenta, prius condensatur, deinde excernitur calore Solis, magna eius humiditatis pars relicta terrea quadam exhalatione, qua mare abundat, quæ concrescit, & in salem abit: Simili vero modo mel è cannis exsudans vehemente calore solis concrescit in Saccarum. Confirmat. quia calor elementaris eosdem sæpe facit effectus, qui ab astris efficiuntur, ergo astra illos per calorem efficiunt, vt patet in Sale & Saccaro. Item post recens incendium vicinæ arbores etiam media hyeme pullulant, & flores emittunt, vt recens experientia docuit Mechliniæ, neque obest quod astra non sint formaliter calida: habent enim in luce quæ qualitas est valde perfecta, eminentem calorem.

Dices primo, Ergo hyeme fortius aget Sol, quam æstate, quia terræ est propinquior cum sit in opposito augis.

Respond. nego consequentiam, quia fortius agit radius reflexus, quam obliquus, quod ideo fit, quia plus luminis directa reflexione in parte aëris terræ vicina coit, verum quidem est, si conferantur dictæ regiones, quarum vna sit sub tropico cancri, altera sub tropico capricorni, cæteris paribus, illa quæ est sub tropico capricorni, debet vehementius vri Sole existente in capricorno, quam altera, quæ est sub tropico cancri Sole existente in cancro, ob illam maiorem & minorem distantiam Solis à terra.

Dices secundo, ergo etiam Luna calefaciet, item Saturnus, cui tamen natiua vis refrigerandi ab astronimis attribuitur.

Respond. concedendo Lunam calefacere, vt patet, quia plenilunio noctes tepidiores, quam alias, cum ad nos lumen Solis non reflectit: Saturnus etiam luce sua calefacit, sed calor ille tam debilis est, vt vix à nobis percipiatur. Quod autem refrigerare dicatur, id facit occulta alia qualitate, per quam longo magis frigus excitat, quam luce sua calorem producet.

Dices tertio, Lumen fit in instanti, calor autem in tempore, lumen indiget corpore luminoso ad sui conseruationem, non autem calor, ergo non possunt ab eadem qualitate produci.

Respond. nego consequentiam, vtraque enim qualitas pro sua quæque natura generatur, & conseruatur, lumen in instanti generatur, & in instanti desinit, quia non habet cōtrarium, calor autem contrarium, ob idque generatur in tempore, & in tempore corrumpitur expellente contrario.

Petes, quomodo specula materiam aliquam succendere, & ignem excitare possint.

Respond. duobus id posse fieri modis, primo si specula non sint transparentia, reflectendo radium per speculum in materiam idoneam, quæ succendatur, maxime si materia illa attingatur etiam radio directo, Solis reflexione enim illa fit, vt vniantur radii directus, & reflexus, ob idque fortiter agant. Ita legimus apud Galenum, Archimedem, hostium triremes combussisse, & apud Zonaram *in Anastasio Imperatore* proclum Mathematicum, per ænea specula suspensa, è mænibus Constantinopolitanis classem hostium exussisse.

Secundo si specula sint pellucida, & concaua, colligendo radios solares, & vniendo per concauitatem speculi, qui radii si incidāt in carbonem, vel aliam materiam commodam, illam succendent, vt ipsemet experimēto didici.

DVBIVM IV.

Vtrum ponendæ sint influentiæ?

NOta influentiæ nomen duobus modis sumi, primo late, pro quauis virtute ac qualitate, seu sensibili, seu occulta, quæ in alicuius effectus productionem incumbit, qua ratione etiam astrorum lux influentia dicetur: secundo, stricte pro occulta aliqua qualitate à luce distincta, quæ sua vi effectus aliquos efficiat. Ita hic influentiæ nomen vsurpamus.

Differt autem à luce, tum quia est insensibilis in se, tum quia non impeditur obiectu corporum opacorum, quo minus agat, contra quam lux. Nonnulli acriter impugnant has influentias, eas que vocant asylum ignorantiæ eo quod positis influentiis vbicunque ignorabitur causa naturalis alicuius rei, licitum

tum erit cuique ad has influentias recurrere. Inter hos principes sunt Iohannes Picus Mirandulanus *libro tertio, contra Astrologos* P. Peretius *libro secundo, in Genesim.* Medina *libro secundo, de recta in Deum fide.* Georgius Agricola *libro 4. & 5. de causis subterraneorum.* At vero D. Thomas & Astrologi acriter pro influentiis pugnant.

Dico, non videri sufficere lucem astrorum, sed debere etiam poni influentias quasdam astrorum particulares.

Probatur primo, quia alias multarum rerum causæ reddi non poterunt, quæ neque in lumen astrorum, neque in alias causas particulares referri poterunt, ergo.

Antecedens probatur, nam ostrea, conchylia, omnesque conchæ cum luna pariter incrementa & decrementa suscipiunt, Celenites lapis lunæ imaginem refert quotidie crescentem, & decrescentem, etiamsi non attingatur luce lunæ, oleæ, tiliæ, vlmi, populi, salicis folia, postridie solstitii conuertunt folia, & quæ maior vis eo die ad hoc efficiendum, quam ante? Item Aurum, Argentum, ac mineralia omnia in terra generantur, non ab aliis causis vniuocis, vt omnes concedunt: habent enim ista mixta qualitates primas nimium refractas, quam vt possint agere, & alia in suam substantiam transmutare, neque est alia causa præter astra, quæ assignari possit, atqui non potest hoc dici, astra efficere per lumen, cum lumen tantum attingat terræ partes extimas, ergo per aliam occultam qualitatem insensibilem.

Respondet Picus Mirandula *libro tertio, capite quarto*, calorem lumine solis productum intimas terræ partes peruadere, licet lumen id nequeat. Contra, Sole etiam maxime æstuante, hypogæa & subterranea loca etiam iuxta ipsam terræ superficiem, sunt frigidissima, ergo falsum est, quod asserit. Deinde nunquam tantus calor solis lumine efficitur, quantus fit à fornace, vel clibano accenso, neque tam alte potest calor solis terram peruadere, quam fornacis ille calor, at si quis subest huiusmodi fornaci fodiat, inueniet calorem, non admodum profunde terram penetrasse.

Probatur secundo, astra plurima habent naturam specificam diuersam, vt supra probatum est. Sed diuersam naturam comitantur diuersæ proprietates, & virtutes actiuæ, ergo in cœlis sunt diuersæ agendi virtutes. At lux eiusdem est speciei, in omnibus, & consequitur eandem natura genericam, ergo aliæ virtutes, quæ illi conueniunt, & natura specifica sunt assignandæ. Maior primi Syllogismi probatur, quia saltem secundum Mirandulam, Luna non habet à Sole lumen, ergo naturam habet specificam à sole distinctam, & distinctam vim agendi.

Probatur tertio, Luna eo tempore, quo ad terram nullum lumen transmittit, maxime in hæc inferiora influit, nam æstus maris, quem à luna excitari communiter asserunt, tempore nouilunii est maximus.

Probatur quarto. Astra non tantum producunt in his inferioribus calorem, sed etiam frigus, & reliquas primas qualitates, atqui has non possunt lumine producere, cum lumen tantum sit productiuum caloris, ergo alia aliqua qualitate.

Maior probatur, tum quia nulla mixta quæ à cœlis producuntur, frigoris habent copiam, tum quia Saturnus refrigerat, vt obseruatum est ab Astronomis: Notarunt enim cum dies ante meridiem Solis calore extreme calidus extitisset, sub meridiem per Saturni concursum magnam frigiditatem esse inductam. Luna item humiditatem creat, vt omnes fatentur.

Respondet Picus, primo has qualitates per accidens à cœlis fieri, vt frigus, quatenus per absentiam astrorum non fouent calorem productum, ita noctes experimur frigidas absente Sole: humiditatem quatenus astrum aliquod, verbi gratia, Luna, modico calore quem producit, vim habet ciendi humores eosque vocandi ad exteriora, neque tamen potest illos consumere ob debilem calorem. Hinc in Plenilunio multa animalia sunt succulentiora. Sed hæc responsio non satisfacit, tum quia cœlum, cum sit causa vniuersalis, in his inferioribus debet esse per se causa istarum qualitatum, easque ratione alicuius nobilioris qualitatis eminenter continere, tum quia ostendimus, astra non tantum absentia sua, sed & præsentia frigus inducere, quod de humiditate à luna produci solita, verum id quidem, at non tantum humores concitat, dum inferiora hæc illuminat, sed etiam nouilunii tempore maiores c[...]
cea

Oceani æstus facere, & corpora morbida mire tunc affici solent, vt constat experientia.

Respondet secundo Picus, calorem illum viuificum ab astris productum esse diuersæ speciei, à calore producto ab elementis, neque frigori contrarium, sed eminenter continere reliquas primas qualitates, sicuti corpus cœleste cætera corpora. Vnde colligit, falli eos, qui negant elementa frigida conseruari posse, nisi præter calorem sidera frigus influant, eo quod calor ille à cœlis productus, & frigus & humorem, & calorem, & siccitatem afficiat: Sed hæc responsio nullo modo placet, gratis enim dicitur, calorem illum esse diuersæ speciei, cum experiamur frigus à nobis expelli calore solis, non secus atque calore ignis aquam etiam solis feruore intepescere. item calorem vnum accessu alterius intendi. Vnde consequens fit, calorem illum non minus contrarium esse frigori, quam sit calor elementorum.

Dices primo, si dentur tales influentiæ, ac virtutes occultæ, conueniunt astris ex natura specifica, lux vero ex ratione generica, sed ea proprietas, quæ ex ratione specifica conuenit, est nobilior, quam ea, quæ ex ratione generica, ergo illa qualitas occulta, quæ frigus inducit, distincta à luce, debet esse nobilior luce, quod tamen communiter negatur: lux enim dici solet primi corporis præstantissimus effectus.

Respond. concedendo totum, neque negant Philosophi, dari nobiliorem aliquam qualitatem lucis, sed non dari qualitatem à cœlis productam, nobiliorem lumine, quod concedimus, lumen enim est effectus vniuocus lucis, cætera vero, quæ per alias virtutes à cœlis efficiuntur, sunt effectus æquiuoci: vel sane volunt Philosophi, lucem esse præstantissimam qualitatem sensibilem, quod non grauate admittimus. Addo aduersarios si admittant, astra esse diuersæ speciei, lucemque in ipsis eiusdem esse rationis, compelli fateri, esse alias proprietates, quæ cuique astro ex natura specifica conueniunt.

Dices secundo. Nulla res habet proprietatem sibi ex natura specifica conuenientem, quæ repugnat proprietatibus communibus. Hoc autem in eorum sententia contingeret, qui influentias ponunt, vis enim illa frigefactiua, quæ ex specifica ratione astro competeret, esset contraria virtuti calefactiuæ, quam habet ex ratione generica.

Respond. nego minorem, etsi enim calor & frigus repugnet, non tamen vis productiua caloris, & vis productiua frigoris, in astris repugnant, cum non sint virtutes vniuocæ, respectu suorum effectuum, sed æquiuocæ, si quis velit virtualiter repugnare, non formaliter facile admittemus, hoc enim nihil est aliud, quam habere vim producendi effectus oppositos, quod eidem etiam rei simplici conuenire potest. Ita Deus multa etiam opposita efficere potest: Voluntas amorem & odium elicere, idem & ipsi in sua sententia coguntur admittere, lucem nimirum illam, vt caloris & frigoris productiuam, sibi ipsi virtualiter quodammodo opponi.

Dices tertio. Quo agentia sunt nobiliora, eo paucioribus vtuntur instrumentis, cum igitur astra sint elementis nobiliora, vnicam habebunt ad agendum virtutem, cum elementa singula geminas habeant.

Respond. maiorem esse falsam, vt patet in homine, qui cum ad plures & perfectiores functiones ordinetur, plura etiam habet ad agendum instrumenta, imo in cœlo id fuit necessarium, cum sit causa vniuersalis, neque tanta effectuum varietas ab vna qualitate effici posset.

Ad id vero, quod obiicere solent, istas influentias nouitium esse inuentum, per eas omnem Philosophiam eneruari, eo quod vbicunque causa ignorabitur, ad influentias semper recurri possit. Respondemus, non esse nouitium inuentum, cum pluribus locis eas Diuus Thomas astruat. Neque per eas Philosophia eneruatur, cum alicuius effectus causa non temere, & sine ratione sit in influentias reiicienda. Quod si fieret, Philosophia eneruaretur: sed vbi ratio id sufficienter suadeat, vel experientia euincat, ad eas recurrere non est à Philosophia alienum. Multa enim sunt, quæ nullam aliam habere possunt causam naturalem, præter cœlum, vt omnes concedunt, euidenterq; conuincitur, non posse eos effectus produci à cœlo, media luce.

Ex quo

Ex quo necessario colligitur, in alias virtutes cœli effectus illos esse reducendos. Fateor tamen Astronomos sæpe, cum suis influentiis delirare, & longe maiores virtutes cœlo tribuere, quam par sit, superuacaneum esse, imo impium, omnes effectus in cœlum velle reducere.

DVBIVM V.

An Cœlum Empyreum etiam habeat aliquas influentias.

Dico breuiter, probabile videtur, Cœlum Empyreum in hæc inferiora influere.

Probatur primo, Quia non est conueniens, in vniuerso esse aliquam otiosam substantiam, vt ait Diu. Damasc. *libro 2. de fide orthod. cap. 23.*

Probatur secundo Quia alias illud cœlum non videretur pars vniuersi, cum enim vnus sit mundus, ea vnitas non alia re magis se prodit, quam quod suprema agant in media, & media in infima.

Probatur tertio. Sunt aliqui stati effectus, in quibusdam regionibus, qui semper eodem modo fiunt, vt in quibusdam regionibus generatur aurum, argentum, æs, gemmæ, marmora, &c. In Hungaria & Tartaria generantur equi pernicissimi, in Africa leones, in India Elephanti, qui in aliis regionibus eiusdem climatis non generantur, ergo assignanda erit aliqua stata & fixa causa, non cœlum, aut astra mobilia, alias sub eodem climate, in quo eandem vim exercent, eundum etiam effectum producerent.

Probatur quarto Quod me ad hoc asserendum maxime mouet, est pixis nautica, seu acus magneti affricta, quæ semper in eandem cœli partem conuertitur, quæ res in aliud referri non potest, quam in cœlum aliquod immobile. Quod probatur, quia fixa aliqua & immobilis causa huius rei assignanda, nulla talis in cœlo mobili, nec in terra assignari potest, ergo in cœlo aliquo immobili Minor probatur, pro priori parte, quia cœlum mobile nullam habet sui partem fixam, sed quæuis pars mouetur, præter polos. Vnde male illi, qui acum illam à Cynosura trahi volunt: Cum enim cynosura circa polum quotidie voluatur, sequeretur etiam, acum illam continue cum cynosura moueri, & nunc versus orientem, & nunc versus occidentem, à polo recedere, nunc directe polum spectare, quod experientiæ repugnat manifeste. Sed neque in ipsum polum referri potest, cum acus hæc non respiciat polum directe, nisi sub meridiano Insularum Fortunatarum, vt nautæ compererunt, à quibus si ad Americam recedas, tum etiam acus versus occidentem à polo recedit, si ad orientem, verbi gratia, in Europam abeas, acus etiam à polo versus orientem recedit, donec tandem nouem gradibus recedas à polo, quæ videtur maxima declinatio à polo vtrinque, ita testautur illi, qui Magellanicæ nauigationi interfuerunt, totumque orbem circumiuerunt. Posterior pars minoris, quod neque in terra assignari possit causa eius rei, probatur, nam montes illi Magnetici, quos fingunt quidam supra Chinam, aut Tartariam, à quibus dicunt pixidem nauticam trahi, sunt imaginarii, tum quia illi montes non reperiuntur, tum quia multis aliis in locis reperiuntur montes magnetum feraces, vt in Magnesia, in Æthiopia, in Ilua insula, qui tamen ad se non rapiunt pixidem, tum quia non est credibile montes illos, si qui forent, ad tanta locorum spacia posse agere, & multo minus credibile posse agere vltra æquatorem, nam per obliquam lineam agerent, quod est contra rationem agentis naturalis; vel asserendum esset, virtutem illorum montium magnam terræ portionem penetrare, quod est incredibile: Attamen pixis illa etiam vltra æquatorem, quantumcunque accedas ad polum antarcticum, stabiliter respicit Septentrionem vt constat ex nauigationibus.

Ex quibus conficitur, referendum hoc esse in partem aliquam cœli immobilis, nouem gradibus à polo mundi dissitam, quæ sua vi acum magneticam semper ad se trahit.

Dices primo, nullum corpus mouere, nisi motum, ex Aristotele, at cœlum Empyreum non mouetur, ergo.

Respond, maiorem esse falsam, vt patet in Magnete, qui immotus ferrum trahit, nisi intelligatur & explicetur secundum quorundam opinionem, nihil mouere, nisi actu, & vi potestate, vel potius nihil mouet, nisi motum id est

id est nihil agit, nisi accepta ab alio agendi potestate.

Dices secundo. Cœlum Empyreum constitutum esse à Deo, vt sit sedes & habitatio beatorum, ergo non influere in hæc inferiora.

Respondeo, Constitutum fuisse propter vtrunque, alias non fore partem vniuersi.

Dices tertio, partes cœli Empyrei sunt eiusdem rationis, ergo eandem habent virtutem, atque adeo non magis vna pars ad se trahet, quam altera. Antecedens probatur, primo, quia in aliis cœlis eæ partes, quæ astra non sunt, ab omnibus constituuntur eiusdem speciei, secundo. Quia si essent partes diuersæ rationis, essent discontinuæ, quod non est probabile.

Respond. nego antecedens, sicuti enim in aliis cœlis sunt astra, quæ sunt diuersæ rationis, ab aliis cœli partibus, ita fit credibile, in illo cœlo esse etiam partes diuersæ rationis, & à posteriori, ex effectibus fit probabile. *Ad* priorem probationem antecedentis respondeo, in aliis cœlis omnes cœli partes, quæ astra non sunt, constitui eiusdem rationis, quia neque à priori, neque à posteriori, ex effectibus vlla diuersitas colligitur. Ad alteram respondeo nihil nos cogere, dicere, omnes partes illius cœli esse continuas, sicuti & in cœlis aliis astra diximus non esse continua.

DVBIVM VI.

Vtrum virtute Cœlorum aliqua animalia produci possint?

NOn petimus hic vtrum cœlum, tanquam causa vniuersalis, ad dispositionem & generationem illorum concurrat, de ea enim re *supra disputat. 4. dub. 1. concl. 2.* egimus Sed petimus, an cœlum, tanquam causa partialis, possit se solo aliqua animalia producere.

Dico primo, *A*nimalia imperfecta virtute cœlorum produci. Ita plerique doctores.

Probatur, nulla alia potest assignari causa efficiens, præter cœlum, quæ formam introducant, si quando animalia ex putri materia gignantur, nam ad Deum recurrere in omnibus hisce generationibus, videtur parum Philosophicum, ergo cœlum id efficiet. Sic credibile est, in mari multa generari, accedente astrorum tepore, cum humor & calor sint qualitates ad generationem accommodatæ. Ita anguillæ, teste *A*ristotele ex putrilagine generantur, ostreæ teste Plinio: Sic ranæ in stagnis putrescentibus, sic tineæ, teredines, blattæ, in vestibus, lignis, chartis, sic mures, limaces, cochleæ, pulices, sic ex fimo bubulo fuci, vespæ, ex cadaueribus boum apes, ex iumentis crabrones, scarabæi, ex carnibus cancri mortui scorpius, ex herbis corruptis vermes, ex tritico corrupto curculliones, ex aëris madore erucæ, formicæ locustæ, cicadæ Sunt qui ex medulla spinæ humanæ serpentem nasci dicant. Horum omnium generationes, cum nullam aliam causam habeant, in cœlum referri debent. Vbi consequenter asserendum, cœlum vt causam principalem, & æquiuocam, esse nobiliorem hisce effectis, vt *supra* diximus, non vt alii, esse tantum instrumentum, vel rei, vel intelligentiæ, neque enim ab intelligentia aliud recipit, quam motum, per quem duntaxat haberet astra, vt passis diuersimode applicentur, non autem virtus aliqua iis imprimatur, neque à Deo alia virtus, quasi seminaria, vt vult Durandus, ad generandum est cœlis impressa, præter naturales ipsius proprietates, & virtutes actiuas, quibus hæc inferiora alterant.

Petes, an hæc animalia ex putri materia genita, sint eiusdem speciei, cum aliis, quæ animalium semine sunt progenita.

Respond. esse, tum quia proprietates & accidentia sunt in iis eadem, color, figura, magnitudo, appetitus, &c. Neque verum est, quod obiiciunt, huiusmodi animalia non generare, ranæ enim & mures sic genitæ generant, vt patet experientia. Id autem, quod adferunt ex historia animalium Aristotelis, probent, hæc animalia non generare, vel falsum est vel hunc habet sensum, quædam esse quæ ex Sola putri materia gignuntur, non autem ex semine, quod verum credimus. Adde etsi fateremur, eiusmodi animalia ex putri materia genita, ob naturam debiliorem non posse generare, si tamen cætera omnia sint eadem, non ob id sunt censenda diuersæ speciei, alias homines steriles essent dicendi alterius speciei, ab aliis qui sunt fœcundi.

Dico secundo. Perfecta animalia non possunt à solo cœlo produci.

Probatur. Quia nunquam visum est in huiusmodi animali, quod non esset productum ab alio simili, equus verbi gratia, sine equo, Leo sine Leone. Huius rei ratio sumitur ex perfectione naturæ, ad formam introducendam, ad quam non sufficit quæuis primarum qualitatum permissio, ac temperamentum, sed etiam virtus seminaria, quæ fœtum efformet, & organis debitis instruat. Ad imperfecta vero animalia, sufficit virtus vniuersalis causæ, quæ sufficienter modificatur, & determinatur ad hoc potius animal producendũ, quam aliud, à materia hoc, vel illo modo affecta. Fuerunt tamen vt fabulas Poetarum omittam, etiam inter Philosophos aliqui, vt Auicenna, & Plato, qui putarunt ex terra & putri materia huiusmodi animalia, etiam hominem ipsum posse generari, hoc argumento maxime permoti, quod in insulis à terra remotissimis, homines & bestiæ habitent, quo peruenire non potuerunt. Quomodo, homines eo peruenire potuerint, alias diximus, de bestiis, maxime feris, maior est difficultas, quomodo eo fuerint delatæ. S. Augustinus *lib. 16. de Ciuitat. Dei cap. 7.* dicit, vel angelorum ministerio eo delatas, vel hominum, qui eas cicurauerant.

Obiic. Contra secundam conclusionem, primo Vitulum Auicennæ, quem ipse refert in nubibus genitum, in terras inter imbres decidisse. Secundo, equas in Lusitania Zephyri afflatu concipere, vt produnt authores Plinius & Solinus. Idem de Vulture alii asserunt, vt D. Ambrosius. Tertio Phœnicem auem vnicam non generari ex semine, sed vel ex cruore, quem sese vellicando educit, vel ex cinere demortui, vel ex putrefacta parentis carne. Quarto Barnaclas Hiberniæ, siue Anates, qui ex lignis putridis ad mare iacentibus, vel ex ipsismet nauium malis magno numero generantur, vt testantur Cardanus, Münsterus, Saxo Grammaticus, Æneas Siluius, Gesnerus, & alii, qui viderunt. Hisce addi posset, si verum est, quod quidam dicunt, in eadem Hibernia, arborem esse, ex qua aues intra fructus arboris corticis prognatæ, erumpunt, cuius ego ramum vidi cum aniculis, quasi nucleo inclusa, nisi is fuerit suppositius.

Ad primum dico, inprimis fabulam esse dubiam. Deinde esto sit verum, non tamen in nubibus genitum, sed vel Dæmonis opera eo delatum, vel magna ventorum vi, ac deinde in terras ruisse.

Ad secundum dico, nec illud esse verum, authores vero illos secutos esse rumorem vulgi, qui eas credidit vento concipere, quod Zephyro flante facilius concipiunt.

Ad tertium, de Phœnice ad huc ambigi: sit ne Phœnix, nec ne, cum nullus author reperiatur, qui dicat eam se vidisse. Si alicubi sit, nego eum esse Solitarium, nec sine commixtione maris & fœminæ generari, fabulosaque deinde esse, quæ de eius ortu passim feruntur, vt satis etiam indicant diuersæ de illius ortu sententiæ.

Ad quartum dico, Barnaclas istas Hiberniæ esse animalia imperfecta, cœlique Virtute genita. Idem dico de aliis istis auiculis, intra arborum nucleos inclusis, sicubi existant tales, arbore materiam subministrante, & suo modo disponente, vt actionem cœli recipiant ad huius animalis productionem. Nisi quis malit ab arbore eas generari, vt causa particulari, dicatque consequenter, non omnem arborem esse quouis animali imperfectiorem.

DVBIVM VII.

De Astronomancia.

Quid Astrologi per astra prædicere possint, quid non?

QVidam Astronomi ita delirarunt, in hac materia, vt putarint ex signis cœlestibus potuisse præuideri vniuersale diluuium, Christi incarnationem, passionem, omnia denique quæ à Prophetis veteris legis, ac Sibyllis sunt prodita, sed hæc sententia, tanquam impia, blasphema, hæretica ab omnibus exploditur, cæterisque etiam astrologis sanioris mentis. Cum enim hæc vnius Dei voluntate, atque opera perfecta sint, cœlum autem mere naturale sit, neque illorum potuit esse causa, neque signum, & hoc sentire, est Deum fato alligare, ac necessi-

necessitati cœlorum subiicere.

Dico primo. Astrologi possunt prænoscere & prædicere certo nonnullos particulares euentus suæ artis, qui ex certa ac determinata motus astrorum lege necessario proueniunt, præcise tamen & exacte ea prædicere moraliter est impossibile.

Prior pars probatur primo, quia quæ habent determinatam causam in rerum natura, possunt cognita causa prænosci, hæc, quæ ex determinatis astrorum motibus necessario proueniunt, sunt talia. Ergo.

Probatur secundo, Ex experientia, illos diu prædicere Eclipses, quatuor anni tempestates, coniunctiones, oppositiones Planetarum, eorundem stationes, retrogradationes, astrorum ortus & occasus, &c. Quæ omnia facile est prænosse, & certo præsignificare cognita singulorum motuum in cœlis periodo.

Nota tamen, intelligendum hoc esse, si Deus non mutet rerum ordinem, quem si immutet, etiam in prædictionibus erit error, vt contigit in statu Solis tempore Iosue, retrocessione Solis per 10. lineas tempore Ezechiæ regis, Eclipsi Solis tempore passionis Christi.

Posterior conclusionis pars, esse (scilicet) moraliter impossibile ea exacte cognoscere, ita nimirum, vt assignetur præcisum tempus, quo illa contingent, probatur, tum quia difficillimum est, posse exacte omnes omnium motuum periodos, cum adhuc inter se, in iis assignandis, non satis conueniant Astronomi, & in dies propter apparentias nouas noua debeant comminisci, ex quorum non satis exacta cognitione factum, vt æquinoctia & solstitia locis suis paulatim exturbata fuerint, & tandem 10. diebus retrocesserint, tum quia moraliter est impossibile fabricare instrumenta Astronomica, ita exacte, vt nec in minimo sit error vel illis ita vti, vt vtendo non erres, tum quia sicubi supputatione est opus in supputando facile errari potest, vt certe dictum sit à Propheta Iob cap. 38 Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra.

Addo experientia compertum esse etiam in his euentibus assignandis sæpissime Astrologos inter se dissidere, & in tempore præciso Eclipsium verbi gratia, vel earum magnitudine assignanda, manifeste errare. Ergo moraliter est impossibile illa exacte scire.

Dico secundo, Astrologi non possunt certo prænosse certos effectus qui ab Astris fiunt in mundo sublunari, exceptis paululis, illuminatione scilicet, æstu maris & similibus quæ determinatam habent causam in cœlis, probabiliter tamen multos alios prænosse & prædicere posse.

Prior pars probatur, primo, quia impossibile est certo omnium astrorum virtutes & influentias nosse, maxime cum in firmamento videantur esse plurimæ stellæ, paruæ quæ raro apparent, quæ etiam suam virtutem exercent in hoc mundo sublunari, quarum tamen rationem nullam habent Astronomi, ac proinde non potest sciri, vtrum vnius astri virtus, quam non satis cognitam habemus, non sit superatura & impeditura alterius virtutem, vt verbi gratia, licet constellatio Leonis calores excitet, & probabiliter eos productura videatur, possunt tamen aliorum astrorum occultæ virtutes id impedire maiore sua actiuitate.

Deinde etiamsi omnium astrorum cognitæ essent virtutes, difficile tamen esset omnes simul componere & considerare quid singula astra in tali situ constituta possint efficere, & quæ aliorum virtutem superatura.

Quod probatur, quia omnis Astronomorum cognitio ab experientia procedit, atqui non habent illam experientiam quid astra possint in tali situ & virtute illorum hoc modo attemperata, nam astra nunquam omnia inter se eundem habent situm, vt fatentur Astrologi, neque habitura nisi post multa annorum millia.

Probatur secundo. Non possunt scire quid & quantum possit efficere sua virtute cœlum Empyreum, cum tamen probabile sit, suas etiam in hunc mundum habere influentias, vt probatum dubio quinto. Item adhuc dubium est, an partes cœli quæ non sunt astra, aliquid in hunc mundum influant.

Probatur tertio. Quia omnes fere isti effectus qui in hoc mundo sublunari fiunt, pendent tantum à cœlo, vel tanquam à causa partiali, eaque indeterminata & vniuersali, ita vt simul ab alia causa inferiore partialiter in genere causæ efficientis pendeant, vel saltem in genere causæ efficientis, etiamsi à cœlo tanquam à causa totali pendeant, pendent tamen ab ea tanquam à causa ex se indeterminata quæ determinetur à materia eiusque dispositionibus, vel quæ possit impediri ab aliis causis sublunaribus, ergo hos omnes effectus non possunt certo prænosse ex solis astris, nã vbi effectus à multis causis pendet, non potest cognosci à causa, nisi omnes causæ cognoscantur cum non adæquate contineatur in vna causa, cognoscere autem præter astra omnes causas, & quid cœlum cum quauis causa influens possit esse impossibile. Deinde cum cœlum sit causa vniuersalis & indeterminata, impossibile est cognoscere quid causa indeterminata producet, nisi cognoscatur quid sit illud quod influxum ipsius determinabit, verbi gratia, in omnium viuentium perfectorum generatione non potest cognosci quid ab astris producetur, quia in iis astra per se sola nihil possunt, & ex se sunt causæ indeterminatæ & vniuersales, requiruntque aliarum causarum partialium concursum, quæ astrorum influxum determinent. In viuentium imperfectorum & mineralium productionibus debet cœlum determinari à dispositionibus partialibus, materiæ quas inuenit in attractione vaporum & exhalationum per calorem Solis, sicuti oppositis nubibus, ventis, & frigore ab aliis astris inducto, Sol potest impediri, ita non possunt illi effectus certo prænosci, multo minus pluuiæ, tempestates, ventus, grandines, serenitates, &c. tum quia ignoratur an vapores sint eleuandi, tum quia materia ad pluuias, grandines creandas idonea potest alio à ventis propelli, serenitas nubibus aliunde aduectis turbari, &c.

Probatur quarto, Experimur Astrologos sæpe numero in iis prædicẽdis falli & inter se esse contrarios, vnde Picus Mirandula *libro secundo, contra Astrologos capite 9.* ait se positis ante oculos decretis Astrologorum ex diebus 130. quos diligenti obseruatione notarat, non plus sex aut septem tales vidisse, idque temere, quales in eorum libris futuros legerat.

Altera conclusionis pars probatur, posse scilicet Astrologos nonnullos effectus probabiliter, prædicere verbi gratia, pluuias, grandines, ventos, tempestates, serenitates, æstus, gelu, tonitrua, fulgura, terræ motus, morbos, pestes, sterilitatem, annonæ caritatem, fertilitatem, tempora idonea incisioni arborum, venarum sectiones, agrorum hortorumue cultus.

Probatur, quia norunt probabiliter quid Sol in tali signo constitutus, facere solet, quid plantæ talem vel talem inter se habentes aspectum ex nimio calore ac siccitate fruges arescere, hinc oriri sterilitatem, ex sterilitate annonæ caritatem, ex humiditate nimia caloreque coniunctis corrumpi aërem, ex aëre corrupto nasci pestilentiam & morbos, &c. Quæ omnia fere longa experientia didicerunt.

Dico tertio Multos esse effectus casuales & fortuitos, qui nullo modo possunt præuideri in cœlis, verbi gratia, cadit tegula ex tecto, & hominem transeuntem lædit, vel inuenit quis thesaurum fortuito.

Probatur, quia cœlum est causa necessaria hi vero effectus sunt contingentes, neque vllo modo continentur in cœlis, ergo nullo modo possunt ex iis præuideri.

Dico quarto, non modo temerarium esse sed & impium velle prædicere ex astris hominis actiones liberas, eaque quæ ex iis aliquo modo dependent.

Probatur, quia cœli nullo modo sunt harum actionum causæ, neque in ipsis continentur, & hoc asserere esset hominem alligare fato ac necessitati, eumque libertate sua spoliare, ac consequenter omne peccatum, omnem virtutem, omne meritum & demeritum tollere, quod est impium & nefarium.

Hinc Astrologorum iudiciariorum doctrina omni lege diuina ecclesiastica humana condemnatur. Diuina *Deut.* 18. *Esa.* 44 *&* 47. *Ier.* 10.

Ecclesiæ vero extant plurima & seuerissima decreta in secunda parte Decret. causa 26. per 5. priores quæstiones, & in Concil. Braccar. 1. *capite nono & decimo*, & *Tolet.* 1. quæ decreta etiam Xistus 5. Imp. innouauit.

Præter

Prǽter vix ferè vllius Patrum fuit qui non longissimas disputationes contra hos Astrologos iudiciarios texuerint. Humanis legibus condemnantur in Codice Iust. *lib.* 9. *tit.* 18. *de malef. & Mathem.* Contra hos item fusè scripserunt Picus Mirand. *in suis contra Astrologos libris.* Pererius *tom.* 1. *in Gen. lib.* 2. Martinus del Rio *lib.* 4. *suæ Magiæ c.* 3.

Confirmatur hæc 1. quia passim Scriptura soli Deo cognitionem futurorum tribuit. *Esa.* 41. Annunciate ea quæ sunt ventura in futurum, & sciemus quia Dii estis vos. *Ecclesiast.* cap. 8. Homo ignorat præterita & futura nullo scire potest nuntio.

Confirmatur 2. quia Theologi communiter futurorum liberorum ac contingentium cognitionem Angelis adimunt, ergo multo minus homo illa poterit nosse.

Confirmatur 3. quia non obstantibus quibuslibet astris aut inclinatione ab illis accepta homo excipitur, se liberum esse & arbitrio suo vtramuis partem posse eligere, atque adeo omnes prædictiones Astrologorum irritas posse efficere, adde nullo modo directe cœlos inclinare voluntatem sed tantum indirecte & valde remote, cui inclinationi homo tum libertate sua, tum maxime exercitio virtutum resistere potest, iuxta illud: Sapiens dominabitur astris.

Confirmatur 4. quia suos illos euentus prędicunt ex eo quod aliquis Planeta sit sub alio signo, verbi gratia ariete vel geminis primi mobilis, sed etiamnum dubium est an sit supra firmamentum aliquod primum mobile, & licet sit, in eo tamen nulla sunt apertæ signa, cum nullæ sint in eo stellæ, sed Astrologi hoc imaginantur, vt sese in motibus cœlestium corporum recte apprehendendis aliisque tradendis iuuent, ergo etiam omnes euentus quos ex tali situ accidere fabulantur sunt pura puta figmenta.

Confirmatur 5. quia ipsi considerant tantum Planetarum situs in hisce prædicendis, cum tamen reliqua astra fixa non minori vi videantur pollere. Adde & in firmamento plura esse astra quæ rarius apparent, quorum Astronomi nullam habent rationem.

Confirmatur 6. quia experientia constat illos in his sæpissime falli, & si semel casu verum dicant, centies mentiri.

Prædicere mores, fata ac formam hominis nascentis, primo quia hoc esset tollere libertatem hominis. 2. quia neque cœlum est causa illorum, vt probatum est, neque signum, vt paulo post ostendam. 3. quia si quid prædici posset ex astris, potius habenda esset ratio conceptus quam natiuitatis, vt ait Ptolomæus, & ingenue fatetur Hali, *in lib.* quem inscripsit *de electionibus*, Astrologos ad horam natiuitatis confugisse, quia horam conceptus ignorabant. 4. sequeretur, omnes qui simul nascuntur habituros idem fatum, eandem fortunam, similibus fore moribus, & contra qui eandem habent fortunam, vt qui in eodem bello moriuntur simul fuisse natos, cum tamen certum sit diuersis natos temporibus, & experientia doceat, homines simul natos diuersissimas habuisse fortunas & mores dissimiles, vt sæpe exploratum in gemellis, quorum vnus mas, alter fœmina, vnus ingeniosus alter stupidus, vnus felix in rebus gerendis, alter infelix, vnus bonus, alter malus, vt S. Scriptura notat in Iacob & Esau. Et Cicero *l.* 2. *de Diuini.* in Proclo & Euristhene Lacedæmoniorum regibus.

Respōdent Astronomi illud exiguum tempus quod interiacet inter vnius natiuitatem & alterius magnum momentum habere. Sed illud commentum clare refutat S. Gregorius *Hom.* 10. *super Euangelium* Nam inquit, alias dicendum esset, vnum & eundem hominem secundum diuersas sui partes non habere idem fatum, & nasci sub diuersis constellationibus, cum non totus homo simul nascatur, & sic pedes sua propria habebunt fata, genua sua, item brachia, collum, caput, &c. 5. quidquid somnient Astrologi est impossibile vt veram constellationem illam quę in momento ortus est exacte cognitam habeant, tum quia necdum illis satis cogniti omnes astrorum motus, tum quia homo, vt dictum est, non totus simul nascitur, sic vt diuersa constellatio diuersis partibus respondeat, nisi forte dicant, eundem hominem secundum caput fore piscatorem, secundum brachia regem, secundum pedes mendicum; tum quia vel Astrologus erit præsens in alicuius ortu, vel absens, si absens, impossibile erit explicari ipsi indiuisibilem temporis moram, quo puer editus fuit, & sic non poterit elicere veram constellationem, si præsens vel edetur tantum computatione, & tunc facile decipitur ab ho-

ab horologiis, neque vero fieri potest vt horologium non discordet vel momento à motu solis, vel cum constellationem volet elicere per instrumentum, & tunc etiam non poterit nosse veram constellationem, quia interea dum instrumentum arripit, & quæ sit constellatio explorat illa citissime elabitur.

2. Infero non posse per astra vel alia simili via prænosci, tali anno fore bellum, illum ducem potiturum victoria, talem fore regem vel Pontificem, hoc enim ab Electorum voluntate pendet. Vnde male faciunt, qui ex S. Petri porta Romæ conantur explorare, quis sit futurus summus Pontifex.

3. Non posse prædicere, quando, aut quo genere mortis sit quis periturus, cum etiam hoc sæpe pendeat ab hominum arbitrio, & tempus illud euentu aliquo casuali vel ab homine possit anticipari. Ita Ioanni Galeasconi Insubrum Duci Astrologus quidam mortem florentibus annis prædixerat, sibi vero ipsi longam vitam; hominis stoliditatem irridens princeps suspendio eum necari iussit, sicque vanam illius reddidit prædictionem.

4. Astrologos ne quidem præterita occulta posse ex Astris cognoscere, sed si quid huiusmodi rescissant ex pacto cum Dæmone id cognitum habent. Vnde male faciunt, qui ab Astrologis sciscitantur, quis furtum fecerit, vel quid simile.

5. Similiter male faciunt, qui sciscitantur suam fortunam ab iis qui chiromantiæ seu lineamentis manuum scire se profitentur.

Petes primo, an Astrologi non possint cognoscere alicuius cognitionem & ex cognita complexione probabiliter præsagire quibus ipse sit futurus moribus.

Resp. ne quidem posse hoc Astronomos vt Astronomos, siue non posse cognoscere alicuius complexionem per astra; alias oporteret omnes, qui simul nascuntur esse eiusdem complexionis, quod est falsissimum Ex quo apparet, astra neque esse signa complexionis neque causas, nam licet ad complexionem astra etiam concurrant, ex multis tamen aliis illa præterea dependet, vt à parentibus & conditione seminis ac materiæ ab alimento quod à matre trahunt, &c. possunt tamen aliunde, vt Medici, ex variis signis complexionem alicuius nosse, vt quod sit cholericus, sanguineus, &c. & ex inde coniicere probabiliter hominem fore iracundum, hilarem, vel voluptatibus deditum, &c. non tamen in partiali determinatas aliquas actiones. Dixi probabiliter, quia huiusmodi coniecturæ sæpe fallunt, cum vitiosas naturæ propensiones possit quis exercitio virtutum mitigare, & is qui propensam habeat ad virtutem naturam posset per occasiones & libertatem suam deprauare.

Petes secundo quare, licet astra non sint causæ horum euentuum liberorum saltim dici non possint signa illorum ac veluti characteres in cœlis positi, in quibus legatur, quid futurum sit. Ita quidam Astrologi, vt suam mitigent sententiam, & confirmatur ex *Gen.* 1. *cap.* vbi de astris dicitur: Et sint in signa & tempora, &c. Item ex *Esa.* 34 vbi dicitur: Complicabuntur sicut liber cœli, Ergo cœlum, inquiunt, liber est, in quo illi euentus cognosci possunt.

Resp. Non id posse dici, tum quia omnes qui simul nascerentur deberent idem facere quia astra idem signarent, tum quia illa signa vel sunt ita certa, vt non possint fieri falsa, & sic tollunt hominis libertatem, vel possunt esse falsa, & relinquunt homini suam libertatem, & sic sunt deceptoria, tum quia si astra essent signa, essent signa naturalia, quod autem naturale est, potest esse signum alicuius effectus contingentis & liberi. Adde, omne signum naturale vel esse causam alterius, quod ipsi non concedunt, vel effectum illius quod hic est impossibile, neque concedunt, vel esse effectus, ita vt ab eadem causa eodem mod[o] manet, ob idque sese mutuo vindicare possi[t] q; etiam dici non potest. Ad illud *Gen.* 1. dic[o] non significari ibi astra esse signa futuroru[m] contingentium, aut futurorum, sed tantu[m] esse signa prognostica pluuiæ, tempestatis, [se]renitatis, &c. quæ tempora sunt agricolis a[d] serendum commoda, Medicis ad medendu[m] Nautis ad nauigandum. Ad alterum ex *Esa* dico, non dici cœlum esse librum, aut [e]sse quasi librum, sed complicatum iri qu[asi] esset liber. Quod in die iudicii, cum cœli d[is]soluentur, fiet. ficuti enim cum libri An[ti]quorum seu Volumina in Cylindriforma essent conuoluta, nullæ literæ apparebat Ita cœlum quod Scriptura dicit extensu[m]

qu

quasi pellem omnibus astris euanescentibus & amplius non apparentibus in die iudicii videbitur quasi complicatum.

Petes 3. quid de Cometis sentiendum an per illos futura recte coniici possint?

Respond. Ex illis posse præsagire grauem aliquam calamitatem, in partiali tamen vix sciri posse quid portendant, nisi quod communius obseruatum sit, huiusmodi cometas sequi grauem pestilentiam propter aeris corruptionem, cætera ab hominis arbitrio pendentia per Planetas prænosci non posse. Et licet Deus per huiusmodi signa interdum præmonstret calamitatem aliquam ab hominibus inferendam, tamen quid significent, nobis est ignotum.

Obiic. 1. contra quartam conclusionem Astrologi *Iudic. cap. 5.* dicitur de cœlo dimicatum est contra eos stellæ manentes in ordine & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt: Ergo astra sunt aliquando causa malorum euentuum.

Resp. per stellas ibi intelligi Angelos, sicut *Apocal.* 12.

Obiiciunt 2. obseruatum est ab Astrologis eos qui nascuatur sub Capricorno reges fieri, qui sub Aquario piscatores, sub Mercurio Mercatores, sub Marte bellicosos, &c.

Respond. Hæc esse Astrologorum figmenta, quis vero credat, omnes reges nasci sub Capricorno, aut omnes qui sub Capricorno nascuntur fieri reges, & sane puto longe plures esse piscatores in mundo quam reges, non tamen pauciores nasci sub Capricorno quam sub Aquario.

Obiiciunt 3. Certum esse Astrologorum prædictionibus euentus respondisse?

Respond. Cum multa prædicant, non esse mirum si interdum veritatem attingant, sicuti cæcum etiam scopum attingere casu nihil vetat, & maxime vbi è duobus alterum necesse est verum esse, verbi gratia, aliquem hoc facturum vel non facturum, victoriam consecuturum vel non, &c. Et si mendacia illorum velimus cum veris prædictionibus conferre, mille facile mendacia vni veræ prædictioni opponi posse. Nota itaque Astrologos licet raro, verum tamen attingere vel casu, vt dixi, vel occulto instinctu diuino, quod Deus facit ob bonum aliquem finem, tamen propter consulentium peccata, eorumque vt curiositatem puniat, permittit Deus vt maiorem illis fidem habeant, quam par sit, & superstitionibus implicentur, vel denique Dæmonis utuntur Astrologi familiaritate.

Petes, an & quomodo Dæmon possit futura scire & ea certo prædicere?

Respond. In iis quæ dependent ab hominis arbitrio, nihil certo posse sciri ac prædicere, vnde in huiusmodi prædicendis Dæmon errat sæpissime, & non nisi casu veritatem attingit; quod cum probe olim id sciret oracula & responsa sua reddebat ambigua, & perplexa, vt dubium esset quid vellet: Nota tamen homines difficulter sua consilia ita tegere, vt nullo motu verbo, signo ea exterius demonstret, saltem apud se & parietes intra priuatos, Diabolus autem cum sit maxime perspicax, & diuturnam habeat rerum experientiam, facile ex minimo motu colligit, quid consilii in hominum animis lateat, & ita valde probabiliter enuntiat quid futurum sit. Cui accedit, quod ipsemet ad id quod prædicit vel prædixit homines possit per suggestiones inducere. Ita cum Porphyrius, vt de se ipse tradit, vellet se interimere, cognitum id à Plotonio, non ex astris, vt fabulatur Porphyrius, sed Diaboli reuelatione.

DISPVTATIO V.

De Elementis.

HActenus de cœlo virtuteq; ipsius actiua, nunc de reliquis corporibus simplicibus ac elementis dicendum.

DVBIVM I.

Quid sit Elementum?

ELementum in genere definit Aristoteles 5. *Metaph. c. 3.* Elementum, inquit, dicitur id, ex quo quippiam componitur primo, ita vt insit indiuisibileq; specie sit in aliam formam. Sic literæ sunt Elementa vocum, definitiones, passiones subiecta sunt Elemēta Demonstratio-

ſtrorum, & id omne, ex quo vnumquodque primo componitur, & in quod poſtremo reſoluitur. Ex qua definitione patet, quæ conditiones requirantur, vt aliquid cenſeatur alicuius rei Elementum primo, vt ſit quid minimum, vt *ibidem* Ariſtoteles. 2. vt ſit quid ſimplex, & indiuiſibile in ſpecie diuerſa 3. vt ſit id ex quo aliquid fiat. 4 vt actu & virtute inſit ei rei cuius eſt Elementum. 5. vt ſit in compoſitione primum. 6. vt ſit in reſolutione poſtremum. Ex quibus conditionibus manifeſtum eſt, cauſam efficientem & finalem nullo modo eſſe Elementa, cum rei ſint extrinſecæ. Item nec heterogenea cum reſoluantur in homogenea. Aliam Elementi definitionem tradit Ariſtoteles 1. *de cœlo cap*. 8. Elementum eſt id in quod cætera diuiduntur, cum poteſtate inſit, vel reipſa, ipſum autem, in ea ſpecie differunt, diuidi non poteſt. Quæ definitio etiam generalis eſt, & omnium rerum Elementis communis, niſi pro genere definiti conſtituatur corpus ſimplex, & conſequenter in definitione pro ea quæ ſpecie differunt, intelligantur corpora ſpecie differentia, quibus partibus materia & forma excludetur, neque vero materia vel forma eſt corpus, & licet corpus ſimplex in materiam & formam ſit reſolubile, non tamen in illa reſoluitur tanquam in corpora ſpecie diuerſa, vt indicat definitio.

Petes primo, an vnum Elementum non ſit Elementum verum alterius, cum inſit poteſtate, habet enim materiam primam, ratione cuius eſt in potentia, ad formam alterius Elementi, & in illud reſolui poteſt ac generari?

Reſpond. vnum Elementum non eſſe verum alterius Elementum, alias id verum cuius eſſet Elementum, iam non eſſet Elementum, neque obeſt, quod materia prima vnius ſit in potentia ad formam alterius, ſic enim omnia etiam mixta reſpectu Elementorum eſſent dicenda Elementa: poteſtate igitur hic ineſſe non eſt ineſſe ſecundum potentiam materiæ, ſed ſecundum qualitates Elementorum quæ remanent in mixto.

Petes ſecundo. An virtutes motiuæ vel qualitates primæ ſint formæ ſpecificæ Elementorum?

Reſpond. non eſſe primo, quia ſunt accidentia, vt patet in mixtis, in quibus hæ qualitates ſunt accidentia. 2. formæ non ſunt per ſe 1. ſenſibiles, hæ autem ſunt ſenſibiles. 3. quia non vna illarum tantum poteſt eſſe forma, cum eadem ſpecie in alio Elemento reperiatur, non omnes ſimul, quia forma ſpecifica eſt vna. Neque obſtat, quod virtutes motiuæ videantur eſſe principium motus, non vero ſunt primum principium motus, poteſt autem qualitas aliqua eſſe immediatum & proximum principium motus.

DVBIVM II.

Quot ſint Elementa?

Elementa non eſſe infinita probat Ariſtoteles *lib*. 3. *de cœlo cap*. 4. & 2. *de generat. t*. 35 ex qualitatibus primis, motibus ac locis Elementorum, quæ numero ſunt finita. Item non eſſe vnum tantum Elementum 3. *de cœlo cap*. 5.

Dico igitur: Elementa ſunt quatuor.

Probat 1. Ariſtoteles, quia 4. ſunt qualitates motiuæ: grauitas & leuitas ſimpliciter grauitas & leuitas ſecundum quid.

2. Quia quatuor ſunt motus recti ſimplices à medio ad medium, & vterque vel ſimpliciter, vel ſecundum quid. Sed hæ duæ rationes parum ponderis habent, niſi ratione locorum ad quæ dicunt ordinem.

Leuitas vero ignis & aeris mea ſententia non diſtinguuntur ſpecie, ſicuti nec grauitas terræ & aquæ, vt infra Similiter nec motus aeris & ignis ſurſum ex locis tamen ad quæ tendunt cum ipſis naturaliter debeantur, probabiliter colligimus diuerſitatem Elementorum ſpecificam.

3. Quatuor ſunt primæ qualitates; calor frigus, humiditas, & ſiccitas, & quatuor duntaxat fieri poſſunt earum combinationes vtiles; Calidi cum ſicco in igne, Humidi cum calido in aere, Frigidi cum Humido in aqua Sicci cum Frigido in terra.

Qualitates autem contrariæ non poſſunt copulari niſi in gradibus remiſſis, in vnoquoque autem Elemento eſt vna qualitas in ſummo, cum in gradibus remiſſis omnes poſſint coniungi.

Confirmatur, quia quatuor ſunt humores in corpore humano ſingulis Elementis reſpondentes, quatuor complexiones 14. anni temp

tempora, Ver, Æstas; Autumnus, Hyems, 4. hominis ætates, Pueritia Adolescentia, Virilis ætas, senectus, quæ omnia secundum qualitates suas 4. respondent Elementis.

Dices, posse fieri plures combinationes primarum qualitatum vt summi caloris, & humiditatis temperatæ, summæ humiditatis & temperati frigoris, summi frigoris & temperatæ siccitatis, summæ siccitatis & temperati caloris, quæ combinationes non reperiuntur in 4. Elementis.

Respond. Illas combinationes non differre à præcedentibus, nisi intentione & remissione earundem speciе qualitatum, negamus autem plures quam 4. posse fieri combinationes, ita vt in quaque combinatione sit aliqua diuersa specie qualitas, forte non est etiam improbabile, remissas Elementorum qualitates esse permixtas contrario, & sic omnes illæ combinationes reperirentur.

Nota Cardanum *lib. 1. de varietate rerum cap. 3. & 1. de subtilitate*, tria tantum ponere Elementa, aerem, aquam, terram, negare esse Elementum ignis, & omnia quidem Elementa natura esse frigida, id est inquit, calore priuata. Nam frigus vult esse puram priuationem caloris, distingui vero Elementa inter se, quod terra sit sicca & concreta, aqua liquida, aer liquidissimus. Sed hæc 1. repugnant communi sententiæ & doctrinæ Aristotelicæ, quę statuit ignem supra aerem. 2. falsum est frigus esse puram priuationem neque enim priuatio est actiua, cum experimento habeamus cognitum, frigus esse actiuum. 3. Si non detur Elementum ignis, cur ignis sursum semper euolet, nisi vt ad proprium feratur. 4. Secundum illum, Elementa nullam habent inter se contrarietatem & pugnam, quomodo ergo fit Elementorum mixtio.

Dices 1. Si ibi esset Elementum ignis colluceret & videretur à nobis.

Respond. Hic collucere ignem, quia est in materia densiore, ibi non collucere neque videri à nobis, quia habet materiam valde raram.

Dices 2. Si esset ibi Elementum ignis, totum aerem ac mundum adureret.

Respond. ignem in loco naturali non esse tam actiuum, sicuti est in his inferioribus, vbi circumstant Elementa contraria, & vbi occupat materiam densiorem.

Dices 3. Videmus flammas è sublimi decidere, & alias in subterraneis specubus consistere, nec sursum ferri, ergo non est locus naturalis ignis supra aerem, cum naturaliter nihil recedat à loco suo naturali.

Respond. ideo flammas deorsum labi, quia materiæ graui ac terræ adhærescunt, ob eamque causam in locis subterraneam consistere.

Dices 4. Aristoteles *lib. 1. Meteor. cap. 4.* dicit iuxta cœlum Lunæ non esse ignem. Ergo nusquam est.

Respond. non negare ibi simpliciter esse ignem, sed negare esse talem qualis hic est, tam actiuum scilicet, & in materia æque densa.

Petes 1. quomodo possit ignis supra aerem esse, cum ibi non habeat pabulum, ignis vero nisi alatur, & continue materia subministretur consumitur ac perit.

Respond. in his inferioribus non posse seruari, nisi continue foueatur, noua subministrata materia propter contraria circumstantia, quæ continue ignem destruunt, in loco vero naturali non indiget alimento, tum, quia absunt contraria, & multitudine se contra actiones externas tuetur.

Petes 2. An detur purum aliquod Elementum?

Respond. Si per purum intelligamus quod secundum substantiam non sit mixtum, omnia Elementa esse pura, neque enim in se sunt mixta, & licet aer vapores, & exhalationes sibi permisceat, aqua similiter multis vaporibus & humoribus terrestribus & crassis impleatur, quo fit vt mare sit salsum, superiori etiam terræ parti multæ aliæ substantiæ immisceantur, non est tamen hæc mistio substantialis, per quod vnum aliquod fiat, sed manent res plures solumq; accidentia mixtione permixta, sicuti cum plura aromata permiscentur; Si vero per purum Elementum intelligimus purum ab omni qualitate extranea, dico omnia Elementa ea parte, qua alteri coniunguntur Elemento, habere permixtionem aliquam qualitatum, vt ignis qua parte aerem ambit, aer qua parte ignem contingit aut inferiora Elementa, aqua similiter & terra, qua parte vel se vel aerem contingunt. Addo etiam Elementum aeris & aquæ, itemque superiorem partem terræ recipere peregrinas easque varias qualitates à cœlo. Quia tamen

purus ignis à qualitatibus peregrinis iuxta concauum lunæ & pura terra versus centrum retrogrediendo detur, vix dubitari potest & forte etiam alicubi purus aer & aqua pura.

DVBIVM III.

Quod Elementum sit nobilius?

Dico breuiter, Ignem elementum esse nobilissimum.

Probatur, quia Elementi alicuius dignitas ex formæ præstantia sumitur, ignis autem præstantiorem reliquis formam habet, Ergo. Minor probatur, quia licet formarum nobilitas nobis in se sit incognita, à posteriore tamen aliunde nobis cognita esse potest: Formam igitur ignis cæteris Elementorum formis præstare ex tribus maxime colligitur, 1. ex præstantissima proprietate, calor vero quem habet ignis in summo est inter qualitates primas præstantissimus, vt patet etiam in viuentibus, in quibus licet quatuor primæ qualitates requiruntur, vt vita ipsis integra seruetur, calori tamen præcipue vita tribuitur, & cor, à quo vitæ principium, & calidum: Spiritus item vitales & animales sunt calidi. 2. Ex maiori actiuitate, quam ex calore habet, siccitati coniuncto, calor vero inter primas qualitates est maxime actiuus, maxime si sit in summo, & si siccitas adiungatur caloris partibus, ab illa velut acuitur & excitatur, quo fit vt præstantissima sit etiam illa combinatio qualitatum, quam habet ignis. Cum itaque Elementa sint constituta ad agendum & patiendum, vt per reciprocam actionem generentur, iuxta illud Elementum præstabit, quod maximam, inter Elementa obtinet vim agendi. 3. Præstantia ignis, formæque ipsius colligi potest ex loco ignis, cum enim supremum inter Elementa locum obtineat, reliquaque amplexu suo contineat, erit ignis, eiusque forma nobilissima, deinde aer, post hunc aqua, ac denique terra. Argumenta quæ contra hanc conclusionem afferri possint, facile soluuntur, vt, quod 1. obiiciunt de vtilitate vel potius necessitate terræ, aquæ, aeris ad hominum, animaliumque vitam ac ac sustentationem, respondetur hoc esse naturæ ipsorum extrinsecum, ac proinde ex eo non bene argui intrinsecam dignitatem. Addo & ignem esse homini valde necessarium, non quidem vt in eo habitet, coque alatur, sed vt calorem vitalem foueat. Deinde et si nihil aliud esset ignis, est homini necessarius, vt sit cum ad eius mixtionem per sua qualitates concurrat, imo præcipua in homine qualitas est calor vitalis. 2. quod ignis pabulo indigeat, neque per se ipsum foueri possit, Dico & habet esse extrinsecum, deinde & ignem in loco suo naturali non egere eiusmodi pabulo. Adde non esse illud quod plura requirit ad suum esse altero esse inferius, sic vero homo multis rebus esset inferior. 3. ignem omnia vorare ac destruere, respondeo ex hoc argumento non colligi ignem minus præstare reliquis, sed nimiam eius actiuitatem debuisse retundi ac reprimi, à contrariis scilicet circumstantibus. 4. in igne nullum animal viuere, cum in terra, aqua, aere plurima reperiantur animalia, dico & hoc esse extrinsecum cum ipsis Elementis. Adde & quædam animalia dici viuere in igne, neque extra illum viuere posse. Idem multi crediderunt de Salamandra, sed verius est in igne positam diu quidem frigore suo obsistere ignis calori postmodum tamen vinci à calore ignis & emori. Nec mirum est, non plura animalia in igne viuere, quia cum sit maxima ignis actiuitas, facile temperies illa quæ viuenti est necessaria, vehementi ignis actione corrumpitur.

DVBIVM IV.

An Elementa aliquam habeant inter se proportionem?

Existimarunt Elementa nonnulli habere inter se decuplam proportionem in magnitudine, prout mutuo sibi cohærent, & vnum nobilitate aliud superat ita vt terra sit minimum Elementum, aquæ decuplo plus sit quam terræ aeris decuplo plus quam aquæ ignis decuplo plus quam aeris, ita vt totum aggregatum ex omnibus Elementis simul sumptis vsque ad concauum lunæ ipsorum sententia contineat terræ magnitudinem millies centies vndecies. Id autem vt sentirent moti fuerunt vno loco Aristotelis, qui est 2. *de generat. c. 6.* vbi indicat, quam proportionem habet pars vnius Elemẽti ad partem alterius, quæ ex ea fit, eandem habere totum Elementum ad totum. Igitur cum ex vno pugillo terræ de-

ræ decem aquæ fiant, & ex vno aquæ decem aeris, vt ibi afferit Aristoteles, sequeretur & eandem proportionem decuplam inter ipsa Elementa debere constitui.

Sed dico: nullam esse talem inter Elementa proportionem.

Probatur 1. quia manifeste id falsum apparet in terra & aqua; quæ cum vnum globum efficiant, neque terræ aqua emineat, sed potius contra, & tantum fere sit terræ detectæ ab aquis, quantum tectæ, in profunditate tamen maximum est discrimen, nam terra secundum supputationem Ptolomæi quem secuti sumus in sphæra à superficie sua vsque ad centrum, habeat leucas nostrates 1193. & $\frac{2}{11}$ Mare autem vbi maxime profundum est vix leucam excedit, vti Nautæ periti Bolide explorarunt, imo communiter vix leucę nostratis quadrantem habet. Ex quo patet longe plus esse terræ quam aquæ. Quin aer plus quam decuplo aquam superet, dubium non est, cum aer communi sententia Astronomorum ad 17, vel 18, leucas porrigatur, vti ex Cometis colligunt, quos tam alte à terra eleuatos inueniunt. Cum igitur & plures decuplo in profunditate leucas obtineat quam aqua, & in maiores circulos porrigatur, erit longe plus quam decuplo aeris quam aqua. Quam vero proportionem habeat ad terram aer, & vtrum Elementum magnitudine excedat, difficulter statui potest, eo quod nesciatur quam alte aer porrigatur, & vbi incipiat sphæra ignis, communiter tamen aerem faciunt Astronomi longe minorem, eo quod aerem tantum extendant vsque ad 17. vel 18 leucas, quia non altius Cometæ eleuantur: Ignem vero communiter cæteris omnibus Elementis simul sumptis longe maiorem faciunt, vt quam tricies quinquies millies maiorem terra faciant.

Probatur 2. quia posita decupla hac proportione sequeretur totum aggregatum ex Elementis continere tantum magnitudinem terres 1111. &c. At vero Astronomi reperiunt totum illud aggregatum esse longe maius, nam secundum ipsos à centro terræ ad lunæ concauum quo porrigitur ignis sunt terræ semidiametri 33. Cum autem sphæræ habeant triplicatam proportionem semidiametrorũ, vel quod idem est diametrorum siue proportionem quam habet cubus ad cubum, sequetur accipiẽdo triplicatam proportionem horum diametrorum vnius ad 33. continebit magnitudo omnium Elementorũ simul magnitudinem terrę 35. millies, nongenties, trigesies septies, vt in istis potest cerni numeris, 1. 33. 1089. 35000. 937. At vero illorum sentẽtia, qui ponunt omnia Elementa simul tantum continere terræ magnitudinẽ millies, centies, vndecies, sequeretur à centro terræ vsq; ad Lunę concauum tantũ esse terræ semidiametros 11. Ad locum illum Aristotelis, quem alii prose afferunt, respondeo, non velle Aristotelis eam Elementa habere inter se proportionem, quã habet pugillus aquæ ad 10. aeris ex illo pugillo aquæ genitas, sed habitura eam proportionem, si vnum Elementum totũ conuerteretur in aliud Elementum, v. g. tota terra in aquam, decuplo superaret aqua illa magnitudinẽ totius terræ, et si lata aqua conuerteretur in aerem, occuparet materia illa sub forma aeris decuplo plus spatii quam antea occupabat sub forma aquæ, & sic deinceps.

Dices: Videtur ornatus vniuersi exigere, vt quo partes mobiliores sunt, eo amplitudine vel multitudine alias partes ignobiliores superent, ita cœli amplitudine & mole lõge hęc inferiora superent. Ita Theologi colligunt Angelorum numerum longo interuallo superare numerum rerum corporalium.

Resp. contrarium facere ad bonum vniuersi eiusdẽ ornatum, quãdoquidem homo & animantia, multaq; alia mixta magis ad ornatũ vniuersi faciunt, quã aquæ multitudo superinfusa vniuersæ terræ, quia igitur si aqua ita terram superaret, necessario deberet totã terram contegere, & habitationem homini animantibusq; adimere, fuisset contra bonum & ornatũ vniuersi si aqua terram superasset. Aer vero aquã superat, & ignis aerem, an aer terrã superet, incertum est vt dixi. Addo, nõ semper id q̃ præstantius est superare vel magnitudine vel multitudine alia imperfectiora, neq; enim homo maior est Elephante, existimo vno anno colligi grana plura tritici q̃ sint homines in mundo; nõ est igitur necesse, vt quoduis Elementũ aut corpus superius aut nobilius alterum magnitudine vincat, sed sufficit, vt secundum superficiem conuexam corpus inferius contentum superet, idque adhuc nisi aliud bonum vniuersi exigat.

DVBIVM V.

Quot ſint Qualitates motiuæ in Elementis ſpecie differentes?

PLerique fere omnes Philoſophi, exceptis pauculis, cenſent, quatuor eſſe qualitates motiuas ſpecie differentes in Elementis, & leuitatem aeris differre ſpecie à leuitate ignis, itemque grauitatem aquæ à grauitate terræ, genere tantum conuenire. Sed contrarium videtur verius.

Itaque dico 2. tantum eſſe qualitates motiuas ſpecie differentes, grauitatem & leuitatem, & quidem leuitatem aeris & ignis, similiter grauitatem aquę & terræ differre vt 2. qualitatęs eiuſdem ſpeciei, quarum vna ſit intenſio altera remiſſio. Falſum itaque, quod alii aſſerunt, vtriuſque Elementi grauitatem & leuitatem eſſe ſummam.

Probatur 1. quia comparamus & componimus grauitatem terræ cum grauitate aquæ, vt videamus, vtra præponderet, & dicimus, terram eſſe grauiorem, aquam vero eſſe leuiorem, ſeu minus grauem, vel vt Ariſtoteles ait, eſſe tantum grauem comparatiue, ſicuti & aerem tantum eſſe leuem dicit comparatiue non ſimpliciter, ergo ille exceſſus grauitatis & leuitatis in diuerſis Elementis eſt ſecundum magis & minus, atque adeo in vtroque Elemento eſt eiuſdem ſpeciei qualitas.

Probatur 2. vtraque granitas & vtraque leuitas eandem habet notionem & rationem eſſentialem, vt patet ex conceptibus noſtris, alias vero ſi ratione ſubiecti virtutes illæ diſtinguendæ ſunt, ſpecie etiam reliqua accidentia quæ in illis reperiuntur & in aliis rebus diuerſis ſpecie, debebunt ſpecie diſtingui.

Probatur 3. Si aqua & terra ex edito loco decidant pari modo deorſum feruntur, & vtraque vſque ad centrum decideret, ſi eſſet foramen, niſi quod terra quia maiori grauitate polleret, velocius ferretur Ergo eadem eſt ſpecie, grauitas intenſior tamen in vno Elemento, & remiſſior in altero.

Probatur 4 Leuitas aeris tam contrariatur grauitati terræ quam leuitas ignis, Ergo, ſunt eiuſdem ſpeciei: Nam duo diuerſa ſpecie non poſſunt vni & eidem contrariari.

Probatur 5. Vtraque leuitas ex iiſdem cauſis & principiis oritur, ex calore nimirum & raritate, ſimiliter & vtraque grauitas ex frigore & denſitate. Ergo eſt eadem in vtroque Elemento ſpecie, niſi quod quia calor & raritas aeris minor eſt quam ignis, ideo etiam eius leuitas ignis leuitati cedit, ſimiliter & grauitas aquæ grauitati terræ.

Probatur 6. Cum ſolis calore aliquid calefit ac rareſcit, peto quæ leuitas inducitur, aeris ne an ignis, neque enim maior videtur ratio, cur vnam potius leuitatem inducat ſo[l] quam aliam, Ergo fictitium eſt dicere iſtas leuitates ſpecie diſtingui.

Probatur 7. Quia cum ex aere fit ignis, & paulatim materia rareſcit deberet dici leuitatem aeris corrumpi, & de nouo introduci leuitatem ignis, quod videtur fictitium, deinde peto, ſi ita eſt, vel illa leuitas paulatim inducitur cum diſpoſitionibus ante introductionem formæ ignis, vel in ipſa introductio[n]e formæ. Non prius, quia quamdiu non eſt introducta vltima diſpoſitio ad formam ignis, manet aer, & conſequenter reſerua[t] ſuam leuitatem atque adeo ille aer rarefactu[s] haberet duas leuitates diuerſæ ſpeciei, quod videtur abſurdum Deinde non apparet, quomodo vna leuitas aliam expellat leuitatem cum non ſint contrariæ. Non poſterius, quia cum leuitas ignea ſit etiam diſpoſitio ad formam ignis, deberet ante introduci, & non conſequi ipſam introductionem formæ. Deinde ſecundum illos inducitur leuitas ignea cum inducitur calor exſiccans ſiue coniunctus ſiccitati, ſed toto illo tempore quo inducuntur diſpoſitiones ad formam ignis, inducitur calor coniunctus ſiccitati. Ergo & tunc inducitur leuitas ignea, non in ipſa introductione formæ.

Dices 1. Grauitas terræ & aquæ, item leuitas aeris & ignis oriuntur tanquam proprietates ex diſtincta forma Elementorum Ergo, ſunt diuerſæ ſpeciei.

Reſpond. nego antecedens, neque vero iſtæ qualitates motiuæ ſunt propriæ dictæ proprietates, ſed accidentia inſeparabilia, vt patet, cum in mixtis etiam reperiantur.

Dices ſecundo, quatuor ſunt motus recti ſimplices diſtincti ſpecie, vt patet ex Ariſtotele, qui paſſim numerum Elementorum aſtruit ex 4. motibus rectis diſtinctis ſimiliter ex 4. qualitatibus motiuis idem colligit, quæ ratio

ratio nihil concludet, si illæ qualitates non sint specie differentes. Ergo. Confirmatur, quia grauitas terræ aliquo inclinat, quo non inclinat grauitas aquæ, similiter leuitas aëris alio quam non leuitas ignis, Ergo sunt distinctæ.

Resp. Nego antecedens, neque vero ascensus ignis & aëris magis distinguuntur, quam ascensus vnius in superiorem domus contignationem, & ascensus alterius in inferiorem, immo addo, nullos motus locales præcise quatenus tendunt ad diuersa loca ac præsentias locales distingui specie cum termini ipsi, id est, ipsa loca omnia sunt eiusdem speciei. Ad Aristotelem vero dico, nihil aliud velle, quam esse 4 Elementa, quia sunt 4 loca diuersa seu termini motuum Elementorum, in quibus naturaliter quiescant, non autem quia motus ipsi vel virtutes motiuæ in se sint specie diuersæ, vt autem Elementa ad diuersa loca tendant, sufficit maior & minor grauitas aut leuitas. Deinde argumenta Aristotelis quibus hunc numerum Elementorum probat, sunt tantum topica & satis infirma. Ad confirmationem dico, vtriusque Elementi grauitatem deorsum inclinare versus centrum, & leuitatem vtriusque sursum, per accidens tamen non fertur aqua vsque ad centrum, neque aër vsque ad Lunæ concauum, quia illa reperit sub se corpus grauius, aër vero leuius. Nota vero hæc media Elementa non ita habere determinata loca, quin possint vlterius ferri naturaliter, si non impedirentur vt aqua deorsum vsque ad ipsum terræ centrum ferretur naturaliter, si nihil impediret. Idem de aëre sentio, si scilicet ignis se moueret altius, ascenderet in locum ignis naturaliter, licet contrarium sentiat Aristoteles. Itaque aquæ grauitas inclinat deorsum quamdiu sub se non inuenit corpus grauius vel æque graue, & aër sursum, quamdiu non inuenit corpus supra se leuius.

Dices tertio. Aër in igne constitutus vi sua descendit, cum tamen supra aquam ascendat. Ergo est alia in aëre leuitas quam sit in igne.

Resp. hoc argumento nihil aliud concludi, quam esse maiorem leuitatem in igne, quã sit in aere, deinde si leuitas aeris non sit grauitati permixta, vt habet communis opinio, dico, falsum esse quod assumitur in antecedente, nimirum aerem vi sua descendere, dicendum igitur, aerem non descendere vi intrinseca, sed ignem supra aerem ascendere, aerem vero loco propelli, & igni tanquam leuiori cedere, sic & aqua non ascendit proprie cum extra locum, quem occupabat propulsatur à terra, quæ grauior est, sed cedit grauiori.

Petes 1. Cum aqua non sit summe grauis an habeat admixtam leuitatem, & aer aliquam grauitatem, cum non sit summe leuis? Ratio dubii est, quia non videtur qualitas aliqua, quæ habet contrarium, posse esse remissa, nisi per mixtionem contrarii, deinde Aristoteles videtur asserere has qualitates esse permixtas contrario, 4 *lib. de cœlo, capit* 4. vbi dicit, quædam dici grauia & leuia, media nimirum Elementa, quibus vtrumque, grauitas scilicet & leuitas inest, Et c 5. ait, aer & aqua leuitatem habent & pondus.

Resp. 1. non repugnare grauitatem aquæ esse sine admixtione leuitatis, & leuitatem aeris sine admixtione grauitatis. Ad rationem dubii dico ex communi sententia; Elementa habere qualitatem vnam remissam sine admixtione contrarii. Illud autem quod ibi assumitur verum est, cum per actionem contrarii aliqua qualitas remittitur, tunc enim permiscetur qualitas contrario, vt cum frigus aquæ per actionem caloris remittitur, non est autem necesse qualitatem remissam esse contrario permistam, si sine contrarii actione est remissa, sic in nobis generantur habitus initio remissi sine admixtione contrariorum habituum, & Deus eiusmodi interdũ habitus infundit, neque tamen admiscet habitus contrarios.

Respondeo secundo, Videri magis conforme Aristoteli, dicere media Elementa habere grauitatem & leuitatem permixtam; aerem longe plus leuitatis, parum grauitatis, aquam plus grauitatis, minus leuitatis, vt patet ex duobus illis capitibus citatis.

Petes 2. An terra sit summe grauis primo respectu aquæ, cum reperiantur terræ, quæ aquis innatant, vt Audomarenses illæ, & de quibusdam Insulis in aqua fluitantibus mentionem facit Pomponius Mela *lib. 2. ca. 3* Macrobius *Saturnaliorum lib. 1. c. 7.* Plinius *lib. 2. c. 95.* Idem narrat de quibusdam lacubus quorum aquis omnia quantumuis ponderosa supernatant, vti est Asphaltites ille in Iudæa lacus. Deinde cadauera, in quibus terræ Ele-

 mentum.

mentum prædominatur, ſupernatant. Thyrrei item lapidis meminit Plinius *lib.2. ca.103.* qui, quantumuis grandis, aquis innatat. Idem præſtat Scirus lapis, teſte eodem Plinio *lib.36. c.17.* & Iſidoro *lib.16. cap.4.* Lateres coctos in Tuſcia & Iberia ſupernatare ſcribit Strabo li. 17. Deinde ſecundo verum aliorum mixtorum non videtur terra eſſe grauiſſima, nam ferrum, plumbum, aurum, Mercurius ſeu argentum viuum ſunt grauiora quam terra.

Reſpon. terram interElementa eſſe ſumme grauem, & aquam grauitate ſuperare, ad illud de terris ſupernatantibus dico, non eſſe terras puras, ſed eſſe ceſpites plenos herbarum, virgultorum aut arundinum radicibus, ob idque ſupernatare, vt manifeſtum eſt in terris illis Audomarenſibus, ſimiliter authores illi, qui Inſulas illas fluctuantes aſſignant, dicũt, fuiſſe plenas virgultis aut arundinibus, quæ vi ſua ac radicum ſuarum terras illas ſuper aquas ſuſtentare. Galenus dicit, eas Inſulas, quæ ſupernatant, conſtare terra aluminoſa, ob idq; ſupernatare, vel potius dicẽdum eſſet aquam eſſe aluminoſam. Ad illud de Aſphaltite & aliis lacubus, quibus omnia ſupernatant, dico, illos plenos eſſe bitumine, aliaue materia terreſtri ſimili, quo fit, vt homines, equos camelos facile ſuſtentent, nam in genere omnis aqua, quæ habet multum terreæ materiæ admixtum, grauior eſt, & difficilius patitur res immergi, ob eam cauſam in mari quia ſalſum eſt, multaſque exhalationes terreſtres admixtas habet, facilius natatur, quam in aqua dulci & in aqua turbida & limoſa quam limpida, ouum quod in aqua dulci fundum petit, in ſalſa ſupernatat. Non tamen exiſtimo vi huiuſmodi materiæ terreæ iſtos lacus potuiſſe ſuſtinere grauiora, ferri aut plumbi pondera, ſiqui id potuerint alia vi occulta id fecerunt. Ad illud de cadaueribus dico, primis diebus ſecerni terream materiam remanenti ſubtiliori parte aeria, quæ deinde cadauer ad ſuperiorem aquæ partem propellit. Ad illud, de lapidibus ſupernatantibus, dico lapides illos fuiſſe ſpongioſos, aereque plenos, ob idq; ſupernataſſe, quod patet, nam lapides illi comminuti, vt idem ait Plinius, iam excuſſo aere, ſubſidunt. Lateres etiam cocti interdum ſupernatant, ſi è fungoſa aut alia ſimili terra ſint facti. Adde, neque repugnare lapides aliquos habere intra ſe plus aeriæ leuitatis, ac propterea ſupernatare, ſicuti contra inuenitur lignum Ebenum ſc. & lignũ Aloes, quod, quia plus habet terreę grauitatis in aqua ſubſidit. Ad aliud vero, quod obiiciebatur de mixtis, dico 1. nos tantum aſſerere, terram eſſe inter Elementa ſumme grauem, non videtur autem improbabile mixta quædam eſſe grauiora quam ſit terra, quia non videtur improbabile poſſe eſſe materiam alibi magis denſam & compactam, quam ſit terra, & ita veriſimile eſt, fieri in iſtis mineralibus. Dico 2. mixta illa eſſe grauiora terra noſtra, quæ non eſt ſincera & pura, ſed permixta aliis rebus, probabile vero eſſe, terram puram, qualis eſt ea quæ iuxta centrum eſt, eſſe grauiorem etiã iſtis mineralibus.

DVBIVM VI.

An Elementa habeant grauitatem & leuitatem, ſeu an grauitent & leuitent in propriis locis?

NOn eſt dubium quin habeãt grauitatem & leuitatem in actu primo ſiue qualitatẽ illam per quam ſi extra loca naturalia ponantur continuo ad illa mouebũtur, ſed dubium eſt, an ibi habeant grauitatem & leuitatem in actu 2. ſiue an illam exerceant actu grauitãdo vel leuitando, ac impulſum aliquem tribuẽndo. Tota difficultas hæc oritur ex Ariſt. qui 4. *de Cœlo c.5.* dicit, media Elementa in locis ſuis naturalibus grauitare etiam ipſum aerem, & *c.4.* dicit, terra, omniaque quæ maxime terrena ſunt vbique neceſſario pondus habeant, aqua autem vbique præterquam in terra, aer vero præterquam in terra & aqua, ſuo enim in loco, inquit, grauitatem habent omnia, præter ignem, ex quibus etiam c.5. concludit, aerẽ quidẽ naturaliter deſcendere ſi inferiora corpora ſubtrahantur, ſi vero ignis ſubtrahatur, non niſi violente ferri ad locum ignis. His nõ obſtantibus dico: Nulla Elementa in propriis locis grauitare aut leuitare.

Probatur 1. quia ſi aer eſſet grauis, nos premeret & degrauaret, illiusque pondus ſentiremus. Item vrinatores dum ſub aqua natant ſentirent aquæ pondus, quod eſt contra experientiam.

Probatur 2. dum hauritur aqua ſitula experimur quamdiu ſitula eſt in aqua nullo negotio ele-

tio eleuari, neque ob aliam causam, quā quia aqua non premit, vbi vero situla aqua emerserit, tum mirum in modum esse grauem.

Probatur 3. qui intelligi potest vt sit grauitatio & actualis impulsus & tamen res quiescat?

Petes; Quid igitur ad Aristotelem?

Dico, in duobus hallucinatum Aristotelem, 1. quod censuerit Elementa grauitare in suis locis, quamuis apparentes aliquas rationes habuerit, quas paulo post soluemus. 2. quod dixerit, aerem grauitare & sane mirum, cum vbique faciat aerem natura sua leuem, & moueri à medio, & ex his motibus toties colligat Elementorum numerum, quod aerem hic grauem faciat, & descensurum naturaliter si subiecta corpora subtrahantur, si vero ignis subtrahatur non nisi violente ascensurum: Ego vero contra sentio naturaliter ascensurum si ignis remoueatur, violente vero descensurum, si inferiora corpora tollantur. Quantum ad inclinationem priuatam attinet, ex communi tamen inclinatione ad impediendum vacuum naturaliter.

Dices 1. Non videtur esse alia ratio cur lignum centum librarum celerius descendat per aerem, quam plumbum vnius libræ, in aqua vero lignum 100. librarum non descendat, plumbum vnius libræ descendat, quam quia lignum multum habet aeris, & aereæ grauitatis, quæ lignum deorsum agit in aere, in aqua sustentat, plumbum vero quia multum habet terreæ grauitatis, in aqua descendit.

Resp. Lignum ideo celerius per aerem descendere quam plumbum, quia extensiue plus habet aquæ & terreæ grauitatis, quam plumbum, extensiua enim illa multitudo facit ad celeriorem motum, nec leuitas aeris quæ est in ligno vllo modo descensum impedit, cum non leuitet in loco suo naturali: in aqua vero plumbum descendit, quia terræ grauitas in eo prædominatur, lignum vero supra aquam retinet leuitas aeria, quæ in eo plurima est & dominatur.

Dices primo. Si quis conetur glebam attollere vel lapidem, ille resistit, similiter, si quis aquam situla hauriat, aqua resistit, hoc autem non esset, nisi grauitaret, non enim resistit grauitas, nisi grauitando. Ergo,

Respond. Non fieri illam resistentiam per grauitationem siue per productionem actualis grauitatis ac impulsus, cum nihil de nouo ibi producat grauitas, nec resistentia illa est actio, sed resistit grauitas tantum non admittendo extrinsecam violentiam, qua auellatur Elementum seu corpus graue loco suo naturali, sic soliditas resistit penetrationi non agendo, sed non admittendo aliud corpus.

Dices tertio. Experientia videtur probare aerem habere grauitatem, nam si quis ex alto loco loquatur, facile auditur ab iis qui inferiori loco sunt, non item contra facile audiri potest is qui inferiori loco loquitur ab eo qui est in superiori, atqui eius rei non potest reddi alia ratio, quam quod aer motus potius deorsum feratur quam sursum. Hinc etiam videtur fieri, vt concionatores suggestum altius petant, vt facilius ab omnibus audiantur.

Resp. 1. Id ob eam causam fieri, quia sonus ab ore egreditur, cum aere crasso & impuro, qui puro aere grauior est, ob idque deorsum fertur.

Respondeo secundo. Non esse hanc experientiam constantem plane, nam potius experimur contrarium in locis conclusis, vt si quis ex inferiori cubiculo loquatur, facilius audiatur ab eo qui est in superiori, quam alterum qui in superiori est exaudiat. Sed id ob eam causam fit, quia aer ille conclusus crassus est & impurus, & forte impurior illo, qui ex ore exsufflatur, ob idque sonus cum aere egrediens potius ascendit quam descendit.

DVBIVM VII.

A quo moueantur Elementa ad sua loca naturalia?

NOta, Nos hic inquirere illius motus causas per accidens, quæ sæpe varie esse possunt, vt v. g. remouens, prohibēs, &c. Duæ hic sunt opiniones, quæ communiter explodūtur, vna est, dicentium, motum fieri à cœli motu rapidissimo, longius à se Elementa.

Elementa proiicientis, eoque longius, quo grauiora sunt, ex quo sequeretur quietem Elementorum in suis locis fore violentam. Altera est dicentium Elementa attrahi à suis locis naturalibus, vti ferrum à Magnete, D Th. cum suis vult à generante moueri, quæ etiam videtur expressa sententia Aristotelis 8. *Phys.* *c.*4. vbi hanc quæstionem toto capite discutit. Et *in* 2. *de Cœlo c.*2 ait, in nullo eorum quæ in anima sunt vnde principium motus proficiscatur cernimus.

Adde illud esse Aristotelis pronunciatum communiter receptum, Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Item illud: Nihil simul potest idem esse in actu & potentia. Ex quo videtur sequi, non posse esse idem mouens, hoc enim est esse in potentia, & esse motum hoc est esse in actu. Scoti & aliorum sententia est moueri à seipsis.

Dico: Grauia & leuia non à generante sed à seipsis media grauitate & leuitate moueri.

Probatur primo, quia ridiculum videtur, hunc motum referre ingenerans quod sæpe non existit, impossibile autem est id quod non existit aliquid Physice efficere, nam si ad agendum requiratur approximatio agentis ad passum, multo magis existentia agentis, & & qui potest esse agens approximatum si non existat? Adde, quamuis existat generans, potest tamen esse loco valde dissitum, & nihilominus terra deorsum & ignis sursum mouebitur.

Probatur secundo, quia experimur ratione ponderis & grauitatis suæ terram deorsum ferri, ignem vi sua sursum, Ergo, neque valet dicere, quod moueantur quidem à grauitate & leuitate, sed ab iis moueri tanquam instrumentis generantis, quia illæ qualitates non sunt generantis sed rei genitæ, & proprietates fluentes ex essentia geniti, Ergo sunt virtutes rei genitæ, atque adeo motu ille debet rei genitæ tribui, cũ actio debeat tribui illi cuius virtute fit, & à quo virtus illa immediate pendet.

Probatur tertio. Solum remouendo prohibens fertur deorsum, ignis sursum, neque aduertitur vllus intrinsecus impulsus, Ergo id asserere videtur fictitium.

Probatur quarto, quia non erit ratio, cur etiam aliæ actiones rei genitæ non tribuantur generanti, vt calefactio ignis igni producenti, illuminatio Solis Deo, Ergo cum calefactio tribuatur igni à quo immediate procedit, & illuminatio Soli non obstante quod virtutem calefaciendi vel illuminandi alio acceperint. Etiam motus grauium ac leuium ipsi graui & leui tribuetur.

Probatur 5. quia si ingenerans debeat referri, debebit interdum motus iste referri in cœlum, verbi gratia, cum ignis Solis lumine productus mouetur sursum, imo interdum hunc motum referri oportebit in Elementa opposita seu habentia qualitatem motiuam oppositam, verbi gratia, teste Aristotele, ex duobus Elementis asymbolis potest generari tertium, verbi gratia, ignis ex aere & terra. Igitur cum ignis ille genitus sursum mouetur eo mouetur à terra, & virtute terræ, quod nullo modo dici potest, similiter si Deus ignem produxerit dicetur ignis ille moueri sursum virtute Dei.

Ad Aristotelem vero dico, nos assentiri ei in re Aristoteli, quod grauia & leuia non moueantur more animantium, quæ mouent se etiam cum sunt in statu naturali perfecto possunt remouere prohibens, possunt ferri secundum varias positionum differentias sursum, deorsum, retro, dextrorsum, sinistrorsum, possunt inchoare motum & eundem cum libebit interrumpere, quæ Elementis nõ conueniunt. Si, quando dicat Aristoteles, moueri à generante non intelligendum de vera & Physica causalitate per se, sed impropria ac veluti morali, tum quia vt aliquid agat requiritur, vt sit à sua causa productum, & existat & sic imputatur causæ quod agat, quia ab ea habet conditionem requisitam ad agendum existentiam scilicet, tum quia moraliter seu secundum æstimationem humanam actio et effectus tribuitur causæ, sic pater dicitur viuere & operari per filium. Et hunc fuisse sensum Aristotelis videntur indicare vltima verba *c.*4 *lib* 8 *Phys.* cum ait: Grauia & leuia ab eo, e quo facta sunt, moueri, aut attollente impedimentum, vbi coniungit generans cum remouente, prohibens ob idque censet vtrumque impropriè esse causæ, manifestum est vero remouens prohibens non esse rei causam. Si quid amplius voluit Aristoteles, nos illi nõ assentimur. Adde, alibi Aristotelem asserere Elementa à se moueri, vt 4. *Phys. tixtul.* 86 dicit grau

graue & leue esse actiua lationis, & 8. *Phys.tit.* 32 vbi, licet dicat Elementa non habere principia agendi sed patiendi, præmittit tamen, graue & leue esse dupliciter in potentia, 1. ad actum primum, vt cum aliquid est aer vel ignis in potentia, tunc enim simul est in potẽtia vt habeat motum sursum. 2. vero ad actum & quando aliquid est in potentia ad solum motum, quale est, inquit, aliquid leue, quod impeditur ne sursum feratur, nam, inquit, sublato impedimento agit & ad proprium locum fertur, vbi expresse dicit agere, id est, se mouere sursum.

Dices 1. mouere se ab intrinseco est proprium rerum inanimatarum, estque actio vitalis, Ergo non sunt dicenda grauia & leuia mouere seipsa. Antecedens probatur, quia ita passim ab *Aristotele* & Philosophis distingui solent animata ab inanimatis, quod illa se moueant & operationes immanentes eliciãt, hæc non item.

Respon. proprium esse rerum animatarum mouere se & operari in se ab intrinseco, cum sunt in statu naturali & perfecto, siquidem hoc habent vt se possint vlterius per suas operationes immanentes perficere, quod inanimatis non conuenit, neque enim possunt se mouere in loco naturali constituta, sed tantum eam vim habent, cum sunt extra statum naturalem, vt se ad locum & statum naturalem reducant, si non impediantur; sic etiam aqua si frigore naturali priuetur, habet vim se reducendi ad frigus naturale. Adde multum animata distingui ab inanimatis in modo se mouendi, illa enim motum inchoare possunt & ab eo desistere, vbi & quando volunt, non inanimata, item illa organis quibusdam & instrumentis ad motum vtuntur, per quæ motum efficiant, partibus cæteris se passiue habentibus, ac motum recipientibus, inanimata vero motum secundum omnes partes suas & efficiunt & recipiunt.

Dices 2. Omne quod mouet, debet esse distinctum à mobili Ergo.

Confirmatur, quia etiam in animalibus oportet assignare partem distinctam per se mouentem & partem per se motam.

Resp. Si Propositio illa: Omne quod mouetur ab alio mouetur, ita vniuerse capiatur, vt sonat, non esse veram, indefinite vero sumptam veram esse, vt plurimum & patet in animalibus instantia, quæ se mouent, quæ etiam Aristoteles excepit, neque magis oportet distingui mouens à mobili, quam quoduis agens à passo, patet autem non omne agens distinctum esse re à passo, vt manifestum est in intellectu & voluntate. Ad Confirmationem dico, dum dicunt in animalibus debere distingui partem per se mouentem à parte per se mota, vel intelligunt de parte essentiali vel integrali, si de essentiali, idem dico posse hic dici partem per se mouentem grauia & leuia esse formas ipsorum media qualitate motrice, partem per se motam esse materiã, si de parte integrali loquantur, peto, an pars illa quæ primo mouet seu cor, seu neruus, seu quid aliud sit, moueatur an non. Si prius, ergo datur aliquid quod mouetur à se, & vbi non sit distinguere partem mouentem & motam, nam si aliud assignetur à quo moueatur, iam pars illa non fuerit primum mouens, & abibitur in infinitum, vel tandem veniendum ad partem quæ moueat immota ab alia. Si dicatur posterius, hoc repugnat experientiæ. Addo in Angelo vel anima separata se mouente non posse assignari partem per se mouentem & partem per se motam.

Dices 3. cum Aristotele, non potest idem esse in actu simul & potentia, si grauia & leuia moueantur à se ipsis, erunt simul in actu & potentia, Ergo non possunt à seipsis moueri. Minor probatur, quia mouens est in actu, motum in potentia, cæterum vero vnumquodque mouetur in quantum est in potentia, non potest vero quidquam moueri & tendere ad acquisitionem eius quod habet.

Respon. 1. Si hoc argumentum quidquam concluderet, valeret etiam contra motum viuentium.

Respond. 2. distinguendum esse duplicem actum, vnum formalem, alterum virtualem, habet igitur id quod se moueat actum virtualem, quo se mouere potest, non formalem, id est, acquisitionem termini, non repugnat autem aliquid esse in actu virtuali, tendere vero ad formalem.

Cum igitur res se ad suum locum moueãt, non habent illud vbi, ac quietem naturalem, ad quam tendunt formaliter, sed ad illam sunt in potentia, habent tamen actum virtualem, quia habent virtutem eo se reducendi, ita aqua cum se reducit ad frigus suum naturale,

 non

non habet frigus in actu formali, sed ad illud est in potentia, eo vero caret, habet tamen illud in actu virtuali, in ipsa scilicet forma aquæ, quæ vim habet reducendi aquam ad suum frigus.

Dices 4. Proprietates & perfectiones quæ necessariæ sunt rei, vt constituatur in statu naturali tribuuntur generanti, dicitur generans omnia illa dare, igitur motus deorsum grauium, & motus sursum leuium etiam tribuentur generanti, cum illi sint necessarii vt res constituatur in statu naturali.

Confirmatur 1. quia grauitas illa & leuitas quæ relinquitur in re genita, vere potest dici instrumentum generantis, qua mediante generans illa moueat ad loca naturalia.

Confirmatur 2. quia quicquid tribuit formam & inclinationem ad finem, etiam ad illum sufficientia media debet conferre; sed generans dat formam & inclinationem ad finem, id est, locum naturalem. Ergo dat illi etiam medium, quod est necessarium vt ad illum tendat, id est, motum.

Confirmatur 3. quia licet generans non existat dum res mouetur, hoc tamen non obstat, quo minus res dicatur moueri à generante, patet in simili, nam licet is qui lapidem sursum proiicit desinit esse dum mouetur lapis, nihilominus ei tribuitur motus lapidis, eo quod ipse impulsum impresserit cuius virtute agat.

Resp. 1. Si quid concludat argumentum, vt summum, hoc tantum efficit, proprietates, quę rei insunt ex vi illius productionis saltem consecutiue tribui posse grauitati, non autem, si quid postea à statu naturali deturbetur, eoque per vim intrinsecam quam habet se reducit, tribui debere quantitati.

Respond. 2. etiam proprietates illas, vt sunt grauitates & leuitates vere & immediate fieri & manare à forma genita, ob idque vere ac proprie illi formæ tribui debere, generanti tamen etiam tribui, quamuis non nisi remote, tum quia forma non posset illas in se producere, nisi prius natura acciperet esse à generante, tum quia quod dat radicem rei, censetur etiam dare id quod ex ea radice necessario profluit, tum quia illa proprietatum emanatio fit in eodem instanti, quo res generatur, eoque fit, vt totum videatur dari immediate à generante. Quod si igitur proprietates illæ vere ac proprie loquendo non debeant tribui generanti, sed tantum censeantur dari à generante ob rationes datas, multo minus motus grauium & leuium qui ab illis proprietatibus proficiscitur.

Ad 1. Confirmationem respondeo, vere grauitatem illam ac leuitatem esse & dici debere instrumentum formæ, cum ab illa manet, ab eadem conseruetur, & ab illa tanquam principali causa immediate applicetur ad grauitandum & leuitandum, cum vero non conseruetur à generante, neque ab eodem ad agendum applicetur, nullo modo dici debet instrumentum generantis.

Ad 2. Confirmationem respondeo: Quicquid tribuit formam & inclinationem ad finem, dat ea quæ sunt necessaria ad finem vel formaliter & in se, vel virtualiter & in radice, sic generans dicitur sufficienter dedisse media terræ ad occupandum locum infimum, quia dedit illi formam quæ virtutem habebat producendi in composito grauitatem, & media grauitate motum deorsum. Confirmatur hæc responsio 1. quia licet calor in aqua sit violetus, & illum ab igne acceperit, tamen adhuc aqua dicitur calefacere non ignis, quia ab aqua calor ille sustentatur, non ab igne, Ergo multo magis dicitur grauitare aqua & seipsam mouere, cum media grauitate quam in se habet, ad connaturalem mouetur 2. Vapor qui est naturæ aqueæ cum calefactus & rarefactus ascendit sursum, non potest sursum dici ascendere à generante, cum leuitas non sit illi data à generante, nec vlla sit hic noua facta generatio. Ergo aqua seipso mouetur sursum media leuitate quam in se habet.

Ad 3. Confirmationem respondeo, non esse similem rationem in proiiciendo lapidem, respectu motus lapidis sursum & in generante respectu motus terræ deorsum. Proiiciens enim lapidem immediate imprimit impulsum, neque alia interuenit causa, vnde saltem necesse est, vt ille proiiciens existat in principio motus, generans vero non necessario existit, dum res grauis aut leuis incipit moueri, & intercedunt aliæ causæ à quibus res illa impulsum accipiat, forma scilicet & qualitas motiua, imo addo, licet proiiciens lapidem dicatur lapidem mouere, vere tamen à parte rei post impressum impulsum nihil agit, & potest desinere esse dum lapis mouetur, dicitur tamen mouere

mouere ratione impulsus quem dedit, ad quem necessario sequitur motus. Nam quia aliquid censetur dare, vnde aliud necessario sequitur, censetur totum dare, generans vero licet dederit grauitatem saltem consecutiue, non censetur mouere, quia grauitas illa non est actualis impulsus, neque ea posita necessario sequitur motus, sed tantum est virtus data à generante, vt cum ponetur res grauis, aut leuis extra locum naturalem ipsa se possit reducere ad suum locum media illa virtute.

Petes 1. Cur grauia & leuia in fine motus celerius moueantur?

Respond. Eius rei causam esse aerem diuisum, qui diuisus magna vi iterum coit ac vnit se, ob idque à tergo rem motam propellit, & quo plus aeris à tergo impellit, & minus aeris restat diuidendum, eo celerius mouetur.

Falsum itaque, quod alii dicunt fieri à loco naturali, à quo tanquam à magnete res vicinior fortius attrahatur, si enim id verum esset æquali celeritate decurrent duo lapides vel pilæ æqualis ponderis idem spatium iuxta terram quarum vna ex edita turri descenderet, altera vero ex depressiore loco, quod falsum esse probat experientia, ea enim quæ ex altiori loco descendit longe maiorem dat resultum, hinc patet, si graue aliquod deorsum moueretur in vacuo, non tamen motum iri celerius in fine quam in principio.

Petes 2. A quo moueantur mixta inanimata?

Respon. Solere dici ea moueri ab Elemento prædominante, quod quidem verum est, si bene intelligatur, Elementa enim cum non sint formaliter in mixto tantum possunt dici mouere illud media grauitate aut leuitate relicta permixtioni, sicuti tantum sunt in mixto ratione suarum qualitatum primarum relictarum.

Disputationum in Libros de Cœlo Finis.

BERN-

BERNARDI MORISANI COMMENTARII ET DISPVTATIONES IN LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA.

Doctrina Aristotelis in Libris de Anima.

Tres libri de Anima sequuntur libros Meteororum, nam postquam Aristoteles 8. libris Physic. per communes rationes egisset de corpore mobili seu naturali, & de corpore simplici in libris de Cælo, & de mixto inanimato perfecto in libris de Generatione, denique de imperfecto in libris Meteororum, agit postmodum de corpore animato ac anima quæ talis corporis est forma.

SVMMARIVM LIBRI PRIMI.

Commendat initio scientiam de anima à præstãtia propter obiecti dignitatem & demõstrandi certitudinem, & ad vtilitatem, quia maxime conducit ad cognitionem rerum naturalium. Tum varias quæstiones proponit de Animæ essentia Præcipua est, an aliquis sit animæ affectus proprius, id est, operatio quam exercere possit sine corpore, & sequitur partem negantem, dicens, omnes animæ operationes esse communes etiam corpori, quia intellectio non fit sine corpore vt organo, intelligentem enim inquit necesse est Phantasmata speculari. Ex quo concluditur, secundum Aristotelem, omnem animam esse inseparabilem à corpore, dicit enim non esse separabilem nisi habeat affectionem propriam, sed non habet, Ergo. Alibi tamen satis aperte docet animam rationalem à corpore posse separari, adeoque esse immortalem.

Textu 8 huius cap. habetur celebre illud in materia de vniuersalibus animal commune (vel vt alia versio habet vniuersale) aut nihil est, aut posterius est scilicet suis singularibus, nimirum cognitione, quia ab illis abstrahitur.

Capite 2. recenset varias antiquorum sententias, dicitque omnes essentiam animæ inuestigasse ex motu & cognitione quibus animata ab inanimatis distinguuntur. Hinc factum, vt alii dixerint, animam esse ignem, alii aerem, alii sanguinem, alii alia, in quibus maxime dominari motum & sensum obseruabant.

Capite tertio, redarguit maxime eos qui asserebant animæ per se motum inesse, & probat nullum motum illi conuenire, tum refellit Platonem quod diceret animam esse magnitudinem & moueri circulariter.

Capite 4. reiicit sententias eorum, qui dicebant animam esse harmoniam, & eorum qui dicebant esse numerum. Nõ esse harmoniam probat

bat 4. rationibus, res est euidens, quia anima est principium motus, harmonia non item. Non esse numerum, probat sex rationibus, præcipua est hæc, numerus quauis facta additione vel diminutione, mutat speciem, anima vero ablata aliqua parte, vt abscisso animalis membro non mutat speciem, quod notandum est pro diuisibilitate cuiuscunque, anima excepta rationali. Colligit deinde animam scilicet hominis non impedire, esse aliquid diuinum, & pati non posse, eo quod non marcescat aut senescat per se, sed ratione corporis & organorum quibus vtitur, vnde dicit si senex haberet oculum iuuenis, videret vt iuuenis.

Hoc caput fauet iis, qui volunt Aristotelem agnouisse immortalitatem animæ.

Capite 5. probat animam non esse corpus quoddam subtile, sic enim daretur penetratio corporum, cum anima penetret corpus, quod notandum est contra Nominales in materia de quantitate, qui admittunt penetrationem quantitatiuam accidentium eiusdem subiecti. Resoluit deinde in quolibet composito non esse plures animas sed vnicam tantum, pluribus instructam potentiis, à qua omnes operationes vitales proueniant, ostendit tamen vitam quamlibet non consistere in omnibus omnino operationibus vitalibus, quasi omnes necessariæ sint ad vitam, nam plantæ habent tantum operationes vegetatiuas, nutritionem scilicet, accretionem, & generationem sui similis.

Summa Libri Secundi.

HOc libro fusius agit de substantia animæ in communi, tum in partiali de anima vegetatiua & sensitiua potentiis obiectis, & operationibus singularum. Affert aliquas diuisiones, ex his præcipuæ sunt: Substantia est triplex: alia materia, alia forma, alia compositum Quod notandum pro realitate animæ. Formam vocat actum & profectionem. Tum diuidit actum in primum & secundum. Primus est ipsum esse & substantia principium operationis. Actus secundus est ipsa operatio; tum subiungit animæ definitionem. Anima est actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis. Vltimo repetit, quod præcedente libro dixerat, animam non esse separabilem à corpore: additque incertum esse, an anima sit actus corporis, sicuti nauta nauis, scilicet forma non informans, sed assistens vt volebat Plato.

Capite 2. distinguit viuentia à non viuentibus, & inter viuentia docet conuenire nutritionem, accretionem & generationem, animalibus insuper conuenire sensationem & omnibus quidem competere sensum tactus, qui est vniuersalissimus, similiter & gustum qui est quidam tactus alii verò censent non necessario in omnibus reperiuntur.

Ex operationibus animæ aliam colligit animæ definitionem: Anima est id quo primum viuimus, mouemur & ratiocinamur. Textu 21. insinuat animæ immortalitatem his verbis: Anima aliud genus esse videtur, idque vnum separari potest, quemadmodum id quod sempiternum est ab eo quod interit.

Capite 3. ex variis animæ potentiis constituit 4. gradus animatorum: primus est eorum quæ tamen habent potentias vegetatiuas, vt plantæ. Secundus eorum quæ insuper habent sensitiuam & appetitiuam. 3. eorum quibus præterea inest potentia motiua secundum locum, hæc vero quibusdam animalibus deest, quæ ideo dicuntur Zoophyta siue affixa. 4. eorum quæ insuper habent potentiam intellectiuam, comparat definitionem animæ cum definitione figuræ quantitatis, quod sicut definitio figuræ non est alicuius figuræ distinctæ à partialibus, sed est gradus communis, qui ab omnibus abstrahitur. Comparat deinde animam figuræ, quot sunt figuræ priores potestate saltem continentur in posterioribus vt trigonum in tetragono, sicut etiam in numeris ternarius in quaternario, sic etiam anima vegetatiua potestate est in sensitiua, & vtraque in rationali.

Capite 4. agit de anima vegetatiua eiusque potentiis & obiectis, dicitque actiones esse priores potentiis, & obiecta actionibus, quia scilicet potentiæ per actus, & actus per obiecta definiuntur, & ab iisdem specificantur, tum subiungit quædam de accretione & augmentatione propria libris de generatione.

Capite 5. incipit agere de anima sensitiua, & de sensu in communi, docetque sentire esse quoddam pati, & potentiam sensitiuam reduci ad actum per obiecta, deinde, sensum distingui ab intellectu, quod sensus tantum

tum percipiat singularia, intellectus etiam vniuersalia.

Capite 6 agit de obiecto sensibili communi & proprio, per se & per accidens; sensibile proprium & per se dicitur quod à nullo sensu percipitur, præterquam ab vno cuius est obiectum, & circa quod sensus ille non errat, sic color est obiectum visus, sonus obiectum visus, &c. Sensibile commune & per se dicitur, quod non vno sed pluribus sensibus percipitur, vt sunt figura, motus, quies, magnitudo, numerus Sensibile per accidens est quod percipitur à sensu quatenus coniungitur cum aliis quæ per se sentiuntur, sic substantia est sensibilis ratione accidentium.

Capite 7. agit de visu, sensu nobilissimo, docet obiectum illius esse colorem & lumen, colorem definit motiuum perspicui in esse. Perspicuum definit quod non est visibile per se, sed ratione coloris externi, lumen dicitur actus & perfectio rei perlucidæ, qua ex parte perlucida est. Addit quasdam res splendere noctu, vt sunt squamæ piscium, capita halecum, &c. Deinde vt res videri possit requirit medium pellucidum, & in aliis etiam sensationibus requirit medium interiectum, quia inquit sensibile supra sensum positum non causat sensationem.

Capite 8 agit de auditu & eius obiecto, scilicet sono, dicitque dura edere sonum, mollia, vt sunt lanæ, & spongiæ non ita. Echo dicit esse relationem & reflexionem soni, tum agit de voce animantis, & de modo quo formatur.

Capite 9. agit de olfactu eiusque obiecto scilicet odore, olfactum in homine dicit esse obtusiorem quam in multis brutis, gustum vero esse perfectiorem, quia gustus est quidam tactus, tactus autem in homine est perfectissimus, oritur vero ex temperata complexione, qua excellit homo, quam quia sequitur corporis & carnis mollities, ac proinde debita organorum dispositio, dicitur hic à Peripateticis molles carnes sunt ingeniosæ, duræ non ita.

Capite 10. agit de Gustu, eiusque obiecto, scilicet sapore, quem dicit percipi non posse sine humore, qui si desit in obiecto suppletur à Saliua linguæ, tum explicat saporum differentias & species.

Capite 11. agit de tactu & obiecto tangibili, videtur insinuare esse plures tactus propter plures repugnantias, quas tactu percipimus, organum tactus dicit non esse carnem, sed neruum, carnem vero esse medium, sicut aer est medium ad videndum.

Capite 12. addit quædam communia omnibus sensibus, scilicet sensus percipere sua obiecta sine materia, scilicet per species seu formas intentionales, & sensibile vehemens destruere sensum &c. de quibus in quæstionibus.

Summa Libri Tertii.

Libro 3. agit de sensibus interiotibus, tum de intellectu, vltimo de principio motus progressiuo.

Capite 1. probat tantum esse 5. sensus exteriores, quos vult in omnibus animalibus perfectis reperiri, ac proinde etiam talpis inesse visum, quia habent oculos qui pellicula obducti sunt munimenti causa, ne lædantur à terra: habent autem hunc visum iuxta Albertum, vt dum radios solis pelliculam penetrantes percipiunt, iterum in terram illico sese abdant. Docet deinde organa sensuum maxime constare ex aqua & aere, aer vero prædominatur in auditu, aqua in visu, in odoratu partim aer, partim aqua, quia aer est organum eorum quæ respirando olfaciunt, aqueum quæ non respirant vt sunt pisces, tactui vero & gustui terra attribui potest. Sed non sine aqua, quia cum organum tactus facile debeat penetrari, necessario ei conuenit humor & substantia fluida.

Capite 2 probat præter 5. sensus exteriores dari interiorem qui dicitur sensus communis, experimur vero nos percipere operationes sensuum & differentias omnium sensibilium inter se, id autem non potest oriri ex sensu aliquo externo, Ergo ab interno, qui dicitur communis, quia organa sensuum exteriorum concurrunt in ipsius organum, vnde comparatur centro circuli quod commune quodammodo est omnibus lineis ductis ab ambitu circuli.

Capite 3. distinguit sensum ab intellectu contra Antiquos, quorum error inde ortum habuit, quod animam putarent esse corpoream. Deinde multis ostendit phantasiam seu imaginatiuam non esse sensum externum, neque

que etiam intellectum, illius munus est conseruare species sensu inferiori perceptas.

Capite 4. disputat de intellectu, qui duplex est, scilicet possibilis & agens. Intellectus possibilis est, qui recipit species intelligibiles: Intellectus agens est qui efformat species intelligibiles ex phantasmatibus, & sic facit res actu intelligibiles. De horum inter se distinctione dicemus in disputatione de potentiis rationalibus Inter alias differentias intellectus à sensu affert hanc, quod passio sensus & intellectus ab obiecto sit dissimilis, qui vehemens sensibile destruit sensum, & vehemens intelligibile perficit intellectum. Addit intellectum nostrum esse veluti tabulam rasam, in qua nihil est depictum, cumque depingi receptione specierum intelligibilium.

Capite 5. ostendit necessitatem intellectus agentis, quod sine illius præsidio res non essent actu intelligibiles. Docet intellectum agentem esse separatum à corpore seu non permixtum corpori, quia scilicet nec corpore constat, nec vtitur organo corporeo, quare male Auerroes hinc probat, intellectum agentem seorsim ab homine existere. Deinde dicit esse immortalem impatibilem quia non patitur passione corrumpente Præterea esse actum, quia est facultas actiua destinata efformandis speciebus. Tandem agit de intellectu in actu, qui non est intellectus agens sed passibilis & informatus specie intelligibili & actu operans.

Capite 6. In intellectu in actu distinguit operationem simplicem seu apprehensionem ab operatione composita seu iudicio. Dicit in simplici operatione non esse verum aut falsum, in secunda esse: deinde secundum supponere primam, nō contra Docet apprehensione cognosci simplicia, quæ vocat indiuisibilia occasione cuius diuidit indiuisibile in indiuisibile actu, & indiuisibile potestate, quod scilicet diuidi omnino non potest.

Capite 7. dicit cōmune esse operationibus sensus & intellectus, quod sint quidā motus, quia sunt eductiones potētiæ ad actum. Tum multis agit de intellectu practico & speculatiuo, qui inter se differunt, 1. fine, quia practici finis est operatio, speculatiui vero cognitio veritatis. 2. obiecto, quia practici obiectū est res q̄ à nobis fieri potest, speculatiui vero res quæ non cadit sub nostram potestatem.

Capite 8. docet, animam & intellectum esse quodammodo omnia, non quod res omnes vere sint in intellectu, vt voluit Empedocles, sed quod intellectus potest in se recipere omnium rerum species & imagines, quæ in repræsentando dicuntur res ipsæ, sicuti imago Cæsaris dicitur Cæsar. Addit intellectum in operatione sua dependere à phantasmatibus, ac proinde intelligentem debere speculari phantasmata, si vero homo posset intelligere sine conuersione ad phantasmata, cognitio intellectus non posset impediri infirmitate corporis aut cerebri, aliarumq; partium mala affectione, cuius tamen contrarium patet in Phreneticis.

Capite 9. incipit agere de principio motus progressiui in animalibus, & quærit, quodnam illud sit. Probat non esse potentiam nutritionem, non sensitiuam, &c.

Et Capite 10. sequenti determinat esse imaginationem & appetitum sensitiuum in brutis, in homine vero intellectum practicum cum appetitu sensitiuo vel rationali. Sub intellectu tamen practico etiam comprehendit imaginationem, quæ non minus dirigit hunc motum, quam intellectus. Tum explicat pugnam inter voluntatem & appetitum sensitiuum, quia inde oritur, quod voluntas dirigatur à ratione, quæ non solum considerat bonum vel malum præsens, sed etiam præteritum & futurum. Appetitus autem sensitiuus determinatur à sensu, cui nulla cura est de præterito vel futuro, vnde fit, vt appetitus sensitiuus sæpe desideret quod repudiat voluntas.

Capite 11. ostendit principium motus alicuius reperiri etiam in animalibus imperfectis, vt sunt vermes, & animalia quæ dicuntur affixa conchæ scilicet, ostreæ; his autem non conueuit motus progressiuus, sed dilatationis & contractionis. Dum enim delectabile est præsens, dilatant se, & aperiunt, vt eo fruantur, contrahunt vero vt à noxio præsenti sese conseruent, vnde dicuntur moueri motu indeterminato, quia non feruntur ad certum locum. Vnde est in illis imaginatio tantum imperfecta. Addit hominem non semper moueri secundum appetitum rationalem, licet is possit vincere sensitiuum & rapere secum sicut sphæra cœlestis superior rapit inferiorem.

Capi-

Capite 12. repetit quædam *lib.* 2. explicata de triplici anima.

Capite vltimo probat corpus animalis non esse simplex sed mixtum, quia omni animali inest sensus tactus, qui non potest esse in corpore simplici, nam tactus percipit contrarietatem qualitatum, ad quas percipiendas debet habere potentiam, quæ consistit in quadam temperie primarum qualitatum, hæc autem non est nisi in mixto, ex quo infert qualitates tactiles vehementes destruere ipsum animal non autem sensibilia aliorum sensuum, ratio, quia sublato tactu tollitur animal, non autem sublatis aliis sensibus. Per tonitru igitur præcise non occiditur animal, sed per commotionem aeris coniunctam, neque per odorem præcise, sed per noxium halitum, cui insidet.

(***)

F I N I S.

DISPV-

DISPVTATIONES PHYSICÆ AD LIBROS ARISTOTELIS de Anima.

PHilosophiæ naturalis pars illa, quæ de anima est, cæteris ob insignem varietatem est iucundior, & ob rei, in qua versatur dignitatem, nobilior, maxime qua parte agit de anima rationali, quæ cum sit totius mundi quædam summa, & nexus quidam naturæ corporeæ, & spiritualis, ac diuinæ, vtramque repræsentans superiorem, vt imago, inferiorem, vt exemplar, fit, vt illius cognitio ad omnem aliam Philosophiæ partem sit longe vtilissima, tum etiam ad vitam probe, & ex ratione instituendam plurimum momenti habeat, patefacit enim nobis nosmetipsos, in qua cognitione omnes semper plurimum præsidii posuerunt, vt multi existiment, inscriptionem istam Delphicam, Nosce teipsum, nil aliud voluisse, nisi animæ nostræ naturam & dignitatem intueremur, eaque perspecta plane intelligeremus, non esse caducis & inualidis huius mundi rebus immorandum, sed omni studio conquirenda esse stabilia, cœlestia & æterna.

PROLEGOMENON.

De obiecto librorum de Anima.

DIuus Thomas, Albertus hoc loco, & communiter recentiores volunt, obiectum huius operis non esse corpus animatum, (vt quidam existimant) sed animam in genere. Quæ sententia probatur primo, ex inscriptione, secundo ex Aristotele, initio huius operis, vbi clare insinuat, sibi propositum esse agere de anima, tertio, id est, obiectum alicuius operis, cuius definitio in eo ex professo traditur, & explicatur, sed hic traditur definitio animæ, non vero corporis animati. Ergo quarto, explicantur species animæ, scilicet vegetatiua, sensitiua, & rationalis, & proprietates, scilicet potentiæ, ergo est huius operis obiectum.

Obiic. primo, totale Physicæ totalis est corpus naturale, in genere, ergo obiectum Physicæ partialis erit corpus naturale in specie, scilicet corpus animatum.

Resp. nego consequentiam, sufficit enim, vt Physica partialis agat de præcipua parte obiecti specifici.

Obiic. secundo. Pleræque passiones, quæ hisce libris demonstrantur, insunt corpori animato, vt subiecto, verbi gratia, potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ, earumque operationes, ergo corpus animatum erit obiectum.

Respon. negando consequentiam, quia licet dici possint inesse composito, insunt tamen ratione animæ, quæ est illarum prima radix & origo.

Obiic. tertio. Non datur scientia specialis de formis corporum simplicium, vel aliorum mixtorum, seorsim sumptis, ergo nec de anima.

Respond. negando consequentiam, ratio disparitatis est, quia cæteræ formæ non habent speciales difficultates, quæ indigeant propria tractatione.

Obiic. quarto. Anima rationalis non educitur è potentia materiæ, ergo eius saltem tractatio non pertinet ad Physicam, quę considerat corpoream substantiam, ergo anima in generatione secundum totam latitudinem, non est obiectum.

Respond. nego consequentiam, quia anima rationalis recipitur saltem in materia, & essentialiter dicit ordinem ad corpus materiale, cuius est forma, adeo vt operationes animæ, etiam separatæ, ad considerationem Physicam pertineant, cum fiant ab anima, quæ essentialiter est forma, ac principium motus.

Obiic. quinto, Aristoteles *primo de partibus animalium cap.* 1. ait, non omnem animam, siue mentem pertinere ad considerationem Physicam, idque multis probat: Ergo videtur excludere animam rationalem.

Respond. Aristotelem ibi intelligere, per mentem, intelligentias, seu Angelos à materia omnino separatas, qui sunt formæ assistentes cœlorum, quos mouent, non vero de anima informante.

DISPVTATIO I.

De natura Animæ.

QVÆSTIO I.

Quid sit Anima?

OPiniones antiquorum de natura animæ allatas ab Aristotele 1. *c.* 2. prudens mitto, vt inutiles, illis accedit sententia Galeni *lib.* 3. *de locis affectis*. dicentis, animam esse temperiem quatuor qualitatum.

Respond. anima est actus primus substantialis, corporis organici, potentia vitam habentis. Ita communiter definitur ex Aristotele *secundo de Anima cap.* 1. genus definiti est, actus, siue perfectio, dicitur actus primus, vt excludantur operationes, quæ sunt actus secundi, additur substantialis, vt excludantur potentiæ, quæ sunt actus primi accidentales, respectu operationum suarum dicitur actus corporis organici, id est, instrumentalis, quia anima non respicit corpus simplex, aut mixtum, homogenium, sicuti formæ inanimatæ, ignis, aquæ, lapidis &c. sed heterogenium conflatum scilicet partibus variis distinctis, quæ sunt organa & instrumenta, ad exercenda opera vitalia, vnde per corpus organicum commode hic intelligitur materia prima, instructa formis partialibus, de quibus in disputatione ad libros Physicorum de forma. Qui illas negant, varie se explicant: Illud potentia vitam habentis, videtur explicatio prioris partis, scilicet corporis organici, nam materia per formas partiales distinctas, est in potentia proxima ad animam, quæ est vita prima, siue primum principium vitale. Qui per corpus intelligunt totum compositum viuentis, per vitam volunt indicari vitam secundam, id est, operationes vitales, quia compositum viuens, licet per animam sit constitutum, in actu primo, & esse substantiali viuentis, est tamen in potentia ad actum, secundum scilicet ad opera vitæ primæ, & secundæ. Vide D. Thom. 1. *p. q* 18. *a.* 2. & alios.

Obiic. primo. Anima separata corpore non est actus corporis, ergo definitio animæ non est bona.

Respond negando antecedens, quia licet reipsa corpus non actu & essentialiter, tamen & ex natura sua ad illud ordinatur, vt cum illo vnum per se constituat.

Obiic secundo: Definitio illa videtur accommodari posse Angelo, assumenti corpus, aerem, & in eo comedenti, itineranti, vt in Scriptura legimus de Angelo comite Tobiæ, & tribus Angelis, qui epulati sunt cum Abrahamo, ergo definitio non est propria animæ.

Respond. negando antecedens, quia Angelus non est actus informans tale corpus, & cum eo constituens compositum naturale, sed tantum est actus quidam assistens, & veluti motor potens exercere motum localem,

localem, & aliqua similia operibus vitæ, quæ tamen reuera opera vitæ non sunt.

Obiic. tertio. Si anima sit actus primus, erit imperfectior operationibus, quæ sunt actus secundi, quia actus primus natura sua refertur ad secundum, vt ad finem.

Respond. negando sequelam, quia non omnia, quæ alio ad aliud referuntur, tanquam ad finem sunt sine imperfectiora, vt patet in astris, quæ referuntur ad conseruationem, & propagationem rerum sublunarium, tanquam ad finem, cum tamen sint quid nobilius, actione sua comparatiua, & in supernaturalibus Incarnatio Verbi diuini est propter salutem nostram, quam tamen nobilitate superat.

Peres, an anima non possit esse actus corporis simplicis, vel mixti homogenii.

Respond. negando, ita communiter Philosophi, cum Aristotele, quia ad varietatem illam operationum vitalium nutritionis scilicet accretionis, sensationis, &c. indiget consortio organorum, quæ non possunt reperiri in corpore simplici, aut mixto homogenio. Vnde quod à quibusdam obiicitur, de animis, quæ vitam habent & corpus simplex aereum, vel igneum, vt ex veteribus multi existimarunt, & post illos Caietanus *cap. 4. in Genesin. & Epist. ad Ephesios cap.* 2. Eugubinus *cap.* 8. *de perenni Philosophia*, & alii. Illud inquam facile refellitur, quia certũ est, Angelos omnino esse incorporeos, similiter, & illud, quod adferunt de cœlo, quia certum est non esse animatum anima informante.

Ex dictis colligitur, animam non esse qualitatem, quia nulla est imaginabilis qualitas, quæ potest esse principium tam variarum operationum, quæ notantur in viuentibus, est igitur substantia, quia viuens, vt sic, est substantia perfecta, reliquas omnes excedens, vita siquidem est perfectio simpliciter (vt loquuntur) id est, quæ in vnoquoque est melior ipsa, quam non ipsa, vnde etiam tribuitur Deo, atqui viuens constituitur in esse viuentis, per animam, ergo est substantia; non materia, quia materia in omni generatione præsupponitur, forma vero introducitur de nouo, neque etiam corpus, quia anima insinuat se per totam materiam, vnde si esset corpus, naturaliter daretur penetratio, ergo anima est forma.

QVÆSTIO II.

Quomodo diuidatur Anima?

RESpondeo, communiter diuidi, in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. Ita Aristoteles passim. Vide Toletum *lib.* 2. *de anima quæst.* 6. membra huius diuisionis intelligenda sunt secundum formas Physicas, non secundum gradus Metaphysicos, illi enim sunt alterius loci.

Probatur hæc diuisio, primo à Diuo Thoma *prima parte quæst.* 78. *artic.* 1. quem sequuntur alii, ex triplici eleuatione operationum supra materiam, primo quædam sunt operationes, quæ dicuntur eleuatæ supra materiam, quia fiunt à principio interno, etiam in statu naturali constituto, vt sunt nutritio, accretio, attractio, alimenti, &c. & pro his operationibus ponitur anima vegetatiua; secundo quædam operationes sunt magis eleuatæ, verbi gratia, sensationes, quia versantur non tantum circa obiecta sensibilia, sed etiam circa species, seu similitudines intentionales suorum obiectorum, ita vt fiant sine contactu qualitatis sensibilis, & pro his est anima sensitiua. Tertio operationes, quæ adhuc sunt magis eleuatæ, scilicet intellectiones, quæ versantur circa species intelligibiles, quæ magis sunt abstractæ à materia, quam sensibiles, & pro his est anima rationalis. Aliam rationem adfert Diuus Thomas 1. *p. quæst.* 18. *artic.* 3.

Obiic. 1. Aristoteles *lib.* 2. *cap.* 3. & D. Thom. 1. *p. q* 63 *a.* 1. assignant quatuor gradus viuentium; ergo plura sunt genera animarum, quam tria.

Respond. negando consequentiam, quia animam sensitiuam diuidunt in duos gradus, scilicet in eam, quæ est principium motus progressiui, & aliam, quæ non est principium motus progressiui, idque defectu organorum, qualis reperitur in conchis, quæ vere sunt animalia, & pertinent ad idem antecedens cum cæteris, habent enim sensationem, saltem tactum, qui est vera cognitio sensus, quo oritur delectatio & dolor.

Ex quo ſequitur, contra Philoponum, ea quæ carent motu progreſſiuo, non eſſe media inter plantas, & animalia, nec dici debere plantamina.

Obiic. ſecundo. Plantæ etiam ſentiunt, ergo vegetiua & ſenſitiua non conſtituunt duo genera diſtincta. Antecedens probatur, quia plantæ proſequuntur ſua commoda, & vitant noxia, quæ ſunt ſigna cognitionis ſenſitiuæ; nam cucumeres, verbi gratia, ex partibus terræ vicinis ſicçioribus relictis ſeligunt ſibi magis vliginoſas, in alimentum, oleum vero auerſantur, vitis fugit laurum & braſſicam, & videtur in herba, quæ vulgo dicitur noli me tangere, cuius vaginulæ ſeminibus plenæ, ſi leuiter attingantur, magna vi diſſiliunt.

Reſpond. negando antecedens, quia nullus apparet effectus ſenſus dum læduntur, percutiuntur, deinde in illis non eſt ſomnus, nec vigilia, quæ ſenſum ſequuntur. Ad probationem dico, illa fieri ſine cognitione ſenſitiua, propter naturalem ſympathiam, vel antipathiam. Nam cucumeres, quia ſunt humidi & ſucculenti, amant vliginoſa, & fugiunt oleum, quia calidum & pingue, ac proinde contrarium, vitis fugit laurum, quia nimis calida eſt, braſſicam vero, quia nimis exugit ſuccum: motus illius herbæ à teneritudine oritur partium attactarum.

QVÆSTIO III.

Vtrum forma vegetatiua vere ſit anima?

NEgarunt id Stoici, vt referunt Theodoretus, *lib.* 3. *de curandis affectionibus Græcorum.* & difficultatem parit primo authoritas Diui Auguſtini 7. *de Geneſi ad literam cap.* 16. *&* 17. dicentis, ſi homini tantum ineſſent motus plantarum, non diceretur factus in animam viuentem. Secundo, operationes propriæ animæ vegetatiuæ, vt ſunt nutritio, accretio, attractio alimenti reperiuntur omnium conſenſu in rebus inanimatis, verbi gratia, ignis in igne, qui ſe nutrit, auget, alimentum attrahit, generat alium ignem, ergo non ſunt ſigna, nec effectus animæ.

Reſpond. Forma vegetatiua eſt vere anima. Ita Ariſtoteles hic, & alii. Diuus Dyoniſius *de diuinis nominibus cap 6* Diuus Auguſtinus 3. *de Trinitate cap.* 3. & ſæpe alibi, colligitur ex Scripturis, *Pſalm.* 76. occidit in grandine vineas eorum, ergo vineæ viuunt, cum poſſint occidi. 1. *ad Corinth. cap.* 18. Quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur.

Probatur primo. Quia huiuſmodi forma eſt actus corporis organici, &c. nam in plantis ſunt, partes diſtinctæ, ſcilicet medulla, lignum, cortex, radix, fibræ, venæ, folia, fructus &c. qui apparatus diuerſarum partium inſeruit operibus vitæ.

Probatur ſecundo. Plantis conuenit operatio viuentium, qui generant per transfuſionem propriæ ſubſtantiæ, dum formant in ſe fructus & ſemen, quibus mediantibus generant plantas ſibi ſimiles.

Probatur tertio Conditiones motus, & operationis vitalis, reperiuntur in operibus formæ vegetatiuæ, ergo illa eſt vita prima, & anima. Antecedens probatur, quia fiunt à principio intrinſeco, in proprio loco, idque ad omnes poſitionum differentias, dum creſcunt ſecundum omnem ſui partem. Ad authoritatem Diui Auguſtini reſpondeo, illum ibi ſequi phraſin ſcripturæ, quæ per antonomaſiam vocare ſolet animam humanam viuentem.

Ad ſecundum reſpondeo, negando antecedens nam inanimatis tantum conuenit nutritio, & accretio, metaphorica, nutritio ſiquidem proprie dicta, eſt actio vnitiua ſubſtantiæ, ad ſubſtantiam nutriti, quæ fit ex intenſione naturæ, propter perfectionem nutritur, idque per intrinſecam illius vim attrahentem alimentum, intime intra ſe, vt concoctum, & diſpoſitione heterogenia affectum, in omnes corporis partes debita quadam proportione diſtribuatur, & diſpenſetur, ita vt pars alimenti nobilior cedat partibus corporis nobilioribus, vilior viliori, inanimata vero verſantur circa materiam externam, quæ non recipitur intra ipſa, neque per partes ipſius diſtribuitur, vt patet in igne continente oleum &c.

Ex his patet, certum eſſe formam ſenſitiuam eſſe vere animam, cum etiam ſit principium ſenſationis, quæ eſt cognitio vitalis, vt cla-

vt clare docent organa visus, auditus, &c. Timor quem ex auditu animalia sensu prædita concipiunt, vnde ridiculum est, quod habet author Antoninæ Margaritæ, qui negat bruta sentire.

QVÆSTIO IV.

Vtrum anima rationalis sit forma informans.

PLato *in Alcibiade*, & *alibi* sæpe docet, animam rationalem non esse actum, seu formam informantem, sed assistentem tantum, sicuti nauta est actus nauis quam gubernat, & Angelus orbis cœlestis, quem mouet. Idem docent multi Peripatetici, & probant esse ex mente Aristotelis, ex 8. *Phys. c.4.t.28. & l.2. de anima c.1.t.11.* In eadem sententia fuit Origenes, qui tamen falso nitebatur fundamento, quod putaret animas esse Angelos.

Respon. Anima rationalis est forma informans. Est de fide definitum in Concil. Viennensi, sub Clemẽtina 5. & habetur *in Clementina vnica*, §.2. & in Conc Lateranensi sub Leone 10. *sessione* 10. vide Toletum *libro 2 de anima. quæstion.* 2. Scaligerum *exercitatione* 307. *numero* 29.

Probatur ratione, quia alioqui anima non constitueret vnum per se, cum corpore sicuti nauta cum naui, & Angelus cum orbe, quem mouet.

Probatur secundo. Corpus hominis debet habere aliquam formam totalem, cum qua constituat vnum completum, sed non potest assignari alia, quam anima rationalis, si enim esset irrationalis homo, esset essentialiter brutum, ergo anima rationalis est forma totalis informans.

Probatur tertio. Intellectiones & volitiones sunt actus vitales hominis, ergo proueniunt à principio intrinseco, & forma informante. Consequentia probatur, quia alioquin non denominarent hominem, sicuti cœlum non dicitur intelligere, etiamsi angelus assistens intelligat nec nauis dicitur loqui, aut comedere, etiamsi nauta loquatur, & comedat.

Probatur quarto. Substantia, quæ non dicit ordinem essentialem ad corpus, vt compartem, non dependet ab illo, in suis operationibus, atqui anima dependet à corpore in operationibus etiam illis, quæ consequuntur illam, vt rationalis est, verbi gratia, in risu, fletu, locutione, ergo anima dicit ordinem ad corpus, tanquam ad materiam. Vnde certum est, animam rationalem etiam secundum gradum intellectiuum informare corpus, cum non sint distinctæ entitates, anima, qua rationalis, qua sensitiua, & qua vegetatiua.

Obiic. primo, Anima rationalis est substantia spiritalis, adeoque improportionata materiæ, ergo non potest illam informare

Respondeo negando consequentiam; quia licet sit improportionata, quoad entitatem, habet tamen rationem actus, & materia rationem potentiæ receptiuæ.

Obiic. secundo. Accidens spiritale nequit informare materiam, ergo nec substantia spiritalis.

Respond. dissimulato antecedente, nego consequentiam, ratio diuersitatis, quia substantia spiritalis potest informare, sine dependentia à materia, vt subiecto: res autem spiritalis non videtur posse dependere à materiã, vt subiecto.

Obiic. tertio. Si anima informaret corpus, cum sit nobilissima, & immortalis, informaret nobilissimo modo, scilic. inseparabiliter, atqui non informat hoc modo, ergo non absolute informat.

Respond. negando sequelam maioris, non enim quo forma est nobilior, eo arctius sibi vnit materiam, quia vnio & informatio dependent à dispositionibus corporis, & materiæ, quæ necessariæ sunt, vt anima remaneat vnita, quibus à contrario destructis destruitur vnio animæ cum corpore.

Obiic. quarto. Si anima sit forma corporis: separata à corpore, erit in statu violento, quod videtur inconueniens, maxime in anima beata.

Respond Duplex assignari violentum, primum quod positiue habet formam sibi repugnantem, & sic aqua violente est calida, secundo quod est priuatum suo statu connaturali. Hoc modo anima separata est in statu violento, neque hoc est inconueniens.

Obii. quinto. Si anima sit forma corporis,

 resurrectio

resurrectio mortuorum erit naturalis, & naturaliter poterit cognosci, cum tamen sola fide cognoscatur.

Respondeo negando sequelam, tantum poterit cognosci possibilis, & consentanea naturis rerum, non autem de facto futura, hoc enim dependet à libera voluntate, cum anima naturaliter non possit regredi ad corpus, & illud informare.

Petes primo, Vtrum in singulis hominibus sint singulæ animæ?

Respond. Affirmando, Est de fide, ex conciliis citatis, contra Auerroem, qui existimauit in omnibus hominibus esse intellectum vnicum numero existentem, quem dicebat esse animam rationalem, & probatur, quia anima rationalis est forma informans, & constituens ipsum compositum, ergo quot sunt homines, tot sunt animæ. Confirmatur. Quia si in omnibus hominibus esset vnica anima, & vnus intellectus, tunc omne id, quod vnus homo intelligeret, omnis homo intelligeret, omnes æque essent æque docti, imo sequeretur, eundem intellectum simul scire, verbi gratia, in docto & simul ignorante, eadem anima peccaret & non peccaret, damnaretur & non damnaretur.

Petes secundo. Vtrum vna numero anima successiue informet plura corpora.

Respondeo negando, Est de fide ex Concilio Lateranensi, *supra* contra Platonem, & Pythagoram, qui existimarunt eandem animam modo in hoc, modo in illud corpus transmigrare, qui error conuincitur ex resurrectione mortuorum, in qua omnes resument sua corpora.

QVÆSTIO V.

Vtrum anima rationalis sit immortalis?

QVænam de proposita quæstione Aristotelis fuerit sententia, Valde est controuersum, Vide Toletum 3. *de anima quæstione* 15.

Pro veritate respondeo, Anima rationalis est immortalis, Est de fide, & probatur ex multis scripturæ locis, *Sapient.* 3. vbi de Iustis dicitur, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. *Matthæi* 11. Christus dicit, nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt.

Idem docent resurrectio mortuorum, extremum iudicium ratio meriti, & demeriti, & præcepta omnia, quorum obseruationi promittitur vita æterna, transgressioni mors æterna indicitur.

Probatur ratione naturali: insita est homini insatiabilis quædam appetitio cognoscendi, cui nō potest satisfieri, in hac vita, ergo debet satisfieri in alia, alioqui enim frustra esset ille appetitus, similiter insita est nobis infinita quædam vis appetendi, ita vt quouis bono adepto adhuc plura sine termino appetamus, qui appetitus in hac vita, quæ momentanea est, satiari non potest, ergo satiandus est in altera, ergo anima non interit cum corpore, ergo est immortalis.

Probatur secundo, homo per naturalem synderesim inclinatur in virtutem, & cum scientia reuocat à transgressione præceptorum naturalium, ergo natura docet esse præmium decretum iis, qui illa seruarint & pœnam esse staturam in præuaricatores: Sed hæc non semper in hac vita retribuuntur, ergo superest alia, ergo anima est immortalis.

Probatur tertio. Anima non potest corrumpi, ergo est immortalis,

Antecedens probatur, quia omne, quod corrumpitur, vel corrumpitur per actionem contrarii, vel defectu conseruantis, sed neutro modo corrumpitur anima rationalis, ergo.

Minor probatur, quia agens naturale contrarium non corrumpit, nisi producendo in subiecto dispositiones, contrarias formas expellendæ, & producendo formam vnam in subiecto, quæ formaliter excludat aliam sed anima rationalis est simplex quædam entitas, in qua non reperiuntur partes distinctæ, quarum vna sit subiectum & alia forma ...

ma expellenda, ergo non potest destrui per actionem agentis naturalis. Deinde cum anima sit spiritalis, non dependet in sui conseruatione ab vlla re naturali, sed à solo Deo, cuius influxus conseruatiuus illi est debitus, & pacto naturali, eoque posito nihil est, quod illi possit adferre interitum.

Obiic. primo. *Ecclef.* 3. dicitur idem esse interitus hominum & iumentorum, & Diuus Paulus *Epist. ad Tim.* dicit, solum Deum habere immortalitatem, & *in* 6. Synodo Constantinopolitana *act.* 10. dicitur, angelos & animas irrationales non esse proprie immortales, nec habere naturam incorruptam.

Respond. Verba illa *Ecclef.* 3. esse insipientium, qui introducuntur à Salomone. *Ad* secundum Respondeo, Solum Deum habere immortalitatem independentem, & à seipso, & hoc sensu dicitur solus immortalis, sc. per essentiam, & à se, quomodo etiam dicitur Deus solus bonus, vnicus magister. Vide Toletum 3. *de anima q.* 26. Vbi per immortalitatem animæ colligit duodecim genera argumentorum.

Obii. secundo, Vnumquodque est propter suas operationes, sed anima sine corpore non potest operari, ergo nec esse, ergo interit cum corpore.

Respondeo negando minorem, quia anima sine corpore potest intelligere, & velle, quia separata non dependet in intelligendo à Phantasmatibus, sicuti nec angeli.

Petes, an anima debeat dici immortalis.

Resp. dici debere immortalem intrinsece, quia est spiritualis in fieri, & conseruari independens à materia, dici non potest materialis extrinsece, quia natura sua est actus informatiuus materiæ.

Petes secundo, an anima rationalis per se subsistat?

Respon. affirmando, quia non dependet à materia & sustentante, sed sibi ipsi est sufficiens.

Pro quo Nota, per se subsistere tripliciter sumi, primo, vt idem quod non inesse in alio, vt subiecto inhæsionis, & sic omnes formæ substantiales subsistunt, quia esse in alio, vt subiecto inhæsionis, est proprium accidentium, secundo, vt idem sit, quod terminare suam existentiam, nec à quoquam alio sustentari, siue existat complete, siue non, & hoc modo subsistit sola anima rationalis, quia aliæ formæ sustentantur à materia, tertio vt idem sit, quod complete per se existere, quod tamen conuenit suppositis.

QVÆSTIO VI.

A quo, Quo modo, & quando producatur Anima rationalis?

RESpondeo primo, produci à Deo, idque per creationem. Est de fide contra Tertullianum, qui putauit animam fieri ex traduce, id est, animam fieri, transfundi, & produci ab anima patris, & contra Auicennam & alios quosdam hæreticos, qui volebant animam produci ab Angelis.

Probatur, quia anima rationalis est spiritualis, ergo producitur à solo Deo.

Consequentia probatur, quia nec potest produci à substantia creata spiritali, nec à corporea, quia debet creari, creatio autem soli Deo conuenit.

Respondeo secundo. Anima rationalis creatur à Deo, posita vltima dispositione corporis necessaria ad eius introductionem.

Vnde dicitur à Deo infundendo creari, & creando infundi, est certum contra Origenem, *libr. 1. de principiis cap.* 7. qui putauit, animas creari ante corpora, & propter peccata obligari in corpora, ac velut in carcere compingi.

Probatur, quia anima rationalis est forma hominis ordinata, vt mediante informatione materiæ debitæ dispositæ constituunt hominem, ergo non debet produci, nisi quando potest materiam informare, scil. perfecta dispositione organorum posita.

Confirmatur, quia aliæ formæ tantū producuntur, quādo est sufficiens dispositio materiæ, ergo etiam anima rationalis. Consequentia probatur, quia creatur à Deo, vt agēte naturali supplente in creatiuo concursum causæ

causæ secundæ, vnde proportionaliter operatur sicuti causa secunda.

QVÆSTIO VII.

Vtrum in homine præter animam rationalem sint aliæ animæ?

OCcasionem dubitandi dat Aristoteles *li. 2. de generatione animalium. c.3.* vbi dicit, fœtum hominis primo animatum anima vegetatiua, deinde sensitiua, tum rationali; ergo videtur sentire, in vno homine esse tres animas, & consequenter in brutis duas.

Respond. in vno homine est tantum vnica anima realis & Physica, scil. rationalis, quæ eminenter continet sensitiuam, & vegetatiuã. Vide Toletum *q.7.*

Probatur primo, Quia omne viuens, atque adeo homo est vnum per se, ergo habet vnicam formam totalem. Consequentia probatur, quia si haberet plures animas, & formas totales, haberet plura esse totalia, specie distincta, nam à pluralitate formarum totalium desumitur pluralitas essentiarum specificarum.

Probatur secundo, si in homine essent tres animæ, realiter distinctæ, sequeretur, hominem non esse essentialiter viuens, & animal; possent enim absolute separari anima sensitiua, & vegetatiua, à rationali, quæ sola informaret corpus humanum.

Probatur tertio. Quia in homine omnes operationes vitales oriuntur ab vnico principio, vltimo, ergo est tantum vnica anima. Consequentia probatur, à signo, quia istæ operationes sese mutuo impediunt, verbi gratia, vehemens motus progressiuus impedit cibi digestionem, attenta speculatio impedit nutritionem, imo & sensationem; & econtra sensatio intensa & deambulatio impediunt speculationem. Vnde qui contemplari volunt, quiescunt & oculos claudunt, ergo signum est operationes has prodire ab vno & eodem principio, scilicet anima rationali, si enim à diuersis animabus oritentur, nullo modo sese impedirent.

Ad Aristotelem igitur respondeo, doctrinam illam de successione animarum, probari Diuo Thomæ Bann. *primo de generatione quæstion. 6. artic. 3.* & aliis, & experimento sese deprehendisse testatur Pharnesius *l. de product. hominis c. 1.* qui docet, paulo post conceptionem, quando videlicet formatum est hepar, & venæ, quæ sunt instrumenta nutritionis, fœtum nutriri sanguinis hausto per venam vmbilicarem matris, & tantum habere animam vegetatiuam. Deinde interiectis aliquot diebus, quando formatum est cerebrum, cor, arteriæ, &c. Incipit fœtus sentire, & moueri tandem, quando organisatio est omnino perfecta, infunditur anima rationalis; quod in masculis putatur fieri quadragesimo die à conceptione, in fœminis octuagesimo. Sed hoc nihil contra nos. Quia positis dispositionibus ad animam sensitiuam aduenienti, cedit vegetatiua & rationali sensitiua.

Dices, si animæ ita succedunt sibi mutuo, ergo. Fuimus omnes aliquando plantæ, & bruta, demum facti homines, quæ est metamorphosis quædam Ouidiana.

Respond. negando allatum, quia non censetur planta id, quod habet animam vegetatiuam à natura ordinatam ad sensum, neque brutum, quod habet animam sensitiuam destinatam ad rationalem.

Obiic. primo. Anima vegetatiua & sensitiua sunt formæ materiales, rationalis vero est immaterialis, sed immaterialis non potest includere materialem, ergo anima rationalis non includit animam vegetatiuam & sensitiuam.

Respond. animam vegetatiuam & sensitiuam includi eminenter in entitate Physica animæ rationalis, vnde constituit suppositum, quod fundat conceptum communem metaphysicam viuentis, cum plantis, & sentientis cum brutis, & sic gradus vegetatiuus & sensitiuus abstrahunt à materiali & immateriali.

Obi. secundo. Appetitus rationalis & sensitiuus contrariantur inter se, ex illo Apostoli, caro concupiscit aduersus spiritum, ergo non insunt eidem animæ.

Respond. negando consequentiam, quia operationes vitales contrariæ non possunt oriri ab eadem anima, sed etiam ab eadem potentia, vt assensus & dissensus ab intellectu, volitio & nolitio à voluntate, quod prouenit ab vni-

ab vniuersalitate potentiæ, anima autem est multo vniuersalior,

Ob tertio Diuersæ operationes sunt signa diuersorum principiorum.

Respondeo negando vniuersaliter assumptum, licet enim diuersitas quædam operationum in diuersis suppositis denotet diuersitatem principiorum, non tamen in eodem.

Sufficit enim vt detur principium aliquod, quod eminenter contineat virtutem aliorum, & sic supposito, quod sit causa diuersarum operationum.

QVÆSTIO VIII.

In quibus partibus corporis sit anima rationalis?

PLatonici, & quidam alii, in diuersis partibus hominis collocarunt diuersas animas, in mente, id est, in cerebro animam rationalem, in corde sensitiuam, in hepate solo vegetatiuam. Alii voluerunt vegetatiuam diffundi per totum corpus, non autem sensitiuam, eo quod omnia membra nutrirentur, quædam tamen partes non sentirent, vt sunt ossa, in capite solo ponebant rationalem, quod experirentur se solo capite dolere & laborare rationando. Nota in corpore varias esse partes, quædam sunt consistentes & solidæ, vt sunt partes organicæ, & dissimilares, constantes aliis similaribus, vt sunt caput, pectus, brachia, manus, &c. Similiter partes similares, & eiusdem denominationis, vt sunt caro, ossa, naui, venæ, arteriæ, cartilagines, quædam dicuntur fluidæ, quæ scilicet sunt fluidarum partium alimentum easque fouent & irrigant vt sunt quatuor humores; sanguis, pituita, flaua bilis, & atra bilis, spiritus vitales & animales: Quædam vocantur excrementitiæ, quæ dantur à natura, vel ad ornatum, vt capilli & barba, vel ad tutelam, vt vngues, vngulæ, cornua in animalibus. De his omnibus potest esse quæstio.

Resp. 1. Partes omnes solidæ informantur anima rationali.

Probatur primo, Quia omnes vere nutriuntur, augentur, attrahunt alimentum, expellunt incrementa, per poros, ergo in illis est anima.

Probatur secundo. Quia anima est actus corporis organici, ergo informat partes organicas, & similares solidas, ex quibus constant organicæ.

Obiic. primo Aristoteles *in opusculo de communi motione animalium.* Docet, animam esse in corpore, sicuti Rex in ciuitate, sed Rex non est in omnibus partibus ciuitatis, ergo nec anima in omnibus partibus corporis.

Respond. Aristotelem ibi inuestigare originem motus, & sic anima, prout est principium motus, dicitur esse in certa aliqua parte corporis, quia vbique non exercet omnes operationes, cum dependeat à dispositionibus, & organis, vnde non intelligit, prout est in pede, alioqui præcise vt est forma est in toto corpore.

Obiic secundo. Si anima rationalis est indiuisibilis, ergo non potest esse in omnibus membris.

Respondeo negando consequentiam, quia Deus etiam est indiuisibilis, & tamen est vbique, & Angelus in magno aliquo spacio.

Respondeo secundo, Anima non informat sanguinem, multo minus reliquos humores. Ita Conimbricenses *primo de generation. capite quarto, quæstione* 24. & multi recentiores, contra Gregor. à Valentia *disputation. 6. quæstione secunda, puncto* 3. Bannies *in primo de generatione capite quarto, artic* 5. *quæstion 9.* & alios.

Probatur primo, Quia sanguis non est continuus ceteris partibus, sed concluditur intra venas, & arterias, tanquam intra vasa, vt patet in sectione venæ. Ergo non informatur anima, alio qui enim anima sibi esset discontinua.

Probatur secundo, Quia sanguis est homini proximum alimentum, vel se solo, vel cum aliis humoribus, sed alimentum non est eiusdem naturæ, cum alito, ergo sanguis non est animatus.

Minor probatur, quia alimentum per ambitionem & aggenerationem conuertitur in substantiam aliti, ergo non habet formam recipiendam, quia sic deperderet priorem formam, & aliam acquireret. Vnde sequeretur,

quaeretur, eandem animam desinere, & incipere informare materiam sanguinis, vel saltem quod nutritio solum esset actio accidentalis.

Ob. primo, Sanguis est pars hominis necessaria ad conseruationem vitae, nam vbi omnis sanguis effluxit ex venis, homo moritur, ergo est animatus.

Respondeo negando consequentiam, quia vt aliquid dicatur pars vlterius, non est necesse, vt informetur forma totali, sed sufficit, vt habeat formam subordinatam formae totali, cui inseruit, sic sanguis & reliqui humores deferunt spiritus vitales ad animales; & deseruiunt motibus appetitus sensitiui, & aliis operationibus vitalibus.

Vnde fatendum, non tantum esse alimentum, sed etiam partes concurrentes ad integram hominis constitutionem, quod inde etiam probatur, quod reperirentur in corporibus gloriosis, quae tamen non indigebunt alimento, idque non tantum ad ornatum, sed etiam integritatem, ac perfectionem.

Obiic. secundo. Christus Dominus immediate assumpsit sanguinem, ergo est animatus.

Respondeo negando consequentiam, ad hoc enim sufficit, vt sit aliquid pertinens ad integritatem & perfectionem.

Obi. tertio Sanguis mouetur huc & illuc, quia in metu recipit se ad cor, in ira efferuescit, ergo est animatus.

Resp negando consequentiam, quia motus ille potest fieri vi imaginationis, & appetitus, excitante sanguinem per spiritus vitales & animales.

Ex quibus colligitur, non esse solidum, quod à quibusdam infertur, de duplice sanguine, omnis enim sanguis, quoad hoc, est eiusdem rationis. Quod hic dicitur de sanguine etiam dicendum videtur de spiritibus animalibus, scilicet pertinere quidem ad integritatem & perfectionem hominis, & animalis, non esse tamen animatum. Idem dicendum de lacte, quia vbera nutriuntur lacte, & de semine animalium, quia non est quid aliis partibus continuum, sed videtur pars sanguinis nutritioni superflua, generationi necessaria, quae in receptandis à natura ad hoc destinatis, purificatur, & accipit virtutem formatricem. Quod est contra Franc. Valesium *libro secundo, contrar. medicar. capite nono.* cui non obstat, quod quaedam plantarum semina putentur viuere, quia non habet id, qua semina sunt, sed quatenus fructus, & partes continuae plantarum.

Respondeo tertio, Pili non sunt animati, vide Conimbricens. *primo de generatione capite quarto, quaestione 23.* est communis sententia, Probatur, quia non nutriuntur per intro-susceptionem alimenti, quod requiritur ad veram nutritionem, sed ab extrinseco tantum, fiunt enim recrementis siccis, crasso scilicet & vliginoso vapore, qui in angustis oris cutis indurescit, quem alius rursum veniens propellit, & sic paulatim haec materia assumit formam longam pilorum, vnde crescunt per protrusionem quandam.

Obiic. primo. Pili habent certum terminum magnitudinis, quia non excrescunt ad quamlibet magnitudinem, ergo signum est esse animatos.

Respondeo negando consequentiam, quia id non fit ex eo, quod natura certum terminum sibi praefigat, sed fit per accidens, nam quando capilli ad illam magnitudinem peruenerunt, vt materia à parte posteriori instans partes anteriores propellere, nequeat amplius, desinunt crescere, & quo facilius ratione breuitatis propelli possunt, eo facilius & vberius renascuntur, vt patet in capillis praecisis.

Obiic. secundo. Pili crescunt in longum & in latum, quod videtur proprium viuenti, deinde successu temporis fiunt cani, vt patet, defectu alimenti, ergo sunt animati.

Respondeo negando consequentiam, quia materiae abundantia est causa, cur crescant in omnem partem, fiunt vero cani defectu caloris non valentis resoluere humidum cerebri.

Obiic. tertio. Filii saepe imitantur parentes in colore pilorum, ergo videntur animati.

Respondeo negando consequentiam, quia hoc oritur ex similitudine temperamenti.

Petes primo, cur in aegrotis pili facilius crescant, & aliquandiu in cadaueribus.

Respon.

Respond. in ægrotis hoc oriri ex abundantia materiæ, quæ oritur ex eo, quod alimentum minus bene concoquat in mortuis, quia aliquandiu remanet calor, qui adiutus à calore solis, materiam capillorum ad radicem præparatam foras propellit.

Petes secundo, vnde oriatur crispitudo in capillis.

Respond. oriri ex obliquitate meatuum, vel duritie cutis; nam materia dum conatur erumpere, aliquantum in se reflectitur, & quando eluctata est, retinet figuram quandam spiritualem, & reflexam, plura de capillis vide apud Conimb. *l. de iuuentute & senect. c.6. & sequenti.*

Respon. quarto, vngues videntur animati. Ita Valesius *lib.2. controu medicarum cap.4* qui etiam existimat, eos sentire, quamuis hoc minus sit probabile.

Probatur conclusio, quia ad vngues dicuntur venæ, arteriæ, & nerui, imo in iis notantur quædam exiles venulæ, per quas sumunt alimentum, ergo viuunt. Quod intellige de partibus illis, quæ non recedunt multum à radice, extremitates enim vnguium non viuunt, sed se habent, sicuti calli supercrescentes in manibus.

Dices videntur oriri ex recrementis, sicuti capilli.

Respondeo nego assumptionem, & colligitur ex eo, quod natura eis destinarit neruos & venas.

Idem dicendum videtur, de vngulis, & cornibus animalium, rostris auium, branchiis piscium, de quibus Valesius supra.

QVÆSTIO IX.

Vtrum omnes animæ rationales paris sint perfectionis.

AFfirmant Durandus *in secundo distinct.32. q.3.* Sonsinas 8. *Met.q.16.* Scotus *in prædicamentis c. de substantia quæst.2.* & probabilius censent Conimb. *secundo de anima c.1. q.5.a.3.* Toletus 3 *de anim a qu.18.* oppositum damnat erroris.

Resp. Probabilius videri non esse paris perfectionis substantialis. Ita satis aperte D. Th. *in secundo distinct. 21. artic. 1. ad secundum.* Vbi dicit, animam Adami fuisse digniorem anima Euæ & *distinct.31. q.2. a.3.* ad quæstionem hanc.

Respondet, vnam animam tanto esse nobiliorem alia, quanto melioris temperamenti corpus informat. Idem insinuat *prima parte quæst.85. art.7.* Vbi Caietanus ait, eos qui hoc non vident, cœcos esse. D. Bonau. *in secundo distinct. 32 quæ.1.* & *ibidem* Richardus Capreolus, Abirensis *in c.15. Matthæi q.686* Scotus & Antonius Andreæ 8. *Met.q.1.* Medina *3.p.quæst.5.artic.3.*

Probatur primo, Ex illo Salomonis *Sapien.* 8. Puer eram ingeniosus, & sortitus sum bonam animam. Ergo signum est, animas esse inæquales in bonitate, & perfectione substantiali, Vnde Doctores Parisienses æqualitatem animarum, tanquam errorem damnarunt, quod ex ea sequatur animam Christi nō esse perfectiorem anima Iudæ. Quamuis hoc non transeat sequanam fluuium.

Probatur secundo. Perfectiores dispositiones in specie arguunt formam perfectiorem in specie, ergo dispositiones perfectiores in indiuiduo arguunt formam perfectiorem in indiuiduo.

Consequentia probatur, à proportione.

Antecedens probatur inductione, in hominibus brutis & plantis. Confirmat. quia anima est essentialiter actus, & forma corporis organici, & hæc anima istius corporis, id quod peculiarem dicit inclinationem: Sed actus debet proportionari potentiæ, ergo corpori melius organizatio infunditur perfectior anima.

Probatur tertio, in brutis, plantis & aliis mixtis inanimatis, indiuidua alia sunt aliis perfectiora, ergo etiam in hominibus. Consequentia conceditur ab Aduersariis, sed negatur antecedens, quod probo, quia forma materialis in perfectione est commensurata dispositionibus, quarum aliæ sunt aliis perfectiores, nam dispositiones sunt causa proxima efficiens instrumentalis, vel saltem dispositiua formæ, perfectior autem causa perfectiorem habet effectum, & difficulter negari potest, inter equos huius & illius regionis.

Similiter metalla, aurum, æs, pannum, arbores eiusdem speciei esse inæqualitatem perfectionis substantiarum.

Probatur quarto, non magis repugnat speciem contrahi per differentias singulares perfectionis inæqualis, quum per differentias specificas inæqualis perfectionis, ergo de facto singularia sunt inæqualis perfectionis. Consequentia probatur, quia repugnantia est præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ. Antecedens probatur, quia incredibile est Deum non posse vnam animam producere ratiocinatiuæ perfectiorem alia.

Obiic. primo, Si in perfectione speciei sit huiusmodi latitudo, ergo substantia suscipiet magis & minus, quia ex Aristotele 7. *Physic. tit.* 19 participatio eiusdem formæ, secundum diuersos gradus, est participatio secundum magis & minus.

Respon. negando sequelam, quia suscipere magis & minus, siue intendi & remitti proprie est ex vno gradu perfectionis transire ad alium, quod non reperitur in substantia, quarum quælibet simplici sua entitate excedit aliam imperfectione, sicut duo angeli diuersæ speciei. Vnde substantiæ non suscipiunt magis & minus gradualiter, secundum intensionem, sed secundum perfectionem in diuersis.

Obiic. 2. Tota diuersitas operationum, quæ reperitur in hominibus, commode referri potest in diuersitatem sensuum, organorum, temperamenti, exercitiorum, ergo male infertur inde diuersitas principiorum.

Resp. inde præcise non colligi. Constat enim eundem hominem melius, vel peius ratiocinari pro dispositione corporis, sed ex proportione actus & potentiæ, in origine & statu inceptionis cuiusque indiuidui, vnde.

Resp. secundo, nego consequentiam, quia nisi aliud obstet, perfectiores operationes arguunt principia perfectiora.

Obii. tertio, Si anima proportionatur corpori, ergo dabitur anima à natura sua stulta, alioqui enim ex dispositionibus corporis nascuntur stulti. Sequetur secundo, stultum non posse generare sapientem, nec stupidum ingeniosum, Tertio sequitur, ex duobus beatis, qui æquales sunt in meritis, & lumine gloriæ, vnum perfectius altero videre Deum, quod non est consonum sanæ Theologiæ.

Respon negando illata, quia stultitia non est affectio animæ sed interni sensus, ratione cuius confundit species. *Ad* secundum, fieri potest vt homo stultus, vel stupidus meliores habeat dispositiones ad opera vegetatiua, nutritionem scilicet & generationem, vnde poterit producere filium se perfectiorem, nam imperfectio imaginatiua non necessario transfunditur. Ad tertium Respondeo, actus supernaturales proportionari tantum habitibus supernaturalibus, & non potentiis naturalibus, vnde duo Angeli diuersæ speciei, & inæquales perfectione, cum æquali lumine æque perfecte vident Deum, vt docet Diu. Thom. 1. *p. quæst.* 12. *art.* 6. *ad tertium* & *ibidem* Scholastici.

Ob. quarto: Si entitas animæ & forma proportionatur dispositionibus in brutis, & in animatis, perfectio formæ mutabitur ad mutationem illarum dispositionum.

Resp. quarto, hoc argumentum non vrgere, de anima rationali, quæ à Deo infunditur, iuxta exigentiam dispositionum, à quibus non pendet in sui conseruatione.

Respon. secundo, negando sequelam, quia, vt D. Thomas *in* 2. *distinct.* 18. *quæst.* 5. *a.* 2. dispositiones concurrant, ad indiuiduationem, & perfectionem substantialem animæ, & alterius formæ substantialis in fieri, nihil tamen immutant in facto esse circa illam quilibet gradus perfectionis substantiæ; consistit in indiuisibili, ita vt ex vno gradu non sit transitus ad alium, vnde quandiu in supposito remanent dispositiones sufficientes ad inexistentiam formæ, forma manet inuariata illis deficientibus perit totaliter.

QVÆSTIO X.

Quænam animæ sint indiuisibiles?

Certum est, omnes animas esse indiuisibiles, quoad partes Physicas, cum non constent materia & forma, quæ non sunt partes essentiales Physicæ, & certum est omnes partes esse diuisibiles, quoad partes metaphysicas, cum habeant diuersos gradus essentiales: tantum quæritur, Quænam animæ sint diuisibiles, quoad partes integrantes, ita vt non sint extensæ in corpore, quod informant, sed sint totæ in toto & totæ in qualibet parte corporis.

Exve-

Ex veteribus quidam docuerunt, omnes animas etiam rationalem esse diuisibiles, secundum partes integrantes eo fere modo, quo verbi gratia albedo, quæ secundum diuersas partes sui informant diuersas partes, subiecti, quod est falsum. Alii econtra arbitrati sunt, omnem animam esse diuisibilem, ita Nemesius *lib. de natura hominis* & tribuitur Platoni à Marsilio *lib. 6. de Theologia Platonis.* Idem sentire videtur D. Augustinus *lib. de immortalit. animæ.* Alii mediam ingressi viam, docent, animas plantarum & animalium imperfectorum esse diuisibiles, animas vero rationales & perfectorum brutorum esse indiuisibiles. Ita D. Thom. 1. *part. quæst. 76. art. 8.* & *secundo contra gentes cap. 72. art. 4.* D Bonauentura *in primo dist 8.* & magis placet Conimb. *2. de anima cap. 1 q. 8. a. 3.*

Respond. Anima rationalis est indiuisibilis, cæteræ vero omnium brutorum perfectorum sunt diuisibiles, in partes integrantes, ad diuisionem corporis. Ita Scotus *distinct. 4. quæst 1. art. 1.* & alibi Durandus *in primo dist. 8. quæst 3.* Gabriel *in secundo distinct. 17. quæst. 5.* Toletus *lib. 2. quæst. 5.* & alii. Prior pars est certa, & probatur euidenter, quia anima rationalis est substantia spiritualis, ac proinde caret partibus integrantibus, sed indiuisibiliter est in singulis partibus corporis, cum in formatione, sicuti angelus est in singulis partibus spatii, quod occupat, sine informatione.

Probatur secundo, si esset diuisibilis, esset mortalis, sed hoc est contra fidem, ergo sequela maioris probatur, quia si esset diuisibilis, tunc pars animæ informans membrum abscissum periret, & sic per plures sectiones tota anima redigeretur in nihilum, & sic esset mortalis, nam eadem est ratio omnium partium, quæ vnius est partis determinatæ.

Obiic. primo Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur, sed anima rationalis recipitur in subiecto extenso, & diuisiuo, scilicet in corpore humano, ergo ipsa etiam est extensa & diuisiua.

Respond. ad maiorem, non esse necesse, vt receptum habeat omnes conditiones recipientis, in modo essendi, maxime quando recipiens non exercet propriam causalitatem, circa illud, ita vt ab eo dependeat in esse, sed sufficit, si se habeat in aliquo, sicuti recipiens, quod hic fit, sicut enim corpus humanum est præsens certo spatio, ita etiam anima rationalis, licet diuersimode.

Obiic. secundo. Membra hominis adhuc viuunt, nam caput abscissum mouet labia, aliæ partes palpitant, ergo signum est simul cum capite separari partem animæ rationalis, vel in eodem erunt plures animæ, quarum vna potest manere, recedente altera.

Respond. negando consequentiam, quia partes vermiculorum diu & fortiter mouentur, non aliter, quam cum essent coniunctæ, partes vero hominis multo lentius. Deinde si vermes pungantur in parte separata, contorquent sed ad locum punctionis, quod non aduertitur in membris abscissis humani corporis. Vide D. August. *lib. de quantitate animæ cap. 3.* se vidisse vermem septipedem, cuius vtraque pars diuisa tanta velocitate mouebatur ac si essent duo vermes, ergo signum est satis euidens in partibus remanere partes animæ sensitiuæ.

Posterior pars probatur quia omnes aliæ animæ educuntur ex potentia materiæ, ergo sunt diuisibiles. Consequentia probatur, quia secundum diuersas partes educuntur, ex diuersis partibus materiæ, quia forma materialis non potest informare, nisi eam partem materiæ, ex qua est educta, alioqui enim naturaliter migraret de subiecto in subiectum, quod æque est contra rationem formæ materialis, quam accidentalis.

Probatur secundo, pereunte parte corporis perit pars animæ, ergo anima est diuisibilis. Consequentia probatur, quia pereunte toto corpore plantarum & animalium perit tota anima, ergo pereunte parte corporis, perit pars animæ. Sequitur à proportione.

Probatur tertio, specialiter de anima vegetatiua, quia rami abscissi aggenerant sibi alias partes, & sensim euadunt in alias arbores; ergo partem habent illius animæ vegetatiuæ, quæ erat in arbore, à qua sunt præcisi. De animalibus imperfectis patet ex veloci partium motu, & doloris sensu.

Obiic. primo, experientia docet, vt *supra*, si vermis scindatur in aliqua parte corporis, quod totus contorqueatur: Idem patet in imperfectis, ergo signum est animam eandem esse in omnibus partibus indiuisibiliter.

Respond, negando consequentiam, quia

motus ille oritur ex consensione & sympathia organorum inter se.

Obiic. secundo, in animalibus perfectis operatio vnius potentiæ impedit operationes alterius, sic cursus equi & labor impedit nutritionem, &c. ergo anima saltem perfectorum est indiuisibilis. Consequentia probatur, quia non apparet ratio, cur ita subito desinerent moueri, maxime cum partes vermium, quæ constant anima imperfectiori, diutius conseruentur, vt patet ex motu.

Resp. negando consequentiam, ad probanem dico, primo indiuisibilitatem animæ præcise non colligi ex membris abscissis, sed ex natura ipsius spiritali.

Resp. posse partem animæ sensitiuæ diu remanere in parte abscissa, licet non edat signa vitæ, defectu organorum, & spirituum, qui cum sanguine ilico per venas sese effundunt, quod non ita fit in vermibus, & imperfectis animatis, quæ pro sanguine habent saniem, & pro venis fibras.

Resp. 3. plura requiruntur ad conseruationem animæ perfectæ, in corpore, quam ad conseruationē animæ imperfectæ. Vnde subita illa desitio partis animæ, in membro animalis abscisso, non est signum diuisibilitatis.

Petes, quare partes plantæ virtute animæ aggenerent alias partes, partes vero animalium non ita. Respondeo cum Toleto, *supra*, quia plantæ in omnibus suis partibus habent virtutem quandam seminalem, producendi fructus & fœtus, animalia vero tantum in determinata parte, vel quia in animalibus sanguis, vel id quod vice sanguinis est, statim deficit, ita vt impediatur generatio, in plantis vero, quæ venis carent, succus ad generationem necessarius facile retinetur.

QVÆSTIO XI.

Prima sententia est Occami, *in 2. distinct.* 16. *q.* 24. Gabriel. *ibid. q.* 1. & aliorum Nominalium, dicentium distingui sola ratione, vt scilicet eadem entitas animæ concepta, vt tribuens esse specificum subiecto, sit anima concepta, in ordine ad operationes sit potentia, & in partiali in ordine ad intellectiones sit intellectiua, visiones visiua &c. Idque illo suo principio. Non sunt multiplicanda entia, siue necessitate. Idem sentire videtur Nauarrus *in manuali, præl.* 3. *n.* 2 *&* 3.

Secunda est Scoti, *in 2. dist.* 16. *q. vnica.* & doctorum Parisiensium, exceptis Dominicanis. Asserunt potentias non distingui sola re, sed formaliter tantum, non realiter. Tertia sententia est D. Thom. 1. *p. q.* 56. *a.* 3. & *q.* 77. *a.* 1. Caietani *ibid.* Toleti 2. *de anima q.* 9. Conimb. *ibid. c.* 3. *q.* 4. *a.* 2. Suaris *disp.* 29 *sect.* 3. *nu.* 13 *& seq.* & communis aliorum docentium potentias distingui realiter ab anima.

Resp. Potentiæ distinguuntur realiter ab anima. Est communis, & recepta sententia, quam supponit Aristoteles in Categoriis, & communiter Philosophi morales in materia de habitibus. Similiter Theologi, dum inquirunt, in cuius potentiæ actu consistat formalis beatitudo.

Probatur primo, ex sententia sanctorum Patrum, qui distinguentes Deum à creaturis, quoad operationem, dicunt in Deo principium agendi, siue essentiam diuinam, & potentiam esse omnino easdem, à parte rei, in creaturis vero inter se distingui. Ita D. August. *lib. de Trinit. c.* 6 Dionys. *c.* 11. *Cœlestis Hierarch.* D. Anselmus *de concordia.*

Probatur secundo ex Aristotele *primo de anima t.* 9. & *alibi.* docet, in vno viuente esse vnam animam, sed plures potentias, & *secundo de anima cap.* 3. inquirit, subiectum potentiarum, ergo supponit illam distingui à subiecto.

Probatur tertio, ratione, quia anima est indeterminata, & indifferens principium multarum operationum, ergo eius virtus debet determinari ad certas operationes, per formas accidentales superadditas, quæ sunt potentiæ.

Probatur quarto. Omnibus substantiis à natura collata est virtus quædam accidentalis, qua tanquam instrumento vterentur ad actionem, sic ignis habet calorem realiter distinctum, aqua frigus, terra siccitatem &c. Ergo etiam animæ habent suas virtutes, quæ sunt potentiæ.

Probatur quinto, Quia inter intellectum & voluntatem tanta est diuersitas, quoad operandi modum libere, vel necessario, assimilando sibi obiectum, vel tendendo in obiectum, per modum influxus, vt videatur exigere diuersas facultates operandi. Similiter inter appe-

appetitum sensitiuum, & rationalem, id est, voluntatem, sæpe est magna lucta, vt etiam notauit Aristoteles, quæ commode explicari non potest, sine distinctione reali potentiarum.

Probatur sexto. Potentiæ sensitiuæ distinguuntur realiter ab anima rationali. Ergo omnes. Consequentia probatur, quia omnium eadem est ratio, & necessitas. Antecedens probatur, quia si potentiæ sensitiuæ nihil essent aliud, quam ipsa anima, v. gr. potens audire, videre, posset anima separata à corpore audire, viuere, gustare, quod tamen nemo dixerit.

Ex his probationibus quæ afferri solent, colligitur verum esse, quod fatetur Suarez, *supra*, huius veritatis rationem à priori nobis esse ignotam.

Obiic. primo, frustra superadduntur huiusmodi potentiæ, quia anima seipsa immediate est sufficiens principium actionum, ergo poterit illas exercere sine potentia. Antecedens patet, quia de facto etiam in sententia eorum, qui inuehunt potentias, anima effectiue concurrit ad actiones vitales, vt ab immediato illius influxu dicantur vitales.

Respond. negando antecedens, ad probationem dico, animam esse immediate affectiuam actionum vitalium, sed dependenter à potentia, vt coefficientem, quia ab illa debet determinari generalis illius virtus, ad certæ speciei actionem.

Obiic. secundo Accidentia realia, vt calor, frigus, &c. sunt immediate actiua, ergo similiter anima.

Respond. negando consequentiam, quia accidentia huiusmodi sunt ex se limitata, ad certos effectus, anima vero est substantia indifferens, ad diuersos effectus, ac proinde aliunde debet determinari. Deinde non sequitur, Accidens non est, immediate actiuum independenter ab influxu substantiæ, ergo substantia independenter ab accidente, vt patet dictis *4. sp. 3. Physicæ.*

Obiic. tertio, anima immediate per emanationem in se producit potentias, ergo similiter seipsa potest elicere actiones vitales.

Resp. negando consequentiam, quia vt vitaliter operetur, debet esse constituta in statu perfecto, scilicet cum potentiis, sine quibus est in statu imperfecto, cum facultate se reducendi ad statum perfectum, sicuti aqua spoliata frigore, quæ non intelligitur frigefacere, nisi prius frigus in se produxerit.

Obiic. quarto. Si potentiæ realiter ab anima distinguantur, poterunt saltem, ab illa diuinitus separari, & sic anima hominis non erit rationalis, carebit enim intellectu voluntate &c. formaliter.

Resp. Si potentiæ diuinitus separentur, anima non erit Physice sensitiua, vel intellectiua sed tantum radicaliter, & virtute, quia est ipsum principium potentiarum, & ab hoc principio desumitur differentia animæ, & eius definitio, non vero à potentia superaddita. Vnde anima sine intellectu erit adhuc rationalis, & verisimilius est posse intelligere, præternaturali modo, si Deus speciale aliquod auxilium conferat, quo defectus potentiæ suppleatur.

Petes 1. quid iudicandum sit de sententia Scoti.

Resp. Si per distinctionem formalem intelligat eam, quæ non est actu, sed virtute tantum, & fundamentaliter, (vt verisimilius est ex dictis in Logica) non dissentit à Nominalibus, nisi verbis, vnde & quidam illius doctrinam confundunt cum doctrina Nominalium, vt Nauarrus *supra* & alii. Si per distinctionem formalem intelligat modalem, non Metaphysicam sed Physicam, nõ est probabilis, quia ratio, quæ militat contra distinctionem potentiarum, militat contra propriissimam realem, & ratio quæ impugnat distinctionem formalem, euertit etiam modalem.

Petes secundo, in quo genere causæ anima sit causa potentiarum?

Respon. esse aliquo modo in omni genere causæ, nam primo est subiectum, & per consequens, causa materialis potẽtiarum. Secundo potentię definiuntur per animam, vt terminũ suæ essentiæ, & ita est aliquo modo causa formalis, extrinseca, terminans scil. ordinem essentialem potentiæ ad se. Tertio est causa efficiens, quia potentiæ ab ea effectiue dimanãt: Quarto ordinantur ad animam, vt finem.

Petes tertio, an omnes potentiæ immediate dimanent ab anima?

Resp. Affirmatiue. Ita tamen, vt verisimile sit, aliquas dimanare cum ordine, scilicet mediante alia, vt concausa animæ, sic risibilitas videtur procedere ab anima rationali, mediante admiratiuo &c.

QVÆ-

QVÆSTIO XII.

An actus & subiecta dent differentiam potentiis animæ?

RΕspondeo affirmatiue, quod sic intelligendum est, non quasi actus & obiecta dent essentiam & differentiam intrinsece, seipsis, constituendo potentias, sed extrinsece, tanquam terminos ordinis intrinseci, & essentialis, quem potentiæ dicunt ad actus, & mediantibus illis ad obiecta.

Probatur conclusio, quia potentiæ essentialiter ordinantur ad obiecta, mediantibus actibus, quibus obiecta attingunt, ergo ab iisdem, tanquam terminis illius ordinis, sumunt essentiam, verbi gratia, intellectus est entitas quædam respiciens verum, vt obiectum, voluntas bonum; Vnde per ordinem ad verum specificatur intellectus, per ordinem ad bonum voluntas: Vbi

Nota primo, potentias specificari ab obiectis, non moralibus, sed formalibus. Vnde vna & eadem pars potest à diuersissimis potentiis spectari, diuerso tamen modo, & sub diuersa ratione formali, verbi gratia, calor tanquam bonus, à voluntate, tanquam verus ab intellectu, tanquam tactilis à tactu, quo casu plures potentiæ habent idem obiectum materiale, sed formale diuersum: quæ rationes formales, in eodem obiecto materiali non distinguuntur ex natura rei, sed ratione ratiocinata, quia scilicet vna & eadem res à parte rei terminare potest diuersas potentias, ac proinde, quatenus comparantur cum vna potentia, quam velut obiectum terminant, distinguitur ratione à se ipsa, prout comparatur cum alia potentia, quam similiter terminat, vt obiectum, quia calor, verbi gratia, non indiget vllo accidente, vel vlla formalitate superaddita, vt participetur à tactu, vel intelligatur, aut appetatur.

Nota secundo, ex eo, quod potentiæ sumant essentiam ab actionibus & obiectis sequi, quod ab eisdem sumant suam vnitatem, & distinctionem ab aliis: Nam quidquid dat esse alicui, maxime in genere causæ formalis, dat etiam consequentia ad esse, quæ sunt vnitas & distinctio ab aliis.

Petes primo, quæ sit via inuestigandi vnitatem potentiæ, ex actibus obiecta.

Respond. à posteriori, si notemus eum, qui potest exercere actus, circa vnum obiectum, potest similiter circa aliud, & contra. Si quis vero actu circa vnum obiectum, eo ipso etiam priuetur actu, circa aliud, hoc argumento est, illos actus & obiecta pertinere ad eandem potentiam. Declaratur exemplo, quia qui videt album, etiam potest videre nigrum, vel alia corpora colorata, hinc indicamus colores, & omnes actus visionis, quibus colores percipiuntur, pertinere ad eandem potentiam, scilicet ad visum, quia scilicet licet colores inesse æqualitatis, & naturæ inter se sunt contrarii, conueniunt tamen in eadem ratione visibilis, quæ est formalissima ratio obiecti visus: Similiter, licet calor & frigus inter se pugnent, quoad esse naturæ, conueniunt tamen in ratione formali obiecti tactus.

Petes secundo, quæ sit via inuestigandi, quænam potentiæ inter se distinguantur.

Respond. id dignosci primo, ex diuersitat[e] organorum, si sint potentiæ organicæ, nam quia oculus, qui est instrumentum potenti[æ] visiuæ, omnino diuersus est ab auribus & or[-]gano auditus, recte colligitur illas potentia[s] esse diuersas, secundo, si notemus eum, qu[i] priuatur actu vnius potentię, non semper pr[i]uari actu alterius, vt quia cæcus potest aud[i]re, & surdus videre, recte infertur visum & au[-]ditum esse diuersas potentias. Tertio, à prio[ri] intelligitur diuersitas potentiarum, ex diue[r]so modo operandi, seu tendendi in obiectum. Vnde licet voluntas & intellectus sint poten[-]tiæ valde vniuersales, & omnia attingan[t] quia tamen intellectus respicit obiectum, intelligibile, voluntas vero vt appetibile, rec[te] infertur diuersas esse potentias.

Petes tertio, qui fieri possit, vt vna pote[n]tia eliciat actus tam diuersos specie, ver[bi] gratia, intellectus assensum, dissensum, volu[n]tas volitionem.

Respond Quia potentia est causa quæda[m] æquiuoca, & possibilitas quædam attingen[s] obiectum sub ratione vniuersali, vnde elice[re] potest actus specie diuersos, quæ sint actual[es] quædam consecutiones obiecti, & hic, [&] nunc, ergo eadem manente potentia pot[est] multiplicari specie & numero

Obiic. primo, Actus sunt posteriores ip[sis] potentiis, similiter & obiecta saltem in art[ifi]cialibus, sed ab eo quod posterius est pri[us] non

non potest sumere essentiam, ergo potentia non sumit essentiam ab actu.

Respond. ad maiorem, actus esse posteriores potentiis in ratione effectus, & secundum esse actuale, in ratione tamen essentiæ, & termini non sunt posteriores, & hoc modo tribuunt potentiis essentiam.

Obiic. secundo, plures sunt sensus specie distincti, & vnicus est specie intellectus, cum tamen intellectus percipiat omnia, quæ percipiunt sensus, ergo signum est potentias non sumere suam speciem, & vnitatem ex obiecto.

Respond. nego consequentiam, quia, quod est obiectum formale respectu sensuum, id est, obiectum materiale, respectu intellectus, qui obiecta omnia formalia sensuum inter se distincta considerat, sub vna ratione communiori formali, vnde licet obiectum intellectus latissime pateat, ipse tamen specie vnus est, & potentiæ sensitiuæ, quia materiales sunt, & inferiores quę obiectum considerant, sub ratione contractiori multiplicantur specie.

Obiic. tertio, ordo ad obiectum non potest esse intrinseca ratio constitutiua, quia est quædam ratio, ergo potentiæ non specificantur extrinsece, & transitiuę ab obiectis intrinsece ab ipso ordine ad obiectum.

Respond. negando antecedens, quia ordo ille, seu relatio est transcendentalis, indistincta ab entitate absoluta, quæ dicitur potentia, vnde est intrinseca, vt habet locum differentiæ intrinsecæ

Obiic. quarto, obiectum potius videtur specificari à potentia, quam contra, quia obiectum formale alicuius potentiæ denominatur ab ipsa potentia, v. gr. intelligibile ab intellectu, visibile à visu.

Respond. negando assumptum, ad probationem dico, obiectum formale secundum rem semper esse aliquid ex parte ipsius obiecti, in quo omnia, quæ totali obiecto illius potentiæ comprehenduntur vniuoce, vel saltem analogice, conueniunt, sed quia hæc ratio obiectiua sæpe nobis est ignota, ideo illam solemus explicare per relationem rationis, vel potius per denominationem extrinsecam obiecti, à potentia, sic dicimus visibile esse obiectum formale potentiæ visiuæ, eo quod aliter explicare non possimus, id, quod commune est luci, & colori, ratione cuius percipi possint à potentia.

Obiic. quinto, contra primam petitionem. Ex eo videtur sequi, intellectum & voluntatem non esse potentias distinctas, qui enim potest intelligere, potest etiam velle & contra.

Respond. signum illud à posteriori de connexione actuum non esse infallibile, potest enim ratione subordinationis & mutuæ dependentiæ vnius potentiæ ab alia necessaria esse illarum connexio, quo casu colligenda est distinctio illarum, à priori, scilicet ex diuerso modo tendendi in obiectum, quod hic fit, quia intellectus tendit in obiectum, quodammodo ad se trahendo, & sibi accommodando, voluntas vero fertur in obiectum, per modum inclinationis & ponderis.

QVÆSTIO XIII.

An potentiæ sint in sola anima.

VAriæ de hac re sunt sententiæ. Nominales volunt, omnes potentias esse in sola anima, quia censent non distingui ab anima. Alii, licet existiment distingui ab anima, volunt tamen omnes esse in sola anima, vt subiecto adæquatæ inhæsionis. Ita Apollinaris *secundo de anima, quæst.* 10 Iandunus *quæst.* 10. Alii docent, potentias rationales intellectum scilicet & voluntatem, esse in sola anima, potentias vero vegetatiuas, & sensitiuas, esse in coniuncto, siue in composito ex anima & corpore Ita D. Thomas 1 *part. quæst.* Scotus *in quarto distinct.* 45. *quæst.* 3. & est communis sententia, quam aliqui sic explicant, vt velint potentias vegetatiuas & sensitiuas, secundum suum formale, & intrinsecum esse in solo corpore, vt subiecto primo, & immediato, radicaliter vero in animo, quatenus scilicet effectiue dimanat ab anima, vt causa effectiua, dici tamen esse in coniuncto, quia non sunt in corpore, nisi informato anima, à cuius prę-sentia & perpetuo influxu effectiue dependet, in sui conseruatione. Ita Valentia 1. *p. disp.* 6. *q.* 3. *puncto* 3. Conimb. 2. *de anima c.* 3. *q.* 3. *a.* 2. pro veritate.

Nota primo, potentiarum animæ alias dici organicas, quæ scilicet sine organo corporeo nequeunt operari, alias in organicas, quia sine

sine organo possunt operari, qualis est intellectus & voluntas in homine, quæ etiam anima separata à corpore operantur.

Nota secundo, potentias organicas dupliciter posse spectari, primo secundum nudam facultatem, & vim operandi vitaliter. Secundo, secundum rationem completam, & omnia requisita ad exercitium actus vitalis, qua consideratione videntur esse ens per accidens; includit enim ipsam facultatem animæ, quæ est qualitas spiritalis in anima rationali, & simul organum, seu dispositiones corporeas, & certam temperiem qualitatum, sine quibus non sunt completæ, nec in actu primo & perfecto ad operationem.

Respond. primo, voluntas & intellectus sunt in sola anima rationali, vt subiecto adæquato, est certa & communis omnium sententia.

Probatur primo ex Aristotele, 1. *de anima textu* 27. vbi dicit, intelligere esse solius animæ, intellectum esse independentem à corpore, & *t* 92 dicit, illum nulli organo esse alligatum.

Probatur ratione, quia intellectus & voluntas sunt potentiæ spiritales, ergo adæquatæ sunt in subiecto spiritali, scilicet anima rationali.

Confirmatur, quia separatur simul cum anima rationali. Idem dicendum de potentia motiua, quæ etiam cum anima separatur, vt sanior habet opinio eorum, qui docent animam separatam à corpore posse moueri localiter. Vide Tolet. 2. *de anima*. *q* 9. & Conimb. *disp. de anima separata*.

Respond. potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ non sunt in coniuncto, secundum explicationem allatam in tertia sententia.

Probatur primo, quia sic vere & absolute essent in solo corpore inhæsiue.

Probatur secundo, Anima sensitiua brutorum & vegetatiua plantarum, non esset causa rationalis, & subiectiua pontentiarum, quod est contra communem sensum.

Probatur tertio, Potentiæ illæ non fluerent ab anima per actionem emanatiuam immanentem, sed per veram & propriam, & efficientem; anima enim produceret illas in materia, seu corpore subiecto, realiter distincto.

Probatur quarto, quia sic potentiæ non essent qualitates permanentes, quia dependerent in suo esse à perpetuo influxu animæ, idque effectiuo.

Probatur quinto. Hinc vlterius sequeretur, voluntatem & intellectum similiter in anima rationali dependere ab anima, à continuo influxu effectiuo animæ, & per consequens, non esse capaces habituum, cum eadem est ratio omnium potentiarum, quoad dependentiam in genere causæ efficientis.

Sexto sequeretur, cadauer saltem aliquandiu posse sentire, quia cum potentiæ sint entitates reales Physicæ, actu, non videntur ita euanidæ, vt ad breue tempus non possint perseuerare in corpore, cum videamus primas qualitates actiuas satis diu permanere in subiecto, non connaturali, verbi gratia, calorem in aqua.

Septimo, hinc sequeretur animam non posse commode influere in operationes vitales, tum quia simul à se fundere deberet potentias, & simul influere in actiones, tum quia potentiæ, quæ sunt immediata principia operationum, essent in subiecto distincto. Vnde vlterius sequeretur, sensationes non esse vitales, quia non procederent à principio vitæ, sequeretur etiam potentias has in homine esse veræ corporeas.

Respond. tertio, potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ si accipiantur pro sola habilitate, seu facultate operandi vitaliter, sunt in sola anima, vt subiecto inhæsionis.

Probatur ex dictis secunda conclusione, & confirm. quia potentiæ illæ sic spectatæ sunt simplices qualitates secundæ speciei, ergo sunt in vnico tantum subiecto, nisi in duobus, alioqui enim saltem in homine eadem potentia sensitiua partim esset spiritalis, partim corporalis, atqui non sunt in corpore solo, vt patet ex dictis, & quia sunt proprietates animæ, quæ debent esse in eo, cuius sunt proprietates, ergo sunt in sola anima.

Respond. quarto. Potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ, vt sunt in actu primo completo, sufficientes ex vi in actum, sunt in toto composito, non tantum denominatiue, sed & inhæsiue. Patet ex secundo notabili, & probatur ex Aristotele *primo de anima cap.* 1. *text.* 14. & 15.

& 15. & cap. 4. text 66. Vbi distinguit actionem animæ sensitiuæ, ab intellectione, in eo, quod illa fit in toto composito, & ideo ex dissoluto non remaneant, intellectio autem fit in sola anima, atque ideo etiam in ea separata remaneat, & *cap. 1. de somno & vigilia.* dicit, sentire non esse proprium animæ, & corporis, sed coniuncti, ac proinde potentiam sensitiuam, scilicet secundum esse completum esse coniuncti, idem enim subiectum est potentiæ, & operationis vitalis.

Probatur secundo, ratione, quia potentiæ illæ sunt organicæ, & per se primo defatigantur, in quo distinguuntur à potentiis inorganicis, intellectu scilicet & voluntate, quæ tamen defatigantur per accidens, defectu scilicet spirituum animalium in organo concurrente, ergo secundum aliquid sui sunt etiam in corpore, & non in anima tantum, alioqui enim non essent magis organicæ, quam potentiæ spirituales, & in homine possent separari simul cum anima, & habere actiones vitales.

Respond. quinto. Potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ partim sunt diffusæ per totum corpus, partim non.

Probatur, quia in anima rationali, quæ sola est indiuisibilis, quoad nudam facultatem, sunt omnes vtique in omnibus partibus, quæ ab anima informantur, quoad complementum vero, sunt in ea parte corporis, in qua est organum, vnde generatiuæ & sensitiuæ sunt tantum indeterminata corporis parte, nutritiua vero & augmentatiua sunt diffusæ per totum corpus, quia vbique exercent suas operationes.

Obiic. primo, hinc sequeretur potentias non esse simplices qualitates secundæ speciei, quod est contra communem sensum.

Respond. negando sequelam, quia nomine potentiæ significatur nuda facultas vitaliter operandi, quæ est simplex qualitas, residens in anima, & præcipua pars potentiæ completæ.

Obiic. secundo, ægre poterit assignari differentia inter potentias organicas & inorganicas, quia sicuti potentiæ organicæ secundum esse completum dependēt à corpore, ita etiam inorganicæ, quia intellectus, verbi gratia, non potest operari, si organum corporeum sit læsum.

Respon. negando assumptum, distinguuntur enim quod potentiæ organicæ dependent à dispositionibus corporis, & à concausis, potentiæ vero inorganicæ tantum dependent ab organo, & dispositionibus corporis obiectiue, quatenus concurrunt ad propositionem obiecti, quod intellectus intelligit.

(***)

Finis Disputationis primæ in Lib. de Anima.

DISPVTATIO SECVNDA DE POTENTIIS ANIMÆ IN PARTICVLARI.

EXpositis iis, quæ de natura animæ & potentiis in communi disputari solent, de singulis in particulari breuiter agemus. Diuidi solent in vegetatiuas, & rationales: omnes reperiuntur in anima rationali, quæ continet gradum sensitiuum & vegetatiuum, sensitiuæ & vegetatiuæ reperiuntur simul in anima sensitiua, quia continet gradum vegetatiuum, anima vegetatiua solas habet potentias vegetatiuas, de quibus primo loco dicemus.

QVÆSTIO I.

Quot sint potentiæ vegetatiuæ, & quomodo inter se distinguantur.

REspondeo tres sunt principales potentiæ animæ vegetatiuæ, scilicet nutritiua, augmentatiua & generatiua.

Probatur ex Aristotele *secundo de anima c.2.* vbi recenset tres potissimum functiones animæ vegetatiuę, nutritionem scilicet augmentationem, & generationem: singulis respondent singulæ potentiæ. Nutritio pertinet ad conseruationem nutritiui, vnde potentia nutritiua definitur ab Aristotele *2. de anima t.48.* potentia, qua viuens conseruat se, vt tale, augmentatio pertinet ad perfectionem viuentis, vt scilicet producatur ad conuenientem sibi quantitatem, generatio dirigitur ad propagationem & conseruationem speciei.

Dixi secundo, esse principales, quia sicut præcipuis istis tribus functionibus, multæ aliæ subseruiunt, verbi gratia, attractiones, distributiones, retentiones, expulsiones, quæ in stomacho, hepate, intestinis, venis, corde &c. peraguntur, & pleræque etiam in plantis, ita etiam aliæ potentiæ illis respondent, verbi gratia, attractiua, distributiua, retentiua, &c.

Sed difficultas est, an duæ istæ potentiæ realiter inter se distinguantur. Affirmant D. Thom. 1 *p.q* 78.*a.*2. & alibi. Caietanus *l.2.de anima c.*4. & alii.

Respond. secundo, potentia nutritiua non distinguitur realiter ab augmentatiua. Ita Durandus *in primo distinct* 3. *quæst.*2. Valesf. *lib.2. cont.Med.c.*20. Conimb.2.*de anima cap* 5. *q.vnica.*

Probatur, quia idem est vtriusque potentiæ obiectum, scilicet alimentum, & idem est vtriusque instrumentum, hæ potentiæ sola ratione inter se distinguuntur, vt eadem dicatur nutritiua, quatenus præcise conseruat viuens, & reparat æquale illi, quod vi natiui caloris continuo deperditur, dicatur vero augmentatiua, quatenus potest reparare maius.

Confirmatur, quia alioqui potentia augmentatiua maximo vitæ tempore maneret otiosa.

Obiic. primo, potentia augmentatiua videtur desinere, viuente ad statum perfectum adducto,

adducto, manente interim nutritiua, ergo distinguitur realiter.

Resp. negando antecedens, potentia enim semper remanet, sed non semper habet omnẽ suum actum, tum, quia est assecuta suum finem, tum quia ex parte corporis sensim debilitatur.

Resp. 2. Obiectum vtriusque potentiæ videtur distingui realiter, ergo & ipsæ potentiæ. Antecedens probatur, quia obiectum nutritiuæ est alimentum, prout est substantia, augmentatiuæ vero, prout est quantum, quæ sunt genere distincta.

Resp. negando antecedens, quia obiectum vtriusque est substantia, quanta, vnde vtriusque actio terminatur ad substantiam simul cum quantitate, augmentatio stricte sumpta tantum connotat plus substantiæ substitui, quam fuerat assumptum, & per consequens, maiorem acquirit quantitatem, maius autẽ, seu plus, & minus in eodem genere non distinguntur essentialiter.

Respondeo tertio, Verius est potentiam nutritiuam non distingui realiter, à generatiua. Ita Valesius *supra c.* 10. & Conimb. *contra Pharneliuml.* 5. *Physiologia.* 5. *c.* 3. & Tol. 2. *de anima q.* 10.

Probatur primo, ex Aristotele *hic l.* 2. *cap.* 5. vbi dicit, eadem est vis animæ nutriendi, & generandi.

Idem docet *secundo de generat. animalium cap.* 4.

Probatur 2. Quia nutritio est quędam partialis generatio, ergo potest oriri ab eadem potentia, à qua oritur generatio totalis, sicuti per eundem calorem generatur alius ignis, & idem se conseruat per aggenerationem.

Obi 1. Reperitur potentia nutritiua sublata generatiua, vt patet in senibus, ergo distinguuntur realiter.

Resp nego antecedens, quia in senibus salua est potentia generatiua, licet ob debilitatem ex parte corporis non possit exire in actũ.

Obi. 2. Potentiæ generatiuæ conuenit delineatio & formatio membrorum viuentis, quod non conuenit nutritiuæ, ergo distinguuntur rationaliter.

Resp. negando antecedens, quia etiam in nutritione delineantur partes viuentis, quantum natura exigit, singulis enim partibus alię similes aggenerantur, & in corpore grauiter læso videmus aliquando regenerari nouam partem carnis, cum suis venis, & arteriis, per modum partialis generationis.

Obiic. tertio. Potentia nutritiua est diffusa per totum corpus, generatiua residet in certa aliqua parte, vt patet in animalibus, ergo distinguuntur subiecto, ac proinde realiter.

Respondeo negando antecedens, quia potentia generatiua etiam est sparsa per totum corpus, dicitur autem esse in certa parte corporis, illa scilicet ad quam defertur superfluum alimenti, cui ibidem imprimit virtutem seminalem, quæ virtus non est potentia generatiua viuentis, sed illius instrumentum, (vt recte Conimbr. *supra*) quo mediante efficit organizationem, & introducit vltimam dispositionem ad viuens, ac educit animam è potentia materiæ.

Ex dictis sequitur, secundarias istas operationes prima conclusione allatas, non postulare potentias realiter ab aliis distinctas, sed oriri ab vna & eadem, quæ vtitur diuersis qualitatibus in diuersis partibus, nam ante vltimam alimenti conuersionem in substantiam viuentis, aliquoties ipsum alimentum substantialiter immutatur, verbi gratia, in chilum sanguinem, medullam, &c. Quo facto fiat nutritio, & quale debeat esse alimentum, explicatur *l. de generatione* de modo & ordine etiam, quo perficitur generatio viuentis, fuse Aristoteles *libro de generatione*, & *historia animalium.*

QVÆSTIO II.

Vtrum potentiæ sensitiuæ sint veræ passiuæ?

CAietanus, & alii quidam docent, ad sensationem sufficere solum receptionem speciei sensibilis, in organo sensus, ac proinde potentiam sensitiuã, non esse actiuã, quod insinuare videtur Aristoteles, multis in locis, sensationem dicens esse passionem.

Respon. 1. potentia sensitiua non est mere passiua, neq; sensatio fit per solã receptionem speciei in organo, sed ipsa potentia vitaliter influit in actum sensationis. Ita D. Thom. 1. *p. q* 56 *a.* 1. Scotus *in primo dist* 3. *q.* 7. & communiter omnes.

Probatur 1. ex Aristotele *secundo de anima c. 5.* vbi dicit, animam scil. instructam potentiis esse effectiuam sensationis, ergo supponit esse actionem.

Probatur 2. quia si sensatio fieret per solam receptionem speciei, sequeretur speculum, aquam, &c. videre, nam recipiunt in se species obiecti.

Probatur 3. Posita receptione speciei in oculis, non necessaria est visio, ergo. Visio non est nuda receptio speciei. Antecedens probatur, in animalibus, vt leone, lepore, quæ dicuntur dormire apertis oculis, & in hominibus vigilantibus, qui nimium ad res alias intenti, etiam apertis oculis non videāt res obiectas, ergo ad sensationem præter receptionem speciei requiritur actiuus influxus ipsius potentiæ.

Probatur 4. Quia sensationes omnium cōsensu sunt operationes vitales, ergo effectiue procedunt à principio actiuo interno, quod est anima instructa potentiis.

Respondeo secundo. Potentia sensitiua est actiua & passiua simul. Prior pars patet ex dictis.

Posterior probatur, quia potentia est recepta sensationis, quam elicit, sic potentia visiua producit & recipit visionem, quæ recreatio est quædam passio. Deinde antequam potentia agat, præsupponit receptionem speciei in organo, quæ similiter est quædam passio. Et ex his intelliguntur loca Aristotelis, in quibus dicere videtur sensationem esse passionem.

Petes primo, Vtrum potentia sensitiua habeat etiam actiones transeuntes.

Resp. negando, Quod enim catti radios lucis extra oculos emittunt, quibus aerem illuminant, vt noctu videant, Basiliscus visu hominem interimat, oculi mulieris mēstruatæ inficiant speculum, oculi vetularum fascinant pueros teneriores, id oritur ex qualitatibus actiuis, quæ residunt in organo, vel spiritibus, & vaporibus, qui diffunduntur per aerem, vnde huiusmodi operationes non sunt sensationes.

Petes secundo. Cum sensus tantum recipiat suum actum, & speciem sensibilem, cur vehemens sensibile dicatur corrumpere sensum.

Resp. Sensibile præcise quatenus terminat sensationem non corrumpere, sed potius perficere sensum, sicut enim est aliquid terminans extrinsece, essentialem actus & potentiæ habitudinem, sed quia sensibile frequenter est actiuum, & vim habet euertendi commodam organorum dispositionem, sic dicitur corrumpere sensum, sic sensus vehemens obtundit, & lædit auditum, quo fit vt fabri ferrarii minus bene audiant, sic etiam qui solem, vel ignem acriorem intuentur, detrimētum in oculis patiuntur.

Ex quo colligitur ratio, cur intellectus nihil patiatur detrimenti ab obiecto valde intelligibili, quia nimirum obiectum intelligibile, vt sic, non est actiuum, & intellectus, est potentia spiritalis intrinsece independens ab organo corporeo.

QVÆSTIO III.

Quomodo sensus se debeat habere circa suum obiectum?

SVppono primo, ex dictis in *textu l 2. cap. 6.* sensibile, quod est obiectum formale sensus, diuidi in sensibile per se, & sensibile per accidens, quo scilicet percipitur ratione accidētis, quod percipitur per se, sicut paries videtur ratione albedinis inhærentis, & cibus gustu percipitur ratione saporis: Deinde diuidi in sensibile commune, quod scilicet pluribus sensibus externis percipitur, & in sensibile proprium, quo vnico tantum sensu externo percipitur.

Suppono 2. licet perspectiui Vitellio *libr. 3. Optica.* & alii ponāt, sensibilia communia 20. alii plura quam 5. sed nullo determinato numero, recte tamen cum Arist. *supra* tantum assignari 5. quod cætera omnia commode ad illa possint reduci. Vide Scaliger *exerc. 298. n. 7.*

Resp. sensus debet carere gradu sui obiecti, alioqui non posset percipere omnia sua obiecta partialia.

Probatur experientia, quia tactus non percipit calorem, & alias qualitates primas, quæ sunt eiusdem plane intētionis, cum illis, quas in se habet, & gustus nō percipit alios sapores, si lingua imbuta sit liquore aliquo valde amaro, & visus non percipit varietatē colorum, si oculus

oculus sit perfusus sanguineo aliquo humore, tunc enim habent se sicuti si apposita essent perspicilia rubra, quæ omnia exhibent rubicunda, ergo vt sensus sit idoneus ad percipiendum omne genus sui obiecti, debet esse denudatus natura illius. Ratio à priori est satis difficilis, ea tamen videtur esse, quod potentiæ sensitiuæ, vtpote organicæ & materiales certam requirant qualitatum temperiem, in organo, qua iuuentur ad omnem seu obiecti differentiam percipiendam, si autem organum certa aliqua obiecti specie imbuatur, v. g oculis nigredine, cum nullus color idoneus sit ad iuuandam potentiam visiuam, vt reliquos colores percipiat, non poterit visus circa alios colores versari, vel saltem color organi cum aliis confundetur. Confirm. Quia dispositio medii impedit sinceram perceptionem obiecti, ergo & indispositio organi, quæ oritur ex præsentia particularis obiecti.

Obiic. primo, organum visus scil. pupilla est luminosa, & tamen percipit lumen, ergo sensus non debet esse denudatus natura sui obiecti.

Resp. negando consequentiam, quia peculiaris est ratio in lumine: id enim non tantum se habet, vt obiectum, sed etiam tanquam medium & ratio videndi, quo fit, vt pupilla luminosa, & transparens, aliud lumen percipere possit, alia vero obiecta non sunt rationes percipiendi.

Obiic. secundo. Intellectus non debet esse denudatus natura sui obiecti, quia ipse est intelligibilis, & intelligit seipsum, ergo neque sensus.

Resp. negando consequentiam quia intellectus est potentia vniuersalis, extendens se ad omne genus cognoscibilis.

Resp. secundo, sensus potest percipere obiectum immediate contiguum, ita vt non indigeat medio, ac proinde sensibile positum supra sensum facit sensationem. Vide Tol. *l. 3. de an. q. 2.* Probatur, quia tactus percipit calorem, frigus humorem, vt alias qualitates tactiles sibi coniunctas similiter gustus percipit sapores contiguos qui scil. attingunt neruum gustus, & olfactus percipit euaporationes odoriferas, quæ ad organum vsq; pertingunt, & auditus percipit sonum immediate ferientem tympanum, & visus percipit modicum lumen.

Vbi Nota, auditum & odoratum etiam posse percipere sua obiecta, cum medio, possumus enim odorari, quod non est admotum naribus, & audire sonum, qui non est immediate coniunctus auribus, quamuis tactus & gustus omniū commodissime percipiunt obiectum proximum, eo quod alii sensus ex præsentia obiecti per accidens facilius lædi possunt, id patet in auditu, cuius organum à sono immediato læsum aliquandiu solet tinnire.

Obiic. Color appositus oculo nequit videri, ergo verum est illud Aristotelis, sensibile positum supra sensum non facit sensationem.

Resp. axioma illud Aristotelis, habere locum in visu, respectu coloris, cuius ratio est quod ad visionem exercendam requiratur illuminatio obiecti, quod non fit, quando obiectum immediate attingit oculum, tunc enim nullum lumen intercedit.

QVÆSTIO IV.

Vtrum sensus percipiat suum obiectum absens?

Resp. sensus exterior non potest naturaliter percipere obiectum absens, siue non positum intra latitudinem sphæræ actiuitatis. Patet experientia, discurrendo per omnes sensus.

Ratio est, quia sensus est potentia determinata ac materialis, & propterea non potest ferri nisi in rem præsentem.

Dixi sensus exterior, quia sensus interior fertur in obiectum absens, imo non existens: Sic enim per imaginem res absentes ita nobis repræsentantur, ac si essent præsentes sensibus exterioribus, vt patet in somniantibus.

Dixi naturaliter, quia supernaturaliter videtur posse ferri in rem absentem, quia cum concursus obiecti non sit intrinsecus potentiæ, videtur posse à Deo suppleri: neque hinc sequeretur, sensum posse percipere non sensibile, quia licet id, quod non est, non sit sensibile per se & intuitione abstractiua tamen cognitione sensitiua Deo specialiter concurrente percipi potest.

Petes 1. Vtrum sensus percipiat suum actum proprium, v. g. visus visionem.

Respondeo 1. non percipere actu explicito & distin.

& distincto à sensatione, verbi gratia, visus non percipit suam visionem, per aliquem actum distinctum à visione, quem elicit, nec auditus suum auditionem, &c. Ratio est, quia potentia non potest ferri extra latitudinem sui obiecti, sed sensatio, quæ est id, quo obiectum percipitur, non est id, quod percipitur. Vnde non pertinet ad obiectum sensus, deinde ad percipiendum proprium actum, opus est reflexione, & iudicio, sensus autem non sunt potentiæ iudicatiuæ, spiritales, quæ se possunt reflectere supra suos actus, quare sensationes actu expresso & directo percipiuntur, vel à sensu interno, quia cadunt sub imaginationem, vel ab intellectu.

Respondeo secundo. Quilibet sensus implicite & in actu exercito percipit suum actum, quia sentit se adhibere conatum ad sentiendum, & se sentire, vnde percepit suum actum seipso, non alio actu.

Petes secundo, Vtrum sensus percipiat priuationem sui obiecti, verbi gratia, visus tenebras.

Resp. non percipere actu expresso, quia priuatio obiecti est extra latitudinem obiecti sensus, implicite tamen percepit, quatenus se cessat ab actu, & sentit se nullum, habere obiectum, in quod tendat.

QVÆSTIO V.

Vtrum sensus possit errare circa sensibile proprium?

NEgatiuam partem insinuat Aristoteles *l.2. de anima c.6.t.63.*

Pro veritate nota primo, Quæstionem esse non de errore stricte sumpto, hic enim tantum potest esse in potentia iudicatiua, sensus autem tantum est potentia apprehensiua: sed de errore, seu falsitate, quæ in simplici apprehensione potest reperiri, quæ eatenus etiam dici potest error, quatenus potentiam superiorem ad quam pertinet iudicium, inducit in errorem.

Nota secundo. Sensibile proprium alicuius sensus dupliciter posse spectari, primo secundum rationem communem, verbi gratia, albedo secundum rationem coloris, vel visibilis, dulcedo secundum rationem saporis, secundo, secundum rationem partialem, vt albedo & dulcedo, secundum partes, & specificas naturas.

Resp. Sensus non errat circa sensibile proprium, secundum rationem communem, potest tamen errare circa illud, circa rationem partialem. Vide Toletum *l.2. qu.13.* Conimbr. *ibid. c.6. q 6.* Iohannem Picum *l.4. de vanitate doct. gentium c. & l.5. c.1.* vbi multa habet de incertitudine sensus. Prior pars probatur, quia sensus non potest ferri extra latitudinem sui obiecti, siue non potest aliquid percipere, nisi sub ratione formali communi sui obiecti, vnde visus non potest percipere sonum, nec auditus colorem, hoc autem fieret si erraret circa sensibile proprium, secundum rationem communem, vt patet, & hanc partem conclusionis docet Aristoteles *supra.*

Secunda pars probatur experientia, visus enim frequenter apprehendit nigrum, quod est viride, viride quod est cæruleum, & lingua si inficiatur aliquo prauo humore, vt apparet in ægrotis, errat circa vapores, & dulce habet pro amaro. Similiter auditus sonum grauem accipit, pro acuto, vel contra, idque ratione distantiæ, vel ratione tinnitus relicti in tympano auditus, ex præcedenti sono vehementiori. Contingit autem hic error, vel ob organi indispositionem, & visus debilis circa partiales colores non ita dissitos, palatum circa sapores vel ob medii impedimentum. Sic propter medium rubrum obiecta videntur rubra, vt dum quis vtitur perspicillis rubris, vel propter obiecti distantiam.

Dices, sensus etiam videtur errare circa sensibile proprium, secundum rationem communem, quædam videntur colorata, quæ non sunt, vt iris, cœlum, color fenestræ vitreæ apparet in pariete, vbi non est.

Resp. huiusmodi colores apparentes, quæ sunt ignitiones quædam lucidi, & opaci etiã contineri intra latitudinem obiecti visus, sæpe etiam contingit error, circa subiectum, cui inest ratio communis obiecti.

Petes, an sensus possit errare circa sensibile commune.

Respon. affirmando, patet in motu, quiete, magnitudine figura & numero: nauigantibus enim videntur moueri ea, quæ sunt in ripa fluminis, cum tamen quiescant. Similiter Sol in aurora videtur tremere propter elatos vapores inter-

res interpositos, inter solem & aspectum, & contra astra videntur quiescere, cum tamen moueantur celerrimo motu, res maximæ propter distantiam videntur minimæ, turris quadrata eminus apparet rotunda, vna & eadem res ex affectione, vel eleuatione oculi, vel ratione medii simul videtur sæpius, vt patet in ebriis, & dũ oculo aliquantũ contẽto, vel per duo foramina cancellorũ aliquid inspicimus.

De speciebus sensibilibus, vtrũ ad sensationem sint necessariæ, paulo post dicemus.

QVÆSTIO VII.

De visu, & eius obiecto.

INter sensus partiales primo occurrit visus, cuius obiectum formale est visibile, habens partes, & veluti species lumen & colorem.

Resp. 1. Lumen est actus, & perfectiones perlucidæ, qua ex parte perlucida est. Ita *Aristot. l. 2. de anima c. 7.* Id est, lumen est actus sua præsentia reddens corpus seipsa, & actu pellucidum, vnde effectus formalis luminis est reddere lucidum: Duplex autem est pellucidum, vnum, quod secundum se totum tale est, idq; dicitur diaphanum, seu transparens alterum, quod in sola superficie illuminatur, vt corpus opacum recipiens lumen.

Resp. 2. Lumen nec est corpus, nec forma substantialis, sed est qualitas tertiæ speciei.

Primum probatur, quia penetratiue ponitur cum corpore diaphano, secundum probatur quia alioqui essent, duæ formæ substantiales, totales in eodem. Tertium probatur, quia est accidens actiuum, sola autem qualitas est actiua.

Resp 3. Lumen non tantum est obiectum visus, sed etiam ratio, cur colores videantur.

Patet experientia, colores enim nisi illuminentur, non percipiuntur visu, quamuis enim in se habeant inchoationem visibilitatis, ea tamen per lumen debet compleri, adeo, vt color illuminatus sit proxime visibilis, debet etiam illuminari medium interiacens inter obiectum, & aspectum, vt docet Arist. *l. 2. c. 7.* Vnde si obiectum illuminetur, & non medium, nihil videbitur Dicendum igitur noctu, quãdo videntur stellæ eminus, apparet fax in tenebris, videntur oculi felis, medium aliquo, licet exili lumine perfundit.

De lumine astrorum, & corporũ gloriosorum, eorumque inter se, & à nostro lumine distinctione vide *lib. de cœlo.* in quibus. Etiam explicari solet distinctio inter lumen, lucem, radium, splendorem, radium reflexum, refractum, &c. quæ omnia quoad essentiam, vidẽtur eadem, solo connotato diuersa.

Resp. 4. Color est terminus perspicui in corpore terminato, Ita Arist. *l. b. de sensu & sensibili cap. 3.*

Vbi Nota, Colorem dici terminum medii perspicui, quia licet sæpe per totum corpus mixtum terminans perspicuũ sit sparsus, quia tamen hic definitur, quatenus visibilis est, recte definitur terminus perspicui, quia tantum est visibilis, quatenus est in extrema superficie mixti, quæ terminat visum, & dicitur terminus medii perspicui, quia est terminus extrinsecus illius. Cum hac definitione coincidit illa, quam tradit Arist. *l. 2. de anima cap. 7. tit. 73.* Color est motiuum perspicui actu illustrati, ex qua etiam definitione probatur id, quod *supra* diximus, ad diuisionem requiri illuminationem medii.

Petes 1 quomodo colores diuidantur. Resp. diuidi in apparentes & veros: apparẽtes sunt, qui fiunt ex varia lucis applicatione, ad aliquod corpus concurrente, ex parte corporis applicati varia raritate, & densitate, & huiusmodi sunt quos videmus in iride, & nubibus diuersimode soli obiectis, quæ propter solis radios directos, vel reflexos, vel refractos modo apparent atræ, modo candidæ, rubicũdæ, cæruleæ, &c. & in corporibus vitreis solidis habentibus varios angulos, quæ certo modo oculis opposita miram exhibent colorum varietatem. Oriuntur etiam sæpe ex vario opposito verorum colorum, ad lumen, vt videre est in pennis pauonum, collo columbarum, & imaginibus ex plumis auium, vel varii coloris serico elaboratis. Veri colores sunt, qui oriũtur ex varia temperie primarum qualitatum, vt est albedo niuis, viredo plantarum, &c. quę primæ qualitates, quia sunt elementares, dici solet, veros colores oriri ex varia mixtione elementorum, id est qualitatum elementariũ, nam secundum communem Philosophorum sententiam, elementa non manent formaliter mixta, albedo igitur varias habet causas, vel enim oritur ex copia aeris, & aquę in niuibus, vel ex copia humoris aquei, non bene concocti, vt

cti, vt patet in radicibus plantarum, & canitie senum, vel ex humore & calore, vt in lacte & aqua calida, quæ albescit, & pilos dicitur dealbare, cum frigida nigros faciat. Si tamen calidum contemperetur. Sicco terrestri, habet vim denigrandi, vt patet in Hispanis, & aliis gentibus. Ad horum autem colorum generationem multum facit materiæ opacitas, quæ iuuat ad nigredinem, vel diaphaneitas, quæ iuuat ad albedinem. Secundo diuiduntur colores in extremos & medios, extremi sunt albedo & nigredo, cæteri omnes dicuntur medii, non quasi formaliter constant ex extremis & gradu remisso, cum sint simplices qualitates, sed quia, quoad speciem, ita sunt distinctæ ab aliis, vt tamen habeant aliquam affinitatem De his vide Conimb. *lib. 2. de anima c. 7. q. 1. 2. & 3.*

Petes 2. vtrum colores distinguãtur à luce.

R 1. Colores apparentes non distingui à luce, sunt enim lux varie modificata, videmus enim illos variari in pennis pauonum, vitro solido, &c. Pro vario lucis aspectu, vel diuersa distantia.

R. 2. Colores veri essentialiter distinguuntur à luce, est communis sententia contra Platonem *in Timæo* & Auicennam *l. 6. p. 3. c.* 1. Alb. Magn. *lib. de sensu & sensibili tract. 2. c. 1.*

Probatur, quia veri colores sunt qualitates permanentes in subiecto, quæ non variantur pro varietate luminis insidentis: deinde veri colores habent contrarium, vt albedo nigredinem, lux autem non habet contrarium Denique omnes luces sunt eiusdem speciei, varia autem sunt colorum genera.

Ob. 1. Color est obiectum adæquatum visus, vt communiter Philosophi, ergo lux, quæ etiam videtur, erit color.

Resp cum Conimb *supra*. Colorem subinde late sumi, prout includit lucem, & sic est obiectum adæquatum.

Obiic 2. Recedente luce nullus apparet color, ergo non videntur distingui.

Resp. negando sequelam, quia ex antecedente tantum sequitur, lucem esse rationem videndi colores, eamq; requiri, vt colores appareãt, producãtq; in medio species visibiles.

Obi. 3. Aliqui colores offendunt visum, vt albedo intensa, alii recreant, vt viredo & color cæruleus, ergo non distinguntur à luce, cui hæc videntur propria.

R. negando sequelam, quia ex antecedente tantum sequitur in albedine, v. g. esse plus lucis, quam in viredine, aut aliis coloribus, quod concedimus, quod tamen non sequitur colores illos esse essentialiter lucem.

Quos autem animi effectus in homines inducent, vide Andream, Alciatum *emb.* 107. & Commentatores *ibidem.*

QVÆSTIO VII.

De oculorum, qui sunt visus organum, interna fabrica, Figura & Situ.

De his fusius agunt Vesalius *l. 14. sua Anatom. cap.* 17. Fernelius *l. de partibus humani corporis c. 9.* Conimb. *secundo de anima c. 7. q. 6.*

R. 1. Multa ad internam oculorum fabricam concurrunt, quæ sic exhibentur, primo est humor quidam Cristallinus in centro oculi, ita dictus à viuaci pelluciditate, qua cristallum refert: secundo est tenuis quædam tunica specularis, quæ ob tenuitatem dicitur aranea, vndiq; cingens humorem cristallinũ. Tertio, hãc tunicam sequitur humor quidam vitreus, non omnino fluidus, cui humor cristallinus ita innatat, vt aliqua sui parte emineat. Quarto, est tunica reticularis, sic dicta quod in illa sint exiles quædam venulæ, sese interscecantes in modum retis, hæc complectitur totum humorem vitreum, & extendit se vsque ad eam partem, qua humor cristallinus incipit eminere. Quinto, est alia tunica vuea, quæ continet reticularem, & bonam cristallini humoris partem, ita vt in medio exiguum relinquat foramen, per quod appareat pupilla, & à calore huius tunicæ oculi vocantur canini, felini, Sexto est humor albugineus, ita dictus, quod alb uginem, oui referat. Septimo est tunica cornea, ambiens totum illum humorem, & muniens totum oculum, quam ob causam duriuscula est, sed ad tutelam pupilla. Vnde dicitur cornea: Octauo est pericraneum, quæ est tunica totum ambiens oculum, quæ illum continet in propria sua sede: Nono sunt aliquot nerui, adiuuantes motum oculorum, vnus facit ad motum sursum, alius ad motũ deorsum, duo alii ad motũ dextrorsum & sinistrorsum, & duo alii ad motum in orbem.

orbem. Deinde alius quidam è pericraneo procedens, & ligans oculum, cum cauitate ossea. Deniq; quilibet oculus habet alium neruum proprium, qui opticus dicitur, & à cerebro dimanat, primo vna & eadem via, cum enim propius accedunt ad oculos, secantur in duos, & vtrique oculo sese applicant, per hos à cerebro deriuantur spiritus animales, necessarii ad visionem.

Ex his omnibus particulis humor cristallineus est proprium instrumentū visus, vt communiter Philosophi Vide Conimb. *supra q.7.* quia eo læso experimur nos impediri à visione, cæteris saluis. Contra vero cæteris læsis, & illo saluo adhuc videmus: Est autem maxime idoneus, quia diaphanus est, mollis & tener, & aliquid lucis in se continet, vt deprehenditur ex confricatione oculorum. Vide Scaligerum *exerc.198.n 16.*

R. 2. Figura & Situs oculorum est maxime accommodatus, vide Conimb. *supra c 7.q.6.*

Prius probatur, quia sunt rotundi quæ figura est maxime idonea ad motum, oportebat enim oculos huc illucq; circumuolui ad quidlibet videndum.

Posterius, cum D. Ambrosio *l.6 hexameron.* & D. Basilio *l.11 hexameron.* Probatur, quia siti sunt in suprema hominis parte, sc. capite, vt iis vteretur tanquam speculatoribus ad bona remotiora detegenda, ac protegēda, & ad noxia eminus perspicienda & cauenda, vnde etiam nō debuerint collocari in summa capitis parte, ex qua, quæ circa nos sunt, ægre potuissent deprehendere. Accedit, quod eo loco poni debuerint, vbi ab iniuriis tutarentur, cum sint partes hominis maxime delicatæ, trecentis & amplius morbis obnoxię; eo autem loco, quē iam occupant, egregie sunt muniti: Latent enim intra cauitatem osseam, bene solidam, hinc inde fronte & naso extante, tanquam duobus propugnaculis, & genarum ossibus, tanquam vallis clauduntur, superne defenduntur superciliis, ad sudorem oculis sua acrimonia noxium, vel inhibendum, vel alio deuitandum: inuoluuntur palpebris, tanquam thoraces. Deniq; proteguntur ciliis, tanquam flabellis ad pulices, & puluisculos suo motu abigendos.

Petes cur gemini sint oculi?

Resp. quia visus ad tuendam vitam maxime est necessarius, vnde vt minimū duo à natura collocati sunt, vt si vnus casu pereat, alter necessitati sufficiat.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo fiat Visio.

Antiqua est lis Philosophorum, an visio fiat receptione scil. specierum, an vero omissione, sc. radiorum. Varia vtriusque partis argumenta habet *Alex. secundo de anima.* de quibus vide Conimb. *hic l.2.c.7 q.5.*

Resp. visio fit receptione, quando sc. potentia visiua concurrente anima, & specie visibili, per medium diffusa vitaliter in se format, obiecti similitudinem.

Probatur: Quia visio est actus immanens, & vitalis, ergo fit ab oculo, in quo recipitur, & non à radiis, extra oculum, qui vel nō dantur, vel saltem non recipiuntur in potentia visiua, & organo, quod tamen requiritur ad actum immanentem.

Dices, aquileges dicuntur visu penetrare terram, & inuestigare nouos fontes, de quibus Plinius *l 13. c.3.* & alii quidam in Hispania dicuntur latentes thesauros prodere, & alia metalla visceribus terræ inclusa, atqui penetratio est actio quædam ad extra, ergo visio fit emissione, non receptione.

R. neg. sequelam, quia fontes deprehendūtur quibusdam signis; vt si ad ortū solis tenuis nebula ex certa terrę parte exhalet, quā capite terræ applicato deprehēdunt. Similiter si frequentes ranæ ad locum illum conueniunt, signū est, ibi latere fontes: Simili modo ex herbis excrescentibus colligitur, certū genus metalli ibidem latere, thesauri vero sæpe mala arte deteguntur. Dices 2. lynx animal ex luporum ceruariorum genere dicitur transparietem res inspicere, ergo debet visio fieri alicuius emissione, quæ parietem penetret, cū species per parietem deferri ad oculum non possint.

R. hoc de lynce hyperbolice dici, eo quod visu sit acutissimo, quomodo de homine bene oculato, & prudenti dici solet, prouerbio Flādrico, Septē parites visu penetrare. Quod vero de Argonauta, lynceo dicto, refertur, illum in meridie lunam in ariete vidisse, id receptione etiam naturaliter fieri potuit, quod præcellentem oculorum aciem, adiuuante præsertim tenui nubecula interiecta, quomodo etiam à quibusdā Mercurius planetarum minimus, in meridie dicitur visus.

Petes quarto, Quomodo quidam media nocte possint videre, perinde ac in die, vt de Tiberio refert Suetonius, & de quodam Lusitano nostræ ætatis referũt Conimb. *supra q.9.*

Resp. posse fieri id, ex copia spirituum luminosorum, qui ex nonnullis cibis exquisitissimis ali possunt, & ex oculis egredientes medium illuminare, quod in quibusdam animantibus perpetuum est, vt in leonibus & felibus.

Petes secundo, cur aliqui non possint diu oculos in rem aliquam defixos tenere.

Resp. id oriri ex paucitate spirituum, quo quis pluribus abundat spiritibus, eo diutius obtutum figit.

Petes tertio, cur cum senes & lusci minus bene videant, hi obiectum admoueant, illi remoueant.

Resp senes habent parum tantum interni luminis, vnde illud coguntur comprehendere externo lumine medio. Lusci vero interno lumine abundant, vnde arcent externum, ne visus offendatur.

Petes 4. Cur ebriis & senibus visus hebescat, similiter cur ebriis omnia videantur circumagi & oculi lippiant?

Resp In senibus hoc fieri, quia deficiunt spiritus vitales & pellis cristallino humore obducta rugas contrahit, sicq; ineptior fit ad receptionem specierum, quod etiam accidit in illis, qui nimio labore fatigantur, In ebriis vero quia larga potus copia generat crassos spiritus, quibus veluti nebula oculi obducãtur, & quia ex potus intemperantia multi spiritus calidi valde mobiles generãtur, qui motu suo oculos inquietant, hinc omnia moueri videntur: deinde quia minus excoquuntur feces illorum sunt causa lippitudinis.

Petes 5. quid est quod in tenebris maxime oculis aliquantisper compressis percipiatur fulgor?

Resp. quia tunica cornea oculorum aliquid fulgoris in se habet, vt supra diximus, qui percipitur, quãdo illa compressione dimouetur, quod autem noctu clausis oculis fulgura videri videantur, ratio est vehementia illius obiecti, quod palpebras videtur penetrare.

Petes 6. Cur duo se mutuo intuentes se videant in alterius oculis.

Re. quia pupilla oculi, & tunica quæ dicitur aranea politæ sunt & leues, vt per eas sicuti per speculum species reflecti possunt, vnde dici solet, sicuti speculum est oculus artis, ita oculus est speculum naturæ. De speculo & eius vsu vide Conimb. *2. de anima c.7.q.8*

Petes 7. Cum duo sint oculi, cur obiecta non videantur duplicia?

Resp quia in eodem sunt situ & ordine, & eodem modo obiectum respiciunt, quod si vnus magis eleuetur, res duplex apparet.

QVÆSTIO IX.

De organo & obiecto Auditus.

DIco 1. Organum præcipuum auditus est membranula quędam expansa foramini aurium, quæ propterea tympanũ appellatur, in quam per neruum auditus è cerebro deuehuntur spiritus necessarii ad auditionem. In illam si defluant humores auditur quidã tinnitus quasi aquarum fluctium, absente etiam omni sono externo. Patet experientia Anatomicorum, qui negant reperiri intra aurium meatus aerem quendam natiuum, quẽ aliqui organũ auditus statuũnt: deinde ex congruẽtia tympani ad percipiẽdos sonos. Organum minus præcipuum sunt aures, quæ sunt cartilaginosæ, & auertunt noxios humores ab organo, sicuti supercilia ab oculis, & abundant obliquis flexibus, instar Labyrinthi, & meatus est tortuosus similis ne si sonus recta ingrederetur sensum læderet, id est, inungitur humore quodam viscoso, vt si quæ bestiolę eo penetrent quasi visco inhærentes capiantur R. 2. Obiectum auditus est sonus late sumptus, qui vel excitatur à corpore inanimato, vt est fragor arborum, sonus in ventorum turbine, vel à brutis vel ab homine. Constat ex communi omnium sensu, qui sonum vocat id quod mediate auditur. Re. 3. Sonus non est formaliter motus, sed qualitas quædã realis, quæ nata ex duorum corporum collisione.

Prior pars probatur, quia sonus est sensibile proprium, motus vero commune: Ergo non sunt idem. 2. Motus & Sonus habent diuersas proprietates, nam sonus est grauis, acutus, &c Motus a. tardus, velox. 3. Vbi Sonus percipi potest, quod tamẽ nullus pertingit motus Ergo sunt diuersa Antecedens probat. ex Arist. *l. 4. de hist. animalium c.8.* vbi docet, in piscatione seruandum esse silentium, ne pisces ad strepitum fugiant, motus tamen ille aeris qui oritur ex locutione non penetrat aquas, idem experien-

experientia docet in vase terreo vndequaque obturato in quo, si quippiam inclusum agitetur, percipitur sonus, cum tamen aer motus inde non ingrediatur. Hinc sequitur altera pars conclusionis.

Dices 1. Aristoteles *lib.* 2. *c.* 8. & alibi dicit: Sonum esse motum.

Respond. discussiones Aristotelis esse veras in sensu quodam causali, qui sonus sequitur motum, sic enim res naturalis secundum propriam essentiam minus perspectas explicamus per causas.

Dices 2. Sonus nec est qualitas prima, nec secunda. Ergo non est qualitas sed motus. Antecedens probatur, quia non est ex quatuor illis communibus vt patet, nec etiam ex illis resultat, vt omnes fatentur.

Respond. posse dici qualitatem primam sicuti lux, quæ etiam inter quatuor illas communes non recensetur, quia nomine primarum tantum intelliguntur quatuor tactiles, calor scilicet, frigus, humiditas, siccitas: audibiles tamen & visibiles aliæ esse possunt, posset etiam sonus dici qualitas secunda, non quasi à primis tactilibus producta, sed quia est secundarius terminus motus.

Dices 3. Sonus successiue producitur & corrumpitur sicut motus. Ergo erit motus.

Respond. Nego consequentiam, quia imitatur naturam motus, licet ipse motus non sit.

Petes: Vtrum saltem ex motu producatur?

Respond. negando, quia motus non est per se productiuus alicuius qualitatis realis, sed tantum est via ad vbi, consequitur tamen motum, quia interuenit in collisione corporum sese mutuo verberantium, producitur autem per distinctam actionem, quæ soni productio siue sonalis dicitur.

Pro quo nota: ad soni productionem requiri corpus percutiens, secundo percussum, 3. Subiectum soni, quæ tamen non semper supposito distinguuntur, plures enim partes corporis, supplent vires trium, & in tempestate, quando colliduntur venti, tantum est occursus diuersarum partium aeris, & in fluctibus maris, in virgula autem aerem diuerberante tantum sunt duo diuersa corpora, aer vero supplet vices duorum, scilicet percussi & medii. In campana sunt tria, malleus, æs, campanum, & aer, quem autem motum sonus consequatur, verbi gratia, an mallii, an æris campani, an aeris medii agitati & resilientis dubium est, de quo vide Toletan. *quæst.* 20. & Conimb. *l.* 2. *c.* 8. *q.* 2.

Respond. communiter diuidi in naturalem & artificialem, in rectum & deflexum, acutum & grauem, &c. Ex his rectus dicitur, qui recta procedit per medium, reflexus est; quando aer vel aliud in quo sonus producitur occurrens alicui corpori repercutitur, sicuti pila proiecta à corpore solido reuerberatur, & hic dicitur Echo. Ex quo colligas cum Toleto, Echo esse species eiusdem numero soni reuerberatas à loco concauo, quę iterato exhibent primam vocem, quia loci concauitas vocem articulatam efformare non potest, cum nulla instrumenta quantumuis artificialia, vt sunt Musica, tibia &c. suis modis nullo modo id possint. Diuidi etiam solet sonus in perfectum & imperfectum. Imperfectus est qui oritur ab inanimatis: Perfectus qui ab ore animalis, & dicitur vox, de quo Aristoteles 2. *de anima cap.* 10. vbi describit esse pulsum respirati aeris ab anima profectum per instrumenta vocalia, qui sonus si proficiscatur ab homine & sit articulatus dicitur sermo.

Petes 3. quænam instrumenta ad vocem edendam concurrant?

Respond. ex Tolet. *quæst.* 23. primo concurrere pulmones, quæ sunt materiæ natura spongiosæ, aerem attrahentes ad refocillandum cor, & formandam vocem; per respirationem, vnde quæ pulmonibus carent muta sunt, vt sunt pisces: 2. sunt musculi quidam quorum virtute motiua pulmones contrahuntur, & magna vi aerem expellunt. 3. est aspera arteria quæ est veluti fistula & via qua aer ad pulmones transit & ab iis amittitur. 4. est larinx, membrana scilicet cartilaginosa quæ os claudit arteriæ, ne quid cibi vel potus influat, quæ in respiratione vicissim aperitur & clauditur instar follium, & in hanc aer immissus sonum facit. 5. est lingua quæ maxime est necessaria ad vocem articulatam, per quam aer immissus varie illiditur cauitatibus palati & dentibus. 6. Est ipsum palatum quod natura partim leue est, partim rugosum ad sonos varie modificandos, & quasi concameratum ad solidum instar fornicis ad meliorem reuerberationem. Denique sunt dentes, quia sola duritie & situ cauo vocem re-

 percu-

percutiunt, quo fit, vt qui dentibus incisoribus carent minus apte loquantur, labia etiam ad repercussionem aliquid conferunt, saltem in pronuntiatione quorundam verborum, vt patet in voce Bibere & similibus.

Petes 4. Vnde oriatur soni grauitas & acumen?

Respond. Soni graues procedunt ab aere segniter agitato, saltem pro ratione multitudinis aeris, quo fit vt tormenta bellica licet magna vi aerem pellant, quia tamen multum aeris cient, grauem edunt sonum. Deinde oriuntur ex latioribus organis vocalibus, vt patet in Musicis, qui Bassum canunt, vel quando aer crassior mouetur, vt contingit raucis. Soni acuti & contra, procedunt ab aere celeriter agitato. Ideo autem celeriter propellitur quia est exiguus, vnde ægroti, senes exilem edunt sonum: deinde oriuntur ex instrumentis vocalibus angustioribus, quæ parum aeris complectuntur, vt videre est in fœminis, pueris, flentibus & vocem simulantibus.

Petes 5. Cur bene poti frequenter balbutiant?

Respon. quia cerebrum potus copia nimia humiditate perfunditur, qua lingua prægrauatur, & ideo musculi non sunt satis firmi & expediti ad volubilitatem.

Petes sexto. Cur metuentium vox sit tremula?

Respond. quia trepidantium cor concutitur propter emigrantem calorem, vnde velut ictus qui sunt causa tremulæ vocis.

QVÆSTIO X.

Quod sit soni subiectum?

RESP. Esse aerem, aquam, imo & ignem De aere probatur quia is recipit sonũ, quando inter duo corpora solida colliditur. De aqua probatur, quia pisces intra aquas sonum reddunt & audiunt; vehementior tamen est in aere, quia est corpus aptius, in aqua non nisi obtusus sonus formari potest. De igne probatur, quia in nostro igne vastissimo fiunt & audiuntur crepitationes lignorum ingestorum, vnde etiam ignis Elementaris purior & rarior aptior erit recipiendo sono.

Dices primo, Aristoteles 2. *de anim. cap.* 8. docet: solum aerem pulsum esse subiectum soni.

Respond. Ibi tantum recenseri subiectum principalius.

Dices secundo. Intra aquam potest contineri aer, cuius attritu fiat sonus & is erit subiectum, non aqua.

Resp. Nego assumptionem, quia aer natura sua postulat esse supra aquam.

Petes 1. Vtrum corpora solida, verbi gratia, cœlestia sint subiectum soni. Ratio dubitandi est, quia beati in cœlo Empyreo sibi mutuo loquentur & cantabunt Dei laudes ex illo *Psalm.* 149. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in gutture illorum, Ergo corpus illud cœleste solidum est capax soni.

Respond. Negando: De modo autem quo beati voces formabunt, & audient, dissentiunt Theologi, qui existimant cœlum Empyreum esse vndequaque solidum tanquam ære fusum, vt loquitur Iob, dicunt beatos habituros pulmones, stomachum, guttur & alias corporis cauitates plenas aere, quem hinc in cœlum deferent, & illum, dum loqui volent aut canere, sursum attracturos & allisuros palato & dentibus, sicque formaturos vocem, ita tamen, vt nihil illius aeris emittant, sed per corporis poros ac priores cauitates redire faciant, assidua quadam velut in orbem conuersione. Species vero audibiles diffundendas per medium solidum, sed nihil est quod nos redigat ad has angustias, verius enim existimo cœlum Empyreum non esse vi ex parte solidum instar montis ærei, in quo nulla sit cauitas, nulla natura liquida seu spirabilis, sic enim non esset idoneum habitationi humanæ, nec haberet illam amœnitatem & commoditatem, quam communis descriptio SS. Patrum illi tribuit, loquuntur enim de cœlo tanquam de ciuitate amœnissima & commodissima ad vitam & habitationem. Vide Riberam & alios *in cap.* 21. *&* 22. *Apocalypsis*. Idem habet communis conceptus fidelium. Dicendum igitur, ibi esse corpus aliquod spirabile, cœlestem scilicet auram, instar aeris, quam beati possent attrahere & exspirare si velint, ac proinde cœlum empyreum constare tribus partibus, quarum inferior si solida, & præbeat beatis solum, sicuti terr[a] mortalibus, media sit spirabilis circumqua

que dif

que diffusa, sicut aer circa terram, suprema iterum sit solida, includens & coercens illam naturam spirabilem, & patet, hinc non probari, corpus solidum non esse subiectum soni.

Petes 2. An, vt sonus percipiatur debeat multiplicari secundum entitatem realem vsque ad organum auditus.

Respond. Negando; quia incredibile est, aerem per aliquot milliaria agitari & sonum recipere, dum campana pulsatur, vel exploditur tormentum bellicum, deinde interdum percipimus sonos ex minima collisione corporum, qua totum aerem intermedium concitari non est probabile. Denique pisces etiam immota aqua sonos percipiunt, dicendum igitur, sufficere diffusionem specierum audibilium, vsque ad auditum, sicuti vt visus percipiat colorem, sufficit diffusio specierum visibilium, vsque ad oculum, neque opus reali applicatione istius coloris ad oculum. Qui negant species, dicunt sufficere sonum esse intra sphæram auditus.

QVÆSTIO XI.

De organo & obiecto Odoratus.

DIco primo. Organum odoratus sunt duæ carunculæ, quæ in suprema parte narium nonnihil protuberant instar papillarum mamillarium, vnde mamillares dicuntur. Est iam communis sententia. Vide Conimb. *2. de anima cap. 9. q. 3. art. 1.* Tolet. *ibid q. 26.*

Probatur 1. quia nihil est aliud quod commode assignari potest, non ipsum cerebrum, quia illud non percipit oblectationem vel dolorem, quam olfaciendo sæpe sentimus, tum quia odor percipitur in naribus, vbi non est cerebrum, neque etiam est interior pellicula narium, quia non percipimus odores, nisi abstractione aeris altius odorem vel eius speciem hauserimus: nec os foraminosum quod tubiculis subiicitur, & supra nares emittet, quia ossa, cum sint naturæ terrestris, non sentiunt.

Probatur secundo, quia cum illæ carunculæ obsitæ sunt densioribus cerebri purgamentis, impedimur ab olfactu.

Dico 2. Organum olfactus commode ante cerebrum ponitur, vt scilicet veluti explorator odorum qui cerebro nocere possunt aut prodesse.

Dico 3. Obiectum adæquatum olfactus est odor, qui est qualitas proueniens ex mixtione primarum qualitatum, sic tamen vt calidum & siccum prædominentur. Dico prædominentur, quia debet adesse aliquid humoris, vnde quæ omnino sicca sunt & arida nullum odorem continent, vt patet in lignis odoferis in cineres redactis; excellentiores tamen sunt illi odores, in quibus siccum prædominatur, quia si res bene odoriferæ vt aromata nimis humectentur, minus vel nihil olent. Debet etiam adesse calor qui humidum concoquat; vnde odorifera si calefiant magis redolent, hinc rosæ magis reddunt odorem tempore æstiuo quam verno, similiter sitæ iuxta allia, quæ calida sunt; eandem ob causam putatur Alexander Macedo suauissimum odorem emittere solitus, quod præsertim eæ esset naturæ; ob contrariam causam in hyeme odor vel perit vel flaccescit.

Dices 1. Sanguis in quo prædominatur humor aliquando continet odorem, similiter multi cibi simul sunt odoriferi & sapidi, sapor autem requirit humidum. Ergo odor non oritur ex prædominante siccitate.

Resp. Sanguinem concretum subinde esse odore præditum propter spiritus calidos & siccos, quos continet & à se diffundit. Ad posterius respondeo, in quibusdam rebus humidum & siccũ mediocriter permisceri, sicut humor faciat sapidum & siccitas odoriferum, & talis odor ordinatur ad alimentum, & illi coniungitur ad excitanda bruta quæ olfactu maxime vtile alimentũ ab inutili decernunt.

Dices 2. Odor corroborat cerebrum vel debilitat, imo & interdum hominem enecat. Ergo non est qualitas sed substantia.

Resp. Nego consequentiam, illud enim fit ratione euaporationum, in quibus odor continetur, quæ temperie sua & mediocritate, vel intemperie & copia cerebrum iuuare possunt vel ferire.

Nota: Homines qui olfactum habent obtusiorem non percipere exacte odorum differentias, hinc paucæ admodum odorum species nobis sunt notę, sed eas fore dicimus gratas vel ingratas. Vide Aristot *2. de anima c. 9.*

Dico 4. Subiectum connaturale odoris est corpus mixtum. Probatur, quia oritur ex com-

commixtione 4. primarum qualitatum, quæ tantum reperitur in mixtis, potest quidem aer (vt probabilior habet sententia) recipere odores, si nimirum corpus odoriferum producat odorem sibi similem in aere, quo tamen casu aer non est subiectum connaturale odoris, vnde facile euanescit.

Dico 5. Odores tripliciter diffundi possunt per medium vsque ad organum olfactus, 1. per realem euaporationem rei odoratæ, sicut ab ea egrediantur halitus, in quibus tanquam in subiecto odor residet, sic rosæ, poma & id genus alia respirant odorem, vnde sensim marcescunt, & rugas contrahunt, quasi exhausta effusione halituum odoratorum, & sæpe res non redolet, nisi ita calefiat vt halitum exspiret, vt sunt Thus & thymiama, experimur etiam res odoratas in vase cooperto existentes sensim odorem emittere, si detegantur, quasi scilicet substantialiter euaporant & imminuuntur. 2. diffunditur odor per productionem odoris sibi similis quamuis aliqui id negent, ita quædam aromata odorem reddunt, vt diutissime primum vigorem seruant, vt non sit verisimile tamdiu diffundere exhalationes odoriferas. Deinde percipitur res odorifera editiore loco posita ab iis qui inferius sunt, ac proinde non ratione exhalationum quæ natura leues sunt & non descendunt. 3. Videtur odor diffundi per species odorabiles. Probatur, quia sensatio odoris fit ad magnam distantiam, vt patet in vulneribus, qui dicuntur ad multa milliaria odorari, non est autem verisimile vaporem aut odorem realiter diffundi ad tantam distantiam, deinde per species videtur percipi res odorata in notabili distantia supra nos posita.

Petes 1. Cum animalia respirantia non percipiunt odorem nisi respirent si odor diffunditur per species odorabiles.

Respond. quia via ad organum olfactus arcta est, & per attractionem & ingressum aeris dilatatur, vt applicari possit odor vel eius species, alioqui sicuti auribus clausis auditus non percipit sonum, ita occlusis carunculis mamillaribus odoratus non percipit odorem.

Petes 2. Cur homines boni odoratus sunt hebetis ingenii?

Resp. quia calor & siccitas quæ est optima dispositio organi odoratus nocent cerebro, & per consequens ingenio.

QVÆSTIO XII.

De organo & obiecto Gustus.

Dico 1. Organum Gustus est lingua & palatum, vel potius nerui quidam in lingua & palato protensi, scilicet præcipua istius pars sit in extremitate linguæ, vt experientia docet.

Probatur, quia nerui illi sunt molles & lingua est etiam rara & corasa ac proinde accommodata gustui.

Vbi nota: ex dictis *supra* organum gustus requirere immediatum contactum sui obiecti, ita vt operatio eius non possit fieri per medium, & ratio huius est, quia gustus est potentia valde materialis.

Dico 2. Obiectum gustus est sapor, qui est qualitas proueniens ex mixtione primarum qualitatum, in qua humiditas & calor prędominantur, magis tamen calor.

Vulgares saporum species sunt: dulcis, amarus, salsus, austerus, acris, acerbus, acutus, de quibus vide Tolet. *2. de anima quæst. 29.* & Conimb. *ibid. cap. 10. quæst. 1. art. 2.* vbi quædam dam probabiliter afferunt de modo quo singulo sapores generantur.

Petes: vtrum dulcis & amarus sunt extremi sapores?

Respond. distinguendo, si sapores extremi sumantur in ordine ad gustum cuius sunt obiectum, dulcis & amarus sunt extremi, quia dulcis maximam habet conuenientiam cum gustu, è contra vero amarus, qui maxime est ingratus, & reliqui sapores magis vel minus ad hos accedunt. Si vero extremi sapores sumantur in ordine ad subiectum & causas, non sunt extremi, quia dulcis fit ex temperato calido & humido, amarus vero ex vehementi calore & siccitate quæ combinationes qualitatum sibi inuicem non repugnant extremæ.

QVÆSTIO XIII.

De organo & obiecto Tactus.

Dico 1. Organum Tactus non est solus neruus sub cute diffusus, (vt quidam existimant) sed est quæuis animalis pars, quæ non sit nimium terrestris vel ardua, vt sunt caro, cutis, nerui, venæ, arteriæ &c. Est modo

modo communior sententia & patet experientia.

Dico 2. Obiectum Tactus præcipuum sunt 4. primæ qualitates, scilicet calor, frigus, humor, siccitas, minus præcipuum sunt grauitas, leuitas, durities, mollities, ariditas, lubricitas, asperitas, lenitas, crassities, tenuitas, de quibus Aristoteles 2 *de generat. cap.* 2. quæ omnes qualitates communi nomine dicuntur tactiles, siue tactu perceptibiles.

Vbi nota 1. Qualitates primas corporis tangibilis non percipi à tactu, si sint æqualis intensionis in organo tactus, (vt *supra* diximus,) tum quia intus existens prohibet extraneum, vt dici solet, tum quia primæ qualitates percipiuntur à tactu mediante aliqua actione illarum in tactum, simile autem nihil agit in sibi simile.

Nota 2. tactum non percipere qualitatem inhærentem suo organo, vt cæteri sensus, percipere tamen obiectum sibi immediate coniunctum, vt patet, licet etiam per medium aliquas qualitates percipiat, verbi gratia, manus notat duritiem lapidis per pannum interiectum, vel aliquod aliud simile corpus tractabile, modo non sit fluens aer vel aqua, hæc enim cedunt manui contrectanti obiectum.

Dices: Si organum Tactus sunt caro & nerui, non distinguetur ab organo Gustus in Lingua.

Respond. Nego assumptionem, quia licet organum tactus simul cum organo Gustus in lingua, non tamen vbicunque reperitur organum tactus, reperitur etiam organum gustus, vnde distinguuntur subiecto adæquato & etiam obiecto, vt diximus. Subinde tamen tactus sumitur pro omni potentia sensitiua, quæ indiget contactu obiecti, vt illud percipiat, & talis tactus comprehendit gustum & tactum.

QVÆSTIO XIV.

De numero sensuum exteriorum.

Dico 1. licet nihil implicet plures esse sensus externos quam quinque, de facto tamen tantum sunt quinque.

Prior pars probatur: quia numerus sensuum pendet à libera Dei voluntate, qui videtur alios & alia sensibilia posse producere, quæ vero implicantia?

Posterior pars diuersimode probatur, sed argumentis probabilibus; vide Tol. 3. *de anima quæst.* 1. Conimb. *ibid. cap.* 1. *quæst. vnica, art.* 2. Probatur, sunt tantum de facto quintuplicis generis sensibilia propria scilicet lumen & calor, siue visibile, sonus, odor, sapor & qualitates tactiles, similiter quinque sunt diuersa organo, in quibus diuersæ cernuntur operationes, Ergo tantum sunt quinque sensus, cum homini in quo animalis natura est perfecta plures non insint, illisque habitis quiescat.

Dico 2. Animalia perfecta habent omnes sensus, imperfecta vero pro diuerso gradu carent vno vel pluribus, omnia tamen habent tactum. Cuius ratio est, quia tactus est maxime ad vitam conseruandam necessarius, cum versetur circa primas qualitates, quarum excessus vel defectus multum nocet animali: Deinde quia eius organum facile resultat ex mixtione primarum qualitatum, vtrum autem solus tactus in aliquo animali possit reperiri res est dubia. Affirmatiuam partem insinuat Aristot 2. *de anima cap.* 2. Si de facto non dentur huiusmodi animalia, certum videtur dari posse, ita vt alimento alantur tanquam calido vel frigido non vero sapido.

Obiicitur 1. Videtur sufficere vnicus sensus qui in cerebro residens in diuersis organis diuersas habet operationes; vnde obstructo cerebro multæ sensationes impediuntur.

Respond. Nego assumptum, quia obiecta formalia specie distincta, similiter & organo adeo diuersa distinctas arguunt potentias, quod si aliquando obstructio cerebri impediat sensationes, id fit, quia spiritus animales necessarii non deriuantur ad organa viis interclusis.

Obiic. 2. Videtur assignandus alius sensus quo percipiantur fames, sitis, dolor, voluptas, &c. Ergo sunt sex.

Respond. Nego antecedens, quia fames materialiter est quædam contorsio; quia venæ conantur extrahere à stomacho sanguinem in alimentum, quæ contorsio sensu tactus percipi potest, formaliter autem est appetitio cibi, quæ non sentitur directe per alium actum, sed indirecte, & in actu inexercito, quatenus est actio vitalis elicita & recepta in appetitu sensitiuo, quomodo diximus, omnes sensus percipere suos actus. Idem est de

 siti,

siti, voluptate etiam, & dolore, quæ formaliter sunt actus appetitus sensitiui, quatenus vero materialiter illis coniũcta est restrictio vel dilatatio cordis possunt sensu tactus percipi.

Petes circa secundam conclusionem, vtrũ Talpæ habeant visum?

Resp. Talpas annumerari animalibus perfectis, quæ se sui similis sunt generatiua sanguinea & progressiua, ac proinde etiam habere visum, vt patet ex organo sc. oculis, quibus crassior quædam pellicula à natura accommodata est, qua facile tegi possunt, ne inter fodiendum lædantur, quæ causa est, cur quidã dixerint Talpas non videre, quod etiam insinuat Arist. 1. *de histor. animalium cap. 6.*

QVÆSTIO XV.

Quis sit ordo perfectionis inter sensus?

Dico 1. Si spectentur secundum rationem essentialem primus perfectione est visus. 2 loco auditus, 3. odoratus, 4. gustus, 5. tactus.

De visu probatur ex obiecto, scilicet lumine, qualitate corporea nobilissima & colore. Deinde ex modo operandi, is vero est valde abstractus à materia, vnde in obiectum maxime dissitum fertur, & quidem in instanti, v. gr. ad corpora cœlestia. Accedit mirabilis ipsius structura & constitutio in sublimi corporis parte, similiter voluptas quæ ex rebus visis percipitur & proxime accedit ad spiritales, arguit etiam eius dignitatem, vti & tristitia de amissione potentiæ seu organi visiui.

De Auditu patet ex obiecto, licet vero sonus sit qualitas quædam imperfecta, tamen propter conceptum & harmoniæ proportiones percipiendas requiritur potentia satis eleuata & abstracta. Probatur etiam ex delectatione quæ percipitur auditu, quia valde accedit ad spiritualem.

De olfactu probatur, quia odor est nobilior obiecto aliorum sensuum, quoad immutationem organi, quia non debet realiter cõiungi.

Sequuntur gustus & tactus quæ sunt potentiæ valde materiales, quæ contactum requirant, vt obiecta percipiant, & quidem tactus realiter ac Physice alteratur à primis qualitatibus, vnde licet obiectum tactus, primæ scil qualitates nobilitate non cedant obiectis aliorũ sensuum, visu excepto, quia tamen modus, quo in illas fertur, adeo est materialis, cęteris sensibus postponitur.

Dices 1. Tactus est gratior visu & magis necessarius, Ergo nobilior.

Resp. nego consequentiam, est enim gratior ratione vtilitatis, quia nimirum requiritur ad conseruationem vitæ.

Dices 2. præstans tactus arguit bonitatem ingenii. Ergo habet affinitatem aliquam cum potentiis spiritalibus, & per consequens est nobilior cæteris sensibus.

Resp. iudicare bonitatem ingenii à posteriori, quia se præstans tactus oritur ex temperata commixtione. 4. primarum qualitatum quam in homine consequuntur optimi spiritus deseruientes operationibus sensibus, & bona constitutio organorum, à quibus intellectus in exercitio multum depẽdet, vnde qui molles habent carnes, mollities sc. quæ oritur ex puro sanguine, fere sunt ingeniosi, vt sunt sanguinei, alioqui mollities, quę ex abundantia pituitæ, vt in fœminis, ortum habet, nihil confert ad bonitatem ingenii.

Petes, quomodo præstantia tactus, ratione optimi temperamẽti, quod supponit, sit signũ boni ingenii, cum Arist. *sect 30. probl. p. 1.* testetur, omnes qui in Philosophia administrationem Reip. Poesi excelluerunt fuisse Melancholicos, Melãcholia autẽ est frigida & sicca.

Resp. Melancholiã quidem si cæteros humores superet, & nimis excedat, reddere hominem stupidum & ignauum, si tamen puro sanguine & cholera siue calore temperetur, vt fit in sanguineis maturis & occupatis, tum multũ promouet labores ingenii, & hoc voluit Arist Ratio à priori est, quia calor conducit ad celeres motus & inuentiones, melancholia vero reddit hominem quietum, vni rei intentum, nec per multa diuagantem, vt ea quæ inuenerit diligenter perpendat, examinet, &c. quibus modis scientiæ & artes comparantur licet alioquin ingenium in se minus sit excellens.

Dico 2. Si sensus spectentur prout inseruiunt scientiis, maxime vtiles sunt Visus, Auditus & Tactus.

De Visu probatur, quia cognitio visiua est certissima

certissima & exacta scientia Physica, Astrologica, Geometrica ab illa multum dependet. Deinde visus comparatur experientia & aliorum facta scriptis mandata leguntur.

De Auditu probatur, quia deseruit sciētiis, quæ tradūtur per magistrum, similiter & Prudentiæ, dum varii rerum euentus ex aliis audiuntur, vnde dici solet sensus scientiæ & disciplinæ, sc. prout ea per magistrum tradūtur, alioquin scientia sæpe per propriam inuentionem ministerio visus vel tactus comparatur; cedit autem Auditus visui, quia tantum generat fidem ac leuem opinionem, quæ non parū dependet ex pia volūtatis affectione erga narrantem, cognitio autem visus generat exactā & experientalem rei cognitionem.

De Tactu probatur, quia percipit primas qualitates, quarum cognitio aliquid confert ad notitiam effectuum naturalium, gustus vero & odoratus parum conducunt, vt patet, & præsertim odoratus qui in homine est hebetior, cuius causam mox dicemus.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum homo in sensibus superet Animalia?

RESP. Hominem in Tactu superare cætera Animalia. Ita Arist. 7. *de anima c.9* Ratio est, quia tactus eo melior est, quo magis denudatur natura sui obiecti, optime autem denudatur, quando primæ qualitates ad mediocritatem sunt redactæ, atqui tactus in homine talis est, quia in homine maxima est qualitatum temperies. Ob eandem causam putatur superare cætera animalia gustu, qui sensus proxime conuenit cum Tactu, vnde quod Simia passim dicatur excellere gustu, inde ortū est, quod animal gulosum sit, & in alimenti sumptione multas edat gesticulationes. Putat tamen Scaliger gallinas gustu excellere, vtpote quæ obiectum percipiant sine humore. In aliis tribus sensibus, verisimile est superari ab aliis animalibus, & inprimis in odoratu omnibus pene cedit quoad facilitatem & intēsionem, nam in visu superatur ab aquila, quæ directis oculis clarissimum Solem potest intueri: in auditu superatur à porcis.

Petes, quare odoratus in homine ita sit hebes?

Resp. quia eius organum situm est iuxta cerebrum, quod in homine maxime est frigidū & humidum, vt sc. melius seruiat cognitioni, quia calor agitat & cōturbat spiritus animales, vnde perpetuo deflexu excrementorū frigidorum & humidorum è cerebro male afficitur, ac proinde minus distincte odores percipit, cum organum Olfactus requirat siccam temperiem, quibusdam tamen placuit odoratum hominis quantumuis hebetem esse simpliciter perfectiorem odoratu aliorum animalium, quia extendit se ad nobiliora obiecta, percipit enim odores non coniunctos alimento, vt in floribus, qui tamē sunt perfectissimi & multum illis delectatur. Cætera animalia fere tantum percipiunt odores coniunctos saporibus & alimentis, vt scilicet vtilia discernant alimenta.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum dentur species sensibiles?

ARTICVLVS PRIMVS.

Explicatur Natura Specierum.

QVi Species admittunt, dicunt 1. illas esse reales qualitates productas in medio & organis sensuum ab ipsis obiectis, v.g. coloribus, sonis, odoribus, &c. easque ex natura sua esse repræsentatiuas obiectorum, à quibus dimanant, & sine illis obiecta quorundam saltem sensuum percipi non possunt.

Dicunt 2. eas vocari intentionales, nō quasi non sint reales quo sensu entia rationis dicuntur habere esse intētionale, sed 1. quia habent esse aliquod incompletum & imminutū degenerans à realitate obiectorum, quæ repræsentant primo modo, etiam lumen à quibusdam dicitur esse in mēdio intentionaliter, si referatur ad illud esse, quod habet in corpore luminoso. 2. quia hæ species requirūtur ad cognitionem, quæ vocatur intentio. 3. quia sunt id quo potentia tendit in sua obiecta.

Dicunt 3. has species produci ab obiectis in instanti per totum medium, sicuti lumen à corpore luminoso, non tamen ita dependere ab obiectis, quin possint sine illis aliquandiu perseuerare, si non in medio, saltem in orga-

no sensus, sic vero experimur, quando album vel aliud coloratum fictius ac diutius aspeximus, illo remoto percipere aliquam adhuc speciem albedinis vel alterius coloris.

Dicunt 4. Species esse qualitates materiales & diuisibiles, extensas per modum, sicuti aliæ qualitates reales, verbi gratia, calor productus ab igne, lumen à corpore luminoso, quia scilicet fiunt à re diuisibili, nimirum à coloribus, odoribus & sonis extensis in subiecto diuisibili diaphano scilicet aere vel aqua.

Dicunt 5 quamlibet speciei partem repræsentare totum obiectum, quia quælibet pars quantumuis exilis producta est à toto obiecto, ita vt in specie totali non sit assignabilis pars aliqua, quæ producatur à certa parte obiecti, & alia ab alia parte, sed omnes & singulæ partes dimanant à toto obiecto non impedito, sicuti ignis qui est in aere producitur à toto igne secundum omnes partes, & lumem à toto corpore lucido, ita vt non sit assignabilis in in igne vel corpore lucido aliqua pars quæ calefaciat vel illuminet aliquam determinatam medii partem

Dicunt 6. licet obiectum vnicam tantum per totum medium diffundat speciem, communiter tamen dici obiectum transfundere suas species, non quasi plures sint totales, sed quia singulæ ipsius partes sunt repræsentatiuæ totius obiecti, & sic singulæ partes sunt totæ totalitate repræsentationis, & vnica species totalis virtualiter est multiplex.

Dicunt 7. Species illas concurrere ad sensationes non tantum obiectiue, sed etiam affectiue, eo fere modo quo habitus concurrunt ad actus similes illis à quibus sunt producti. Ita D Thomas 1. *part quæst. 56. artic.* 1. Scotus & alii, vnde pertinent ad primam speciem qualitatis, vt annotauit Suaretz *d sp* 42. *sect* 5. *num.* 16. quia scilicet per se primo ordinantur ad operationem, non tamen dant primam vim agendi, sed illam supponunt & determinant.

Dicunt 8. aliqui probabilius species dici imagines obiecti, simulacra, formas, &c. non quod non sint formales illius imagines, sed quia effectiue illud repræsentant, quatenus sunt veluti semen seu instrumentum obiecti ad efficiendam formalem repræsentationem intentionalem, quæ fit per sensationem. De his & similibus vide Tolet. *lib. 2. de anima quæst.* 34. Fracostorium *lib. de sympathia & antypathia cap.* 13. *& lib.* 1. *de intellectu.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resolutio Quæstionis.

RESpond. Verius est dari species sensibiles saltem pro visu, auditu & odoratu.

Est communior sententia D. Thom. 1. *part. q.* 55. *artic.* 1. & Molinæ *ibid. artic.* 2 Scoti *in* 2. *distinct.* 3 *quæst.* 10. *&* 11. Et aliorum, quos citant & sequuntur Conimb. 2. *de anima c.* 6. *q.* 2. *artic.* 2.

Probatur 1. ex Aristotele *lib. 2. de anima text.* 62. *&* 121. *& lib. de Memoria cap.* 1. vbi hoc expresse docet, vnde sententia hæc dicitur Peripatetica.

Ratione probari solet ab iis, qui negant actionem in distans, quod scilicet obiecta coniungantur potentiæ per species, sed hæc ratio in doctrina nostra nihil euincit, vnde potissimum probatur experientiis, quæ non videntur posse saluari sine speciebus.

Primo enim patet ex vsu perspiciliorum, quæ res exhibent maiores vel minores prout varie adaptantur, non aliam ob causam, quam quia colligunt vel augent species.

Secundo videmus minus res distitas quam propinquas, quia scilicet species remotiores ab obiecto sunt languidiores.

Tertio non videmus nos ipsos, neque res retropositas, nisi in speculo. Pupilla alteri⁹ vel alio corpore leui, idque quia transmittitur species nostri vel retropositæ rei vsque ad speculum, quæ inde reflectitur ad inspicientem.

Quarto Nummus aliquis in fundo vasis pleni aqua apparet maior quam in vase vacuo, imo quod in fundo vasis antea non videbatur, postmodum infusa aqua videtur, quorum ratio est, quia species in aqua tanquã in medio densiori refrãgũtur & multiplicantur.

Quinto Baculus integer altera sui parte aquis immersus apparet fractus, quia scil. aliter traiiciuntur species per aerem à parte baculi, quæ aquis supereminet, & aliter per aerem & aquam, quam ea parte quæ latet sub aquis.

Sexto Eminus ante percipimus percussionem mallei quam audiamus sonum, quia tunc

tunc demum in notabili aliqua distantia percipimus sonum, primi ictus, cum malleus iam eleuatus est ad secundum ictum, cuius ratio est, quia species visibiles traiiciuntur in instāti, species audibiles non nisi sonus secundum realem entitatem sese diffuderit per medium quantum potest.

Septimo, ratio cur intuenti vel vitrum viride omnia appareant viridia videtur esse, quia species transmittuntur per illud medium.

Octauo, ratio cur altero oculo clauso aut conniuente distinctius & minutiora videamus, est, quia species minus confunduntur.

Nono quod eadem res respicienti per cancellos simul bis appareat, non potest explicari sine speciebus.

Decimo, Baculus ignitus in cuspide si velociter gyretur exhibet circulum igneum, quia scilicet continuantur species.

Denique visa re aliqua, tum clausis oculis experimur nos posse adhuc formare in sensitiuam cognitionem illius, non nisi quia rei visæ retinemus imaginem & explicari non potest, quomodo fiant phantasmata in homine, nisi recurramus ad species, quæ in Phantasia aceruantur.

Quoad species audibiles colliguntur ex Echo, quæ est reflexio specierum audibilium. Et species odorabiles colliguntur ex eo quod odor velociter & è longinquo percipiatur, vt verisimile non sit realiter diffundi ad tantam distantiam.

Qui rationibus ex communi Thomistatū probatione vti velit, dicit species esse necessarias ad coniungendum obiectum cum potentia, licet enim absolute dari possit actio immediate in distans, illam tamen non conuenire potentiis vitalibus, quarum actiones & effectus sunt immanentes: deinde ex parte potentiæ esse necessarias species ad potentiæ determinationem, licet obiectum determinet potentiam, obiectum requirit tamen aliquid quo determinetur effectiue ob hanc vero causam etiam ponuntur potentiæ realiter distinctæ ab anima.

(***)

ARTICVLVS TERTIVS.

Solutio Augmentorum.

Qui species negant, varie sese explicant, quidam dicunt, nihil aliud requiri ad sensationem quam obiectum & potentiam in debita distantia. Ita plerique Nominales *in 2. distinct. 7.* Alii dicunt, ab oculo immitti radios visuales, quibus potentia attingit obiectum, & reddit illud visui. Ita perspectiui & Platonici quanquam Scaliger *exerc. 105. numer. 5.* probet, id non esse ex sententia Platonis. Alii volunt produci ab obiecto qualitatem realem, quæ tamen non sit species, qua roborari possit & debilitari sensus, vnde dicunt illam produci in organo tantum, non in medio, quam dicunt concurrere effectiue cum potentia, tribuitur Occano & Gabrieli à Molina 1. *p. quæst. 52. art. 2.* Gregor. *in 1. distinct. 7. quæstion. 3.* negat species pro sensibus exterioribus, quia illorum cognitio est intuitiua, ad quam sufficit præsentia obiecti, admittit tamen pro sensu interiori & intellectu, quorum cognitio est abstractiua. Quicquid dicatur, multæ sunt difficultates, quas sigillatim examinare longum esset. Ex illorum communi doctrina quatenus impugnant species.

Obiicitur 1. Dromedarium Occani frustra fit per plura, &c. Sed ad sensationem sufficit potentia & obiectum positum intra Sphæram actiuitatis. Ergo frustra requiruntur species.

Resp. nego minorem ex dictis probatione vltima præcedentis articuli.

Obiic. 2. Incredibile videtur, accidens aliquod etiam exiguæ entitatis, id est, color ad maximam distantiam cuiusmodi species & qualitates reales diffundere.

Resp. negando Assumptionem, nam vt lux diffundit lumen sibi simile in specie ad maximam distantiam, idque in instanti, imo & lumen participatum extra præsentiam corporis luminosi producit aliud lumen in magno spatio, colores autem magnam habent affinitatem cum lumine; deinde exilis sonus v.g. infantis momento temporis etiam realiter diffunditur ad notabilem distantiam.

Obiicitur 3. Species tantum possunt dimanare a vero colore, atqui videntur etiam quæ non

non sunt vere colorata, vt iris, &c. Ergo ad visionem non requiruntur species.

Respon. nego maiorem, quia etiam lumen varie modificatum ab opacitate & diaphaneitate corporis in quod incidit diffundere species per medium.

Obiicitur 4. Species subiectantur in corpore fluido, ver. grat. aere vel aqua, sed aer non transmittitur per vitrum. Ergo nec species, tamen videmus per vitrum, Ergo visio non fit per speciem.

Resp. negando maiorem, quia etiam subiectantur in corpore solido & diaphano, per quod etiam transmittuntur; si posteriore sui parte, sc. auersa ab obiecto, non sit opacum & obductum, vt est speculum.

Obi. 5. Aer tenebrosus non est capax specierum, & tamen per illum videmus obiectum, v. g. facem procul dissitam. Ergo ad visionem non requiruntur species.

Resp. Nunquam videri obiectum per medium priuatum omni lumine.

Ob. 6 Si darentur species, duo, qui æqualiter distarent ab obiecto æque perfecte, illud perciperent, quia æqualiter exciperent species, atqui sæpe non vident æque perfecte. Ergo visio non fit per species, sed illa inæqualitas oritur ex inæqualitate actiuitatis potētiæ vnius supra potentiam alterius.

Resp. nego sequelam maioris, quia species nō sunt adæquatum principium visionis, vnde licet sint æquales, possunt concurrere ad inæquales visiones, quæ inæqualitas oritur ex diuersa temperie & dispositione organorum, quarū vna est magis idonea ad vsum specierum quam alia.

Ob. 7. Visu percipimus obiecti distantiam, quæ tamen non repræsentatur per speciem; deinde videmus magnitudinem obiecti, motum, figuram, situm, &c. quæ tamen non admittunt speciem.

Resp. nego assumptionem, quia species, licet vicina organo, exhibet etiam distantiam rei, sic enim etiam in picturis videmus colorē bene vicinum, repræsentare rem longe distantem, cætera vero percipiuntur ratione specierum visibilium, quas diffundit corpus coloratum, cui insunt.

Ob. 8. Videtur impossibile, vt exilis quædā pars speciei respondens magnitudini oculi repræsentet montem, regionem, ciuitatem: deinde species illæ à diuersissimis obiectis productæ tum in medio, tum in oculo, essent inter se confusæ, at proinde non exhiberent singula obiecta distincte verbi gratia, flores alicuius horti, maxime secundum ordinem situm, &c.

Respond. nego assumptum, quia actus vitalis visionis secundum omnes etiam formaliter repræsentat obiectum, qui tamen non excedit magnitudinem oculi, sic etiam perspectiui & pictores res maximas repræsentant minutissimis notis, ita vt oculus iudicet rem minorem in se esse imaginem rei maioris, ver. grat. exiguum spatium coloratum in imagine iuxta caput hominis depicti exhiberet turrim vel templum; Ad id quod additur de specierum confusione respondeo, licet sint inter se confusæ quoad subiectum, singulas tamen distincte exhibere sua obiecta, vel concurrere ad sensationem obiecti, à quo producuntur, quando potentia illis vtitur tendendo in obiecta per lineam rectam, si enim lateraliter tantum res sit opposita oculo species, vel non repræsentant obiecta vel minus perfecte.

Obiicitur 9. Si darentur species, duo contraria in gradu intenso possunt naturaliter simul esse in eadem parte medii, v. g. species albedinis & nigredinis intensæ, quod tamen communiter negatur.

Resp Nego sequelam, quia species sunt diuersæ naturę ab obiectis, à quibus producuntur, vnde licet obiecta sint inter se contraria & incompassibilia species tamen entitate sua non sunt contrariæ, sed tantum denominatione ab obiectis.

Obiicitur 10. Sequeretur in eodem subiecto esse plura accidentia solo numero distincta, vt in eadem parte medii duas species duarum albedinum, quod tamen videtur impossibile.

Resp. Id nihil habere incommodi, multi enim admittunt accidentia solo numero distincta in eodem subiecto, vt in relationibus quas volunt multiplicari numero ad multiplicationem numerorum.

(***)

QVÆ-

QVÆSTIO XVIII.

An præter quinq; sensus externos dentur sensus interni, & quot?

COnsentiunt Philosophi dari sensus internos, quia animalia distinguunt obiecta sensuum externorum inter se, quæ distinctio non fit per sensum externum, Ergo, per internum, qui obiecta omnium sensuum apprehendunt: deinde bruta etiam meminerunt. Ergo, illis inest sensus quidam internus. Difficultas vero est de numero sensuum internorum.

Prima sententia ponit 5. sensus interiores, scilicet sensum communem, imaginatiuam, æstimatiuam, quæ in homine dicitur cogitatiua, Phantasiam & memoriam. Vide authores huius sententiæ apud Tolet. *libro 3. de anima quæstione 6.* Conimbricens. *ibid. capite 3. quæstione 1. articul. 1.* Inter hosce sensus hæ solent assignari differentiæ, quod sensus communis acceptis speciebus ab organis sensuum exteriorum cognoscat omnia illorum obiecta, tanquam præsentia, imaginatiua vero acceptis speciebus à sensu communi cognoscat omnia obiecta sensibilia, vt absentia, æstimatiua percipiat obiecta non sensata, idque per species, vt loquuntur, non sensatas, verbi gratia, odium, amicitiam. Per species non sensatas intelligunt id quod accipitur à rebus non materialibus, quæ tamen non videntur admittendæ, non vero est à quo producantur, quia obiectum, verbi gratia, odium, amor, &c. non inprimit speciem sui in sensus externos, cum sit insensibile, ac proinde sensus lateat, possunt tamen res istæ insensatæ dici cognosci à sensibus internis, hoc modo, quia ad perceptionem obiectorum sensibilium, verbi gratia, in cane respectu sui heri, vel respectu inimici & percussoris resultat quædam sympatia vel antipatia, & memoria beneficii vel maleficii accepti, ex qua iudicatur canis percepisse etiam rationem illam insensibilem amicitiæ in hero viso, vel inimicitiæ in percussore, quam tamen in se non percipit. Phantasia porro est facultas quæ coniungit species inter se, videlicet vel species sensibiles, verbi gratia, speciem auri cum specie montis, ad formandum montem aureum, vel species non sensatas inter se, verbi gratia, speciem amoris cum specie paternitatis, vt concipiat patrem vt amicum, vel species non sensatas cum sensibilibus, vt sunt, canis apprehendit herum vt amicum. Denique memoria est facultas retinendi & conseruandi species semel acceptas.

Secunda sententia ponit 4. sensus internos, scilicet sensum communem, Imaginationem quam non distinguit à Phantasia, cogitatiuam & memoriam. Est Diu. Thom. 1. *p. quæstione 78. articulo quarto*, Caietani *ibidem* & aliorum.

Tertia ponit tres, scilicet Phantasiam, iudicatricem & memoriam. Ita Toletus *supr. conclus.* 1. Valesius *libro secundo, controuers. capite 2.*

Quarta ponit duos, sc. sensum communem & Phantasiam, quam non distinguit ab imaginatione cogitatiua & memoria. Ita Fonseca 5. *Met. c.* 28. *quæst.* 7. *sect.* 4. Et Conimb *supra artic.* 5.

Quinta agnoscit tantum vnicum sensum communem pro omnibus actibus, qui ab aliis tribuuntur pluribus potentiis & sensibus, qui quatenus diuersos actus exercere potest ratione ratiocinata, à seipsa distinguitur, & diuersa fortitur nomina, est Alensis 2. *p. qu.* 70. & quorundam recentiorum.

Respond. Probabilius est vnicum tantum esse sensum internũ, qui recte appellatur sensus communis.

Probatur, quia illi actus quibus tam distinctæ potentiæ attribuuntur, ita inter se sunt subordinatæ, ita vt ab vna & eadem potentia possint elici, Ergo frustra assignantur plures. Antecedens probatur discurrendo per omnes illos actus, & 1. nisi potentia aliqua sit valde materialis, quales sunt sensus externi eiusdem est potentiæ percipere obiectum præsens & absens, & absentis conseruare speciem, Ergo non distinguuntur sensus communis & imaginatiua, similiter potentia quæ ferri potest in obiectum vt conueniens vel disconueniens ferri etiam potest in idem secundum

dum se spectatum, & quæ varie coniungit species inter se omnes seorsim potest cognoscere, cum non possint plura cōferre nisi cognoscantur, Ergo, non sunt diuersæ potentiæ quę obiectum percipiunt & species inter se componunt, maxime cum collatio illa non sit formalis quasi iudicium feratur, quod res talis sit sed tantum materialis est, eo quod plures apprehendantur per modum vnius. Memoria etiam non videtur diuersa, quia per quam potentiam percipimus obiectum præsens, per eam possumus etiam illius recordari, quia potentia format in se speciem obiecti vitalem, eamque retinet, neque enim alia potentia commodius retinet speciem obiecti, quam ea quæ vel illam elicuit in præsentia obiecti, vel ab obiecto recepit.

Confirmatur Conclusio, quia idem est obiectū formale omnium sensuum internorū, solum distinguuntur secundum præsens vel non præsens. Ergo vnica tantum erit potētia.

Obiicitur 1. Videtur esse altioris virtutis componere quam solum imaginari. Ergo solum æstimatiua & imaginatiua non sunt vna potentia.

Resp. nego antecedens, quia compositio illa est tantum materialis.

Obiicitur 2. Tria sunt organa distincta sensuum internorum temperamento & situ distincta. Ergo sunt saltem tres sensus interni. Antecedens probatur quia, vt tradit Vesarius *c.7.* in cerebro reperiuntur quatuor ventriculi siue cellulæ, duæ in anteriori capitis parte, æquales situ, magnitudine & figura, quæ dicūtur organum sensus communis, tertia in medio cerebri, quæ dicitur sedes Phātasiæ, quarta in posteriori parte capitis, quæ dicitur organum memoriæ.

Respond. Nego antecedens. Ad probationem dico in duabus prioribus cellulis nullam exerceri operationem sensitiuam, sed in illis recipi spiritus vitales prodeuntes è corde, qui quia nimis calidi sunt, & functionibus partis sensitiuæ minus idoneæ in cellulis istis temperantur & fiunt spiritus animales, indeque dimittuntur ad sensus externos, scilicet per neruos & ad instrumenta potentiæ motiuæ & sensum internum. Tertia igitur cellula est proprium organum sensus communis, & in ea exercentur omnia, quæ alii tribuunt diuersis sensibus. Quarto vero cellula vocatur tantum pars organi sensus interni communis, paulo siccior ad retinendas scilicet species.

Obiicitur 3. Experientia docet aliquos valere memoria qui non valent Phantasia, deinde aliquos in posteriori capitis parte læsos omnium rerum amittere memoriam, & tamen excellere Phantasia, & communiter videmus illos valere memoria quibus amplior est theca in posteriori capitis parte E. hæ potentiæ distinguuntur.

Respond. negando consequentiam, quia omnis illa diuersitas oritur ex diuersa temperie organi, quę potest esse idonea ad certos actus & non ad alios, sic enim videmus in potentiis etiam rationalibus reperiri hanc diuersitatē, vt qui sæpe valent ingenio vix vllius sint iudicii, & contra, vnde temperamentum vni operationi necessarium, lædi potest eodem manente idoneo pro alia operatione.

Obiicitur quarto, Aristoteles scripsit librum de Memoria. E. existimat distingui ab imaginatione.

Resp. negando consequentiam, quia ibi volebat agere de sensu interno, prout exercet actum memorandi, ac proinde inscripsit de memoria.

Petes, quo modo organum sensus communis ponatur in cerebro, cum Aristoteles sæpe dicat cor esse sedem sensus interni.

Resp. Plerosque Philosophos recedere ab Aristotele, & adhærere Galeno, qui sensum communem ponit in cerebro, vide Conimb. *3 de anima c.1 qu.2. art.2.* quia Anatomici deprehendunt omnes neruos originem ducere à cerebro, vnde si fiat obstructio in cerebro, læditur vel Impeditur sensus, & membra priuantur motu, licet cor maneat integrum, & sentimus imaginatione caput defatigari, corde manente integro, nec refert, quod Aristoteles dicat, cor esse princeps membrum, à quo omnis spiritus animalis procedit, quia etiam cerebrum & hepar sunt membra præcipua, neque etiam cor est origo neruorum, licet aliquos habeat quo connectatur aliis membris, neque etiam obstat cerebri frigiditas, quia ratione spirituum calidorum, quos frigiditate sua temperat est idoneum instrumētum sensationis. Quod autem ante formationem cerebri cor sentiat & palpitet, argumento tantum est illi inesse aliquem motum natura-

naturalem, non vero animalem, tactus etiam illius sine cerebro est valde imperfectus.

Petes secundo, an sensus interni organum sit ipsa substantia cerebri, an vero membranaturæ, & inuolucra, quæ dicuntur Meninges.

Resp. Quæstionem esse inter Medicos, de qua vide Valesium *lib. 2. controu. c. 3.*

Confirmatur, quia si species illæ orirentur ab obiecto vel speciebus illius, tunc is qui apertis oculis dormit, vel qui extasim patitur, haberet imaginationem & memoriam illorum, quæ tunc temporis sui speciem in oculos traiecissent, licet ea non vidisset, quod est falsum, & surdus posset imaginari sonum, quem tamen non audiuisset.

QVÆSTIO XIX.

An dentur species sensus interni & quales?

Respondeo primo. Dantur species sensus interni, quæ sunt diuersæ rationis à speciebus sensuum externorum.

Prius probatur, quia res absens vel etiam non existens non potest sensu interno percipi, nisi aliquid sui reliquerit, id autem est species.

Posterius probatur, quia species sensuum externorum fere dependent assiduo ab obiecto, species vero sensus externi non itē. E. sunt diuersæ rationis & magis spirituales.

Confirmatur, si essent eiusdem naturæ, tūc dolor, v.g. qui causatur in pede, & speciem sui transmittit in imaginatiuam cuius organum est in capite, deberet sentiri in toto corpore, interiecto inter caput & pedes, quod tamen est contra experientiam.

Obiicitur, species illæ vel essent in spiritibus animalibus, vel in cerebro, neutrum dici potest. E. Minor probatur, quia alioqui consumerentur vna cum spiritibus vel partibus cerebri.

Resp. negando minorem. Ad probationem dico etiā species hoc modo obliterari aliquo, vsque partes autem cerebri vix consumuntur, deinde spiritus de nouo producti & aliis succedentes recipere possunt impressiones spirituum præcedentes. Denique nouæ species generantur ex iterata sensatione interna.

Dico 2. Species sensus interni fiunt ab ipsamet sensatione externa, non vero ab obiecto externo, neque à speciebus receptis in organo sensus externi.

Probatur ex Aristotele 3. *de anima c. 3.* vbi docet imaginationem esse motum causatum à sensatione in actu.

QVÆSTIO XX.

An in sensu interno sit aliquid rationis?

Plutarchus & quidam alii veteres voluerunt bruta ratione esse prædita, moti solertia, sagacitate & astutia quorundam animalium; sed id aperte falsum est, quia si animalia operarentur ex electione & rationis vsu, non semper omnia eiusdem speciei animalia eodem modo operarentur, quod igitur in illis notatur, fit ex apprehensione, memoria vel naturali instinctu. Dubitatio aliqua est de Phantasia hominis propter connectionem eius cum intellectu.

Resp. negando. Vide Toletum *lib. 3. de anima quæst. 7.*

Probatur, quia Phantasia etiam coniuncta intellectui est potentia sensitiua, E nōformat iudicium formale vel discursum, quia ad iudicium requiritur, vt potētia sese possit reflectere supra suos actus, quod potentiæ sensitiuæ est negatum.

Confirmatur, quia alioqui homo secundū gradum sensitiuum esset formaliter rationalis & liber, adeoque capax meriti & demeriti, quod est falsum.

Obiicitur, dum intellectus iudicat & discurrit, imaginatio sese conformat illius operationibus, Ergo etiam iudicat, &c.

R ad Antecedens, conformare se successiue concipiendo id, de quo intellectus discurrit, vel multa simul apprehendendo, idq; sine iudicio vel discursu formali, nā & intellectus potest materiam integri discursus sibi repræsentare per simplicem repræsentationem.

Petes, quomodo Phantasia operetur tam varios effectus in corpore.

Resp non operari hos effectus efficienter, quia imaginatio actualis est actus sensatio-

 nis, qui

nis, qui non est productiuus alicuius rei Physicæ, nisi forte habitus. Concurrit igitur instar conditionis applicantis, quia imaginatio excitat appetitum ad prosecutionem, vel fugam rei oblatæ; appetitus vero excitat potentiam motiuam, quę commouet spiritus & humores, ex qua commotione oritur illa varietas affectionum, tum in corpore imaginatis, tum in fœtu latente in vtero, vt quoad membrorum efformationem vel colorem sæpe exprimat id, quo mater fuit perdita. Vide Delri. *lib. 1. disquis. Mag. c. 3. q. 3.*

De memoria diximus in præludiis Physicæ. De appetitu sensitiuo quid sit, quotuplex & quod eius organum, vide dicta *in Ethicis.*

DISPVTATIO TERTIA.

De Potentiis rationalibus.

DE Substantia animæ rationalis eiusque origine & in indiuiduis diuersitate diximus disputatione prima, nunc paucis dicemus de potentiis illi propriis.

QVÆSTIO I.

Vtrum intellectus sit potentia actiua simul & passiua sicuti Sensus?

RESP. Affirmando. Probatur, quia est potentia receptiua specierum intelligibiliũ, quæ admittuntur etiam ab iis, qui negant species sensibiles, eo quod intellectus ex natura sua sit ordinatus vt tendat in obiectũ absens, vnde debet habere speciem, à qua iuuetur ad cognitionem, & cum ex natura sua sit indifferens ad quiduis intelligendum, indiget aliquo, à quo determinetur ad intellectionem huius rei potius quam illius, id autem non potest esse aliud quam species intelligibilis, quia obiectum est absens vel nõ existit. Phantasma etiam illud præstare sufficienter non potest, nam sicuti se habet obiectum externũ ad operationem sensus, vt scilicet requiratur insuper species sensibilis ad sensationem, ita Phantasma habet se ad intellectionem, vt requiratur etiam species intelligibilis: Deinde separata anima cognoscit, & quidem singularia, quæ aliquando cognouit vnita adhuc corpori, vt patet in diuite epulone cognoscẽte Lazarum. Ergo in intellectu sunt species spirituales distinctæ à Phantasmatibus, quæ durent post intellectionem.

Præter species intellectus etiam recipit intellectiones, quas effectiue producit, & à quarum productione dicitur potentia actiua, sicuti sensus à sensationibus.

QVÆSTIO II.

An Intellectus sit potentia Organica?

RESP. Negando. Probatur euidenter, quia corrupto organo non destruitur intellectus, nam anima separata vere & formaliter habet intellectum, cum animæ sint beatæ ante resumptionem corporum, beatitudo autem vel formaliter est visio intellectualis Dei, secundum Diu. Thomam, vel includit saltem visionem: Ergo non est potentia organica.

Consequentia patet, quia alioqui corrumpetur ad corruptionem organi.

Obiicitur: Intellectus impeditur in suis operationibus ab indispositione vel læsione cerebri, vt patet in Phreneticis vulneratis. Ergo est potentia Organica. Consequentia probatur, quia hinc colligimus visum esse potentiam organicam, eo quod eius operatio impediatur læso oculo.

Resp.

Respond. diuerso modo impediri intellectum, nimirum extrinsece, quatenus scilicet Phantasmata, à quibus dependet in operatione sua, quamdiu est in corpore non sunt recte disposita, quomodo oculus, verbi gratia, impeditur à perceptione sui obiecti, quia medium, per quod fieri deberet visio, est impeditum, cum interim oculus intrinsece non sit male dispositus, potentia autem sensitiua impeditur per læsionem organi, eo quod intrinsece vitietur, vnde saltem diuinitus fieri potest, vt intellectus etiam læso organo, & sine vsu Phantasmatũ habeat puras intellectiones.

QVÆSTIO III.

Vtrum Intellectus agens & possibilis sint duæ potentiæ realiter distinctæ?

RESpondeo negando. Est contra Toletum libro 3. de anima, quæst. 13. & alios ibi citatos.

Probatur, quia intellectus agens est vis producendi species intelligibiles Phãtasmatibus obiectiue concurrentibus, intellectus vero possibilis est potentia receptiua illarum specierum, quarum subsidio elicit intellectionem, sed hæ vni & eædem potentiæ possunt conuenire, quæ ratione à seipsa distinguatur. Ergo non distinguuntur realiter. Minor probatur, quia si vnus intellectus sufficit ad recipiendas & intelligendas intellectiones, ita etiam ad recipiendas species intelligibiles.

Confirmatur, quia alioqui haberemus duos intellectus.

Probatur 2. quia potentia sensitiua non est duplex agens sc. & possibilis seu patiens E. nec potentia intellectiua. Consequentia patet à paritate rationis.

Dices: Potentia sensitiua cum sit materialis potest pati ab obiecto materiali, & ab eodem recipere species sensibiles, potentia vero intellectiua est immaterialis, ac proinde non potest pati à Phantasmatibus quæ sunt materialia, nec ab iis recipere speciem. E. est ratio multiplicandi potentias intellectiuas, licet sensitiuæ sint simplices.

Resp. negando consequentiam, quia licet Phantasmata non habeant vim producendi in intellectu; species intelligibiles possunt tamen produci ab eadem virtute quæ est productiua intellectionis.

Dices 2. vt intellectus ex Phantasmatibus formet species intelligibiles, debet producere lumen quoddam intelligibile, quo illustrentur Phantasmata, sed illud non potest produci ab intellectu possibili. Ergo.

Respondeo primo Negando maiorẽ, quia non potest explicari quid sit illud lumen & intellectus is solus sufficit ad hanc illustrationem, ipse enim est lumen intellectuale. Quod autem dici solet aliquem habere magnum lumen intellectus vel exiguum, & quod petamus à Deo illuminari non arguit distinctionem luminis à virtute intelligendi, atqui per lumen tum intelligimus maiorem vel minorem perspicaciam intellectus, quæ est ipsa potentia intelligendi: deinde intelligimus habitus infusos aut illuminationes Dei actuales,

Dices 3. nihil potest sibi ipsi comparare principium operandi, sed species sunt principium intelligendi saltem minus principale. E. non est eiusdem potentiæ producere species intelligibiles & intellectiones.

Respond. distinguendo maiorem; nihil potest sibi comparare absolute primum principium operandi, & sic potentia non cõparat sibi facultatem educendi species intelligibiles è Phantasmatibus; neq; etiam vim intelligendi, potest tamen aliquid sibi comparare principium coadiuuans & secundarium.

QVÆSTIO IV.

An Intellectus distinguatur realiter à memoria intellectiua, à ratione, à conscientia, Synderesi.

REsp. 1. Intellectus & memoria sunt vna & eadem potentia sola ratione distincta. Est *D.* Th. 1 *p. q. 79 art. 7.*

Probatur, quia intellectus vt reseruans species & illis vtens ad cognitionem rei prius cognitæ, prout cognita fuit, est memoria. Ergo non est diuersa potentia.

Probatur 2. ad cognitionem rei futuræ non indigemus potentia distincta ab intellectu.

 Ergo

Ergo neque ad cognitionem præteritorum, quod igitur SS. Patres, & præsertim D. Augustinus agnoscant tres animæ rationalis potétias, saluari potest per distinctionem rationis, quo modo explicatur pluralitas attributorũ & potentiarum in Deo.

Respondeo secundo. Ratio etiam sola ratione distinguitur ab intellectu. Est D. Thom. *supra art.* 8 quia ratio est ipse intellectus prout aliquid cognoscit adiutus cognitione aliorum principiorum, quod subsidium intellectus absolute non connotat, hinc ratio superior est intellectus intendens rebus æternis, ratio inferior intellectus intendens rebus transeuntibus.

Respond. 3. Conscientia non est potentia distincta ab intellectu, neque ipse intellectus, sed actus intellectus seu rationis prout diuersimode applicatur ad facta vel facienda. Ex qua diuersitate varias denominationes, & si respiciat actiones præteritas, simpliciter dicitur conscientia testari, si præterita bene vel male facta, dicitur conscientia mordere vel excusare, si res faciendas, dicitur obligare, &c.

R 4. Synderesis non distinguitur ab intellectu Probatur, quia Synderesis est ipsemet intellectus spectatus per modum habitus cuiusdam naturalis, quo assentimur conclusionibus & principiis moralibus & practicis, quo modo intellectus vt percipiens se ipso principia vniuersalissima speculatiua dicitur habitus principiorum.

QVÆSTIO V.

Quodnam sit obiectum intellectus?

NOta: duplex à Philosophis assignari obiectum Intellectus, vnum motiuum quo scilicet intellectus mouetur & adiuuatur ad cognitionem, licet ipsum in se non cognoscatur actu, & tale obiectum est Phantasma. Alterum est obiectum terminatiuũ, illud scil. quod per Phãtasma repræsentatur & cognoscitur ab intellectu, vnde dicitur terminatiuũ, quia terminat actionẽ intellectus, hoc à quibusdam subdiuiditur in obiectum vniuersalitatis, quod sc. ab intellectu quomodocunque cognoscitur siue per se, siue in alio, siue directe siue reflexe, siue per propriam speciem, siue per alienam, & in obiectũ primitatis, quod scilicet primo mouet intellectum.

R. 1. Ens in sua latitudine prout comprehẽdit reale & rationis est materiale obiectum vniuersalitatis intellectus, & sic intellectus est sui obiectum partiale. Colligitur ex Arist. *3. de anima c.* 4. vbi dicit omnia percipi à nostro intellectu, & patet ratione, quia omne ens potest terminare actũ intellect⁹ saltẽ secũdario.

R. 2. Obiectum formale intellectus est intelligibile, quæ aptitudo est indistincta ab ipsis rebus, sicuti visibilitas in colore non distinguitur ab entitate coloris.

Resp 3 Obiectum primitatis intellectus est ens materiale sensibile. Patet ex dictis initio Physic. de primo cognito; quia illud 1 mouet intellectum, quod sensu percipitur. Nec refert, quod obiectum sit materiale, quia licet differat & sit improportionatum intellectui in ratione naturæ, est tamen proportionatum ratione obiecti. Ex quo vlterius infertur, naturas vniuersales non mouere intellectum ad primam sui cognitionem, primo vero cognoscuntur singularia similia, & in eis notatur conuenientia, ita vt in vno aliquid sit, quod etiam reperiatur in altero, & sic demum abstrahendo à conditionibus indiuiduantibus cognoscimus naturas vniuersales: quia tamen posito tali discursu & apprehensione vniuersalis remanet in intellectu illius species, & similitudo potest postmodum ab intellectu cognosci sine nouo recursu ad singularia.

Dices: Aristoteles sæpe distinguit sensum ab intellectu, quod sensus sit singularium, intellectus vero vniuersalium. Ergo intellectus non intelligit per se singularia, multo minus erit primo cognitum.

Respond. Intellectum vere cognoscere singularia per se & per propriam speciem. Ex eo conuincitur, quod intellectus cognoscat vnum singulare differre ab alio quod corrigat sensus circa singularia verbi gratia, visum circa magnitudinem Solis. 3 Quod vtatur inductione & examinet propositiones singulares

Ad Aristotelem igitur respondetur, illum tantum insinuare, sensum percipere solum singulare, intellectum vero insuper vniuersale.

Dices

Dices 1. Intellectus præscindit à conditionibus indiuiduantibus. Ergo non cognoscit singulare.

Resp. Intellectum vniuersaliter præscindere à conditionibus indiuiduantibus, quæ rem materiali modo repræsentat, quia cognoscit modo spiritali per speciem spiritalem, non autem præscindit necessario à conditionibus vel rationibus constituentibus rem inesse singularibus.

QVÆSTIO VI.

Vtrum intellectus aliquid producat per intellectionem?

Respond. Affirmando, quia actio intellectiua cum sit realis necessario habet realem terminum, qui est vitalis qualitas & imago ac repræsentatio rei intellectæ, per quam intellectus cognoscit & repræsentat sibi obiectum. Vide D. Thom *q.9. de potentia, & q.4. de veritate art.2.* Molinam 1. *p. quæst. 27. disp. 8. art.1. memb.5.*

Nota 1. hanc vitalem qualitatem quæ est terminus intrinsecus actionis intellectiuę varia habere nomina, dicitur vero conceptio rei intellectæ, intentio intellecta, species expressa, quo nomine distinguitur à specie intelligibili quæ dicitur species impressa, quasi aliunde adueniens & impressa intellectui, hæc autem vitalis qualitas ab intellectu educitur, & veluti per expressionem efformatur. Deinde notissimo vocabulo dicitur verbum mentis, quia sicuti homo per verbum oris, tanquam per signum exterius rem cognitam repræsentat: ita per hanc vitalem imaginem repræsentat rem, quam intelligit; Et sicuti per verbum oris homo dicitur loqui exterius; ita per imagines huiusmodi expressas ab intellectu dicitur loqui interius. Vnde dum mentaliter oramus, dicimur cum Deo loqui, dũ cogitamus dicimur loqui in corde nostro, & huiusmodi locutio sola reperitur in Angelis, qui sunt incorporei, imo hæc locutio mentalis est magis propria quam locutio oris, quia locutio proprie est expressio seu productio rei significatiuæ alicuius significati, conceptus autem est locutio mentis, cum ex natura sua habeat vim significandi, voces autem tantum ex instituto; patet magis esse significatiuam quam sint voces.

Nota 2. productionem huius vitalis qualitatis & verbi varijs etiam nominibus designari, dicitur enim prolatio, dictio, verbi generatio, quæ omnia non sunt nudæ relationes causæ ad effectum, vel contra, sed significant actionem, quia habent se ad verbum mentis, sicuti quælibet alia actio ad suum terminum, verbi gratia, calefactio ad calorem, illuminatio ad lumẽ, quia significant fictionem ipsius verbi. Ex quo infertur, intellectionem prout significat actionem seu fictionem termini, distingui modaliter à verbo mentis, non autem realiter, neque etiam ratione tantum, sicuti in disputatione Physica de motu diximus, esse actionem Physice spectatam, & motum modaliter distingui à termino.

Obiic. 1. Verbum illud mentis assignatur termino intrinseco intellectionis, sed talis non requiritur, Ergo frustra. Minor probatur, quia actio sensitiua, verbi gratia, visio & actio voluntatis non habent huiusmodi terminum: Deinde in diuinis, Filius & Spiritus Sanctus intelligunt, nihil tamen producunt.

Respond. Negando minorem. Ad primam probationem dico; in actionibus sensus & voluntatis etiam reperiri terminum intrinsecum, scilicet visionem, auditionem, volitionem, quæ sunt actus vitales effectiue producti à potentia vitali, eo modo quo verba mentis producuntur ab intellectu. Vnde & in illis distinguitur ipsa productio seu fictio ab entitate, vt est terminus.

Ad 2. respondeo in diuinis intellectionem Filii & Spiritus S. non producere nouum verbum, quia in diuinis vna tantum est intellectio notionalis tanquam actio adæquata essentiæ diuinæ in ratione intellectionis, quæ competit Patri, de qua Theologi 1. *p. q. 27.*

Obiic. 2. Si sensus & voluntas etiam producant huiusmodi terminos, verbum non erit effectus proprius potentiæ intellectiuæ.

Respond. Negando sequelam, quia licet sensatio, verbi gratia, visio sit etiam sensibilis, & vitalis repræsentatio obiecti per modum speciei expressæ, non tamen dicitur verbum, quia non est terminus locutionis declaratiuę rationalis, quæ sola dicitur verbum, volitio autem non potest dici verbum voluntatis, quia ex natura sua non est repræsentatio obiecti, sed tantum vitalis affectio, propensio & inclinatio in obiectum. Dico ex natura sua,

quia per accidens ratione suppositi potest per se similis termino intellectionis, vt patet in diuinis.

Ob. 3. Sæpe recordamur nos intellexisse & tamen non occurrit quid intellexerimus. E. non omnis intellectio producit verbum.

R. neg. consequentiam, quia actus recordationis potest terminari ad verbum in cōfuso.

Obiicitur 4. Intellectio potest esse sine verbo, beati enim intelligunt diuinam essentiam & non producunt verbum mentis. E. intellectio vniuersaliter non habet se ad verbū mentis, sicuti actio ad terminum, quia implicat esse actionem sine termino.

Respond. negando Antecedens, quia beati intelligendo diuinam essentiam eliciunt visionem ac vitalem Dei repræsentationē, quæ est verbum mentis, vnde Theologi passim dicunt Deum videri si non per speciem impressam saltem per expressam, licet vero infinita Dei perfectio nulla finita imagine, qualis est intellectio cuiusuis creaturæ repræsentare possit adæquate & comprehensiue potest tamen inadæquate.

Obiicitur 5. Aliquando obiectum est intime præsens intelligenti vt quando anima separata, & Angeli intelligunt seipsos. E. tam saltem non producitur verbum, quia repræsentatio obiecti præsentis esset frustra.

Resp. negando consequentiam. Ad probationem dico, præsente obiecto non requiri speciem intelligibilem & impressam determinantem potentiam ad talem actum, necessario tamen requiri speciem expressam & verbū mentis, sicuti enim datur tali casu realis cognitio obiecti quæ est actio, ita etiam datur terminus.

Obiicitur 6 Si verbum mentis est repræsentatiuum ipsius obiecti. E in eodem intellectu erunt duo accidentia eiusdem speciei solo numero distincta, scilicet species intelligibilis impressa, & species expressa scilicet verbum mentis.

Resp. Negando sequelam, quia species impressa & expressa sunt imagines essentialiter diuersæ, vt patet ex dictis.

Obi. 7. Verbum non est post intellectionē. E. non est terminus illius.

Resp. negando consequentiam, vt aliquid sit terminus actionis, sufficit vt sit simul duratione cum actione, licet ipsa cessante cesset, patet in lumine, quod est terminus illuminationis. & desinit simul ac cessat illuminatio.

Obiicitur 8. Ipsum verbum etiam cognoscitur, E. debebit dari verbum verbi, & sic in infinitum.

Resp. in cognitione directa obiecti extrinseci eadem cognitione cognosci obiectum vna cum verbo, adeo vt verbum sit seipso & primario intellectum, obiectum vero quodammodo secundario, sicuti cum obiectum sensibile videtur per vitrum, eadem actione etiam videtur vitrum.

Obiicitur 9. Aristoteles 9. *Metaphysic.* docet, actiones immanentes nihil producere, & nihil esse præter vsum. E. non datur verbum mentis.

Respond. Aristotelem distinguere tantum actionem immanentem à transeunte, quæ producit terminum perseuerantem post actionem.

Ex dictis colligitur verbum mentis, vti & actum voluntatis realiter distingui à potentiis, ac proinde diuinitus posse existere sine potentiis, à quibus eliciuntur, quod si fieret, verbi gratia, si intellectio mea poneretur in intellectu Petri, vel etiam visio beatifica D. Petri in intellectu meo, nec Petrus per illam intelligeret, nec ego viderem Deum, quia intelligere & videre non est tantum pati & recipere actum intellectus, sed est vitaliter operari, & in se intellectionem efficere.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Intellectus humanus posset simul producere plura verba mentis?

Certum est intellectum posse cognoscere multa per modum vnius, vt cum intelligimus multas partes sub ratione totius. Quæstio est, an multa cognosci possint per modum multorū, siue an per diuersas cognitiones eodem tempore plura simul cognosci possint.

R. Affirmando. Probatur 1. ex Arist. 1. *poster. Analyt. c.* 1. *in* 3 hypothesi, vbi docet aliquādo in ipso discursu acquiri cognitionem vnius propositionis & conclusionis. E. simul intellectum simul posse elicere duos actus.

Probatur

Probatur 2. Homines sæpe notant differentias rerum quæ non possunt repræsentari vna & eadem imagine, verbi gratia, quod Angelus non sit color, sed qui simul notat differentias inter res huiusmodi debet simul formare plures conceptus cum non possit notari differentia inter duo, nisi cognoscantur.

Probatur 3. Experimur nos inter disputandum & discurrendum de rebus etiam difficillimis formare iudicia circa auditores, quod fieri non potest, nisi simul eliciantur plures intellectiones.

Quarto: quia Angeli actu semper intelligunt suam essentiam, & simul res alias. E. intellectus etiam humanus saltem acutior poterit multa simul intelligere per diuersos actus.

Obiicitur 1. Aristoteles *in Topicis* dicit, cõtingit multa simul sciri, non tamen multa simul cogitari. E non possunt esse simul plures intellectiones.

Respond. Sensum Aristotelis esse, multas sæpe in nobis esse scientias habituales, quarum tamen actus non simul exercemus.

Obi. 2. Potentia motiua non potest simul, acquirere plura Vbi. Ergo.

Resp. negando consequentiam, quia plura vbi respectu eiusdem suppositi non replicati absolute repugnant.

Obiicit. 3. Vnum corpus non potest simul habere figuras plures. Ergo nec idem intellectus plures actus.

Consequentia probatur, quia ex sententia D. Th. ita se habet intellectus ad suum actum, sicuti corpus ad figuram.

Respon. negando consequentiam. Ad probationem dico, D. Thomam tantum velle intellectum aliquo modo signari per suum actum vitalem, sicuti corpus per figuram, non quod in omnibus sit par ratio, nam diuersæ figuræ faciunt situm diuersum in corporibus, ac proinde ponunt aliquas partes in diuersis locis, quod naturaliter repugnat. Nihil simile reperitur in duobus actibus intellectus.

(***)

QVÆSTIO VIII.

An post species receptas intellectus adhuc dependeat à cooperatione Phantasiæ?

PAtet ex communi illo dicto; intelligentem oportet speculari Phantasmata, intellectum dependere ab operatione Phantasiæ in prima cognitione; cuius ratio est, quia in hac vita nihil percipit nisi per sensus, qui species sensibiles transmittit ad Phantasiam, cuius species dicuntur Phantasmata, eo quod faciant obiecta apparere intellectui nostro, alioqui corpori velut obscuro carceri incluso. Sed difficultas est, an post primã intellectionem habitis speciebus intelligibilibus intellectio fieri non possit sine concursu Phantasmatum.

Respon. Verius est, intellectum naturaliter nihil cognoscere nisi concurrente Phantasia. Est D. Thomæ *libro 3. de anima, sect.* 13. Et docet Aristoteles *ibid. c. 3* dum dicit: Animam nõ intelligere sine Phantasmate, quæ propositio est vniuersalis.

Probatur, quia experientia docet, quod ex læsione Phantasiæ impediatur intellectus in cognitione eorum quæ sæpe cognouit. Ergo. Signum est semper dependere ab illius operatione, & non tantum in receptione specierum & prima intellectione, alioqui vero post species semel receptas non posset impediri in cognitione.

Dices: contingit aliquando viros sanctos in ecstasi constitutos pure spiritualiter multa contemplari, ac proinde simul operatione Phantasiæ.

Resp. Si id fiat virtuti spirituali & supernaturali esse tribuendum.

Dices 2. Nulla apparet necessitas talis dependentiæ, non enim oritur ex intrinseca & essentiali ratione intellectus, quia quando anima est separata, non habet huiusmodi dependentiam, neque etiam oritur ex vnione cum corpore, quia in corpore glorioso non e rit talis dependentia.

Respond. Verisimile esse id oriri ex sympathia istarum potentiarum inter se, & quo- sint radiatæ in eadem anima, vnde sin di-

& concuo

& concomitanter operantur, maxime cum in modo tendendi in obiectum, conueniant.

Dices 3. Si intellectus ita in omnibus dependet à Phantasia, nullam in hac vita habemus cognitionem quidditatiuam substantiæ corporeæ vel spiritalis, quod tamen videtur falsum.

Respond. Si per cognitionem quidditatiuam intelligas cognitionem quæ habetur per propriam speciem, concedo Assumptū, de quo vide Suar. *disp.* 35. *Metaph. sect.* 3. quia substantias omnes tantum confuse & per negationes, vel per habitudines quasdam intelligimus, quia tamen cognitio quidditatiua communiter dici solet ea, qua cognoscimus rei inesse, quod ipsi inest, verbi gratia, substantiam esse Ens, dici potest nos habere cognitionem quidditatiuam substantiæ, licet imperfectam.

QVÆSTIO IX.

De variis intellectus operationibus?

DE triplici genere operationis intellectus dictum est in Logica, & sparsim hinc inde, nisi vnanim⁹ in varias diuisiones operationum intellectus, quarum hæ præcipue sunt. Primo diuiduntur in directas & reflexas. Directa est qua intellectus directe tendit in obiectum, reflexa qua sese reflectit supra proprium actum. 2. diuiduntur in confusas & distinctas, de qua diuisione diximus initio Physicæ. 3. diuiduntur in infinitiuas & abstractas. Cognitio infinitiua est cognitio obiecti præsentis vt præsens est, vt cognitio, v.g. albi præsētis sensibus, abstractiua vero est cognitio rei absētis vel inabsentis licet præsens sit, talis est cognitio qua Deum cognoscimus ex effectibus, licet vero sit nobis intime præsens, quia tamen præsentia obiecti in se non cernitur, cognitio est tantum abstractiua.

Petes, vtrum cognitio infinitiua specie differat à cognitione abstractiua eiusdem rei?

Respond Si cognitio abstractiua habeatur tantum discursu ex effectibus distinguitur specie ab intuitiua, quia alius longe est modus tendendi in obiectum: Si vero cognitio abstractiua oritur ex intuitiua, & ideo solum sit abstractiua quia obiectum desiit esse, non distinguitur specie, verbi gratia, si quis intelligat album præsens, & eo destructo continuet intellectionem posterior cognitio, nec specie nec numero differt à cognitione inchoata, existente adhuc albo, quia intellectus potest continuare suum actum absente obiecto, nec videtur ratio cur intrinsece cognitio varietur.

QVÆSTIO X.

De Natura voluntatis.

RESpond. Voluntas est appetitus rationalis proportionatus potētiæ cognoscenti intellectuali, sicuti appetitus sensitiuus rem cognoscenti sensitiuæ.

Distinguitur autem ab appetitu sensitiuo 1. quia appetitus sensitiuus est corporeus & organicus habens sedem in corde, vt organo primario, rationalis vero est spiritalis & inorganicus. 2. obiectum appetitus sensitiui est bonum partiale scilicet sensibile, obiectum vero appetitus rationalis est bonum vniuersaliter sumptum, de quo plura dicuntur *in Ethicis*. 3. Appetitus rationalis est potentia libera, appetitus sensitiuus non item.

Petes 1. Vtrum voluntas sit potentia formaliter libera?

Respond. Affirmando. Quia libertas formalis est adæquate in voluntate, in intellectu est tantum radicaliter & præsuppositiue. Ita D. Thom. 1. *p. q.* 83. *artic.* 1. 3. & 4. Scotus *in* 2. *distinct.* 25. & alii *ibidem*, quia sola voluntas habet intrinsecam vim & dominium sui actus, & quia intellectus propter suam perfectionem & amplitudinem proponit varias rationes conuenientiæ & disconuenientiæ, iudicat de bonis & eorum coordinatione, discernit gradum vtilitatis & difficultatis.

Dicitur radix & origo liberæ electionis voluntatis ac proinde libertatis. Vide plura in Ethicis & apud Suarez *disp* 19. *sect.* 5.

Petes 2. An voluntas sit libera circa omne obiectum?

Respon. Esse liberam circa bonum in communi libertate exercitii & contradictionis, quia potest cessare à volitione illius, non tamen est libera libertate contrarietatis, vel specificationis, quia licet possit illud non appetere siue non amare, non potest tamen odisse, circa bona vero partialia habet libertatem vtroque modo, quia ita est indifferens, vt

ea vel

ea vel eorum opposita possit velle vel nolle, velle vel cessare à volitione, quam libertatem supponũt, leges præmia, exercitationes, consultationes, &c.

Petes 3 Vtrum voluntas sit libera eo instanti quo operatur?

Resp Affirmando. Ita Scotus in 1. dist. 39. & alii contra Nominales.

Probatur, quia homo peccat eo instanti quo facit malum, non ante, neque post. E. est liber dum operatur, quia nemo peccat in se libere operans.

Probatur 2. Si in voluntate non esset libertas eo instanti quo elicit actum, nullus actus reipsa existens esset liber, sed tantum esset liber quatenus futurus, quod tamen est impossibile, si enim dum existit non est liber, non potest etiam dici liber quatenus futurus, quia in sua futuritione non est alterius, naturæ quam in existentia præsentiali.

Probatur 3. quia voluntas eo ipso instanti temporis quo elicit actum intelligitur prius natura habere potentiam ad illum, & posterius natura reipsa elicere, sicque in eodem instanti temporis assignantur duo instantia naturæ, atqui in illo instanti priori naturæ habet indifferentiam siue potentiam ad eliciendum vel ad non eliciendum. Ergo eo instanti naturæ est libera, sed illud instans naturæ est simul cum instanti temporis, quo actu operatur. Ergo illo instanti temporis voluntas est libera. Habere autem in illo priori naturę potentiam ad non eliciendum, ex eo probatur, quia immediate ante instans temporis quo actum elicit habet huiusmodi potentiam, & in instanti temporis quo operatur prius natura quam concipiatur, se determinasse, nihil est quod impediat hanc potentiam. Confirmatur, quia Angeli in primo instanti suæ creationis, Christus Dominus in primo instanti suæ conceptionis meruerunt, vt communiter docent Theologi Ergo elicuerunt actus liberos. Et Deus ab æterno libere dilexit nos Ergo in voluntate est libertas etiam respectu actus existentis in eodem instanti & non tantũ respectu actus duratione reali posteriore.

Dices: implicat vnam potentiam simul efficere & non efficere. Ergo talis potentia non reperitur in voluntate.

Resp. Non implicare vnam potentiã simul & eodem instanti posse efficere & posse non efficere diuisim, & talis potentia est in voluntate, eaque sufficit ad libertatem.

Petes 4. An libertas sit aliqua potentia distincta à voluntate?

Resp. negando. Est vero ipsa voluntas comparata ad obiecta, in quibus intellectus inuenit rationem boni cum aliquo defectu, vide dicta *disp. 3. Physic. q.*

Petes 5. An ad actum voluntatis requiratur cognitio intellectus?

Resp Affirmando. Est communis doctrina Theologorum & Philosophorum, dicentium volũtatem non posse ferri in incognitum, ita vt implicet voluntatem inchoare aliquem actum, vel in illo perseuerare (quidquid aliqui dicant) sine actuali intellectus cognitione, quæ est conditio essentialiter requisita ad actum voluntatis, vnde neque à Deo suppleri sicuti mutua & intima præsentia, materiæ & formæ est conditio essentialiter requisita ad hoc vt constituant compositum. Vbi signũ est quod etiam in Deo actus voluntatis supponat cognitionem, vide dicta *in Ethicis.*

Petes 6. An requiratur cognitio iudicatiua?

Resp. Sæpe sufficere simplicem apprehensionem obiecti per modum conuenientis vel disconuenientis, in qua apprehensione includitur virtuale iudicium, quo implicite censetur res iudicari bona vel mala, nam simplex apprehensio sensitiua potest mouere iudicium sensitiuum. Ergo similis apprehensio in intellectu potest mouere appetitum rationalem.

Petes 7. Vtrum cognitio intellectus concurrat effectiue ad actum voluntatis?

Resp. negando Est contra Caietanum 1. *p. q* 8 *art.* 2. quia actus illius potentiæ nõ potest esse principium effectiuum actus alterius potentiæ, cum actus sint immanentes.

Petes 8. An ad actum voluntatis requiratur in intellectu actus quidam imperii, cuius vi voluntas determinetur ad actum?

Resp negando. Est communis fere sentẽtia contra Medinam 1. *secunda q. 9. art.* 1. Quia talis actus videtur euertere intrinsecam libertatem, si vero posito iudicio intellectus volũtas necessario vult ipsa volitio, nõ est libera in se, sed vt summum in sua causa, sc. in illo iudicio vel imperio, atqui illud etiam non est liberũ, cum intellectus non sit formaliter liber Vide plura *in Ethicis*, & apud Suar. *disp.* 19. *sect.* 6.

Petes 9. An voluntas moueat alias potentias?

Resp Affirmando, quia est appetitus vniuersalis cæteras potentias applicans ad opus; saltem intellectum & potentias sensitiuas, vegetatiuæ enim non subsunt imperio voluntatis. Vide dicta *in Ethicis*. Vbi explicari solet, quomodo voluntas imperet appetitui sensitiuo & aliis.

Petes 10. An voluntas sit nobilior intellectu.

Resp. Intellectum videri nobiliorem Ita D.Th. 1 *p.q.82. art* 3 Caietanus *ibidem*, & alii: duæ sunt rationes potissimæ. 1. quia per intellectum anima in se quasi creat omnia, format enim in se viuas omnium rerum veluti picturas, quibus spiritali modo fit omnia. 2. quia per intellectum omne bonum in nobis recipimus, nam intellectio maxime intuitiua siue visio facit obiectum præsens animæ, illudque intus præsens tenet, per voluntatem vero inclinamur in bonū, vt medianre intellectu vel alia facultate illud teneamus, & licet voluntas sit formaliter libera, intellectus tamen est fons & origo huius voluntatis & licet voluntas moueat intellectum per quandam sympatiam ad exercitium actus, intellectus tamen mouet voluntatem, altiori mouet modo eam illuminando, eiusque actui tribuendo speciem: deinde intellectus non semper eget motione voluntatis, vt patet in apprehensionibus multis, & in visione beatifica, voluntas vero nihil potest nisi moueatur ab intellectu, & licet voluntas sit appetitus vniuersalis, intellectus est tamen discretior vniuersalis & iudex omnium, quod est nobilius.

Petes 11. An risus sit actus appetitus?

Respond: Affirmando Est vero actus imperatus ab appetitu rationali, nam gaudium quod ex obiecto ludicro vel faceto oritur, est quidam actus appetitus, quem consequitur ille motus oris, qui risus dicitur, & elicitur immediate ex vi motiua musculorum, vnde colligas homines plebeios & indoctos magis esse ridiculos quam doctos & expertes, hi enim rarius apprehendunt rem aliquam vel insolitam ac risu dignam.

Petes 12. An admiratio sit actus appetitus?

Respond. Verisimilius esse admirationem esse actum intellectus, est enim ipsa mentis consideratio cum quadam suspensione animæ, sic enim admirationem communiter apprehendimus, vnde quod D.Thom. *1. secunda q.56. art* 8 dicit: admirationem esse desiderium quoddam sciendi, cum scilicet videmus effectum & causam ignoramus, ac proinde esse actum appetitus. Id verum est, non in sensu formali, sed in sensu causali vel connotatiuo, qui enim miratur desiderat causam inuenire.

Petes 13. An potentia motiua in homine distinguatur à voluntate.

Resp. Affirmando: quia voluntas humana non potest ab vlla creatura cogi, potentia vero progressiua in homine sæpe vim patitur, vt dum aliquis trahitur repugnante voluntate. Confirmatur, quia appetitus est potentia manenter operans, potentia vero progressiua recipitur in omnibus membris. Ergo non oritur effectiue & immediate ab appetitu. Ex quo colligas etiam potentiam motiuam in brutis distingui ab appetitu sensitiuo, multo magis qualitates motiuas Elementorum & mixtorum ratione alimenti prædominantis distingui à cæteris qualitatibus actiuis, similiter potentiam motiuam vitalem dilatationis vel constrictionis in corde, arteriis distingui ab appetitu, quia huiusmodi actus & motus arteriarum, cordis, &c. semper fiunt in animalibus etiam somno oppressis, quando appetitus sensitiuus defectu cognitionis sensitiuæ interne non operatur. Porro organum potentiæ motiuæ in animalibus sunt musculi, qui sunt partes corporis conflatæ ex mollioribus neruis, carne, venis & arteriis, & ex solidiori aliqua parte, quæ dici solet ligamentum.

APPENDIX.

De Anima separata.

Animam rationalem à corpore separari posse ac seorsim existere, patet ex ipsius immortalitate, quam fides docet, & ratio naturalis; de qua quid senserint antiqui Philosophi & præsertim Aristoteles, vide apud Conimbricens. *tractatu de anima separata disput.* 1.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Anima separata sit eiusdem essentiæ cum Angelis?

RESpon. Neg. quia ante separationem non est eiusdem essentiæ. E. neque post. Consequentia patet, quia per separationem in se non mutatur, sed tantum priuatur modo illo substantiali vnionis. Antecedens probatur, quia anima ex natura sua & essentialiter est pars alio ordinata, tanquam completum & compositum. Vnde est substantia spiritalis incompleta; Angeli vero sunt entia completa non ordinata alio, adeo vt non possint vniri materiæ instar formæ, cum nihil habeât quo possint exercere munus formæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum status separationis sit animæ rationali connaturalis?

RESpond. Neg. Probatur 1. quia maxime naturale est animæ constituere totum, cum sit essentialiter pars, atqui in statu separationis non constituit totum. E. non est ipsi connaturalis.

Confirmatur 1. quod includit destructionem compositi nequit esse connaturale formæ quæ est potior ratio compositi. Sed separatio est talis. E.

Confirmatur 2. quia anima naturaliter refugit separationem à corpore, omnes enim amant viuere, etiam senes decrepiti.

Obiic. 1. Multi desiderant mori & dissolui cum S. Paulo.

Respond. Hoc desiderari à viris iustis tanquam medium necessarium ad consequendum maius bonum, scilicet beatitudinem supernaturalem, licet in se bonum non sit nec appetibile.

Obiicitur 2. Ille status est animæ connaturalis in quo melius exercet operationes. Sed talis est status operationis in quo intelligit independenter ab organo corporeo & Phantasmatibus, à quibus coniuncta corpori sæpe impeditur. Ergo.

Respond. 1. Negando Maiorem, quia ille status est animæ magis connaturalis in quo melius exercet munus formæ & partis constituentis, licet ex eo consequatur quod minus perfecte obeat aliquas operationes, quia esse formam magis est intimum animæ quam intelligere.

Resp. 2. distinguendo Maiorem, ille status est magis connaturalis, in quo melius exercet omnes vel plærasque suas operationes. Talis autem non est status operationis, in quo non exercet sensationes nec operationes vegetatiuas.

Obiicitur 3. Status separationis potest esse perpetuus sine prouidentia Dei supernaturali, Ergo est animæ connaturalis, alioqui enim esset violentus, violentum autem nequit esse perpetuum.

Respond. vt alibi violentum priuatiuum quod fit per substractionem alicuius conditionis connaturalis potest esse perpetuum, & tale violentum vt summum dici potest status separationis, quomodo priuatio visus dici potest homini violenta, axioma illud, nullum violentum perpetuum intelligi debet de violento positiuo, quod fit per positionem alicuius repugnantis contra effectiuam influxum formæ.

Obiicitur 4. Materia naturaliter priuatur sua forma. E. & anima naturaliter priuatur materia, consequentia patet, quia materia etiam est ordinata ad constitutionem compositi.

Respond. Negando consequentiam, quia non est par ratio, quia materia non ita respicit aliquam formam in partiali, sicuti anima determinatam materiæ partem: Vnde sicut est materiæ præternaturale priuari omni forma, ita est præternaturale animæ priuari propria materia.

(****)

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Anima separata appetat reunionem?

Resp 1. Anima appetit reuniri corpori appetitu naturali. Probatur, quia anima secundum se est pars hominis, ac proinde natura sua propendet ad constituendum hominē. Ergo appetit reunionem, quæ est medium necessarium ad illum finem.

Dices: talis appetitus esset frustra, cum naturaliter impleri non possit.

Respond. negando Assumptum, quia, vt appetitus vnionis non sit frustra, sufficit vt aliquando fuerit expletus, id vero quod alio ordinatur non censetur frustra, si illud aliquando fuerit consecutum.

Resp. 2 Anima separata non eleuata ad statum supernaturalem sed sibi relicta non appeteret appetitu obiecto absoluto & efficaci reunionem cum corpore.

Probatur, quia non appeteret absolute quod iudicaret impossibile, reunio autem illa est naturæ viribus impossibilis. Dixi appetitu absoluto, quia appeteret appetitu conditionato & inefficaci, v.g. si fieri posset maxime, si posset vniri corpori non obnoxio tot tantisque miseriis.

Respond. 3. Anima separata, eleuata ad statum supernaturalem absolute appetit reuniri corpori.

Probatur, quia cognoscit possibilem reunionem, imo de facto futuram.

Dices; talis appetitus videtur impedire quietem animæ beatæ.

Respond negando Assumptum: quia beati appetunt illam reunionem secundum beneplacitum Dei, quando ei ita visum fuerit, cum in omnibus diuinæ voluntati sese accommodent, in qua etiam resignatione specialem experiuntur consolationem, sicuti experimur dum nos conformamus voluntati & beneplacito eius, quem intime diligimus.

(****)

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum ratione naturali probari possit reunionem cum corpore esse possibilem?

Resp. Affirmando, quia ratio naturalis docet, Deum infinitæ potentiæ posse omnia operari quę non implicant contradictionem. Atqui reunio & resurrectio non implicant contradictionem. Ergo.

Confirmatur, ratio naturalis docet creationem esse possibilem. E. & resurrectionē, quia facilius est partes reunire quam producere ex nihilo.

Confirmatur ex ingenito desiderio beatitudinis, quam sine resurrectione assequi non possumus, ea enim quæ in hac vita haberi potest quæque naturalis ab Aristotele & aliis dicitur, est valde imperfecta, cum sit multis permixta miseriis & amitti possit.

Dices: Resurrectio est supernaturalis. E. nō potest cognosci lumine naturæ. Consequentia est clara, quia obiectum supernaturale est extra sphæram luminis naturalis. Antecedens patet ex dictis *disp. 3. Physica*, vbi docetur idem numero corruptum à causa naturali non posse reparari, cum nullum agens naturale secūdo possit aliquid producere.

Resp. ad Antecedens, reunionem esse naturalem quoad substantiam, quia est entitas modalis eiusdem rationis cum prima vnione tantum est supernaturalis quoad modum, non quasi habeat modum aliquem intrinsecum supernaturalitatis, sed per denominatione à supernaturali Dei prouidentia.

Petes: Vtrum igitur Deus non operetur hāc reunionem & resurrectionē, vt author & gubernator naturæ?

Resp. negan. licet enim anima rationalis sit immortalis & appetat vnionem cum materia, & materia ad illam inclinetur, quia tamen inclinatio illa materiæ est remota, & agens naturale non potest reproducere vltimas dispositiones easdem numero, ex quibus per modum naturalis sequelæ Deus materiam materiæ reuniret, fit vt non teneatur, illam inclinationem remitti ad actum, nec refert, quod vnio & compositum sint entia naturalia, quia effectus

effectus naturalis etiam possunt fieri à Deo modo supernaturali, sic enim cœco restituitur visus, qui tamen est naturalis.

Dices: Deus vt gubernator naturæ præcise tenetur iustos afficere præmiis & iniustos pœnis, quod fieri debet per reunionem.

Resp. Si homo non fuisset ordinatus ad statum supernaturalem, iustis fuissent collata præmia, & impiis collatæ pœnæ, sed durante hac vita morali, quia remuneratio etiam per reunionem illam cum corpore possibili vel nulla esset, vel valde exigua. De his fusius Suaretz *Tom.2.in 3.partem q.53.disput.*44.

ARTICVLVS QVINTVS.

Quidnam Anima separata retineat?

RESP.1. Retinere potentias spirituales, intellectum & voluntatem. Patet, quia illæ subiectantur immediate & adæquate in ipsa anima.

Resp.2 Retinere etiam potentias sensitiuas saltem incomplete & quatenus subiectantur in anima, quia alioqui non esset ratio vel fundamentum distinctionis animæ separatæ à substantia spiritali completa. Dixi incompletas, quia complementum istarum potentiarũ est in corpore.

Resp.3. Anima separata etiam retinet habitus intellectus & voluntatis comparatos in hac vita, nisi forte repugnent statui illius vt habitus vitiosi, qui dedecent animam beatã, & habitus fidei, qui includit quandam obscuritatem repugnantem visioni beatificæ, & respectu damnatorum habitus supernaturales, nisi forte relinquatur character Baptismatis, &c. ad maiorem ipsorum confusionem. Ratio est, quia habitus illi sunt in potentiis spiritalibus, nec refert, quod multi non sint exituri in actum defectu materiæ & obiecti, vt sunt habitus temperantię, fortitudinis, quia etiam faciunt ad ornatum animæ, vnde non est ratio, cur à Deo subtrahantur.

Respond.4. Retinebit etiam species intelligibiles, haustas ab obiectis; quia illæ etiam sunt in anima, neque est ratio illas destruendi.

Resp.5. Retinebit etiam potentiam motiuam, quia poterit se mouere localiter eo modo, quo Angeli, quæ potentia motiua est spiritualis & distincta ab ea, quæ residet in musculis corporis, hæc vero corporea est, ac proinde specie distincta ab ea quę animam comitatur, sicut vero in homine sunt plures potentiæ cognitiuæ & appetitiuæ consequentes diuersos gradus, ita etiam possunt esse plures potentiæ motiuæ.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum anima separata nouas recipiat species & à quo?

RESP.1. Anima separata, præter species quas hinc exportat, recipit alias.

Probatur, quia in statu illo separationis multa debet cognoscere, quorum species in hac vita nunquam hausit.

Resp 2. Species illæ non fluunt efficienter ab intellectu sed imprimuntur à Deo. Ita Diu. Thom 1.*p.q*89.*art.*1. vbi dicit: animam separatam eodem modo species comparare quo Angeli, scil ex infusione diuini luminis. Prior pars probatur, quia si species efficienter fluerent ab anima separata, etiam emanarent ab anima coniuncta, quia spiritalis illa emanatio non impeditur per vnionem à corpore, atqui non manant ab anima coniuncta, quæ haurit species à Phantasmatibus. E. Deinde fluerent sic ab anima species omnium obiectorum possibilium, non enim est potior ratio horum potius obiectorum quam illorum. Posterior pars probatur, quia non recipiũtur saltem omnes ab obiectis, quia obiecta externa in illis sunt materialia, quam vt possint sui speciem intellectui communicare, vnde in hac vita debent veluti attenuari à sensibus. E. imprimuntur à Deo. Dixi saltem omnes, quia non est improbabile intellectum aliquas abstrahere ab obiectis, vt docet Scotus *in 4.d ſt.* 45.*q.*2. quia anima separata multa cognoscit intuitiue, ad cognitionem autem intuitiuam requiritur, vt obiecta cognita sui species efficiant in intellectu. Vnde id multo verius est, de Angelis, qui sunt perfectiores in genere intelligibilium.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

De Obiecto & Actu cognitionis animæ separatæ.

RESPON. Anima separata naturaliter potest distinctè cognoscere omnia sensibilia, seipsam, suas potentias, & actus, & alia quæ in substantia sunt ordinis naturalis, licet sunt supernaturalia quoad modum, quia hæc omnia non excedunt naturalem ipsius vim & ordinem cognoscendi. Potest etiam satis distinctè cognoscere, Angelos & eorum naturales proprietates, exceptis cogitationibus, ex suo genere occultis, quas ne quidem in nobis Angeli cognoscunt.

Probatur, quia anima habet species Angelorum impressas à Deo, eo scilicet fine, vt cum Angelis in communi viuat societate, vt fatetur Diu. Thom. *q. vnica de anima artic.* 17. ad hanc autem societatem requiritur cognitio distincta, qua personæ inter se dignoscantur.

Potest etiam naturaliter cognoscere multa euidenter possibilia, quæ omnino sunt supernaturalia, ac proinde dari in rebus potentiam aliquam obedientialem passiuam, cui respondeat in Deo extraordinaria actiua, vt multi censent, Aristotelem & alios Philosophos agnouisse potentiam extraordinariam in Deo.

Resp 2. Anima separata non intelliget sine discursu & compositione.

Probatur, quia licet intellectus tunc paulo sit expeditior, lumen tamen illius adeo est debile, vt non possit vnico simplici intuitu ferri in essentiam rei, & eiusdem proprietates, ac proinde vnum ex alio debet inferre. Communissima tamen quædam principia sine compositione ac simplici apprehensione cognoscet.

Respon 3. Non poterit anima separata vnquam cessare ab omni cognitione, quia debet semper aliquod obiectum sibi debile applicatum, scilicet semetipsam; cùm igitur non impediatur à sensibus, non poterit cessare ab actuali illius cognitione, quod etiam de Angelis multi docent, quamuis contrarium non sit minus probabile, Hoc indubitatum est, si in hac vita studium & laborem contulerimus ad cognitionem, amorem & cultum Dei, nos in futura vita donandos lumine gloriæ, quo instructi, à clara & beatifica omnis boni visione & suauissimo etiam amore nunquam sumus cessaturi.

Finis Disputationum de Anima.

COM-

COMMENTARIA ET DISPVTATIONES IN LIBROS ETHICORVM ARISTOTELIS.

PROLEGOMENA.

CVm nulla rè homines magis ad Deum accedant, quam scientia, vt præclare in Theog. Plato; maxime tamen id vna scientia moralis præstat, quæ mores instruit, docetque, quanam ratione vitæ actiones conformandæ sint, secundum rationem, vt recto itinere ad felicitatem perueniatur, felicitatem inquam, quæ naturæ viribus homo in hac vita consequi potest, vt beatus merito iudicetur. Supernaturalem finem, ad quem homo creatus, non attingit moralis Philosophus, cum naturæ viribus nec cognosci, nec comparari possit. In quo à Theologo differt, qui de iisdem humanis actionibus, quæ ad supernaturalem finem nos ducunt, tractat. Hanc scientiam esse antiquissimam, iamque inde ab ipso mundi exordio, cum homine cœpisse, nemini dubium esse potest, cum homini semper necesse fuerit ex ratione viuere, moresque suos ad illius regulam efformare, quanquam eius inuentionem Græcia sibi arrogét, & Cicero quidem ad Socratem referat, Arist. vero lib. 1. magn. moral. Pythagoram velut primum de virtute disputasse. Sed verius est, ab Adamo ad posteros propagatam, maxime apud Hebræos perseuerasse, ab Hebræis ad Ægyptios, ab his ad Græcos manasse.

Ratio nominis ex ipso Arist. l. 2. c. 1. patet, Ethica enim ait ἀπὸ τοῦ ἔθους, id est, à more nuncupatam, pariq; modo Latinis Moralia dicta, eo quod hæc scientia mores instituat, formetque.

Nota primo, Ethices nomen aliquando latius sumi pro ea doctrina, quæ de moribus tractat, diuiditurque in Ethicam proprie sumptam, quæ hominem instituit, quo ad se; Oeconomicam, quæ hominum mores efformat, in ordine ad familiam. & Politicam, quæ in ordine ad Remp. aliquando vero pressius pro ea tantum, quia in ordine ad se hominem instruit, & sic Ethicæ nomen hic sumitur. Oeconomicam & Politicam aliis libris explicat Aristoteles.

Nota

Nota secundo: Hanc morum doctrinam ab Aristotele decem libris absolui, primo agit de beatitudine, fineq; vltimo hominis, sed pingui, vt aiunt Minerua, quia ita naturæ & doctrinæ ordo postulabat, nam finis in intentionibus est primum, licet executione postremum, neq; ea, quæ ad finem extrinsecum, & essentialem ordinem habent, possunt bene intelligi, nisi prius intellecto fine, saltem inconfuso. Octo deinde libris seqq agit de medio ad finem, actionibus scil. virtutum habitibus, eorumq; principiis, in secundo quidem & tertio de humanarum actionum principiis, ac virtute in communi, in quarto & quinto, quod in tertio inchoauerat de virtutibus hominum, moresq; perficientibus, tum erga se, tum erga alios. In sexto de virtutibus mentis, in septimo, de constantia & continuētia, in octauo, & nono de amicitia, decimo tandem ac postremo ipsam beatitudinem accuratius persequitur, statuitque in quo sit constituenda.

DISPVTATIO I.

De Morali Philosophia in genere.

DVBIVM I.

Quodnam sit moralis Philosophiæ obiectum?

Dico, actiones humanas honestas, vt à recta ratione in vltimum finem dirigibiles, esse obiectum moralis Philosophiæ, materiale quidem ipsas actiones, formale vero, vt à recta ratione in finem dirigibiles. Pro quo

Nota: non vocari hic actiones humanas, quæ sunt propriæ hominis, secundum substātiam operis, vt intelligere, operari, &c. multæ enim ex illis non sunt humanæ, cum non sint in potestate hominis, sed eæ vocantur humanæ, quæ modo agendi proprio hominis eliciuntur ab homine, bestiæ enim non agunt libere, neque in vtramque partem possunt se flectere, sed necessario & naturaliter agunt, quia ad vnum sunt determinatæ, homini vero proprium est suarum actionum habere dominium.

Nota secundo: non omnes actiones, quæ eliciuntur ab homine esse humanas, sed eas tantum, quæ sunt in potestate hominis, & in tantum esse humanas, in quantum in illas habet dominium. Aliæ enim actiones in homine sunt solum naturales, vt pulsus cordis; aliæ sunt quidem in se naturales, in præuia tamen alia applicatione liberæ, vt concoctio cibi in stomacho, nutritio, &c. Neque enim est in hominis potestate illam actionem impedire, applicato alimento. Est tamen illa actio in applicatione præuia sui comestione libera. Aliæ sunt actiones pari modo in se naturales, quatenus egrediuntur à potentia ad vnum determinatum, per accidens tamen in aliquo ad agendum necessario, libere, etiam dum acta agit homo. Sic visus naturaliter agit in visione, tamen pendet à libera diductione palpebrarum, & applicatione obiecti. Aliæ sunt, quæ in applicatione potentiæ non sunt liberæ, vt actus intellectus, motus voluntatis, præeuntes aduertentium rationes, earum tamen continuatio est libera, aliæ denique actiones plane sunt in potestate hominis, ad quas homo se ex rationis aduertentia applicat, vt sunt motus liberi, membrorum exteriorum, ambulare, loqui, multiq; voluntatis actus, quanquam idem sæpe possunt ante rationis aduertentiam non libere fieri, vt sunt omnes actus indeliberati ebriorum, puerorum, stultorum. Omnes igitur humani actus, qui libere fiunt, humani dicuntur, cæteri naturales, qui licet possunt dici actus hominis, non tamen actus humani. His suppositis probatur conclusio, quia actiones humanæ sunt illæ, de quibus hic præcepta dantur, de quibus est scientia, & demonstratio, ergo,

Confir-

Confirmatur primo, quia Philosophia moralis est habitus practicus, habitus autem practici obiectum est praxis, nã quemadmodum scientiarum speculatiuarum obiectum est id, quo docent, intelligere, & speculari; ita practicarum, id quo docent agere, vt obiectũ artis freni facturæ, frenum, citharistricæ pulsatio cytharæ, scientiæ equestris equitare.

Confirmatur secundo: quia huius scientiæ principia sunt practica, sed ex principiis practicis non possunt, nisi conclusiones practicæ deduci, ergo.

Confirmatur tertio: Ex Aristotele *c.1.lib. 2.Ethic.* vbi ait, in Philosophia hac morali considerari, quemadmodum actiones obeũdæ, & exercendæ sunt, & passim ait, hanc scientiam in actione positam esse.

Quod autem formale obiectum, sunt illę actiones, vt in vltimum finem à recta ratione dirigibiles, probatur, quia finis huius scientię intrinsecus est dirigere actiones voluntatis in proprium suum obiectum, quod est ipsum bonum, ac finis, ne forte in eius prosecutione hallucinetur; per apparentem aliquam boni speciem. Sicut enim intellectus modo circa ea, quæ speciem aliquam veri habent, decipiatur, indiget habitu dirigente ipsius operationes in verum, sic & voluntas ne circa inanem, ac falsam boni apparentiam erret, indiget habitudine, cuius finis sit dirigere ipsius operationes in verum bonum, ergo dirigi in verum bonum, ac vltimum hominis finem, ei finis intrinsecus & ratio formalis fere coincidunt.

Non, res omnes habere finem quendam vltimum, qui est summa naturæ cuiusq; perfectio, quo adepto res vnaquæque acquiescat, sed eo differt homo, à cæteris rebus, quod res aliæ non tam agunt, vt assequantur vltimum finem, quam agantur à Deo, & necessitate naturæ impellantur. Vnde ab intrinseco non impediuntur, quo minus illam assequantur, licet posset impediri ab intrinseco, homo vero cum sit liber, libere etiam in bonam, & veram sui perfectionem tendat, vnde ab intrinseco se ipsum prosecutione veri boni, ac vltimi finis impedire potest, persequendo id, quod vere ipsi bonum non est, quod ne fieret, inuenta est hęc moralis Philosophia, quæ ostenderet verum bonum, & hominis actiones in illud duceret.

Dices primo, etiam de actibus vitiosis hic agi, quiq; à beatitudine auertunt, ergo non solas actiones humanas honestas secundum vltimum finem dirigibiles esse huius disciplinæ obiectum.

Resp. de illis non per se, hic agi, nec enim docet sciẽtia moralis operari actiones vitiosas, qui est finis in habitibus practicis, sed tãtum per accidens, de illis agi, vt Physica de vacuo, & de herbis noxiis, tum quia contraria iuxta se posita maxime illustrant, quia etiam exposita ad eiusdem scientias, saltem reductiue pertineant, quod hic inprimis habet locum, quia difficulter intelligi potest, quęnam actibus vere hominem dirigant ad vltimum finem, nisi similiter intelligantur, quæ sint illæ, quæ auertant ab vltimo fine. Sic Logica de operationibus intellectus agit, & dirigi possunt, per accidens tamen etiam agit de operationibus intellectus prauis, non vt illorum doceat praxim, sed vt vitentur, & illis cognitis facilius cognosci possint, quæ nã actiones sint rectæ.

Dices secundo: hominem, vt secundum animam sanabilem, vel vt beabilem, seu vt ad beatitudinem est dirigibilis, esse obiectum huius scientiæ. Quod probatur, quia circa hominem versatur hæc scientia illiusque est finis, & omnia, quæ in hæc scientia tractantur, ad hominem referuntur, siue partes subiectiuas, siue principia spectes, imo ipsæ nec virtutes & actiones hominis non nisi vt ad hominem relatæ, & aliquid quodammodo ipsius sunt, hic tractantur. Sed illud est obiectum, quod per se tractatur, cetera autem, in ordine ad illud, ergo finis intrinsecus moralis Philosophiæ est dirigere hominem ad beatitudinem. ergo homo, vt ad beatitudinem dirigibilis est illius obiectum. ergo homo est, quod dirigitur, tanquam id, quod in fine, actiones autem humanæ sunt media, siue id, quo homo dirigitur, ergo homo est materiale obiectum, formale autem, vt per actiones ad beatitudinem dirigibiles: quarto comparari solet medicinę, quod vt sanat hæc morbos, ita illa morbos animi, sed medicinæ obiectum constituitur homo, secundum corpus sannabilis, ergo Ethicę obiectum erit idem homo, secundum animam sannabilis.

Resp. negando assumptum, Ad 1. probationem, resp. moralem scientiam non versa-

si circa hominem, tanquam obiectum suum, materiale, nisi forte remote, & in obliquo, non in recto, quia scilicet considerat operationes hominis, non autem hominem ipsum, & patet, quia illud est obiectum, quod proxime & immediate attingitur ab illa scientia, & de quo dicitur demonstratione; cuius principia partes subiectiuæ proprietates assignātur in illa scientia. In practicis illud est obiectum, quod illa ars, vel scientia docet operari, quæ omnia nullo modo in Morali Philosophia conueniunt homini, sed operationibus humanis, immediate enim operationes considerat, & de illis dat demonstrationes principia illorum, & variarum virtutum, ostendit actiones; denique non docet hoc scientia hominem operari, sed actus humanos, neque illud, quomodocunque respicitur, ab aliqua sciētia, siue vt subiectum, siue vt principium, siue vt finem & obiectum, si non immediate in illa scientia doceatur, sic artis formæ in factiuæ obiectum, est frenū equi, non equus etiamsi ars aliquo modo remote, & in obliquo respiciat equum. Artis sartoriæ obiectum est vestis hominis, non homo, aut intellectus. Vnde

Nota, quādo obiectum ex se, vel prout cōsideratur in aliqua scientia, dicit ordinem ad aliquid aliud necessario, & in illa scientia hūc ordinem considerari, & terminum illius habitudinis cadere saltem in obliquo, & directe in considerationem illius scientiæ.

Ad secund. respond. idem esse, siue dicamus finem intrinsecum moralis Philosophiæ hominem dirigere ad beatitudinem, siue dirigere operationes hominis, in illam, idem enim vtroque modo loquendi significatur, cū neque homo possit dirigi, nisi operationes, quibus mediantibus homo dirigitur, à ratione dirigantur. Neq; opiniones ipsæ possent dirigi, quin homo ex consequenti dirigatur, tanquā subiectū, quod dirigitur, & finis, ratione cuius operationes diriguntur. Non tamē homo dicendum est, obiectum moralis Philosophiæ, cū in dirigendo non sit id, quod immediate intuetur, & considerat ratio, sed tantū remote, & tanquam finis.

Ad tert. resp. hominē dirigi, vt quid per modum subiecti non aūt per modum obiecti, operationes aūt secundū se consideratæ habēt se per modum obiecti quod, siue obiecti materialis, formale vero est ista *dirigibilitas* ad finem, sub qua hic considerantur. Vnde non repugnat idem dirigi, vt quid, & vt quo; sed seu diuersa consideratione.

Ad quart. resp. Quicquid sit de illa cōparatione, melius loqui illos; qui vulnera & morbos obiectū medicinæ constituunt, hominē vero in obliquo tātū, in illius obiecto includūt, cū nō de hō; e sed de morbis, & vulnerib. immediatæ sint demonstrationes medicinæ.

Addo latū esse discrimen inter Ethicam & medicinā, vt ne quidē sannabile, secundū animā possit statui, obiectū formale Ethicæ, tū quia Ethica nō versatur circa morbos animi immediate, sicut medicina circa morbos corporis, sed tantū ex consequēti, & indirecte, q̄a sc. versatur circa operationes illas, ad quas sequitur moderatio effectuū, tum quia Ethica non sistit in ista animi sanatione, sed vlterius tendit in vltimū finem, medicina autem sistit in corporis sanitate. Vnde ab eo merito sumis formalem rationem sui obiecti.

Resp. Ethicā esse, & dici quodāmodo subordinatam ex fine œconomicę, & politicæ, non quasi Ethica illarū finē consideret, sed p̄ quādā naturalē sequelam, quia bonū singulorū in bonū totius cōmunitatis cedit; & finē poltic æ, iuuat, quo fit, vt politica singulorum fines in suum finem possit dirigere.

DVBIVM II.

Vtrum moralis Philosophia sit scientia?

SOcrates apud Mnemonem *in Mnemon.* existimauit, virtutē nec posse doceri, ne sciri, nec assuetudine cōparari eo, q̄ sit merū Dei bonum. Quam sententiam refutat Plutarch. *pecul. lib.* alii consuerunt hunc habitum non distingui à prudentia, de qua *seq. dub.*

Dico primo: si latius sumatur nomen sciētiæ, pro quauis cognitione per causā, erit hic habitus scientia, saltem secundum partē sui.

Probat. 1. Quia hic sunt verę definitiones, & verā causam euidenter demonstrant conclusiones practicæ, ergo, secundo. Arist. *lib.* 1. *post.* tria requirit, vt de re aliqua possit esse scientia, principia partes subiectiuas, & proprietates, adhæc in rebus moralibus reperiuntur; ergo de illis est sciētia. Minor p̄batur discurrendo p̄ singula, & primo quidem, sua habet principia, tū incōplexa, rationē scil. quæ de actionū bonitate & malitia iudicat volūtatē, quæ id, q̄ honestum est amplectitur, inē vitiis

usq; potētiæ habitus, tū incōplexa, rationē sc. q̄ de actionū bonitate&malitia iudicat volūtatē q̄ id, q̄ honestū est, āplectitur, itē vtriusq; po ētiæ habitus, tū cōplexa, vt bonū esse amplectendū, malū fugiendum, magis bonum, diligentius cōsectandū. Partes sunt virtutes earūq; actiones, specie diuersæ. Habēt itē virtutes & actiones honestæ suas proprietates, vt q̄ circa ardua versentur, prauis animi morib. moderētur, q̄ sint laudabiles, bonū faciāt habentē, & quanq̄ hoc sit propriū scientiarum speculatiuarū, demōstrare passiones de subiectis, practicarū vero causā adferre praxeos, sed cur agendū, & quomodo, vndelicet hæ p̄prietates possint demōstrari, de suo obiecto, nō traduntur tamē in hac scientia, cum de illis tantū sit cognitio speculatiua, & non nisi remote practica, quia ex illa inferri possunt conclusiones practicæ. Vnde potius sumuntur conclusiones harum demōstrationum, à morali Philosopho tanquam principia suarum conclusionum.

Dices 1. Actiones humanæ sunt singulares & contingentes ergo de illis non est scientia.

Resp. ea ratione, qua sub sciētiā cadunt, nō esse singulares, sed vniuersales, & à singularibus abstractas, eædēq;, vt sic sunt immutabiles, & necessariæ, cum determinatam habeant essentiam, & necessariam p̄dicatorum essentialium connexionem, quo fit, vt & necessariæ de illis cognitiones esse possint.

Dices 2 Etiā mores & actiones humanę in cōmuni consideratæ pro tēporum & locorū varietate mutantur, ergo ad scientiam non sunt accōmodatæ. Resp. Etiamsi q̄dam in hac scientia nō sunt ita certa, & immutabilia, ob q̄ causam eos statuemus, non esse scientiam, nisi secundum aliquā sui partē, pleraq; tamē apud oēs, sunt eadē, & constantissima, vt suū cuiq; reddendum, Deum colendum, &c. Adde hoc saltē necessariū, in rebus moralibus, esse tēporum, locorum, circumstantiarum habendam rationē. Ad Socratis rationē initio positam dico, nihil euincere alias si de sciētia speculatiua sit sermo, de nulla re haberi posset scientia, cū omnia sint dona Dei, q̄ in mundo sunt, sin de sciētia practica loquatur, rectè de donis Dei procederet, sine humana exercitatione, ac labore homini impensis, vt sunt virtutes supernaturales, quæ exercitio non acquiruntur, non aūt de iis, procedit, q̄ Dei qui dē dona sunt, ac sine hōis exercitio habentur.

Dico secundo: Si scientiæ nominę tantum intelligantur ea, quæ in cognitione sui obiecti sistit, nec versatur in rebus agibilibus, quo modo sæpe videtur Aristot. nomen scientiæ sumpsisse, *vt Ethic. 6. c. 3. &c.* & in Metaph. sępius moralis Philos. non erit scientia. Hinc patet quid ad illud respōdendum sit, an Ethica sit Philosophiæ pars, si quis enim Philosophiæ nomen pressius vsurpat, pro sola contēplatiua, vt Arist. 2. *Met. c.* 3. practicam à Philosophia excludit, simpliciter tamen dicēdum est, esse Philosophię partem, eamq; valde præstātem, vt sæpe insinuat Arist. Cum enim Philosophia animæ medicina dicta sit; animique morb. duplex sit, ignorantia sc. cui contēplatiua scientia medetur, & morum corruptelæ, cui hæc moralis medicinā facit, satis perspicuum est, hāc in Philos. partib. habendā esse.

DVBIVM III.

An Philosophia moralis differat à prudentia.

Dico licet quoad multas cōclusiones practicas Ethica sit scientia, quoad plerasq; tamen, & vt plurimū non est scientia, sed ad prudentiam pertinet. Probatur primo ex Arist. *l. 1. c. 3.* vbi totus est, vt ostēdat in hac scientia non esse requirendas subtilitates, & frustra hic mathematicas demonstrationes quęri, sed probabilia argumenta sufficere. Item, ibidem docet, iuuenem non esse moralis scientiæ idoneū auditorē, quia caret prudentia; & apertissime *l. 6. c.* 8. imo, quia tā paucæ sunt demōstrationes in Ethicis, videtur totā moralē doctrinā *l. 6.* referre ad prudentiā Confirmatur, q̄a Ethica in plurimis tātū topice p̄cedit, & per rationes probabiles, hinc tā diuersę in rebus moralibus opiniones Probatur secundo: Deo eo non est sciētia, q̄ aliter se pōt habere, seu quod non cognoscitur, vt necessarium, & de quo consultari potest, vt Aristot. ait, *l. 6. c. 3. 5. 6. 7.* sed de actionib. etiā in vniuersali, non sc agendum, & quomodo cōsultatur, neq; à priori causa recedi sæpe potest, ergo de iis non est scientia. Pro cuius maiori intelligētia nota, in intellectu duos solere morales habitus cōstitui, superiorē alterum, & vniuersalem, qui q̄d sit agendum, in vniuersali abstrahendo, ab omnibus particularibus circumstātiis, considerari; alter est inferior, qui ostendit, quid hic & nunc talib. circumstātiis in particulari sit agendum. Si secūdum

Aristotelem loquamur, nomen prudentiæ vtrunq; habitum complectetur, & prior quidem prudentia superior, altera inferior dici poterit, definiturque in genere, ex Aristot. recta ratio agibilium.

Confirmantur hæc ex Aristot. lib. 6. qui prudentiam definit passim eum intellectus habitum, quia versatur circa actionem, nulla facta mentione particularium circumstantiarum, imo *c.* 5. aperte cõtrarium docet, prudentem nimirum esse eum, non qui sigillatim, sed in vniuersum de illi consultare potest, quæ confertur ad bene viuendum, & *c.* 7. dicit, non tantum rerum vniuersarum esse prudentiam, sed debere etiam ei notas esse res singulares.

Dices, Aristoteles aperte, *ibidem* negat, prudentiam esse scientiam, ergo si moralis Philosophia prudentia, non erit scientia: Item dicit *in fine cap.* 5. prudentiam eo differre à scientia, quod sit opinatiua tantum, ergo.

Resp. Philosophiam moralem partim esse scientiam, partim prudentiam. Scientiam, quatenus est conclusionum necessariarum, per causam, prudentiam, quatenus topice procedit, & est rerum non necessariarum, quæque aliter, vt loquitur Aristoteles, se habere possunt, aut saltẽ quorum causa à priori haberi non potest, & sic, cum sit tantum opinatiua, non potest esse scientia. Vnde ad Argumentum dicendum, Philosophiam moralem, qua est scientia, non esse prudentiam, neque è contra.

Nota tamen, aliter fere communiter loqui Philosophos de prudentia, & prudentiæ nomen pressius accipiunt pro inferiori illo habitu, qui de singularibus tantum actionibus iudicat.

Petes, an Ethica qua scientia, & qua prudentia, constituant vnum habitum specie moralem, an plures. Ratio difficultatis est, quia ex vna parte non videntur ponendi plures habitus morales, circa idem obiectum in vniuersali consideratum, & quemadmodum non sunt plures specie Physicæ, aut Metaphysicæ, ita etiam non sunt constituendæ plures ethicæ. Ex altera vero parte, non videntur coalescere posse simul habitum opinativum & simul scientificum.

R. Sicuti Physica, aut Metaphysica non est vnus specie habitus, sed plures aggregatione qui tamen dicunt, ordinem ad vnum obiectum formale, ita Ethica, qua scientia & qua prudentia, non erit vnus specie habitus, sed plures, habentes tamen ordinem ad idem obiectum formale, ad actiones, scil. humanas, vt dirigibiles à ratione in finem naturalem.

Addo, ne quidem Ethicam, qua scientiam, vel qua prudentiam, esse vnum specie habitum, sed plures, cum sint plures cõclusiones, ac iudicia practica per diuersa media, seu rationes formales proximas.

Dices primo, prudentia versatur circa singularia, teste Aristotele *c.* 8 *l.* 6 ideo enim ait, prudentiã non esse scientiã, quia est extremi, hoc est rei singularis, vel vt ipsemet paulo post explicat, eius, quod sensu percipitur, ergo prudentia non versatur circa vniuersalia.

R. Aristotelem velle prudentiam potissimum esse circa actionem singulares, neque consistere in vniuersali, sed etiam vniuersalia dictamina practica dirigere ad bene iudicãdum in singulari.

Dices secundo, Philosophus moralis potest esse vitæ alioquin peruersæ, ergo potest quis sine prudentia esse moralis Philosophus.

Resp. Philosophum moralem posse esse sine prudentia perfecta, qua bene iudicet de actionibus in indiuiduo, non autem posse esse sine prudentia quadam imperfecta, qua bene iudicet in vniuersali.

Dices tertio, multos esse prudentes, qui non sunt morales Philosophi.

Resp. multos acquirere vsu & experientia, ac longa rerum tractatione habitum bene iudicandi, de rebus agibilibus, qui si solis euentibus & ex perientia nitantur, non sunt simpliciter dicendi prudentes, sin causas habeant à priori, aut rationes probabiles, cur ita sit faciendum, iam vero prudentes & morales Philosophi sunt, & longe certius in actionibus suis procedunt, quam ii qui sola experientia nituntur, aliquando valde male iudicent & turpiter labantur.

Dices quarto. Vnumquemq; esse prudentem, qui de agendis iudicat, pro ratione sui status, seu quantum status ipsius illum obligat, vnde rusticus dicetur prudens, qui pro ratione sui status bene de agendis iudicat, etiam si

iamsi à parte rei nõn bene iudicet, & imprudens esset iudicium in viro literato, ergo vt aliquis censeatur prudens, non requiritur vt sit moralis Philosophus.

Resp. talem non dici simpliciter prudentem, sed prudentem rusticum.

Dices quinto. Versatur circa media Philosophia moralis, etiam circa finem, ergo Philosophia moralis non est prudentia.

Resp. vtramque versari circa media, vt dirigibilia in finem, quia vero in rationem formalem vtriusque cadit finis in obliquo, etiã vtraque finem considerat & intuetur ratione habitudinis sui obiecti ad illum.

DVBIVM IV.

Sitne moralis Philosophia habitus practicus, an speculatiuus?

Dico esse practicum habitum, non tamen factiuum, sed actiuum, probatur conclusio ex Aristotele 2. *Ethic. c.* 2. Ethica considetet obiectum suum, vt operabile, actiones scil. humanas, vt à recta ratione in finem suũ dirigi possint, ergo probatur consequentia, quia id proprium est habitus practici, vt sit directiuus praxeos, & ad illam ex natura sua referatur, sicut speculatiui, vt sistat in sui obiecti contemplatione, nec alio referatur. Confirmatur, quia circa obiectum suum modo plane practico, versatur, tradens agendi præcepta, speciatim vero, qua prudentia est esse practicam & actiuam. Probatur ex Aristotele, qui passim ait, prudentiam circa actionem versari, illam definit esse ratam rationem agibilium habitum ad agendum idoneum, *l. 6.* qua parte autem est scientia etiam potest, quia docet, cur agendam, aut cur hoc, vel eo modo agendum, ergo. Quod non sit factiua, sed actiua: probatur, quia non trãsit in opus externum, quod proprium est factiuæ scientiæ, seu artis; pro quo.

Nota duplicem operationem reperiri in homine vnam, quæ tota manet inoperante, & illum perficit; estque actio immanens, vt speculari, amare, irasci &c. & hæc ab Aristotele vocatur actio, habitus autem intellectus illam dirigens, actiuus dicitur, Aristoteli autem illa dicitur praxis, hic practicus; alia operatio est, quæ transit in opus externum, & aliquid extra ipsum operantem facit, vt pingere, fabricari &c. & hæc dicitur factio, vel effectio, & habitus illam dirigens factiuus, ab Aristotele ποιητικὸς, omnis ars mechanica,

DVBIVM V.

Quænam sint ad moralem Philosophiam apti, qui inepti?

Ratio dubitandi nascitur ex Aristotele 6 5. qui duo hominum genera ab ea remouet, scil iuuenes & incontinentes, solos autem continentes admittit.

Nota primo, ex Aristotele duplices esse iuuenes, ætate scil. & moribus: etsi enim quidã sint ætate prouectiores, experientia tamen, vti & iuuenes carent, & animi perturbationes nullo adhibito fræno consectantur, & hi moribus iuuenes censentur. Ætate item alii iuuenes sunt, qui vti pueri nullam adhuc plane rerum nacti sunt experientiã, alii qui iam aliquam, licet imperfectam.

Nota 2. eo differre iuuenem moribus seu passionem sectatorem ab incontinẽte, quod incontinens proponat quidem recte viuere, ita tamẽ infirmus est, vt insurgente tentatione patiatur se vinci, & frangi, passionum vero sectatoris dicitur, qui nullo modo affectus cohibet, sed dedita opera eos sequitur.

Nota 3. Auditorum esse varia genera, alii plane ad scientiam aliquam sunt inutiles, alii vtiles quidem, quique aliquid possint proficere, non tamen perfecti: alii absoluti sunt, quia animum habent optime comparatum ad scientiæ finem consequendum, optimeq; possunt in ea scientia proficere

Dico primo, iuuenis seu ætate, seu moribus, qui nec continens, nec vllam habet rerũ experientiam, nec comparatus ad exequenda, quæ docebitur, nullo modo est idoneus Philosophiæ moralis auditor.

Probatur, quia auditor idoneus debet rectum ferre posse de auditu iudicium, talis autem potest, tum quia est expertus in rebus agendis, tum quia perturbationes animi illum ad contrarium iudicandum trahunt. Deinde

in practicis is, qui discit, debet esse studiosus eorum exequutor, cum illorum finis sit praxis & exercitatio.

Dico 2. Iuuenis, qui aliquam nactus est experientiam rerum agendarum, & passionibus suis aliquo modo dominari potest, vtiliter ad Philosophiam moralem audiendam admitti potest, auditorque idoneus censendus est. Ratio est, quia iste de rebus agendis aliquo modo iudicare potest, & cognoscere, quis sit verus finis, ad quem homo est dirigendus, quæ media ad illum finem accommodata, ad hæc talis est, infirmus, infirmo autem non est neganda medicina, quæ autem Aristoteles adfert, de iuuenibus, iuxta priorem conclusionem intelligenda sunt, vel sane de absoluto auditore.

Dico 3. perfectissimus auditor Philosophiæ moralis & ætate prouectior, & iuuenilium non omnino sectator passionum, & omnino continens esse debet. Patet ex dictis, & quia talia ad exequenda, quæ docentur est maxime comparatus.

Dices, talem non indigere morali Philosophia, cum iam sit continens.

Resp. Non censeri hic perfectum auditorem, qui omnino sit continens, & moribus perfectis, sed qui norit dominari passionibus, licet adhuc possit in ea re multum proficere. Deinde alii consuetudine & educatione cõtinentes sunt, vt qui bene à puero instructi à parentibus, alii rationem sequuntur, & intuitu finis honesti, quem habent cognitum, operantur, priores idonei sunt auditores moralis Philosophiæ, vt c. 8. *Arist.* posteriores morales sunt Philosophi.

Petes, cur potius ad mathematicas, & speculatiuas scientias admittuntur iuuenes, quã ad hanc?

Resp. Quia vt ait Aristoteles, ad hanc requiritur rerum gerendarum experientia, & perturbationes magnum impedimentum afferunt, quæ ea ætate solent efferuescere, ad speculatiuam vero modo ne sint nimium sublimes, sola naturalis ratio, quę est in illis, nec illum habet impedimentum, sufficit.

FINIS.

COMPENDIVM EORVM, QVÆ LIBRO RRIMO HABENTVR.

PRimo capite docet Aristoteles, primum omnia bonum appetere, & in finẽ aliquem ferri, vt perspicuum est, (inquit) in artibus ac scientiis.

Secundo, variarum actionum, scientiarum, artium varios esse fines, quarum alii sunt operationes immanentes, alii opera quædam externa.

Tertio, vnum finem alio præstantiorem, & in genere illas scientias esse præstantiores, quarum fini aliarum finis subseruit, quas scientias architectonicas vocat.

Secundo capite actionum humanarum vnum esse finem, cumque ciuili prudentię, quę in legibus condẽdis rebusque publicis administrandis versatur, quodammodo subseruire, & esse subordinata.

Tertio capite, primo non esse magnam subtilitatem in hac de moribus disputatione requirendam, secundo ostendit, quis idoneus quis minus idoneus ad Philosophiam moralem sit auditor.

Quarto capite: Finem vltimum summumque hominis bonum beatitudinem vocari statuit,

ſtauit, deinde celebriores de vltimo hominis fine ac beatitudine opiniones refert.

Quinto capite docet, neque in voluptate, quæ pecudum vita eſt, beatitudinem eſſe poſitam, neque honore, tum quia honor non eſt in eo, qui honoratur, ſed in honorante, ſummum vero bonum debeat eſſe aliquid proprium, & internum, tum quia ille facile eripi poteſt: tum, quia virtus, ratione, cuius honor impenditur, eſt quid melius, quam ipſe honor, neque in virtute, quia contingere poteſt, vt qui virtutem habeat, tota vita nihil operetur, & maximis in calamitatibus verſetur, neque in diuitiis, tum quod diuitiæ non ſint propter ſe expetendæ, ſed propter aliud duntaxat, tum quia vita hæc pecuniaria laborioſa eſt.

Sexto capite refellit Platonis ſententiam, qui beatitudinem conſtituere videbatur in contemplatione ideæ boni.

Septimo capite, antequam propriam ſententiam de beatitudine aſtruat, dicit primo, id cuiuſque bonum ac finem eſſe, cuius gratia expetantur reliqua, dicit ſecundo huiuſmodi videri beatitudinem, quod illa ſemper propter ſe, nunquam propter aliud expetatur, dicit tertio felicitatem videri hominis actionem: dicit quarto, hanc operationem non eſſe vegetatiuam, quæ nobis cum plantis communis eſt, nec ſenſitiuam, quæ beſtiis etiam conuenit, vnde ſupereſt inquit, eam eſſe ſecundam rationalem hominis partem, quæ homini eſt propria; dicit quinto non in praua animi operatione, ſed in perfectiſſima animi operatione conſiſtere.

Octauo capite, veterum dictis ſuam confirmat ſententiam, primum illorum dictum erat, cum varia ſint bonorum genera, quædam externa, quædam interna, & horum alia corporis, alia animi, poſtrema hæc omnium maxime bona ſunt, quod dictum noſtræ ſententiæ maxime conforme eſt, inquit Ariſtoteles, cum felicitatem ponamus in præſtantiſſimo animi bono, ſecundum dictum erat, ex animi bonis felicitatem in virtutibus collocandam, id eſt, in actione ſecundum virtutem, tertium quorundam ſcilicet dicentium, in prudentia ſitum eſſe, id eſt, in moralibus actionibus honeſtis, quartum, aliorum dicentium in ſapientia, id eſt, in conſideratione præſtantiſſimarum cauſarum, quintum ad beatitudinem requiri etiam voluptatem; nulla autem in re maior voluptas reperitur, quam in perfectis actionibus mentis. Cum etiam bona externa poſtulare, quod poſtremum dictum ita probat, vt in iis nolit beatitudinis eſſentiam conſtituere, fatentur tamen illi adiumento & ornamento eſſe poſſe.

Nono capite cauſam efficientem beatitudinis inquirit, & primo Dei donum eſſe ſtatuit, atque ab illo hominibus dari, ſecundo non ita Dei donum eſſe, vt Deus illam largiatur nulla hominum induſtria, ſed etiam ſcientia & conſuetudine parari. tertio beatitudinem non eſſe à fortuna.

Decimo capite, Solonem confutat, qui dicebat, neminem tuto poſſe dici beatum ante mortem, cum ſemper verſetur in periculo, quandiu viuit, refellit autem hoc modo, quod externa bona non ſunt de eſſentia beatitudinis, licet ipſius quoddam ſint ornamentum, atque adeo licet ea amittantur, non deſiturum tamen hominem eſſe beatum, cum animi operationes, in quibus beatitudo eſt poſita, exercere poſſit: Si tamen calamitates tantæ eſſent, vt operationem virtutis, impedirent, tum deſiturum hominem beatum eſſe, ſed in illas, inquit, non facile incidet vir beatus, tum quia raro accidunt, & pro paucis, tum quia eas præcauebit, & hoc ad rationem beatitudinis ait ſufficere.

Vndecimo cap. quæſtionem proponit, cur amicorum & poſterorum res aduerſæ faciant hominem miſerum, poſt mortem; Reſpond. infelicitatem poſterorum parum admodum, vel nihil pertinere ad mortuum, quocirca ſi qui felices mortui ſint, omnes manere felices & beatos.

Duodecimo quærit, vtrum beatitudo annumeranda ſit inter res laudabiles, an honorabilibus, rebus honorabilibus annumerat, eo quod ſit bonum ſupra modum excellens, non propter aliud, ſed propter ſe expetitam.

Decimo tertio & vltimo oſtendit, primo de virtutibus agendum eſſe, cũ beatitudinem dixerit eſſe actionem virtute vndique abſo-

absolute congruentem. 2. secundo diuidit animam in partem rationalem & irrationalem, si re illa inquit ex natura rei inter se differant, siue non. 3. quędam rursus inquit, pars est omnium irrationalis, vt vegetatiua, & hanc à Philosophia morali plane reiicit, quod virtutis non sit capax, quędam vero est rationalis, ex parte, quia licet in se non sit rationis capax, rationi tamen subiicitur, eique obedit, vnde rationalis aliquo modo dici potest, per participationem, & hæc pars appetitus rationalis ac voluntas dicitur. Quocirca si hanc partem rationalem appellemus, duplex erit pars animi rationalis, vna proprie & per se, vt intellectus, altera participatiue, vt pote quæ dirigi possit à ratione. 4. ex his colligit, duo esse virtutum genera, vnum in parte essentialiter rationali participatiue, id est in voluntate, priores dicuntur virtutes mentis, posteriores mores.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Bono.

DVBIVM I.

Quid sit bonum, & quotuplex?

Dico primo, ratio boni duplex est, vna absoluta, altera respectiua absoluta est, cuiuslibet rei in se, & suo genere perfectio sine vlla relatione, aut comparatione ad aliud per modum conuenientis, aut aliter. Ita Bonum accipitur, cum dicimus, Bonum aurum, Bonum musicum, Bonum latronem, id est, vnumquodque in suo genere perfectum, quæ omnia nullam relationem dicunt, vt est perspicuum, Bonum igitur hoc modo sumptum, idem significat, quod perfectum est, conuertitur cum ente, à quo nullo modo ex natura rei distinguitur, sed ratione tantum, dicitque expressiorem conceptum entitatis rei modum perfectionis, quem eus præcise sumptum non dicebat, & quamuis hanc boni aut perfecti rationem optime per negationem explicemus, & illud dicamus perfectum, cui nihil deest, non tamen formaliter est negatio, sed aliquid posituum. Nota tamen hāc rationem boni non accommodari rebus absolute, nisi integre sint perfectæ, ex substantia, & proprietatibus, seu accidentibus, vt illud sit bonū absolute, quod in substantia & proprietatibus est integre perfectum, iuxta illud, bonum est ex integra causa, malum autem, ex particularibus defectibus, vt bonum equum dicimus, non simpliciter, qui habet bonam naturam equi, sed qui generosus, robustus, recte efformatus est, & sic bonum nō conuertitur cum ente, vnaquæq; res tamen, vt aliquid entitatis habet, ita aliquid perfectionis & bonitatis, & tanta est in vnaquaq; re, hæc bonitas, quanta est cuiusque rei entitas, & essentialis perfectio, & hoc modo cum ente conuertitur, & sic equus languidus, & debilis non absolute quidem, sed essentialiter est bonus equus.

Respectiua boni ratio posita est in ratione conuenientis alteri, vel perfectiui alterius, per quam res altera dicitur alteri bona, & conueniens, vt calor igni bonus est, sicut è contra malum dicitur, quod alteri est discōueniens, & male illud afficit, vt idem calor aquæ, neque enim quæuis res est alteri bona, & conueniens, sed sæpe mala, noxia, repugnans. Bonitas hæc secundum conceptum suum obiectiuum, præcise est conuenientia ad alterum, malitia disconuenientiæ, materialiter vero & secundum rem, nihil est aliud, quam ipsa res alteri conueniens, & bona, sicut similitudo est res alteri similis, neque hæc conue-

conuenientia, aut disconuenientia quicquam rei superaddit, quoad extrinseca, cum res quæuis seipsa præcise sit alteri bona, vel mala, sed tantum superaddit terminum extrinsecum, respectu cuius à parte, sine vlla intellectus operatione se ipsa est bona & mala, & ratione termini huius, quem superaddit differt ratione, & in extrinseco ab entitate rei, præcise in se considerata. Hæc ratio autem boni non conuertitur cum ente, cum sit eius entis per accidens, quod sit alteri bonum vel malum.

Dico secundo: Bonum est, quod omnia appetunt. Hæc definitio datur ab Aristotele *primo capite*, quam ex veteribus sumpsit, estq; definitio boni, quod est obiectum appetitus, seu voluntatis. Hæc definitio vel intelligi potest, de ipsa appetibilitate formaliter, quæ est denominatio extrinseca ab appetitu, seu potentia appetendi, vt bonum id dicatur, quod est ab omnibus appetibile, vel intelligi potest de fundamento huius appetibilitatis, quod est aliquid intrinsecum, & prius natura appetitu, & consequenter ante omnem denominationem ab appetitu, vel ordine rationis ad illum, estque formalis ratio, cur appetitus in illud ferri possit, quod fundamentum nihil est aliud, quam ratio conuenientis, ideo enim appetitur aliquid, quia est conueniens, si priore modo intelligatur, data erit à posteriori, seu posteriore, à priore.

Peces, quodnam sit illud bonum, sic definitum, an absolutum, an respectiuum. Ratio dubii est, quia bonum, quod est passio entis, assignari solet obiectum voluntatis, quemadmodum verum intellectus, hanc vero bonam rationem diximus absolutam, ex altera tamen parte dicimus rationem boni, in quod voluntas fertur, & omnis appetitus inclinatur esse rationem conuenientis, in qua posuimus rationem boni respectiui.

Suppono hic bonum omne positiuum includere rationem entis, nam est vel cuiusque rei perfectio, vel res alteri conueniens, quanquam non repugnet etiam dari bonum priuatiuum, seu priuatio conueniens. Dico igitur, bonum quod est obiectum voluntatis, aut appetitus, quodque hic definitur non esse bonum absolutum, sed aliquid alteri conueniens, siue à parte rei, per relationem realem, siue per relationem rationis. Sicut enim vna res à parte rei disiuncta ab altera est alteri conueniens, à parte rei, vt calor igni, ita vniuscuiusque rei perfectio, quæ tantum est ratione distincta à re, concipitur rei conueniens, per relationem rationis, sic esse, viuere induunt rationem boni, quod est obiectum voluntatis, aut appetitus, quatenus à rebus præcisa concipiantur, per modum conuenientis. Vnde infero, bonum quod est voluntatis obiectum, licet formaliter sit idem cum absoluto, quod est passio entis, tamen ratione differre, cum bonum absolutum solum rei dicat perfectionem, quæ ab omni ratione boni respectiua supponitur. Bonum vero, quod est obiectum voluntatis, supperaddat rationem conuenientis alteri, vel à parte rei, vel à modo nostro concipiendi.

Dices primo, multæ res pleraq; bona non appetunt, vt lapis non appetit viuere, aut intelligere, ergo falsum est, bonum esse quod omnia appetant.

Respond. primo, multas res pleraque bona non appetere, quia illa ipsis non sunt bona, aut conuenientia, ratio autem boni, vt diximus, est respectiua, bonum igitur dicunt, quod omnia appetunt, sed omnia tamen illud appetunt, quod est ipsis bonum.

Resp. 2. omnia appetere bonum, in communi, vt ratio appetendi sit ratio boni, non autem in particulari, appetere quoduis bonum.

Dices 2. multa non cognoscunt bonum, ergo illud non appetunt.

Resp. nego consequentiam, si intelligatur, da appetitu naturali, non illicito, pro quo

Nota duplicem appetitum distingui solere, naturalem vnum, elicitum alterum. Naturalis nihil est aliud, quam cuiusque rei in suam perfectionem, & id quod illi secundum suam naturam est, conueniens innata inclinatio, sic quæuis res inclinatur in suum esse, & proprietates sibi connaturales, omnis potentia in suos actus, & obiecta, elementa in locum naturalem, & sic de cæteris; & hæc in-inclinatio nullam supponit cognitionem præuiam, neque est actus aliquis, sed secundum rem est ipsa rei natura, ratione duntaxat ab ea distincta.

Appetitus elicitus est actus elicitus à popotentia appetendi, ex præuia cognitione boni, in quod tendit, estque hic appetitus

duplex,

duplex, appetitus sensitiuus, qui sequitur cognitionem sensus, & appetitus rationalis, qui sequitur cognitionem rationis, vterque est in homine: priorem etiam bruta habent.

Nota autem hic appetitum sensitiuum & rationalem capi in actu secundo pro ipso actu, non in actu primo, pro ipsa potentia, nam sic etiam sunt appetitus naturales.

Nota postremo, discrimen inter hos appetitus, in modo quo feruntur in bonum. Appetitus naturalis semper & necessario fertur in bonum, idque verum, quia dirigitur in illud ab agente infallibili, authore scil. naturæ, & per modũ naturæ ex intrinseca inclinatione in illud fertur. Sensitiuus necessario fertur tam in verum bonum, quam in apparens, nam quia ex necessitate naturæ fertur, necessario & quia sequitur fallibile iudicium sensus, fertur tum in verum bonum, tum apparens. Rationalis fertur liberum in bonum, siue bonum, siue apparens, quia fit à potentia habente dominium sui actus, & sequitur iudicium intellectus fallibile.

Dices tertio, appetimus id, quod non habemus, sed sunt quædam quę nullo bono carēt, vt Deus & beati: ergo nullum bonum appetunt, ergo falsum est omnia bonum appetere.

Resp. varias esse appetitiones, & actus voluntatis, specie distinctos nonnulli supponunt rei carentiam, vt intentio, spes, desiderium, & hos non habent Deus ac beati, alii feruntur in rem adeptam, ac præsentem, vt amor, complacentia, gaudium, & hi in Deo sunt ac beatis.

DVBIVM II.

An omnis appetitio feratur in bonum, siue an voluntas possit appetere malum, qua malum?

NOta hanc quæstionem ferme esse de appetito elicito, cum perspicuum sit, appetitum naturalem ferri in bonum, de quo tamen etiam aliquid attingemus. Censent Nominales, appetitum non esse necessario boni alicuius, sed malum, etiam qua malum, appeti posse, bonum qua bonum, refugi, ac odio haberi posse.

Dico omnis appetitio est boni alicuius, nec voluntas in malum, qua malum, ferri potest.

Probatur primo, quia omnis appetitio est inclinatio quædam, & inclinatio est tantum in id, quod est bonum, & conueniens subiecto, confirmatur. Quia vt se habet appetitus naturalis ad bonum, ita se habet appetitus elicitus ad bonum, prout est in cognitione, seu ad bonum cognitum, & apprehensum, sed ille non fertur nisi in id, quod secundum naturam est conueniens, ergo nec appetitus elicitus fertur, nisi in id, quod à potentia cognoscitiua repræsentatur vt bonum.

Probatur secundo, Bonum est obiectum voluntatis, & appetitus eliciti, sed nihil potest ferri extra suum obiectum, ergo omne, quod appetitur, habet in se aliquam rationem boni saltem apparentis. Confirmatur primo, Intellectus non potest assentiri falso, qua falso, ergo nec voluntas inclinari in malum, qua malum. Confirmatur secũdo, Quia quo res aliqua melior apprehenditur, eo magis ad se trahit, & inuitat appetitũ, quo prior apparet, eo maiorem sui horrorem creat, ergo signum est bonum in omni re esse rationem appetendi.

Probatur tertio: Malum, qua tale, nullum habet in se rationem, ob quam appetatur, malum enim de se est fugiendum, neque vero idem, ob eandem rationem, potest esse appetendum, & fugiendum.

Probatur quarto, authoritate Aristotelis hic c. 1. Idem sentit D. Dionysius *de diuinis nominibus cap.* 4. Boni gratia omnia sunt, & quæ bonis contraria, nam & hæc boni appetita aggredimur. Nemo enim in malum intuens, agit &c. Hinc postea subiungit, malum esse præter intentionem, pręter voluntatem, pręter hypostasin. Idem aperte Augustinus *in suis confes. l. 2. c. 4. vsq; decimum* ostendit, quemlibet etiam dum peccat, quęrere in eo, quod appetit, aliquam rationem boni.

Dices primo, Appetitus sensitiuus fertur in malum, nam in peccatum fertur, & obiecta delectabilia contra rationem, ergo.

Resp. appetitum sensitiuum, vt dixi, esse illum, qui sequitur cognitionem sensus. Sensus autem non cognoscit honestatem, aut turpitudinem obiecti, sed tantum apprehendit obiectum, vt sibi conueniens, aut disconueniens,

ueniens, & prout apprehendit, etiam appetitus sensitiuus per modum naturæ in illud tendit, tanquam in bonum sensui proprium, & hæc conuenientia est illi ratio appetendi, non vero malitia, aut disconuenientia cum ratione.

Dices secundo, Etiam appetitus, seu volūtas rationalis fertur in peccatum, cognita malitia, & turpitudine peccati, ergo volūtas fertur in id, quod repræsentatur à ratione, vt malum.

Resp. concedendo totum, sic tamen, vt illa ratio mali non sit ratio appetendi. Voluntas enim cum fertur in rem turpem, non inclinatur in illud, nisi quia cognoscit in ea aliquam rationem boni seu veri, seu apparentis, & licet in obiecto suo videat malitiam, ac turpitudinem, non est tamen illa, quæ voluntatem allicit, nec ratio, cur obiectum à voluntate appetatur.

Petes, cur quemadmodum appetitus sensitiuus per modum naturæ fertur in id, quod secundum sensum apprehenditur, conueniens, & iucundum, appetitus etiā rationalis non feratur in id, quod homini est conueniens, secundum rationem sui, quod honestum est, & vt tale apprehenditur à ratione.

Resp. radicaliter prouenire ab intellectu, qui vt vniuersalis est potentia in cognoscendo, ita variam rationem boni, seu honesti seu delectabilis, quæ est in obiecto suo, cognoscit, & voluntati proponit; immediate vero, ac formaliter ab ipsa voluntate, quæ libera est, & vel obiectum persequi, ob rationē boni qualiscunq; propositum ab intellectu, vel fugere ob rationem mali qualiscunque, quæ etiam proponitur, potest: est enim volūtas appetitus quidam vniuersalis, qui appetit quicquid non est supposito suo conueniens, secūdum rationem, sed quicquid est quocunque modo conueniens, at vero appetitus sensitiuus neque liber est, neque sequitur cognitionem, quæ multiplicem rationem boni in obiecto decernere possit.

Dices tertio, qui ex passione & ignorantia peccat, licet intuitu alicuius boni peccare videatur, idem tamen dici non potest de eo, qui ex malitia peccat saltem, ergo ille dicendus malum vt sic appetere.

Resp. etiā eum, qui ex malitia peccat non ferri in obiectū, nisi quia cognoscit in eo aliq̄ rationem boni, neq; quis ideo dicitur ex malitia peccare, quod malitia illi sit ratio appetendi, sed quia ex perfecta cognitione malitia & ex certa destinataq; electione mali, cōtra quam faciunt ignorantes, & qui vehemētiori aliqua passione impelluntur in malum.

Dices quarto Homo appetit inimico malum, qua malum, appetit illi dedecus, aduersam fortunam, mortem, &c. quatenus illi disconuenientia sunt & mala. Item Dæmones ac damnati volunt peccata, quia sunt offensa Dei, & Deo displicent, ergo illi saltem malū, qua malum, appetere possunt, sicuti etiam Deum oderunt, non sub aliqua ratione mali, cum in Deo nulla sit.

Resp. malunt inimici apprehendi, vt quoddam bonum suum, & bonum illius, vt quoddam malum suum, qua ratione etiam illud odisse quis potest. Idem dicendum de Dæmonibus, ac damnatis, qui Deū apprehendūt, vt sibi disconuenientem, ratione pœnæ, quanquā Deus in se nullam habeat rationem mali. Hinc Deum oderunt, & quicquid Deo norūt placere, contra vero appetunt quicquid illi sciunt displicere. Vnde in his omnibus, licet malum sub ratione mali & malitia ipsa videatur appeti, quia tamen in ista malitia non sistitur, sed in vlteriori aliqua ratione boni, ideo malum, ac malitia volita sunt tantum obiectum materiale voluntatis, ratio vero illa boni est formalis.

Dices quinto: Damnati optant non esse, sed non esse nullam habet rationem boni, ergo malum, qua malum, appetunt.

Resp. Non esse licet secundum se consideretur, nullā habeat rationem boni, neq; hoc modo appeti possit, esse tamen bonū quoddam, quatenus liberat à grauiore, & positiuo malo, melius enim est non esse, quam cum male esse, carentia igitur mali ac miseriæ apprehenditur vt bonum quoddam, licet negatiuum, quia est negatio mali positiui.

Dices sexto, Homo poterit nolle beatitudinem, & velle ea carere, sed in hac carentia nulla est ratio boni, ergo.

Resp. nō posse beatitudinē respui, si solitarie consideretur, cū nihil in se habeat, ratione cuius displicere possit, posse tamen, quatenus consideratur vel vt priuat alio bono, quod appetitur, vel quia apprehenditur, vt impossibilis, vel laboriosum, &c. difficile esse ad

eam niti: hæc enim omnia efficiunt, vt ipsa beatitudo apprehendatur vt aliquo modo disconueniens, & vt habens aliquam rationem mali coniunctam. Similiter si, vt quidã volunt, Moyses & Paulus optarunt carere æterna beatitudine, vt populus Israeliticus saluus fieret, optarunt propter aliquam rationem boni, coniunctam simpliciter autem nemo potest desiderare, esse miser, aut non esse beatus, sed quilibet est determinatus quoad specificationẽ ad appetitionem beatitudinis, sicut & boni in communi.

Dices septimo, Impossibilia interdum appetuntur, vt cum Dæmones appetiuerunt esse æquales Deo, cum appetimus montes aureos, sed oriri ex intentione & affectu boni contrarii, adeo enim odimus res turpes, infamiam, ægritudinem, &c. quia amamus res honestas, bonam sanitatem, &c. & quamuis hi actus voluntatis fugæ & persecutionis sint specie distincti, est tamen inter illos quidam ordo, & dependentia, sic vt omnis auersatio à re disconueniente & mala supponat saltem effectum, saltem virtualem boni contrarii, ideoque manet & profluat; vnde hic actus, si non immediate, saltem mediate dicuntur in bonum ferri, imo sicuti in motu Physico recessus à termino à quo oritur, ex accessu ad terminum ad quem, qui per se in omni motu intenditur, ita omnis auersio voluntatis à malo nascitur ex persecutione boni, ac illum supponit.

Dices nono: voluntas est summe libera: ergo potest appetere malum, vt malum.

Resp. esse liberam, sed intra latitudinem sui obiecti, atque adeo circa bonum in communi; est quidem libera quoad exercitium, licet quoad specificationem sit; sed quod est impossibile, nullam rationem habet boni, ergo.

Resp. Impossibilia his modis posse appeti, primo absolute, si sit error in intellectu, & quæ sunt possibilia, putemus possibilia, secundo: conditionata cognita rei impossibilitate, si scilicet fieri posset, tertio, per modum simplicis affectus, & complacentiæ delectando se in obiecto impossibili, per intellectum apprehensum, non autem efficaciter; illud intendendo, & in his omnibus vel bonum absolute appetitur, vel sub conditione.

Dices octauo odium, tristitia, metus sunt actus appetitus, & tamen versantur circa malum, qua malum, ergo malum etiam qua tale, est obiectum appetitus.

Resp. hanc conclusionem intelligendam esse de actibus persecutionis voluntatis, non de actibus fugæ, vt enim voluntas bonum, qua tale, persequitur, ita malum, qua tale, respuit, fugit & auersatur. Adde omnes hos actus fugę sic determinatos, vt scilicet actu agãt, vel non agant, & etiam appetãt, vel refugiãt; petes vtrum solius libertatis exprimendæ causa possit quis malum appetere, nulla considerata in illa ratione boni.

Resp. videri posse, & tunc ratio appetendi, est illud experimentum suæ libertatis, quod apprehenditur, vt bonum.

Dices, homo potest propositis duobus bonis, alterum etiam maius respicere, electo minore solum quia placet: ergo etiam poterit aliquid velle, quod nullam habet rationem boni quia placet.

Resp. Antecedens verum esse, quia vtrumque est bonum, sicut enim potest voluntas neutrum appetere, & vtrunque respuere, ita potest alterum appetere, relicto altero, etiam maiore bono: Sed ideo voluntas illud maius appetit, quia vere habet rationem boni, quando de vero in obiecto nihil boni apprehenditur, non potest voluntas in illud ferri, quia nihil inuenit in obiecto, quod illam alliciat, vnde mala est consequentia.

Dices postremo, de appetitu naturali sensus habet inclinationem naturalem in actus, & obiecta dolorifica, & disconuenientia, vt sic, vt tactus in adustione, gustus in res amaras, olfactus in res fœtidas, &c. ergo appetitus naturalis fertur in malum, vt malum: probatur antecedens, quia est potentia perceptiua illorum obiectorum, & productiua actuum, omnis autem potentia dicit inclinationem naturalem in suos actus, & obiecta, ergo.

Resp. negando antecedens, potius enim sensus fugit obiecta huiusmodi dolorifica. Ad probationem dico, sicuti non omnis potentia passiua dicit inclinationem naturalẽ in id, quod in se recipere potest, vt aqua in calore, sed potius violentat. Sic nec omnis actiua potentia habet inclinationem naturalem in id, quod potest agere, vel circa quod potest agere, tanquam in bonum sibi conueniens

niens, ac sui perfectum, sed potius illud interdum tanquam malum, quantum in se est fugit, licet applicato extrinsecus, necessario cum sit naturalis potentia, illud attingat, cũ autem dicitur, quod omnis potentia habeat inclinationem naturalem in suos actus, & obiecta, aliter ibi capitur inclinatio naturalis, vt sit idem inclinari, quod posset illa producere, vel attingere, in ratione obiecti, vel si intelligatur de inclinatione naturali, tanquam in bonum, erit tantum de potentia respectu actus, vel obiecti conuenientis.

Petes primo, vtrum quod voluntas appetit, sit semper bonum proprium ipsius voluntatis.

Resp. voluntatem non appete bonum proprium duntaxat, hoc est, ipsius voluntatis bonum, sed bonum totius suppositi, quia est inclinatio totius suppositi, vnde vniuersaliter ad id omne, quod est conueniens supposito, inclinetur.

Petes secundo, An quod voluntas appetit, debeat necessario esse bonum ipsius suppositi.

Resp non necessario appeti bonum suppositi immediate, sed mediate, appetimus enim bonum reipublicæ, bonum amici, bonũ liberorum, quæ immediate sunt illis bona, mediate tamẽ, quia amicus, liberi, respub. bene constitutæ sunt tanquam bona nostra, etiam bona nostra in illis actibus ac nobis appetimus.

Petes tertio. An bonum, quod voluntas appetit, sit semper verum bonum.

Resp. Non semper, à parte rei, esse verum bonum, sed nonnunquam esse verum bonum tantum in apprehensione intellectus, nam cum volũtas, quæ de se est cœca, sequatur intellectus cognitionem, si intellectus erret, & existimet verum bonum, quod à parte rei est non tale, etiam voluntas in appetitu veri boni fallitur. Si quis igitur petat, an verum bonum sit obiectum voluntatis, respondeo, materiale obiectum aliquando non esse verum bonum, formale tamen seu rationem formalem appetendi esse verum bonum: id enim quod appetitur, sæpe non est verum bonum, appetitur tamen vt verum bonum, quia vt tale proponitur ab intellectu voluntatis: Vnde voluntas, licet erret circa materiale suum obiectum, nunquam tamen errat circa formale, seu formalem rationem appetendi. Aristot. *lib. 3. ethic. cap. 4.* vbi hanc quæstionem ex professo tractat, paulo aliter respondet, scil. voluntatem de se naturaliter tantum inclinari in verum bonum, huius tamen, aut illius voluntatem per accidens, quia deprauata est, etiam in bonum apparens ferri, sicut qui sani sunt, bene de saporibus iudicant, ægri vero contra, ideoque feruntur in id, quod ipsis est noxium, ita boni de vero bono bene iudicant, mali male, ex boni autem viri iudicio voluntatis mensura ac obiectum inquit constituendum est.

DVBIVM III.

Quotuplex est bonum Humanum?

Dico bonum est triplex: Honestum, vtile & Delectabile. Nota hanc diuisionem proprie esse boni humani, seu conuenientis homini, qua homo est, hoc est quatenus ratione vtitur. Hæc enim diuisio, proprie ad rem præsentem pertinet, cæteræ ab instituto nostro sunt alienæ.

Nota secundo, bonum honestum illud dici, quod ex se dicet naturam rationalem, seu hominem ratione vtentem, & hoc modo à priori declarari solet, per dictamen rectæ rationis, vt illud sit bonum, quod recta ratio dictat esse faciendum, aut appetendum. Delectabile bonum dicitur, quod peculiarem quandam rationem conuenientiæ habet, ratione cuius suauitatem quandam affert, ac voluptatem. Vtile, quod appetitur non ratione sui, sed ad aliquid aliud bonum consequendum.

Nota tertio, hæc bonorum genera, ita vero rebus accommodari, vt vnicuique rei vna tantum ratio boni attribuatur, & sic re distinguantur bonum, honestum, delectabile, & vtile, & aliquam inter se oppositionem habeant, vt illud sit honestum, quod non hahabeat aliam rationem boni, quam decentiam illam cum recta ratione, vel si qua sit alia ratio boni, non attendatur. Delectabile, quod non habeat aliam rationem, cur appe-

 tatur,

tatur, quam suauitatem quandam ad dulcedinem, rectæ vero rationi sæpe est noxium, & contrarium. Vtile vero, quod ad bonum, honestum, vel delectabile consequendum conducit; intrinsecum vero nullam habet conuenientiam; fatendum tamen in vnam & eandem rem posse illas tres boni rationes cadere. Amor enim Dei & honestus est & voluptatem affert, & ad æternam salutem est vtilis, & tunc illæ tres rationes boni in eadem re tantum distinguentur per principium rationis.

Nota quarto, bonum honestum & delectabile, esse propter se appetibile, ac proinde inducere rationem finis, bonum vero vtile tantum propter aliud appeti, & sic esse tantum medium.

Dices etiam bonum ex natura sua tantum vtile, potest propter se appeti, vt diuitiæ & honores, vt patet in iis, qui vltimum finem in huiusmodi rebus constituunt: ergo etiam bonum vtile potest inducere rationem finis.

Respond. Bonum vtile ex natura sua nullam habere conuenientiam intrinsecam, ratione cuius propter se appeti possit, cum autem induit rationem finis, id fit ex falsa hominum existimatione, non autem vera. Instabis, eodem modo & bonum delectabile, tantummodo ex falsa imaginatione est propter se appetibile, cum veram in se bonitatem non habeat, teste Aristotele *tertio & cap.* 4. R. latum esse discrimen inter bonum vtile, & delectabile, bonum enim delectabile non est quidem verum bonum, absolute homini considerato, vt homo est, seu vt ratione vtitur, non enim est bonum de se decens naturam rationalem, homini tamen, qua sensitiuus est, bonum delectabile est verum bonum, & habet in se conuenientiam, ratione cuius appetatur, & vt tale, vere apprehenditur ab intellectu: Vtile vero nullo modo habet intrinsecam conuenientiam, sed tantum extrinsecam, ratione finis, ad quem ordinatur, proinde cum appetitur vt bonum, per se appetibile, pure affingitur illi bonitas, quam non habet: hinc etiam fit, vt delectabilitas possit esse ratio appetendi, & secundum rectam rationem, vel saltem non contra illam: sunt enim recreationes & delectationes honestæ, vt cum cibus lautus temperanter sumitur: ratio vero vtilis, nunquam possit esse ratio appetendi, iuxta rectam rationem.

F I N I S.

DISPV-

DISPVTATIO
TERTIA.
DE FINE.

DVBIVM I.

Quid sit finis, & quotuplex, & an à bono differat?

Dico primo finis est id, cuius gratia fit aliquid, pro quo Nota, Finem non hic significare pure terminum alicuius rei, vel agentis, in quo agens per suam actionem tendat, tanquam in effectum, aut obiectum. Huiusmodi tamen termini non sunt causæ Physicæ, sed finis hic est causa Physica, diciturque illud, quod per suam cognitionem ac desiderium mouet, & incitat agens ad sui consecutionem, per accommodata media; vnde colligitur, ea tantum agere propter finem, quæ cogitione prædita sunt, vt latius infra:

Nota secundo, finem licet sit in executione postremus, esse tamen in intentione primum, & in genere quicquid est propinquius fini, in intensione esse prius; at in executione posterius. Finis igitur, vt non est postremum executione, sed vt est primum in intentione, habet rationem principii, & causæ, est omnium mediorum causa, quatenus per sui efficax desiderium mouet agẽs ad electionem, & executionem mediorum, nomen tamen finis videtur potius inde sumptum, quod sit in executione postremum.

Dico secundo, Bonum & finis re plane idem sunt, & conuertuntur, ratione tamen & habitudine differunt: bonum enim dicit relationem, conuenientiæ, finis vero cum formaliter sit causa, dicit intrinsecum ordinem transcendentalem ad effectus suos, id est, media, quæ ratione finis appetuntur & eliguntur.

Dices, Bonum vtile est etiam bonum, & tamen non est finis, ergo bonum & finis non conuertuntur. Confir. quia finis non est adæquatum obiectum voluntatis, sed etiam media, cum illa etiam à voluntate appetuntur, ergo habent rationem boni distinctam à fine.

Resp. bonum vtile esse tantum analogice bonum, & per denominationem extrinsecam à fine, in quem tendit, cum non sit bonum bonitate intrinseca, sed bonitate finis. Ad Confirmationem respondeo, finem non esse adæquatum obiectum, materiale voluntatis, sed illum ac eius bonitatem esse adæquatum obiectum formale vltimum, cum etiam media ratione bonitatis appetantur.

Dices media habere intrinsecam conuenientiam ad finem, seu esse extrinsece medium ad acquirendum, ergo ratione sui, & illius intrinsecæ conuenientiæ appeti possunt.

Respond. illam intrinsecam conuenientiam mediorum nihil aliud esse, quam virtutem aliquam, in mediis proportionatam, ad assequendum finem, vt in medicina vis ad causandum sanitatem, quæ virtus est medicina quidem bona, & conueniens, cum sit illius quædam perfectio, non est homini tamen appetenti bona & conueniens immediate, sed tãtum ratione sanitatis, ad quam tendit;

Vnde

Vnde si homo sanitate non eget, medicamẽtum non est illi bonum.

Diuiditur Finis, primo in finem cuius, & finem cui. Finis cui est persona cui bonum appetitur, omne enim bonum est alicui bonum. Finis cuius est id, quod appetitur, hic iterum est duplex, finis qui, seu materialis, ac obiectiuus, & finis quo, seu formalis. Finis qui est res, quæ appetitur, vt quod, vt Deus, pecunia. Finis quo, est adeptio rei, siue id, quo coniungitur ac vnitur finis materialis personæ, cui appetitur, vt visio, vel contemplatio Dei, non enim Deus in abstracto appetitur, sed vt per actionem intellectus nobis vniri potest, & hi tres fines integrant vnum finem totalem, ego enim mihi visionem Dei, aut possessionem pecuniæ appeto.

Secundo diuiditur Finis, maxime materialis, in vltimum & non vltimum Finis vltimus est, in quem res vltimo tendit, vt in illo quiescat, & eius adeptione sit felix, sic hominis finis vltimus est Deus. Finis non vltimus, est bonũ aliquod particulare, cuiꝰ adeptio actione aliqua particulari intẽditur, vt sanitas medicamenti sumptione. Interdum etiam finis vltimus dicitur in actione aliqua particulari, qui vltimo intenditur illa actione. Fines vero non vltimi; seu medii dicuntur ipsa fini propinquiora, respectu mediorum remotiorum, media enim illa immediatius post finem appetuntur, & sic quodammodo exercent rationem finis, respectu remotiorum, nam vt propter sanitatem eligo medicamenti sumptionem, ita propter medicamenti sumptionem volo medicamẽti emptionem, vt emam medicamentum, adeo pharmacopolæ officinam, sed hæc media, respectu aliorum mediorum remotiorum in intentione, non nisi analogice fines dicuntur, cum non sint id, ratione cuius vltimo eligantur ista media.

DVBIVM II.

Quæ sit vis ac Ratio causandi causæ finalis?

NOta vim causandi, & causalitatem in causa finali distinguenda esse, sicut in causa efficiente est virtus ipsa agentis, in actu primo, Causalitas vero est influxus ipsius agentis in actu secundo, ita in fine aliud est vis ad mouendum & excitandum efficiens ad media eligenda, in actu primo, de quo hoc dubio. aliud ipse influxus, seu motio, qua in actu secundo mouet, & excitat, de quo dubio sequenti.

Dico primo, virtus mouendi finis in actu primo est ipsa bonitas finis; probatur, quia bonitas finis est, quæ trahit & elicit appetitum ad sui desiderium, ergo etiam ad media eligenda, & exequenda.

Dico secundo, Finis non habet vim mouendi, nisi media cognitione, qua bonitas finis cognoscitur, patet ex naturali subordinatione actuum intellectus, & voluntatis: voluntas enim non fertur in incognitum, & in genere omnis appetitio elicita sequitur formam apprehensam Nota tamen, licet necessario debeat finis cognosci, vt moueat agens cognitionem, tamen hanc non esse de ratione aut vi causandi, sed tantum conditionem necessariam, per modum approximationis, sicut vis & ratio causandi efficienter in igne est calor, & virtus actiua ignis, non autem approximatio: approximatio autem est conditio tantum, sine qua non ageret.

Dices, diuersitas apprehensionis mutat speciem actus in voluntate, vt contingit in cognitione intuitiua, & abstractiua eiusdem rei, & in apprehensionibus diuersis, quibus idem obiectum apprehenditur, nunc vt honestum, nunc vt turpe, ergo cognitio non tantum se habet vt conditio, sed vt ratio causandi.

Respond. non oriri diuersam speciem actus, in voluntate, ex varia apprehensione formaliter, sed ex varia ratione boni in obiecto apprehensa, vel eadem bonitate diuersis modis apprehensa; sicut ex diuersorum agentiuum applicatione oriuntur diuersæ specie actiones, non tamen hæc diuersitas ab ipsa applicatione formaliter oritur, sed ex virtute agentium specie diuersa.

Dico tertio, Finis cognitus nõ est actu primo completo, ad causandum finaliter, sed vlterius requiritur finis intensior, vt complẽs ipsius vim causantis.

Probatur

Probatur primo, quia finis non mouet ad sui consecutionem, & electionem, nisi media intentione efficaci, mediante autem illa eligit, & applicat potentias ad agendum, ergo. Secundo. Finis de se tantum obiectiue, & metaphorice mouet, non Physice, ergo vt Physice moueat, in ratione veræ causæ finalis, requirit intentionem, per quam perfecte constituatur in actu primo complete, potens ad causandum, & hæc videtur esse intentio Aristotelis, & aliorum Philosophorum, qui causam finalem Physicam causam faciunt, quæ quomodo erit Physica, non video, si tantum obiectiue, non Physice causet, & cur cetera obiecta aliarum potentiarum minus Physicæ erunt causæ actuum manantium à potentiis, quam finis actuum voluntatis.

Confir. primo, quia per intentionem finis completur in eo, vt sit id, cuius gratia cætera fiunt.

Confirm. secundo. Quia amor & intentio efficax in fine, non tantum se habet, vt conditio, & approximatio obiecti, sicut propositio intellectus, sed inclinant & determinant voluntatem ad eiusdem finis persecutionem, & mediorum electionem, & sunt amanti respectu finis, instar ponderis, sicut grauitas ad motum deorsum. Vnde finis pro ratione amoris & desiderii sui plus, vel minus mouet. Similis quædam est in intellectu motio; Physica quidem, non tamen effectiua, cum assentimur præmissis, per quas determinamur ad assentiendum conclusioni, ad cuius conclusionis assensum obiectum præmissarum, secundum se tantum obiectiue, & metaphorice concurrit, assensus vero Physice per modum ponderis intrinseci inclinat. Ita etiam exemplar externum ratione sui tantum obiectiue concurrit ad effectum, sed mediante conceptu, ac id ea interna, Physice, & realiter, quia mediante illa dirigit artificem Physice & realiter. Hinc patet primo completam rationem causæ finalis in actu primo esse finem intentum, & conflari ex duobus, vno, quod se tenet ex parte obiecti, bonitate scilicet finis, altero, quod se tenet ex parte subiecti, & operantis intentione sc. secundo patet, finem non habere rationem causæ finalis, respectu intentionis, sed habere pure rationem obiecti & termini, cum tantum terminet intentionem, non autem moueat Physice ad aliquid agendum.

Dices 1. Intentio non intenditur, sed substantia finis est id, quod intenditur, ergo intentio nihil est causæ finalis.

Respond. Intentio non intenditur, vt obiectum quod, sed substantia finis, & bonitas ipsius, vt quo, ex parte ipsiusmet obiecti, est tamen intentio id, quo finis intenditur, ex parte operantis, atque adeo id quo perficitur, & completur finis, in ratione causæ finalis; neque opus est, vt intentio appetatur, vt pertineat ad rationem finis, sed vt moueat, & excitet, agens ad electionem mediorum, aut sit eligendi ratio, cur moueatur, quod vere cõpetit intentioni.

Ex dictis colligitur, longe aliter concurrere intentionem ad rationem finis, quam cognitionem, intentio enim concurrit, vt ratio agendi cognitio tantum vt conditio sine qua non, vt diximus. Vnde finis intentus, vt intentus reduplicatione est causa finalis. Finis cognitus vt cognitus tamen specificatiue.

Dices secundo, Intentio mouet effectiue ad electionem, ergo non in genere causæ finalis.

Respond. negando Antecedens: Facit enim obiectum suum id esse tantum, cuius est gratia, sic præmissæ non efficiunt assensum conclusionis, sed tantum proponendo vnionem extremorum, cum medio implicite, & virtute ostendunt illorum vnionem inter se, qua animaduersa intellectus sua solius vi fertur in assensum conclusionis; pari modo etiam voluntas se ipsa sola fertur in electionem.

DVBIVM III.

Quæ & qualis sit causalitas, seu influxus causæ finalis?

Dico primo, Causalitas & influxus causæ finalis consistit in motione quadam, qua voluntas inclinatur ad intentionem finis ad appetenda media.

Probatur primo, quia influere in quoque genere causæ, est causare & dare esse, sed finis non

non causat mediorum electionem, nisi mouendo & excitando magis ad illa, ergo influere illius est mouere voluntatem agentis, & excitare ad mediorum electionem.

Probatur secundo. Illud est causalitas, ac influxus causæ, quod quodammodo est medium inter causam præcise sumptam, & effectum in esse positum, est enim veluti via ad effectum, sed inter mediorum electionem, & causam finalem nihil interponitur, ne quidē per rationem, præter istam motionem, ergo in illa consistit causalitas finis.

Dico secundo: Causalitas finis, præcise sumpti ab intentione, est tantum motio metaphorica, non Physica.

Probatur, quia finis præcise sumptus, pure tantum habet rationem obiecti, & termini, non vero realiter mouet, sicut nec obiecta aliarum potentiarum, suas potentias mouent realiter, ergo motio illa finis est impropriè dicta, & metaphorica.

Dico tertio. Causalitas finis completi in ratione causæ, non est motio metaphorica, sed Physica ac realis.

Probatur quarto, quia finis, vt est in intentione, reclinat tanquam pondus quoddam voluntatis agentis, ad persecutionem finis agentis per media.

Probatur secundo, Finis est causa Physica, ergo & eius causalitas est Physica.

Petes, in quo sit illa causalitas, Resp. consequenter respondendum esse in causa efficienta, & finali, si quid actionem ac causalitatem effectiuā dicat, intrinsece esse in agente, quod non est improbabile, consequenter dicet, causalitatem hanc intrinsece esse in causa finali, seu intentione finis, & tantum ratione ab illa differre, quod propter vim causandi in actu primo connotet effectum, extrinsece manantem à causa. Si quis vero dicat, actionem & causalitatem causæ agentis, esse modū quendam ipsius effectus, & ratione tantum distingui ab effectu, vt connotet agens, à quo fluit, consequenter dicet hanc finis causalitatem esse in appetitione mediorum, esseque ipsam appetitionem mediorum, vt manantem ex appetitione finis.

(***)

DVBIVM IV.

An finis moueat secundum esse morale, an secundum esse cognitum, seu intentionale?

NOta, non quæri hic, an cognitio sit necessaria fini, vt causalitatem suam exercere possit, de ea enim re diximus *dub. 2.* Sed cū finis duplex habeat esse, alterum in intellectu, per apprehensionem, alterum quod extra intellectum à parte rei habet, vel habere potest, vel putatur saltem habere posse. Petitur hic, an cum finis mouet ad appetendum media, mouet secundum illud esse, quod habet in intellectu obiectiue, an secundum reale, quod habet extra illum.

Dico, Finis causat ac mouet secundum esse reale, non secundum esse cognitum.

Probatur, illud causat in genere finis, quod trahit, & allicit appetitum, quodque appetitur à voluntate, & illius actum terminat, propter quod consequendum media eliguntur, & ad quod consequendum media proportionem habent, ac tendunt, sed res, ver. gr. sanitas realis allicit appetitum ad sui desiderium, est illud, quod appetitur, ad quam consequēdam media eliguntur, & tendunt, non autem sanitas, quæ est in intellectu, ergo. Confirmatur primo. Quia causa, cur voluntas moueatur ad finē, seu virtus formalis causæ in actu primo, est bonitas finis realis, in se, vt diximus *dub. 2.* quia ratione illius est conueniens, non ratione cognitionis, ergo bonitas, quæ est à parte rei, est ratio formalis volendi, & id, quo finis mouet. Finis autem secundum suum esse reale id, quod per suam bonitatem mouet. Confirmatur secundo. Quia nullus dicet se appetere scientiam, pecuniam, sanitatem, quę est intellectu. Confirmatur tertio, Quia illud per intentionem appetitur, quod postea per media consequimur, quod amamus, & in quo delectamur, quando est præsens, sed illud est à parte rei, non in intellectu, ergo. Confirmatur quarto. Quia illud, quod appetimus, est absens, ergo non est res, vt est in intellectu, quæ vt sic est præsens. Confirmatur quinto. Quia illud mouet & causat, vt quod, quod per intellectum apprehenditur, vt quod, sed obiectum apprehen-

apprehensionis non est apprehensio, vel sanitas, vt est in apprehensione, sed sanitas vt est à parte rei. ergo Confirmatur sexto. Ex iis, quæ diximus *dub.* 2 quia licet finis, vt metaphorice mouet, mouet secundum esse reale cognitum, seu obiectiue existens in intellectu, illud tamẽ esse cognitum, seu cognitio non est illi formalis ratio mouendi, sed tantum conditio approximans, seu proponens obiectum voluntati alioquin cœcæ, ipsum vel esse reale, quod proponitur voluntati ratione bonitatis suæ, quam in se habet à parte rei, est ratio mouẽdi voluntatem, ad intentionem, & electionem, vt patet in appetitione rei præsentis, cibi, v g.

Dices primo, Finis frequenter non habet vllum esse, ergo nõ mouet secundũ esse reale.

Resp. vt aliquid moueat obiectiue, secundũ esse reale, non esse necesse, vt actu existat: Sed sufficere, vt proponatur voluntati per cognitionem abstractiuam, secundũ illud esse reale quod suo tempore futurum esse, ratione intellectus enim potest allicere voluntatem, ad sui amorem & intentionem, & voluntas ex vniuersalitate sua potest in illud ferri, propter bonitatem suo tempore existentem.

Dices secundo, finis, qui intenditur, aliquãdo nullum habet esse, præter esse cognitũ, aliquando enim est res impossibilis, ergo saltem tunc finis causat secundum esse cognitum.

Resp. Finem ratione bonitatis suæ, semper mouere secundum esse reale, verum vel apparens, siue quod in rebus habet vere vel imaginarie, non autem secundum esse, quod habet in intellectu, vt illud secundum inuoluat rationem mouendi, non enim ideo intenditur quia cognoscitur, quod quia existimatur in re habere bonitatem. Vnde etiã in reb⁹ impossibilibus & fictitiis, licet nulla sit bonitas, nisi quam intellectus illis affingit, tamẽ in his adhuc distingui debet cõceptus obiectiu⁹, à formali, siue res, quæ cognoscitur à cognitione. Voluntas autem fertur in rẽ, quę cognoscitur ratione bonitatis suæ, veræ, vel apparẽtis, non n. in ipsam cognitionem aut cognosci rei, quę est tãtũ denominatio extrinseca à cognitione.

*DVBIVM V.

An conueniat homini agere propter finem, illiq; sit proprium?

DIco primo, omni homini, & cuiuis naturæ intellectuali conuenit agere propter finem Probatur, quia agere propter finem, est cognito fine ac proportione mediorum, ad finem tẽdere, ac dirigere se in finem: Sed homo in actionibus suis ita tendit ac dirigit se in finem: ergo. Confirm. Quia homo libere agit, & se determinat moraliter, ad executionem mediorũ, ergo moraliter agit propter finem.

Dices primo, multos esse actus indeliberatos, in homine, qui non sunt in potestate hominis, sed illi non fiunt propter finem, ergo nõ omnes actiones hominis fiũt propter finẽ.

Resp. Hominem tantum dici agere propter finem, in actionibus humanis, ex perfecto rationis iudicio, & aduertentia elicitis, non autem in aliis, in quibus naturaliter agit, more cæterorum agentium naturalium.

Dices secundo. In intẽtione finis & effectu. Simplicis complacentiæ, bonitas obiecti non habet rationem finis, aut causę finalis. ergo in illis non agit propter finem. R agere propter finẽ, vel pressius capi pro eo, quod est aliquid agere, ad assequendum finem, ex præuia intẽtione finis, quo modo finis, vere constat, & sic homo tantum in actibus, qui immediate versantur circa media, aget propter finem: vel latius pro eo, quod est agere libere, propter bonitatem obiecti, ac finis perfecte cogniti, siue homo agat propter finem, etiam intentione & affectu simplicis complacentiæ. Dico 2. Agentia naturalia non agunt propter finem, vt actio præcise manet ab illis. Probatur, quia agentia naturalia sunt ad vnũ determinata, vt ex modo loquendi Philosophorum potius aguntur in finem, quã ipsa se agunt, & non nisi materialiter possunt dici tendere in finẽ Probatur 2. Agentia naturalia, vel non cognoscũt finem vllo modo, vt res, quę sensu curet, & bestiæ cum feruntur in finem absentem, vt cum araneus telam texit in capturam muscarũ, vel si quæ cognoscũt finem tantum, materialiter illum cognoscunt, nõ formaliter, sub ratione finis, neq; media sub ratione mediorum, siue vt habent proportionem ad finem, sed nihil potest agere propter finem, siue in illũ se dirigere, nisi dignoscantur, ergo illa non agant propter finem. Probat. 3. non agũt ex præuia intẽtione finis, sed simul & semel instinctu naturæ feruntur in finem media. Dices 2. Bestias cognoscere obiectum conueniens, vel discõueniens, vt equus, pabulum, & ouis lupum, & ab illo trahi, aut fugari, ergo agũt ꝑpter finẽ.

Respon. cognoscere tantum materialiter, non formaliter, sub ratione finis, scil. propter id, cuius gratia cætera sunt, id est non intelligunt id, in quod feruntur, esse finem, neque hæc, aut illa media, vtilia esse ad finem illum consequendum, quæ cognitio non est absque discursu, sed tantum confuse omnia simul apprehendunt & finem & medium, & in omnia simul feruntur naturaliter. Homo vero illa omnia cognoscit, ipsamque rationem finis ac conuenientiæ, & mediorum proportionem ad finem, distinctè percipi, deque mediis hisce ad finem vtilibus deliberat, ac consultat sicubi illa non percipit, vt in actibus indeliberatis, neque etiam propter finem agit, imo pueri & amentes, licet aliquo modo videantur nosse proportionem mediorum ad finem, quia tamen confuse, & imperfecte cognoscunt, non censentur agere propter finem, sed more cæterorum agentium naturalium agi in finem. Ideo qualiscunque sit in bestiis cognitio, non esse tamen eam quæ sufficiat, vt se libere moueant, & determinent, quod est moraliter agere propter finem.

Dices secundo. Aristoteles *l. 2. Physicorum.* Multis probat, omnia agentia naturalia agere propter finem, ergo. Confirmatur primo, quia certo consequuntur finem suum, nisi aliunde impediantur. Confirmatur secundo. Quia si non agerent propter finem, non censerentur interdum errare à fine, vt fit in monstris generandis.

Resp. hoc argumentum petere sequentem conclusionem.

Dico tertio, Actiones naturalium agentium vt à Deo sunt, fiunt propter finem formaliter.

Probatur, quia Deus ex cognitione finis, & in ordine ad illum, dedit illis naturam, quæ tenderet in illum finem, ac media ad illum consequendum, concurritque cum illis ad illius consecutionem, ergo. Quod à simili declaratur, quia sicut sagitta tendens in scopum, licet non censeatur se dirigere in illum, à mittente tamen dirigitur, licet naturalia agentia non dirigunt se ad finem, in suis actionibus, à Deo tamen tanquam authore naturæ, & rectore supremo impelluntur, & aguntur in finem. Hinc Philosophi ex ordinatissimo modo agendi naturæ optime colligerunt, esse aliquod agens superius, à quo esset illa directio in finem. Hinc & illud opus naturæ est opus intelligentiæ. Ad obiectionem igitur illam, primamque confirmationem constat, quid respondendum sit, non enim agentia naturalia agunt propter finem, ex se, sed vt subiiciuntur directioni Dei. Et licet Physice aliquo modo & materialiter dici possint se mouere, & agere in finem, ac propter illum, vt lapis ad centrum, bos ad præsepe, non tamen moraliter, aut in genere moris agunt, aut se mouent, cum non habeant dominium sui actus, sed mouentur, & aguntur à Deo, qui illã determinatiorem ad finem connaturalem illis indidit. Ad secundam obiectionem dico, ideo errare à fine, quia habent præstitutum finem à Deo, & per virtutem à Deo sibi inditam determinationem ad illum consequendum, quem cum non assequuntur, merito cẽsentur à fine suo deficere, id est, illum non assequi, cum formaliter non erret.

Petes, quomodo Deus non dicatur errare, cum in directione agentium naturalium non semper dirigat ad finem, quem illis constituit.

Respond. non dici errare, aut à fine deficere, quia non intendit illum efficaciter, sed absoluta voluntate, sed tantum, quantum per alias causas licuerit, & nisi ab aliis agentibus obiiciatur impedimentum.

DVBIVM VI.

An detur aliquis finis vltimus humanarum actionum?

Nota, fines alios esse particulares, vt bonum vnumquodque particulare, quod quis particulari actione intendit, vt sanitas, scientia: Alius fuse generalis, quod formaliter, vel eminenter omnem rationem boni cõtinet, vt Deus, vel omnium bonorum collectio, qui ideo generalis dicitur, quod omnes hominis actiones in illum tendant, vel tendere debeant, diciturque potius finis hominis, quam humarum actionum, quod sit illud, in quod homo tanquam perfectissimum tendat, vt in ipso quiescat, & sit beatus, licet etiam humanarum actionum sit finis, tanquam mediorum, & hic finis generalis dicitur

finis

finis vltimus simpliciter, quia in illum homo vltimo tendit, vt in eo perfecte quiescat. Finis autem particularis non dicitur finis vltimus, licet actualis hominis intentio in eo sistat, potest tamen dici vltimus secundum quid, vt dicemus prima conclusione.

Nota secundo. Finis vltimus, seu materialis, seu formalis, dupliciter considerari potest, primo in parte, vt nihil sit aliud, quam plenitudo omnis boni, vel adeptio illius. Secundo in particulari, & sic nihil est aliud, quam res illa in particulari, in qua habetur omnis boni plenitudo, vt Deus secundum veritatem, secundum autem falsas hominum imaginationes, honores, diuitiæ, voluptates, vel adeptio illarum rerum in particulari.

Nota tertio. Sicut ista tria distinguuntur, albedo, vnio albedinis, cum subiecto, & esse album, siue habere albedinem, ita hæc tria finis vltimus, materialis, seu obiectiuus, & vnio ipsius cum homine, quæ dicitur finis formalis, & habere bonum, siue esse, quam optime ex coniunctione summi boni & vltimi finis. Hoc enim postremum est veluti effectus formalis boni, sicut esse album, est effectus formalis albedinis.

Dico primo, Homo in omnibus actionibus suis habet finem aliquem, quem primo intendit, actuali intentione, & in quo sistit, non vlterius illum actu alio referendo. Qui finis, licet possit dici vltimus, secundum quid, non tamen necessario est vltimus simpliciter.

Probatur prior pars, ex Aristotele, *primo Ethic. c. 2.*

Probatur secundo, quia neque in finibus per se ordinatis, secundum intentionem, neque in mediis secundum executionem, potest esse processus in infinitum, sed in aliquo sistẽdum, quod sit primum in intẽtione, & in executione postremum, ad quem media omnia dirigantur: Sicut necesse est dari primum medium, à quo inchoetur executio.

Confirm. primo, quia alioqui nihil vnquã agetur, nisi sit aliquid quod principium moueat, ad agendum, neque electio erit vlla, si nescias, cur & propter quid eligas.

Confirmatur secundo Quia sicut in causis efficientibus subordinatis necessario datur prima, à qua incipiat motus, alioqui nihil vnquam agetur, vt serra nunquam secabit lignum, nisi à manu artificis moueatur, manus artificis nihil efficiet, nisi à vi motiua impellatur, vis motiua (si ab anima distinguatur) nihil efficiet, nisi ab anima efficaciam accipiat, ita se res habet in viribus, æger nũquam vocabit medicum: nisi vt ipsum de morbo consulat, nunquam de morbo consulet nisi vt medicinam accipiat, medicinam non accipiet, nisi vt malos humores euacuet: neq; hoc postremum volet, nisi moueatur tandem à sanitate, in quo sistat.

Confirmatur tertio. Sumo totam mediorum & finium collectionem, siue finita sit, siue infinita, peto an tota illa appetatur propter se, an propter aliud, postremum dici non potest, quia extra totam illam collectionem esset aliquid, quod est contra hypothesin, si prius, ergo dandum est in illa collectione quod propter se, & non propter aliud appetatur.

Dices primo, Auarus semper plures & plures diuitias expetit, ergo non datur finis aliquis in appetitione.

Resp. Si agatur de fine vltimo auari, finem illum esse pecunias, quam maximas potest corradere, & eo omnia media ordinare Si agatur de fine particulari, alicuius actionis auari, dico non esse plures & plures pecunias in infinitum, sed pecuniam aliquam esse, quã sibi actione aliqua intendit comparare, plures autem & plures pecunias in infinitum potest appetere, quia potest multiplicare suas appetitiones, sicut etiam obiectum appetitionis potest in immensum excrescere. Quod si vno aliquo infinitas vel in infinitũ excrescentes pecunias appetit, erit fere velleitas, non actus efficax.

Dices secundo. Infinita sunt bona: ergo infiniti fines.

Respond. vt infinita sunt bona, quæ appeti possunt, non tamen inter se subordinata, sic etiam infiniti sunt fines, non subordinati, in actu primo, qui appeti & intendi possint, diuersis tamen appetitionibus, non autem sunt infinita bona, quorum vnum semper ordinetur, vt medium ad aliud, & in nullo sistatur.

Dico secundo. Aliquid est, quod ex natura sua & secundum rectam rationem est finis vltimus hominis, & omnium humanarum actionum.

Probatur ex Aristot. *primo Ethic. capit. 2.* &

apertius *cap*.7.& communi omnium Philosophorum opinione, qui censuerũt esse aliquid, cuius adeptione homo fiat beatus, & in quem hominis actiones omnes, vt in scopum collimari deberent, quanquam multi in assignando hoc fine vltimo turpiter errarint. Probatur secũdo. Quia experimur nostrum appetitum particularem nullo satiari bono: appetitus autem nostri inclinatio est in aliqui bonum, quo adepto, perfecte acquiescit, neque potest inclinatio esse, frustra, ergo datur tale aliquod obiectum, siue sit omnium bonorum collectio, siue aliquid vnum, quod in se formaliter vel eminenter omnem rationem boni contineat quo adepto, appetitus satietur, ob eamque causam debet esse optimum quid, ac perfectissimum, cum nullo medio ad aliud ordinetur.

Dico tertio. Hic vltimus finis non necessario actu vel virtute in omnibus actionibus particularibus intenditur. Probatur, quia experimur, nos multa agere nullo intuitu vltimi finis, seu Dei, vt sanitatem appetimus, amicis bene volumus, nihil de Deo cogitantes, aut illam nostram actionem in ipsum referẽtes. Deinde, sunt aliqui actus, qui moraliter à Deo auertunt, vt omnia peccata, vel etiam Physice, vt odium Dei, quos neque explicita, neq; implicita à virtuali intentione in Deum referimus, neque relatione operis in Deum referuntur cum natura sua in Deum non tendant, sed ab ea auertant.

Nota, actus duobus modis referri in Deum, vel relatione operantis, vt quos homo ipse in Deum referat, vel relatione operis, vt sunt omnes actus honesti, qui natura sua tendunt in Deum, & subordinati sunt Deo, tanquam vltimo fini, homini non est opus referre actuali intentione in Deum, vt censeantur in illum tendere, peccata vero neque operis relatione in Deum referuntur, neque relatione operis referri possunt, nisi intercedat error actus autem in indiuiduo indifferentes sequi dentur etiam in Deum non referuntur relatione operis, quia nõ habent bonitatem moralem, si autem actu in Deum referantur, iam sinerent esse indifferentes in indiuiduo, quia sunt honesti per illam relationem.

Dices primo, Causa secunda non potest operari, nisi operante causa prima, ergo nec finis partialis mouere, nisi concurrat finis vltimus ac generalis.

Respond non esse eandem subordinationem inter finem partialem & generalem, quæ est inter causam efficientem, secundam & primam. Ideo enim causa secunda nil agit sine prima, quia non habet completam vim agendi sine illa, omnia vero quæ in se bona sunt, habent sufficientem rationem, cur propter se possint appeti, & voluntas de se vniuersalis potentia est, quæ omnia per se appetibilia sigillatim & collectiue ferri potest.

Dices secundo, quicquid homo appetit, appetit, quia desiderat bene esse, ac beate viuere, qui est vltime finis formalis, ergo appetit etiam propter vltimum finem materialem, scil. Deum.

Respond Hinc tantum sequi, quod appetat summum bonum suum, ac finem vltimũ in genere, non autem in particulari Deum: Sicut in genere tantum appetit bene esse, ac beate viuere, non determinate appetendo coniunctionem alicuius boni, per quod sit beatus. In particulari vero non desiderat omnia partialia bona, propter Deum, tum quia potest intercedere error, ignorantia, vel inaduertentia, quod Deus sit ille vltimus finis materialis, cuius adeptione sit beatus. Tum quia non omnia referri possunt in Deum, vt peccata.

Dices tertio, actus mali habent Physicam bonitatem, ergo etiam in Deum tendunt.

Respond. licet habeant Physicam bonitatem, quæ, vt dixi, nihil est aliud, quam cuiusq; rei in suo genere perfectio, & hoc modo forte dici possint, generali quadam ratione in Deũ tendere, sicuti res omnes, quæ participant rationem entis, tamen non habent bonitatem, quæ ad vltimi finis possessionem ducit, sed potius malitiam moralem appositam, quæ assecutionem summi boni impedit. Addo actus illos secundum Physicam illam bonitatem, quam habent in sua specie, & vt ab homine proficiscuntur, esse malos, esse defectus, & imperfectiones, & hac ratione merito Deo displicere.

Petes, an qui peccat, constituat vltimum finem suum in creatura?

Respon Physice constituere tantum finem vltimum, istius actionis particularis, non autem vltimum suum finem, moraliter tamen, qui peccat mortifere, pro illa particulari actione

ctione censeri constituere creaturam suum vltimum finem, quia propter illam deserit Deum, ac auertitur à vero vltimo fine, & summo bono, ideoque in illo actu moraliter magis æstimare illum censetur, quam Deum.

Dico quarto. Hominem in omnibus operationibus suis operari, propter vltimum finem, in generali. Probatur, quia homo agit in omnibus, vt sibi bene sit, ac beate viuat, & intendendo in omnibus bene esse, in particulari virtualiter intendit in omnibus bene esse in genere. Intelligo hanc conclusionem, non de actuali intentione vltimi finis, in genere, cum sæpe in intellectu non occurrat, & pueri cum ad vsum rationis veniunt, prius appetant bona particularia, cibum, potum, &c. antequam appetant in genere bene esse. Sed de virtuali intentione, quæ nihil est aliud, quam propensio quædam & inclinatio naturæ, in bonum, in communi, ex quo propensione oritur vt bona particularia actu appetamus.

DISPVTATIO QVARTA.

De Beatitudine Obiectiua.

DVBIVM I.

An beatitudo obiectiua sit in bonis externis?

NOta primo, proprium esse homini ac cæteris naturis intellectualibus, assequi, vel habere beatitudinem, vt Arist. *lib. 1. cap. 8.* propterea, quod solæ illæ sint capaces possessionis vltimi finis, ac summi boni, sicut etiam ex cognitione illius finis, in illum se ipsas dirigunt. Cætera sicut illum non cognoscunt, ita etiam nec se in illum dirigunt, nec illius possessione fiunt beata, per quandam tamen analogiam dici possunt beata, cum appetitus illorum naturalis, seu elicitus satiatus est illius boni naturalis adeptione, quo adepto cõquiescunt, nec vlterius habent, quod appetũt: Sic lapis in centro, aqua suo frigore, equus auena, & cæteris quibus bene habet, delectatur, & quodam modo est fœlix.

Nota secundo, sicuti *supra* distinximus, duplicem finem cuius materialem scilic. seu obiectiuam, & formalem: ita beatitudo alia est obiectiua, quæ est in ipsum obiectum beatitudinis, alia est formalis, quæ est vnio cũ obiecto beatitudinis, seu illius possessio: Hac disputat. de obiectiua, seq. de formali agemus.

Nota tertio, beatitudinem aliam esse naturalem, quam homo assequi potest naturæ viribus, in hac vita: aliam supernaturalem, quæ est alterius vitæ, fuitque Philosophis ignota, quod fide caruerint, quæ sola nobis innotuit. Hæc Theologorum est propria: illa moralis Philosophi: quia tamen vtraque habet affinem tractationem, & analogiam, de vtraque agendum, maxime cum de vera felicitate hominis nobis agendum sit, quæ de facto, & à parte rei nulla est, nisi supernaturalis, quia tamen homo potuit creari in statu puræ naturæ, & tunc habiturus fuisset aliquam beatitudinem, videndum est, quænam futura fuisset ista beatitudo.

Nota quarto, de obiecto beatitudinis supernaturalis, nullam esse difficultatem, supposita fide, tota difficultas est inter Philosophos, quæ sit formalis beatitudo.

De beatitudine autem naturali obiectiua diuersissimæ Philosophorum fuere sententiæ: vt D. August. 19. *de ciuit. Dei c.* 1. dicat Varronẽ 288. ea de re sentẽtias collegisse, sed hæ omnes ad pauca capita reduci possunt Arist. *cap. 5. huius libri*, ad tria capita reduxit, iuxta triplicem hominum vitam, voluptuariam scilic. ciuilem & contemplatiuam. Idem *l. 1. magnorum moralium & c. 8. huius libr.* cũ Cicerone & aliis bona diuidit in externa corporis & animæ, iuxta quam,

quam diuisionem bonorum & sententiæ de beatitudine commode ad tres classes reuocari possunt, hoc dubio de primo bonorum genere.

Nota quinto bona externa in tres classes fere diuidi, in diuitias, honorem & potestatē, seu imperium. Diuitiæ aliæ naturales, vt cibus, potus, amicus, quæ quotidianę necessitati inseruiunt, aliæ artificiales, ad permutationes repertæ, vt pecunia. Ad honorem reduco laudem & gloriam, quæ licet inter se affinia, aliquod tamen habēt discrimen: Honor enim est testimonium alterius virtuti & excellentiæ, signo exteriori exhibitum: Laus verbis, fit aut scripto, gloria autē est celebris apud multos fama, seu vt Cicero, frequens de aliquo fama cum laude.

Nota sexto, vbi quippiam à beatitudine obiectiua remouerimus, nullam amplius posse esse quæstionem, an in illius possessione sita sit beatitudo formalis, si enim diuitiæ, aut honores, verbi gratia, non sint obiectum beatitudinis, siue beatitudo obiectiua, recte sequitur, nec formalem beatitudinem circa illa versari.

Dico primo: Beatitudo obiectiua non est posita in diuitiis.

Probatur, tum quia diuitiæ non nisi propter aliud sunt appetibiles. Naturales enim ad hominis vitam sustentandam ordinantur, artificiales etiam propter naturales sunt, beatitudo autem tantum propter se est amabilis, tum quia diuitiæ cum anxietate & timore possidentur, & fortunæ subiacent, neque appetitum exsatiant, quæ sunt contra rationem beatitudinis, tum quia diuitiis quis male vti potest, beatitudine autem nemo, tum quia diuitiæ bonis & malis communes sunt, beatitudo autem merces bonorum est, siue eorū, quæ operantur conuenienter naturæ rationali, tum quia maius bonum est distribuere quam possidere diuitias, tum quia diuitiæ modo mortuo possidentur, seu vt ait Aristoteles, earum possessio non est vitalis, tum quia violenta & laboriosa est illorum vita, qui pecunias quærunt, vide Aristotelem *capite 5. libro 1.*

Dices primo. Diuitias ardentissime ab hominibus appeti, ergo signum est in iis positum esse hominis beatitudinem, secundo pecuniis omnia possidentur, vt ait Aristoteles 5. *Ethic. cap. 5.* beatitudo est status omnium bonorū aggregatione perfectus, vt ait Boetius, quod non ita intelligendum est, vt necesse sit ad beatitudinē omnia bona formaliter possideri, sed vel formaliter, vel consequenter, vel eminenter, ac virtute, qui autem pecunias habet, virtute cætera habet.

Ad primum respondeo, Diuitias inordinato appetitu appeti à stultis, ob naturam corruptam, quia voluptates tantum sensuum spectant, quibus illæ subseruiunt, iudicium autem de rebus non debet à stultis peti, sed à sapientibus, sicut iudicium de saporibus non ab ægris, sed à sanis petitur. Adde, ne quidem tunc in diuitiis finem vltimum ac beatitudinem constitui, cum ad voluptates ordinentur, si quis sit auarus, qui in diuitiis sistat, peruertit rerum naturas. Ad secundum respondeo, pecuniis omnia venalia possideri, non autem cætera, quæ hominis sunt bona propria, neque enim virtus, sapientia, aut vllum animæ bonum pecunia comparatur.

Dico secundo, Beatitudo non est honor, laus & gloria. Probatur, tum quia hæc modo mortuo possidentur, non autem secundum modum naturæ cognoscentis, tum quia facile ista surripi nobis possunt, sunt enim illa in aliorum potestate, tum quia illa virtutem & excellentiam, tanquam fructus quidam consequuntur & præmium, & ob huiusmodi excellentiam ab hominibus impenduntur, res autem est melior suo fructu, & excellentia sui manifestatione, tum quia hæc expetunt homines, vt virtutē habere putentur, ergo virtus est quid melius; tum quia hæc non explent appetitum. Ratio autem, qua Aristot. *cap. 5. huius l.* & alij hanc conclusionem probant, quia scil. beatitudo debet esse quid intrinsecum beato, honor autem potius est in honorante, quam in honorato, vel nihil cōcludit, vel tantūm de beatitudine formali, non autem obiectiua intelligi debet, nam alioqui Deus non esset beatitudo nostra obiectiua.

Dices primo, homines honores summe desiderant, adeo vt omnium rerum iacturam faciāt, sed beatitudo obiectiua est in eo, quod maxime desideratur, ergo.

Resp. Homines sapientes & probos libentius honoris iacturam facere, quam ipsius virtutis, & excellentiæ, ratione cuius honos defertur,

defertur, ambitiosos vero praue in honore, tanquam vltimo fine consistere.

Dices secundo, verum virtutis præmium est beatitudo, vt Aristoteles 1. *Ethic. c.* 9. sed honor est verum virtutis præminm, ergo in eo sita est beatitudo.

Resp duplex esse virtutis præmium, vnum propter quod homines virtute præditi operantur, & non tantum respondet ex æquo, sed etiam superat virtutis meritum, & excellentiam, & illud præmiam est beatitudo. Aliud est præmium veluti accessorium, & longe minus dignitate virtutis honor sc. in quem virtus non ordinatur, tanquam in finẽ, alioquin iam virtus non esset virtus, sed ambitio. Dicitur tamen præmium virtutis, quia is qui virtutem habet, præ cæteris meretur honorari.

Dico tertio. Beatitudo non est in potestate & imperio. Probatur, tum quia quis potest potestate & imperio male vti, tum quia ex se alio ordinatur imperium, sc. ad bonum subditorum, tum quia non satiat, tum quia innumeras habeat anxietates coniunctas, metus, pericula, tum quia æque bonis & malis obtingit, tum quia imperate paucorum est. Beatitudo autem in medio debet esse posita, vt ad eã quiuis niti possit, tum quia potestas imperandi possidetur modo mortuo.

DVBIVM II.

An beatitudo obiectiua sit in aliquo bono corporis.

NOta bona corporis hæc præcipua censeri, Bonum delectabile sensui, valetudo, robur pulchritudo.

Dico, Beatitudo in nullo corporis consistit bono, probatur, tum quia hæc bona nõ sunt stabilia, & facile tolli possunt, tum quia sunt imperfecta, & nobis cum bestiis communia, imo horum nonnulla in quibusdam bestiis perfectiora, quam in homine: tũ quia vt corpus ad animam, ita bona corporis ad animi bona referuntur, tum quia hæc bonis ac malis communia, tum quia beatitudo formalis in parte hominis præstantissima collocanda. Vide Arist. *c.* 5 *l.* 5. Adde nonnulla ex his modo mortuo possideri.

Dices, voluptas & delectatio est ita per se amabilis, vt propter aliud appeti non possit. Ridiculum enim est, vt ait Aristoteles *lib.* 10. *Ethic. c.* 2. quærere cur quis delectari velit, sed sola beatitudo est ita amabilis, vt propter se appetatur, nullo autem modo propter aliud. ergo.

Respond. solam delectationem, quæ habetur ex vltimo fine esse ita per se amabilem, vt propter aliud appeti non possit. Reliquæ autem delectationes, licet non necessario actu alio referantur, virtute tamen ad beatitudinem saltem in genere tendunt. Ad Arist resp. nõ loqui ibi de delectatione corporis in particulari, sed de delectatione in genere, quæ nihil est aliud, quam sensus quidam & perceptio ipsius conueniẽtiæ, ac bonitatis rei, quæ bona est ac conueniens naturæ, sicut ergo in genere non datur ratio, cur quis velit bonum naturæ conueniens, seu cur illam bonitatem ac conuenientiam appetat, ipsa enim est ratio formalis appetendi, ita etiam non datur ratio in genere, cur quis velit sentire ac percipere illam conueniẽtiam, ac suauitatem, cum ipsa etiam operationis conuenientia sit quodammodo ratio formalis appetendæ ipsius operationis, vnde in quauis delectatione, seu corporis, seu animi frustra quæritur, cur quis delectari velit, cum sit in ipsa delectatione, quæ est operatio secũdum naturam, & in obiecto delectationis sufficiens ratio appetendi. An autem in animi delectatione formalis beatitudo consistat, dicemus *disp. seq.*

DVBIVM III.

An beatitudo sit posita in aliquo animi bono?

NOta primo, nos vocare hic animi bona ea, quæ in sunt ipsi animo, alioqui enim etiam ipsa obiecta conuenientia operationũ animi vocantur bona animi.

Nota secundo. Animi bona alia sunt actus primi, seu vita in actu primo, vt ipsa animæ substantia & potentia, itemq; habitus. Alia sunt actus secundi, vt operationes vitales, quę dicuntur vita in actu secundo.

Dico 1. Beatitudo obiectiua nõ est in essentia animæ, aut vllo ipsius bono, quod sit actus primus vitæ. Probatur, quia hæc bona modo

mortuo vniuntur homini, tum quia, vt inquit Arist. *c.* 5. homo tota vita dormiens, & nihil operans, esset beatus, quod absurdum est, tum quia cum his stare possunt maximæ miseriæ. Adde potentias homini esse congenitas, & sic homo nasceretur beatus.

Dico 2. Beatitudo obiectiua non est aliqua generatio animi. Probatur, Beatitudo debet esse quid perfectissimum, & optimum talis nō est operatio, ergo Probatur minor, quia operatio non habet in se omnem rationem boni, cum sit quid creatum.

Dices primo beatitudo consistit in aliquo bono hominis, non in externo aliquo, aut corporis ergo animi.

Resp. consistere in aliquo bono animi, sed nō ipsi animæ intrinsece, sed extrinsece. Deus enim non est bonum inhærens animæ, sed est bonum, in quod anima per operationem feratur, & illud sibi vniat, sicut cibus est bonum corporis.

Dices secundo. Arist. *l.* 1. & 10. totus est, vt ostendat beatitudinem hominis esse positum in operatione hominis, ergo.

Resp. de formali, non de obiectiua agere.

DVBIVM IV.

In quo tandem sit beatitudo obiectiua?

Dico primo, in nullo bono creato consistere potest, quia nihil istorum est perfecte expletiuum, neque est optimum, ac perfectissimum.

Dico secundo, in solo Deo consistere, Probatur, quia ille solus est optimus, imo per essentiam bonus, perfectissimus, desideriorum expletiuus. Hinc illud Augustini, Fecisti nos Domine ad te, & in quietum est cor nostrum, donec perueniat ad te.

Dices primo, Quæcunque appetimus, appetimus nobis, & propter nos ipsos, atque adeo ipsummet Deum ergo in nobis ipsis erit posita beatitudo, & sibi ipsi vnusquisque erit finis vltimus Confirmat Quia beatitudo est in eo, quod maxime amatur, id autē maxime amat quisque, cui bonum appetit.

R. Nos esse id, cui appetimus beatitudinem, tanquam subiecto, non autem esse obiectum, cuius possessione simus beati, & quod amem⁹, tanquam id, quod & cuius gratia operemur. Ad confirmationē autem, cum dicitur, amari magis id, cui bonum appetimus, quam bonū quod appetimus, vt ver. gr. magis amicum, aut nos amamus, quam pecuniam, dico id esse verum, in particulari bono, non autem in bono generali, & vltimo fine, quod omnem rationem boni in se continet.

Dices 2. Nullam esse proportionē inter hominis animum, & Deum, cum alterum sit finitum & creatum, alterum infinitum & illimitatum, & extra ordinem rerum creatarum, ergo animus hominis non potest Deum attingere, & possidere, cum obiectum & potentia debeant esse eiusdem ordinis.

Resp. Non esse inter illa proportionem, in ratione entis, neq; hanc esse necessariam, sed esse sufficientem proportionem, inter illa, in ratione obiecti, & potentiæ, cum Deus non sit plane extra rationem obiecti intellectus nostri, sed possit ab illo attingi, tum per abstractiuam cognitionem, in hac vita, tum per intuitiuam post hanc vitam, posito lumine gloriæ, quo corroboratur, & eleuatur intellectus ad videndum Deum, qui per hoc lumen fit supernaturalis ordinis, sicut Deus est obiectum supernaturale. Addo Deum per beatitudinem non communicare se nobis, nisi finito modo, & sic etiam proportionem seruari.

Dices tertio, Partem ordinari ad totū, ergo vniuersum eiusq; perfectio est hominis finis.

Resp. primo, antecedens esse verum, quando pars est propter totum, sed hic potius contra accidit, vt totum sit propter partem, cum Deus vniuersum propter hominem crearit, quanquam possit etiam aliquo modo homo dici ad vniuersum ordinari, quaten⁹ hominis perfectio in totius vniuersi perfectionē cedit.

Resp. secundo. Partem non ordinari ad totum, tanquam ad vltimum finem, ad ipsa consequendum.

Respond. tertio Aliud semper esse, loqui de fine Dei, aut naturæ, aliud de fine cuiusque rei particularis, vt beate sit, ac viuat. Vnde etiā si finis naturæ ac Dei quem ipse intendit, esset perfectio huius vniuersi, aut Dei, non tamen perfectio vniuersi, aut Deus est cuiusque rei finis, quem scilicet res illæ intendant, aut cuius adeptione beatitudinem habeat; quo fit, vt Deus specialiter sit finis vltimus hominis, quia illius solius adeptione potest fieri beatus.

DISPVTATIO QVARTA.

De Beatitudine Formali.

DVBIVM I.

Vtrum Beatitudo formalis sit quid increatum?

DIco, Beatitudo formalis est quid creatum. Est contra eos, qui dixerunt nos visuros Deũ per visionem Dei increatam, qua seipsum videt, & est beatus, nobis communicatam. Probatur primo, non posse id dici, quia formalis beatitudo est id, quo formaliter sumus beati, sed Deus non potest esse id, quo formaliter beamur, ergo. Probatur minor, primo, quia id, quo formaliter beamur, debet esse aliquid intrinsecum, & inhærens homini. Visio autem increata tam est extrinseca nobis, quã sit ipse Deus, cum sit ipsa Dei essentia. ergo. Secundo, Actus vitalis debet recipi tanquam forma, in potentia vitali, Deus autem nõ potest supplere causalitatem causæ formalis, ergo non potest esse id, quo formaliter ipse possideatur à creatura. Secundo, Probatur conclusio, quia si id verum esset, quod aiunt, homo Deum comprehenderet, videret enim Deũ visione infinita, & commensurata obiecto.

Dices, Beatitudo debet esse perfectissimum quid in beato, est enim summum eius bonũ, sed operatio creata non est talis, cum sit accidens imperfectius substantia animæ illiusq; potentiis, ergo.

Resp. Beatitudo formalis non requirit, vt sit perfectissima in ratione entis, sed vt sit perfectissima operatio, tum ex obiecto, & termino, tum in modo attingendi illud obiectum.

DVBIVM II.

Vtrum beatitudo formalis sit operatio?

DIco, formalis est operatio. Probatur primo, quia beatitudo est vltima hominis perfectio, at cuiusque rei vltima perfectio est eius operatio, ergo. Secundo. Beatitudo formalis est id, quo Deus possidetur, sed Dei possessio non fit per solam moralem possessionẽ, sicut nos possidemus pecunias, quia beatitudo formalis est aliquid reale, intrinsecum beatis, neque fit per vnionem intrinsecam, & vnionem, qua Deus inhæreat, & informet beatum, quo modo valetudinem vires, potentias, habitus possidemus, neque per habitualem possessionem, quo modo per habitum obiectum scientiæ possidetur, quia vt habent se modo mortuo, & sunt in homine dormiente, ita & habitualis adeptio obiecti per illos est insensibilis, per beatitudinem autem sentitur, & gustatur Deus. Ergo relinquitur, Dei possessionem haberi per operationem, qua Deus sensibili modo vnitur beato, secundum modum naturæ cognoscentis, non modo mortuo, vt lapis est in centro. Confirmatur, quia beatitudo nostra imitatur diuinam, sed Deus est beatus, per operationem, secundum Arist. 12. *Met.t.* 51. vbi probat, si Deus dormiret, non fore beatum.

Dices primo, Habitus, quibus habitualiter possidetur Deus, sunt perfectiores operationibus, cum actuum sint causa, ergo habitudo erit potius in habitu, quam operatione.

Respond. Si sermo sit de beatitudine naturali, & habitibus naturalibus, falsum esse antecedens: Habitus enim non sunt causæ principales actuum, sed minus principales, potest autem minus principalis causa esse effectu suo imperfectior, si de beatitudine supernaturali, & habitibus supernaturalibus sit sermo, Respon. habitus illos esse perfectiores operationibus, in ratione entis, non in modo attingendi, aut possidendi obiectum beatificum.

Dices secundo. Beatitudo est permanens, operatio autem non permanet, sed fluit, at habitus est permanens. ergo.

Resp. Dubium esse, quomodo continuetur visio, an per continuam qualitatis vitalis productionem, per modum cuiusdam fluxus, an per continuam qualitatis vitalis primo instanti productæ conseruationem. Vtrumuis autem dicatur, beatitudo erit permanens, priore enim modo erit qualitas habens varias partes fluentes, & permanentes in suo fluxu, posteriore erit eadem indiuisibilis, perpetuo conseruata, quod posterius magis placet.

Dices tertio. Substantia non ordinatur ad accidens, ergo homo non potest ordinari ad operationem, tanquam ad finem.

Respond. substantiam non ordinari ad accidens, tanquam ad finem, id est, ad quid homo ordinatur, vt quod, & vt finem vltimum, est Deus; operatio autem est id, quo illum consequitur, non est autem inconueniens, hominem ordinare ad aliquid se perfectius, per formam imperfectiorem, in ratione entis, perfectam tamen in modo obtingendi illud obiectum.

Dices quarto, si per suam operationem homo fit beatus, ergo vere dicetur se beare, quod non satis conuenienter videtur posse dici.

Respond. non posse dici, se beare, vt obiectum, efficienter autem posse dici, aliquo modo Physice, se beare, ex eo quod illam operationem eliciat, qua fit beatus, non tamen posse dici se beare, in genere moris, ac libere, cum illa operatio sit necessaria beato, non libera, sicut ea quæ libere non mouentur in finem, aut in illo se constituunt, non dicūtur se mouere in finem, aut in illo se constituere; homo autem licet quandiu est in via, libere se moueat in finem, non libere tamen se constituit in fine.

Dices quinto, melius est amari à Deo, quā ipsum videre, aut amare, felicitas autem est quid optimum, & perfectissimum, ergo non est posita in nostra actione.

Resp. beatitudinem nostram formalem, vt dixi, non esse id, quod simpliciter est optimum, sed esse id, quod in nobis est optimum.

Dico secundo Beatitudo formalis non est operatio transiens. Probatur, tum quia operatio transiens transit in aliam, neque est perfectio operantis, sed potius facientis, beatitudo autem est ipsius hominis perfectiua, tum quia operatio, cuiusmodi est rerum inanimatarum propria, & imperfecta, tū quia per talem operationem non potest Deus possideri & vniri beato, tum quia talis operatio non est vitalis.

Petes, an homo sola receptione qualitatis vitalis possit fieri beatus?

Resp. de facto non fieri. quia connaturalius est, operationem elici à potentia effectiue, si tamen vera est Nominalium sententia, hominem posse videre, per visionem à solo Deo, in potentia producta, quod non est improbabile, si produceretur à Deo visio beatifica, intellectu tamen recipiente tunc etiam fore beatum.

DVBIVM III.

An beatitudo formalis sit operatio partis sensitiuæ, an intellectiuæ?

Dico beatitudo est nullo modo operatio partis sensitiuæ. Probatur, vt supra, vbi ostendimus, beatitudinem obiectiuam nō esse in vllo bono corporis, quia Deus est extra latitudinem obiecti sensuum.

Dices, si qua sit ratio, cur non possit visus, aut sensus interior assurgere ad Deum videndum, erit, quia est infinita distantia inter intellectum & Deum, ergo tum poterit sensus videre Deum, quam intellectus.

Respond. Impedimentum non oriri ratione infinitæ distantiæ, quanquam infinita distantia sit ratio:

Sed ratio, cur sensus non possit Deum percipere, etiam supernaturali modo adiutus, est, quia Deus non continetur intra latitudinem obiecti, potentiæ sensitiuæ, eius enim obiectum est materiale, sicut ipsa tota vniuersa est materia. Quod autem nullo modo continetur intra obiectum latitudinis alicuius potentiæ, nullo modo potest ab ea attingi, ne per diuinam quidem potentiam, vt sonus nō potest etiam per Dei potentiam percipi à potentia visiua, quia non continetur intra ipsius obiectum, intellectus vero, licet secundum naturales vires non habeat sufficientem proportionem ad videndum Deum, quia tamen habet vim quandam ad id imperfectum, & inchoatum, & Deus omnino non est extra

latitudi-

latitudinem obiecti intellectus, potest à Deo ita confortari, & eleuari, vt ipsum videre possit, sicut oculus noctuæ ad videndũ solem.

DVBIVM IV.

An beatitudo formalis sit operatio intellectus, an voluntatis?

Diuus Thomas cum suis in intellectu ponit, Scotus in voluntate, alii in vtraq; potentia.

Nota primo, hanc quæstionem esse de essentia beatitudinis, in quo scilicet actu beatitudo essentialiter consistat, non vero quid requiratur ad completam, & perfectam beatitudinem, vel quis sit status beatitudinis perfectæ, sicut aliud est quærere, quæ sit essentia hominis, aliud quid requiratur vt homo sit perfectus & completus.

Nota secundo, sicuti sensus in cognitione sensitiua immediate, modo proprio naturæ cognoscentis coniungit, & vnit cognoscentem, cum obiecto, & contra, vt videntem cum re visa, audientem Symphoniam cum Symphonia: Sic vt res quæ sensu percipitur, ratione sensationis dicatur homini præsens, etiamsi loco distet, ita vt intellectus seipsum coniungit, & vnit obiecto suo in se, si in illud feratur, vt præsens cognitione intuitiua, in cognitione vero abstractiua etiam aliquo modo vnitur obiecto suo, immediate tamen vnitur tantum imagini vitali, & per illam mediate obiecto assentit, neque enim cognoscit rem in se. neque extendendo se ad extra in ipsum obiectum, sicut in omni cognitione intuitiua ac sensitiua. Quia igitur in omni cognitione obiectum aliquo modo vnitur cognoscenti, etiam in cognitione abstractiua, fit vt ex huiusmodi cognitione sequi possit in appetitu gaudium, & delectatio, quæ feruntur tantum in obiectum præsens.

Nota tertio, licet operationes omnium sensuum requirant obiectum existens, & præsens intra Sphæram potentiæ, aliquas tamen sensationes esse longe magis abstractiuas aliis, quia non desiderant obiectum ita intime præsens potentiæ, sicut aliæ, vt odoratus fertur in obiectum etiam aliquantulum distans: auditus etiam longius, & visus in res remotissime distantes, aliæ tamen sensationes requirunt obiectum immediate applicatum ipsi potentiæ, aut organum, vt gustus & tactus, cum res quantas tango, & apprehendo. Similes quosdam diuersos modos cognoscendi habet intellectus qui in genere cognoscitiuarum potentiarum est vniuersalior futurus in obiecta sua, vel plane abstractiua, vel per modum cuiusdam sensationis, in res distantes, vel in res immediate sibi applicatas, pro ratione sui obiecti, ac modo cognoscẽdi, & media tali cognitione vnitur rei, & facit sibi obiectum præsens, ac rem in ratione obiecti assequitur & possidet.

Nota quarto Actus voluntatis in obiectum suum quidem ferri, sed ex sua ratione formali non coniungere & vnire potentiam cum obiecto, sic vt per actum illum dicatur obiectum illud esse præsens, aut aliquis dicatur illud adeptus, sed potius cum voluntas sit cœca, neque feratur in obiectum, nisi vt præsentatum ab intellectu, supponi in omni suo actu præsentiam, & adeptionem aliquam ipsius obiecti, saltem media cogitatione, & intellectione abstractiua, & si agatur de reali præsentia, & adeptione ipsius rei, in se, in ratione obiecti, patet nullum actum voluntatis esse vnitiuum & adeptiuum obiecti, cum amor abstrahat à re præsenti, vel absenti, desiderium sit rei absentis delectatio, ac fruitio licet sit rei præsentis, non tamen facit suum obiectum præsens, sed supponit per cognitionem, vel aliter adeptum, & est à bono adepto ac possesso.

Dico primo Beatitudo formalis est in operatione intellectus vnica, non autem voluntatis: Probatur, quia beatitudo hæc est adeptio & possessio summi boni, sed illa tantum haberi per operationem intellectus, non voluntatis, ergo.

Minor probatur, quia illa sola coniungit obiectum intelligenti & per illam sola Deus, quod est obiectum spirituale, apprehendi potest, vnde intellectus comparatur quodammodo manui, quod vti manu res materiales, ita Deum intellectu apprehendimus, & astringimus.

Confirmatur primo, quia actus voluntatis supponit rei adeptionem.

Confirmatur ſecundo. Quia licet voluntas vniret ſuppoſitum ſuum obiecto, non tamen immediate: immediatius enim vniretur per actum intellectus.

Confirmatur tertio. Quia actus amoris nō facit nos beatos in via, ergo nec in patria, cum vtrobique vniat amatum amato.

Dico ſecundo Hanc operationem intellectus, in qua eſt poſita beatitudo, non eſſe abſtractiuam, ſed eſſe intuitiuam, ac quaſi ſenſitiuam. Probatur, quia abſtractiua cognitio non vnit realiter obiecte, & immediate, ſed per imaginem tantum: beatitudo autem eſt maxime immediata ac perfectiſſima vnio poſſibilis, cum obiecto beatifico. Confirmatur, quia ex hac operatione immediate ſequitur gaudium & delectatio, in voluntate, ſed hæc ſupponunt præſentiam obiecti, ergo per hanc operationem fit Deus præſens intelligenti, ergo non eſt abſtractiua.

Dico tertio, hanc operationem non eſſe nudam viſionem, ſed eſſe per modum ſenſitiuæ operationis, qua Deus mediate & proxime apprehenditur, & tenetur, guſtatur & ſentitur, ſecundam omnem rationem ſuauitatis ac delectabilitatis, quæ in illo eſt.

Probatur, quia viſio ſecundum ſe eſt nimis abſtractiua, & de ſe non requirit obiectum, ita proxime coniunctum potentiæ, operatio autem qua Deus poſſidetur, eſt maxime immediata cum Deo vnio. Confirmatur, quia hæc viſio debet commenſurari obiecto, & coextendi illi vt totum quod in obiecto eſt, ſecundum omnem rationem, qua perceptibilis eſt, percipiatur. Nota tamen hanc operationem eſſe vnam ſimplicem, cū verſetur circa vnum obiectum ſimpliciſſimum, quæ nunc dicitur comprehenſio, quia Deus illa apprehenditur, nunc viſio quia omnia, quæ in Deo ſunt, videntur, nunc guſtus, quia per illum omnis ratio boni, quæ in Deo eſt quodammodo guſtatur.

Dices primo, videre, aut tangere pecunias non eſt illas poſſidere, ergo nec viſio Dei erit adeptio, aut poſſeſſio illius.

Confirmatur, quia ſi vnius rei viſio ſit illius poſſeſſio, ergo etiam cuiuſuis alterius rei viſio erit poſſeſſio, ergo qui videt ſtellas, poſſidet ſtellas, & probatur, quia homo in omni viſione ac ſenſatione vnit ac coniungit ſibi obiectum, ergo ſi in Dei viſione dicatur quis Deum poſſidere; quia vnit ſibi Deū, in ratione obiecti, etiam dicetur quidlibet aliud poſſidere, ſi illud vniat & coniungat ſibi in ratione obiecti.

Confirmatur ſecundo, quia Angelus, licet alterum Angelum comprehendat, & cognoſcat ſecundum omnem rationem, qua cognoſcibilis eſt, non tamen dicitur alterum angelum poſſidere.

Reſpondeo nego conſequentiam, quia vnumquodque poſſidetur modo accommodato ſuæ naturæ, vt ſanitas, potentia, poſſidentur per intrinſecam inhæſionem, non per ſenſationem, pecunia morali poſſeſſione: Deus autem ſola viſione poſſideri poteſt.

Reſpondeo ſecundo, tangere, vel manu comprehendere pecunias, eſſe illas conſequi, ſi nulla facta eſſet rerum diuiſio, quia tunc conſecutio illarum fieret per tactum, & vim motiuam, ſed quia poſſeſſio ſecundum ius humanum, nunc conſiſtit in iure, & dominio, non poſſidemus illas ſolo contactu.

Addo etiam furem, qui deſiderat furari pecunias, per tactum & manus apprehenſionem illas conſequi, & incipere poſſidere, licet non iure poſſideat.

Ad confirmationes Reſpond. qui deſiderat videre ſtellas, Angelos, cognoſcere, aliquid aliud ſenſatione percipere, reuera intelligentia, ſenſatione illa conſequi, & poſsidere ſicut illa tantum deſiderabat, viſione, intelligentia, ſenſatione conſequi.

Pro quo Nota, cum aliquid video, vel ſenſatione alia percipio, ſi non præceſsit deſiderium illius rei, vel eſt in homine inclinatio in illud, ſeu naturalis, ſeu elicita, ſeu naturalis, ſeu habitualis, non dicor illam rem conſequi, quia conſecutio ſupponit ac reſpicit deſiderium, aut inclinationem illam. Deſiderium autem non fertur niſi in bonum aliquod, per quod ſuppoſitum bene habeat, aut exiſtimetur tale, aut ſaltem ſit vtile ad aliquem finem. Vnde ſi ſtellas videam, arborem, aut auem præteruolantem, non dicor illa conſecutus, quia non deſiderabam illa videre: Si feſtucam videam, aut apprehendam, non dicor illam conſequi, quia non ferebar deſiderio ad illam habendam. Sin autem deſiderem quippiam,

piam, & illud postea habeam, dicor illud consecutus, sic si desiderem festucam, quia ad aliquam rem futura sit mihi commoda si illam inuenio, dicor tunc illam consecutus: Si desiderem videre stellas, intelligere angelum, habere pecunias, vel ignem, ad frigus propulsandum, dicor illa postea consequi, visione, intellectione, apprehensione, sensatione, & dicuntur illa haberi, adeptæ esse, possideri, in ratione obiecti: Specialiter tamen dicuntur illa possideri in ratione obiecti, cui res tali sensatione percipitur, quæ immediate coniungat obiectum sentienti, vt per contactum, vel apprehensionem rei, si fiat animo ac desiderio illam possidendi, sic cibus & eius suauitas per gustationem possidetur, & hæc simpliciter, & sine addito dicuntur posideri, maxime si iure posideantur. Cætera autem, quæ cognitione magis abstractiua percipiuntur, tantum secundum quid dicuntur possideri, vt visione, intelligentia; Deus autem quia non posidetur tantum visione, in ratione obiecti, quemadmodum obiecta cætera, quæ videntur, sed etiam per intellectum, tanquam per manum, visione sui apprehenditur, & a beato, veluti bonum proprium ex iure posidetur, gustatur, sentitur, immediate, propriisime dicitur posideri, & non tantum secundum quid.

Dices secundo, amor etiam vnit Deum, amor enim amantem amato vnit, ergo amor habet etiam rationem consecutionis, ergo & beatitudinis.

Respond. Vnionem, quæ fit per amorem, esse tantum metaphoricam, & affectiuam, non autem Physicam, & moralem, sicut est in visione, & sensatione, sicut res dicitur sentienti, & videnti, & sentiens dicitur illam habere, ac consequi, non autem per amorem vlla fit à parte rei vera vnio, cum abstrahit à re præsente, vel absente, imo posit esse de re non existente, & imposibili. Præter affectiuam illam vnionem in amore nulla est realis, est tamen amor causa vnionis realis, quatenus inclinat ad consecutionem rei. Amor autem & fruitio, quæ consequitur visionem, non est etiam realis vnio, cum supponat rei consecutionem, & sic de bono adepto.

Dices tertio, Bonum est obiectum voluntatis; ergo summum bonum, vt sic debet attingi à voluntate non intellectu.

Probatur consequentia, quia non est operatio vnius potentiæ versari circa obiectum, sub ratione formali alterius potentiæ, ergo non poterit intellectus consequi summum bonum, sub ratione summi boni, sed voluntas.

Respond. Voluntatem esse suppositi inclinationem & appetitum vniuersalem, quæ pro obiecto suo adæquato habet bonum suppositi in communi: Potentia vero singulæ suppositi sunt appetitus quidam vniuersales, qui in suum proprium & priuatum bonum tendunt, hinc potentiæ particulares tendunt in bonum suum, qua tale. Voluntas etiam in illud tendit, quia habet rationem formalem boni in communi, quæ est ratio formalis adæquata ipsius obiecti, sed Nota diuersum modum tendendi in illud obiectum, ex parte voluntatis, & particularis scientiæ. Voluntas enim cum non tendat in illud, tanquam bonum proprium, non tendit in illud, tanquam à se consequendum, sed assequendum per potentiam, quæ illud consequi & apprehendere potest, vnde suppositum inclinat per imperium, per applicationem istius potentiæ, vt cum quis desiderat aliquid manu, scientia, aut memoria tenere, desiderium illud non est consecutio, neque velle est habere, sed manu tenere, intellectu, aut memoria est habere. Imo in vniuersum, licet voluntas posit velle suos actus, nihil tamen potest velle, vt à se assequendum, in ratione obiecti. Vnde ad argumentum, in forma concedo totum, si intelligatur debere attingi à voluntate, inclinando ac tendendo in illius consecutionem, non autem consequendo illud, quo modo etiam omnia bona particularia attingit, cum hoc tamen fiat, quod altera potentia particularia in illud idem feratur consequendo.

Ad probationem dico, intellectum non ferri in summum bonum, sub ratione formali potentiæ voluntatis, quia intellectus fertur in summum bonum, qua summum, & vt à se assequendum.

Volun-

Voluntas autem in bonum suppositi in genere, vnde & modo tendendi in illud bonum plurimum differunt.

Dices quarto. Ergo potest quis esse beatus, etiam si non amet Deum, vel etiam oderit, si modo illum videat.

Respon. concedendo priorem partem, eum qui videbit Deum, nec amabit, Deo suspendente concursum suum, ab amore fore essentialiter beatum, non tamen complete, siue habitutum essentialem beatitudinem, non tamen omne complementum beatitudinis, quod naturaliter: & necessario sequitur essentialem beatitudinem.

Ad alteram vero partem Resp. eum qui videbit Deum, nullo modo posse eum odisse, quia per visionem est determinatus in actu primo ad amorem Dei.

Dices quinto Beatitudo secundum Boetium, est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ergo per beatitudinem debent perfici omnes potentiæ, ergo & voluntas.

Resp. loqui eum, vt patet, de beatitudine in statu perfecto, & completo, non autem de essentiali tantum beatitudine, quæ habetur tantummodo per actionem, qua Deum concepimus, alias ex hoc argumento sequeretur, non tantum in intellectu & voluntate, sed in omnium potentiarum perfectione & optima dispositione esse positam beatitudinem, adde si de beatitudine obiectiua sit sermo, in Deo viso omne bonum, vel formaliter, vel eminenter possideri, atque adeo per visionem illam omne bonum haberi. Accedit, quod illa visio causaliter & in actu primo est status omnium bonorum perfectus, quia ex illa visione naturaliter omnia bona ad alias potentias manant.

Dices sexto. Beatitudo est vltima hominis perfectio, sed solus amor & fruitio est talis, cum illi actus operationem intellectus consequantur, ergo. Confirm. quia cognitio vlterius ordinatur ad amorem, & fruitionem, ergo hi actus erunt vltimus finis.

Respond. beatitudinem dici vltimam hominis perfectionem, eo, quod non ordinetur alio tanquam ad finem, licet ordine generationis habeat alias operationes consequentes, tanquam effectus & fructus suos, vnde quod in confirmatione assumitur falsum est, si de ordinatione, tanquam ad finem intelligatur, licet enim hi actus consequantur visionem, non tamen consequuntur, tanquam finis ipsius, sed tanquam fructus & effectus ipsius rei adeptæ, sicut operatio sequitur naturam, imo si actus, qui consequuntur visionem, potius ordinantur ad visionem, quam contra, sicut amamus cibum, eaque delectamur, quem assecuti sumus, vt consecutio illius sit suauior, & constantius retineatur.

Dices septimo. Meritum est in actibus voluntatis liberis, ergo præmium etiam erit in voluntate.

Respond. negando consequentiam, quia voluntas suis actibus merendo non meretur sibi summum bonum, præcise, sed supposito ac per eam operationem consequendum, qua illud consequi potest. Adde radicem omnis meriti, vti & libertatis esse in intellectu, quatenus obiectum voluntati proponit, eamque in actionibus suis illustrat, ac dirigit. Accedit, si voluntas & intellectus sint potentiæ tantum ratione distinctæ, dum intellectus summum bonum consequitur, etiã voluntatem consequi, licet non qua voluntas est formaliter.

Dices 8. Voluntas illiusque operatio est perfectior intellectu, illiusque operatione se beatitudo est operatio perfectissima, ergo beatitudo erit in actione voluntatis: Probatur maior, tum quia voluntas est facultas libera, tum quia actus timoris Dei est perfectissimus, tum quia voluntas habet imperium in intellectum, illumque ad suos actus mouet.

Respondeo primo ad minorem: etiamsi concederemus, voluntatis actionem esse perfectiorem operatione intellectus, non tamen fore in iis collocandam nostram beatitudinem, cum ipsa non sit rei consecutio, neque enim hic attenditur perfectio operationis, sed quænam habeat rationem consecutionis.

Respond. 2. nego maiorem, tum quia intellectus in suis operationibus est magis independens, voluntas autem in omni actu suo pendet ab intellectu, tum quia intellectus habet obiectum dignius, abstractius & vni-

& vniuersalius obiecto voluntatis, scil ens, qua ens, tum quia licet voluntas habeat imperium despoticum in intellectum, habet tamen intellectus imperium in voluntatem politicam, & magis regium, ac proinde perfectius, neque illa mouet, nisi prius ab intellectu mota, & licet voluntas sit libera, est tamen in intellectu radix istius libertatis. Adde, nec visionem, nec amorem in beatis esse liberum, imo præstantiorem, illum esse amorem non liberum, quam liberum in via. Vnde ex libertate non colligitur perfectio operationis. Ad id autem, quod dicebatur amorem Dei esse actum perfectissimum, dico esse quidem perfectissimum, in genere moris, non autem in genere operationis.

Dices nono. Beatitudo satiat volũtatem, ergo est actus voluntatis.

Resp. nego consequentiam, sicut enim voluntas, quæ est appetitus voluntatis suppositi, non sibi sed supposito appetit, ita satiatur, cum supposito bene est, siue cum suppositum consecutum est bonum per potentiam, qua illud consequi poterat, sic cum voluntas cupit aliquid videre cibum sumere &c satiatur, non per actum voluntatis, sed visione, comestione, &c.

Dices decimo, non potest intelligi aliquis beatus nisi fruatur & delectetur bono adepto, ergo non erit beatitudo essentialiter perfecta, siue actu fruitionis, qui est voluntatis.

Resp. Hanc obiectionem petere sequens dubium.

DVBIVM V.

Vtrum Beatitudo formalis includat declinationem?

NOta, nos hic loqui de beatitudine, vt præcedente dubio, secundum essentiam, nimirum quo modo tantum complectitur ea, sine quibus necesse, nec concipi potest beatitudo, non autem secundum omne cõplementum, ac perfectionem, tunc intrinsecam ac essentialem, quam accidentariam & aduentitiam, quæ duo à se inuicem possunt diuelli: potest enim quis esse essentialiter beatus, non tamen habere omnem perfectionem, quæ comitari solet beatitudinem, vt patet in Christo, quia in vita fuit essentialiter beatus licet multa pateretur. De beatitudine secundum omne complementum agemus *sequenti dubio.*

Nota beatitudinem essentialem, licet non cõplectatur omne bonum formaliter, & intrinsece, continere tamen virtualiter, causaliter & eminenter, quatenus de se naturaliter est causa illorum, & naturaliter illi debentur ex natura beatitudinis.

Nota tertio, duplicem esse delectationem ac voluptatem, sicut etiam dolorem, vna est actus elicitus voluntatis, estque complacentia quædam boni præsentis, vt cum quis recreando se auditione musica vlterius gaudet se illum audire. Altera delectatio consistit in ipsamet sensatione, & experientia boni præsentis, ac conuenientiæ ipsius, licet nullus actus voluntatis sequatur, ipsa enim sensatio obiecti conuenientis se ipsa immediate est grata, est suauis, recreat, delectat, neque vt recreamur cõcẽtu musico, suauitate cibi opus est, eliceteal quem voluntatis actum, sed ipsa sola sensatione obiecti voluptatem capimus. Simili modo res se habet in dolore, si aliquid grauiter nares odore afficiat, si amarus sapor palatum, si quis vratur, vel vulnus accipiat in tibia, vt doleat, non est necesse elicere actum voluntatis, ipsa enim sensatione obiecti disconuenientis homo male habet, ac dolet, imo homo non doleret, nec delectaretur, actu voluntatis reflexo, nisi prius doleret, aut delectaretur in sensu perceptione obiecti dolorifici, aut delectabilis. Hinc Aristot. 10. *Eth* c. 4 & 5. dicit delectationem ac voluptatem non distingui ab operatione, qua quis delectatur, & cum statuat beatitudinem, consistere in contemplatione non tamen audet soluere, an consistat in voluptate, nec ne: intelligendo de illa, quæ intrinsece est coniuncta contemplationi. Imo *l. 1. cap. 12.* aperte definit quandam voluptatem esse summum bonum, cap autem vt definit voluptatem esse operationem secundum naturam habitus, non impediti, id est, operationem conuenientem naturæ elicitam à potentia, sine difficultate & impedimento operante.

Dico igitur: Delectationem ac voluptatem, qua est intrinseca visioni Dei, qua bea-

tus sentit, ac percipit omnem rationem suauitatis, ac delectabilitatis in Deo, esse de essentia beatitudinis. illam vero, quæ est actus voluntatis, non includi in formali beatitudine, sed illam consequi, patet ex dictis præcedente dubio, & notabili tertio, huius confirmationis: Quia à Deo tanquam obiecto delectabili, visione ac sensatione percepto, immediate bene habet, beatus delectatur, fruitur Deo, ergo non per actum gaudii consequentem.

Nota vero non esse duas operationes, Delectationem de Deo, & Visionem Dei, sed vnam & eandem, sicut gustatio boni cibi & delectatio, quæ illi est coniuncta, vna operatio, ratione tamen posse distingui, cum non omnis visio aut sensatio habet delectationem coniunctam.

DVBIVM VI.

Quænam sint necessaria ad completam beatitudinem?

RESP. & dico in genere requiri omnia, quę hominem secundum se totum & secundum omnes potentias possunt in perfecto statu constituere. Hinc primo in voluntate requiritur amor Dei, delectatio, & gaudium de Deo, vt bono præsente, secundo necessarium est corpus, illudque perfectum secundum quatuor dotes, claritatem, agilitatem, subtilitatem, impossibilitatem, tertio omnium sensuum exteriorum perfectissima dispositio & sensatio obiectorum sibi maxime conuenientium, itemque appetitus sensitiui & sensus interni, perfectio, vtque ex obiectis sibi proportionatis reficiantur, quarta habitatio pulcherrima ac splendidissima, qualis est cœlum empyreum, quinto, Societas beatorum, sexto remotio omnis mali.

DVBIVM VII.

Quid Aristoteles & Plato de beatitudine naturali senserint?

PLato, licet nusquam certo statuat, in quo præcise ponenda sit hominis beatitudo, varie enim loquitur: nunc enim ideam quandam vniuersalem boni, in cuius contemplatione sita sit beatitudo, constituit. Quam sententiam *l. Ethic. 1. c. 6* refutat Aristoteles, nunc vero, vt in Alcibiade cum affirmat eos felices esse, qui bene agunt, videtur etiam virtutũ actiones ad beatitudinem requirere: sæpius tamen, vt *in Symp̃osio*, ad beatitudinẽ Dei contẽplationẽ requirit. Dicit n. Deũ esse cui omnia speciem desiderant, & in cuius possessione requiescunt omnia, & bonum esse numinis mentem excellentiam Dei, pulchritudinem, & quendam esse inde per omnia penetrantem radium, vt qui decorem in rebus contemplatur, ac amat, siue in mente, siue in anima, siue in natura, siue in corpore Dei ipsius fulgorem intueatur, ametque.

Aristoteles vero apertius quid de beatitudine sentiat exponit, tum 1. *Eth. l.* tum 10. Constituit enim primo vnicum esse hominis finem vltimum, quo omnes nostræ actiones, vt in scopum colliment, hanc felicitatem nominari, eamque non esse in voluptate, honore, pecuniis, habitu aliquo animi, sed in operatione, eaque animi ac partis intellectualis itemque perfectissima illius partis operatione. An tamen in solo intellectu, an vero etiam in virtutum actionibus sit ista beatitudo posita, vix audet decernere, tamen *l. 10. c. 7.* postquam definiuit, beatitudinem esse operationem, secundum virtutem perfectissimam, in statu perfecto, concludit eam esse contemplationem: sequenti autem capite, etiam beatitudinem, tanquam secundariam requirit, actiones moralium virtutum perfectas, hanc autem beatitudinem virtutis, ac bene actæ vitæ esse præmium, tum ibi, tum *cap. 9. lib. 1.* statuit. An autem velit hanc beatitudinem esse solum contemplationem Dei, ac substantiam separatarum tanquam obiecti præstantissimi, quod ei affingũt multi, an vero contemplationem in genere, nusquam explicat: vnde posterius magis videtur ex sensu Aristotelis.

DV-

DVBIVM VIII.

An detur aliqua Beatitudo naturalis?

Dico primo, poteſt dari talis beatitudo, qualem nobis aſcribit Ariſtoteles, ſiue ſit contemplatio in genere, ſiue contemplatio Dei, ac ſubſtantiarum ſeparatarum, probatur, quia illa non ſuperat naturæ vires, etiam hoc ſtatu, & obiecta ſunt maxime ad cōtemplationem accommodata.

Dico ſecundo, Huiuſmodi tamen contemplatio nullo modo beatitudo dicenda eſt.

Probatur, tum quia Angeli & primus homo non dicuntur creati in beatitudine naturali, licet habuerint hanc Dei contemplationem perfectiſſimam, tum quia beatitudo debet eſſe continua, non interrupta. Contemplationem autem continuam non ferunt humanæ vires, tum quia debet eſſe perpetua, qui enim beatus dicetur, qui ſummum bonum ſuum nouit ſeſe amiſſurum, morte, tum quia ſaltem, dum viuit, quis deberet eſſe ſecurus, de non amittenda beatitudine, at poteſt quis vel inopia, vel calamitatibus, ac miſeriis impediri à contemplatione, tum quia huiuſmodi poteſt peccare, & ſua ſponte etiam ſe in miſeram deturbare. Adde ſecundariam illam beatitudinem actiuam, quam in virtutum actionibus conſtituit Ariſtoteles, non poſſe dici beatitudinem, cum non verſentur circa bonum optimum, niſi forte ſit amor Dei, neque per illas poſſit Deus poſſideri.

Dico tertio, ſi homo fuiſſet creatus in ſtatu puræ naturæ, vt putarunt Philoſophi, de facto creatos, neceſſario fuiſſet aliquis finis humanę vitæ, ac beatitudo hominis naturalis. Probatur, quia fuiſſet aliquid optimum in genere naturæ, quod homo ſpectaſſet, & in quod direxiſſet actiones ſuas.

Dico quarto, hęc beatitudo naturalis fuiſſet contemplatio Dei abſtractiua. Probatur, quia in genere, naturæ inter operationes, ad quas homo naturæ viribus poteſt attingere, hæc operatio eſt optima, perfectiſſima, iucundiſſima, tum ex parte obiecti, tum ex natura operationis, adde beatitudinem naturalem eſſe poſſeſſionem ſummi boni, eo modo, quo naturaliter poſſideri poteſt, naturaliter autem Deus ſola contemplatione & cognitione abſtractiua poſſideri poteſt, cum voluntas non ſit rei conſecutiua & aliæ potentiæ non verſentur circa res materiales abſtractas, eſt hæc tamen abſtractiua Dei cognitio imperfecta beatitudo, ſi cum beatitudine ſuper naturali conferatur, ſicut imperfecta ipſius eſt adeptio.

Dico quinto, ad hanc beatitudinem conſequendam multa etiam ſupra naturam ex parte Dei, ad veram rationem, beatitudinis fuiſſent neceſſaria, quæ Deus homini veriſimiliter in illo ſtatu impendiſſet, vt primo veriſimile eſt Deum reſuſcitarum fuiſſe hominem, tum quia anima naturaliter deſiderat vniri corpori, & habere naturalem modo cognoſcendi, mediantibus ſenſibus, ac phantaſia, tum vt totus homo bearetur: ſecundo corpus fuiſſe liberum futurum ab omnibus moleſtiis per externam Dei perfectionem, ac prouidentiam, tertio Deum poſiturum hominem in eo ſtatu, vt amplius peccare non poſſet, neque labi poſſet in miſeriam, aut à beatitudine excidere, ita vt beatus etiam ex parte ſua ſecurus futurus fuiſſe, de non amittenda beatitudine, quarto, conſtituendum hominem in eo ſtatu, vt in cōtemplande non defatigaretur, adde poſitiuum errorem tum practicum, tum ſpeculatiuum remouendum ab intellectu fuiſſe ſine his enim vera ac perfecta beatitudo intelligi non poteſt, hominem tunc etiam ſine Deo non potuiſſe conſequi ſuam beatitudinem naturalem.

Dico ſexto. Hanc beatitudinem futuram fuiſſe prēmium virtutum, ac bonarum actionum naturalium. Probatur, quia nulla res conſequitur vltimum ſuum finem, niſi operando conuenienter naturæ: hominis autem proprium eſt operari ex ratione, & eius dictamine.

Dico ſeptimo, per media naturalia, ſiue actiones virtutum naturales, ad eam beatitudinem homo perueniſſet Probatur, quia media naturalia ſunt proportionata fini naturali, ergo.

Dices etiā in eo ſtatu homo indiguiſſe Dei auxilio, ad ſuperandas tētationes, & cōſtan-

ter bene viuendum, ergo non fuissent actiones naturales.

Resp. Illud Dei auxilium futurum fuisse ordinis naturalis, non supernaturalis, sic totum opus futurum fuisset naturale.

Dico octauo. Hæc beatitudo satiasset appetitum naturalem hominis. Probatur, quia appetitus satiatur, cum habet quicquid potest appetere, sed appetitus naturalis nihil potest appetere, propter summum suum bonum, in genere naturę, ergo.

DISPVTATIONES SEX LIBRORVM X. ETHICORVM ARISTOTELIS AD Nicomachum Analysin exhibentes.

Post tractatum de beatitudine, de mediis, hoc est, de actionibus virtutum secuti Aristotelem agere instituimus, sexque disputationibus totam hanc, quæ superest de moribus disputationem absoluimus. Prima erit de actibus humanis in genere, secunda de quibusdam tam intellectus, quam voluntatis actibus, qui circa finem & media versantur in particulari, tertia de bonitate ac malitia humanorū actuum, quarta de passionibus appetitus sensitiui quinta de virtutibus moralibus in genere sexta de virtutibus moralibus in specie.

DISPVTATIO I.

De actibus quibusdam humanis in genere.

DVBIVM I.

Quomodo differat liberum à voluntario?

DIco primo voluntarium dicitur, quod à principio intrinseco procedit cum cognitione, hoc est, quod ab inclinatione intrinseca & principio interno mouente procedit, intellectu aduertente. Ita Aristot. *lib. 3. cap.* 1. Hinc infero primo, ea non esse voluntaria, quæ à principio externo mouente contra renisum voluntatis, ac intrinsecæ inclinationis fit, vt cum quis inuitus aliquo rapitur, atque adeo quo quid magis ab externo mouente proficiscitur, hoc minus habet voluntarii, vt contingit in metu, quo vero quid magis & inclinatione interna procedit, hoc magis

magis de ratione voluntarii participat. Hinc patet voluntarium idem esse, quod spontaneum, & quicquid voluntarie fit sponte fieri. Infero secundo, vbi deest cognitio, ibi deesse rationem voluntarii, & qua parte obiectum non est cognitum, ea parte non actum esse voluntarium quia voluntas in agendo à cognitione essentialiter dependet, neque ante cognitionem est, sufficienter est in actu primo ad agendum. Infero tertio. Si actus voluntatis à Deo solo possit produci in voluntate, illa tantum se passiue habente illum nō fore voluntarie, quia non procederet à principio intrinseco.

Petes, quid superaddat ratio voluntarii ipsi substantiæ actus.

Resp. tantum superaddere denominationem extrinsecam, a voluntate, à qua procedit sicuti liberum in actibus est denominatio extrinseca, à potentia libera.

Dices esse in nobis tristitias, dolores, metus, qui procedant à principio intrinseco, cum cognitione, & tamen non esse voluntarios sæpe, sed contra inclinationem voluntatis, cum ipsi vel eorum obiecta voluntati displiceant. ergo.

Resp. omnes illos actus esse voluntarios, per modum effectus, licet ipsi sicut & ipsorum obiecta possint esse inuoluntarii, in ratione obiecti. Pro quo

Nota duobus modis aliquid dici voluntarium, primo, quia procedit à voluntate, tanquā actus vel effectus illius, siue ab illa elicitus, siue imperatus. & hoc dicitur voluntarium, per modum effectus. secundo dicitur aliquid volūtarium per modum obiecti, quia voluntatis actus in illud tendit tanquam in obiectum, vt cum desidero pecuniam, desiderium illud est voluntarium. vt effectus à voluntate elicitus: Pecuniæ vero per modum obiecti, quamquam proprie vocemus volūtaria, quæ modo priore à voluntate procedunt, eisque solis conuenit definitio, à nobis tradita, & ita fere semper capiemus voluntarium. quæ vero posteriore modo dicuntur voluntaria in ratione obiecti, magis proprie dicerentur volita, quam voluntaria cum voluntarium proprie sit illud, quod sponte fit, & ex inclinatione intrinseca. Quod autem dici solet quod is, qui vult aut amat, velit velle, aut amare, non est verum in ratione obiecti, sed in ratione effectus, quasi dicas, qui vult, aut amat, voluntarie, ac sponte vult ac amat, quando autem quis expresse, & in actu signato vult velle, aut amare, sicut aliquis vult ambulare, tunc illa sunt volita per modum obiecti.

Ad argumentum superius facilis est responsio, cum enim ego tristor de iactura bonorum facta, quia ille dolor à voluntate procedit, per modum actus, est voluntarius, in ratione effectus, licet obiectiui illius tristitiæ, iactura sc. bonorum non sit volita, imo displiceat in ratione obiecti, aut etiam ipsamet tristitia, per alium actum displiceat, per modum obiecti, quia desiderarent æquiori animo hanc iacturam ferre.

Petes primo, an in brutis sit voluntarium?

Resp. Esse imperfectum quoddam voluntarium, sponte enim agunt & ab extrinseco, ex cognitione, sed quia illa cognitio est tantum sensitiua & imperfecta, idcirco etiam voluntarium in illis est tantum imperfectum. Addo voluntarium proprie id dici, quod à voluntate, id est, appetitu rationali procedit, illa vero tantum habent appetitum, sensitiuum, qui valde improprie potest dici voluntas.

Petes secundo, quid sit inuoluntarium.

Resp. duplex esse inuoluntarium, aliud positiue voluntate habitualiter & actualiter repugnante, & idem est, quod inuitum: aliud negatiue, seu contradictorie inuoluntarium, si fit sine cognitione, seu quod procedit a nobis ignorantibus vt occisio hominis casualis.

Dico secundo, liberum illud esse, quod à potentia procedit, quę in omni instanti prioris & corporis & naturæ est ad illud indeterminata siue quod potentia sic producit, vt omnibus positis ad agendum necessariis, siue antecedenter requisitis, illud possit non producere, tale est omne illud, quod ex plena rationis aduertentia in hac vita fit a voluntate: cætera agentia cæteris positis ad agendum requisitis, necessario agunt neque est in eorum potestate agere, vel non agere, vt ignis applicata aqua debite necessario calefacit, oculus obiecto, approximato & diducta palpebra necessario videt: at sola voluntas posita perfecta cognitione obiecti manet tamen indifferens ad agendum, vel non agendum.

Dices primo, Deum sic non fore liberum, quia nullum est assignabile instans temporis, vel naturæ prius, quod Deus sit indeterminatus.

Resp. Nos non requirere tale instans temporis, aut naturæ, sed si sit, vt sit in creaturis, debere illo instanti causam esse indeterminatam. Ratio autem, cur Deus non sit prius natura indeterminatus, est, quia actus liberi in Deo sunt ipsamet diuina essentia: quæ tantū ratione prior potest concipi, se ipsa, prout est libera volitio creaturarum. Vnde in genere libera causa dici potest, quæ est in determinata determinatione antecedente, siue determinatione, quæ antecedat actum, & hoc Deo conuenit, etsi enim semper fuerit determinatus, per actum suum, semper tamen fuit determinatus determinatione antecedente, actu, cum neque ex necessitate naturæ, neque alio prædeterminante, operetur ad extra.

Dices secundo Dum voluntas vult, determinatur ad suum velle, hæc autem determinatio non impedit, quo minus actus sit liber, ergo determinatio non repugnat libertati.

Dices tertio. Potest creatura aliqua rationalis primo instanti suæ creationis dicere actum liberum, sed talis creatura non fuisset prius indeterminata. Primo enim instanti suę creationis operaretur, ergo non requiritur ad libertatem, etiam in creaturis, vt sit aliqua determinatio prior actu.

Resp. ad minorem, istam creaturam futuram prius natura indeterminatam, non autē prius tempore, quod sufficit, vt dictū est & ex dictis patet, quæ sit distinctio inter voluntarium & liberum: voluntarium enim est, quod à voluntate rationali quouis modo procedit, cum cognitione, & sic actus varii voluntatis in homine, vt motus primi, & amor beatificus, qui fit etiam cum perfectissima cognitione, sunt voluntarii. Voluntarium autē hoc modo acceptum idem est, quod spontaneum. Liberum dicitur, quod à voluntate indeterminata, & potente se ad vtrumlibet flectere, procedit, & hoc vocatur voluntarium in genere moris, illud Physice voluntarium. Licet igitur voluntarium vsurpetur, pro libero, seu voluntario, in genere moris latius tamen patet, omne enim liberum voluntarium non contra.

DVBIVM II.

In qua potentia sit formaliter libertas.

Dico primo, intellectus non est potentia formaliter libera, sed tantum radicaliter & fundamētaliter. Probatur prior pars, quia intellectus positis omnibus ad agendum requisitis, de se est prius natura determinatus ad agendum, vt non possit actum suum cohibere, ergo non est liber formaliter. Confirm. neque quoad exercitium, neque quoad specificationem, est liber, quod non, quoad exercitium, probatur quia oblata euidenti veritate necessario ad assensum fertur, quantū est in se, nisi voluntas cohibeat, secus est, si euidens non est veritas, sed obscura, quia lux non sufficienter applicatur obiecto, quod non sit liber ad specificationem. Probatur, quia oblata euidenti veritate, vel etiam probabili determinatur ita ad assensum, vt non possit elicere dissensum, docetque experientia si intellectus alicuius rei bonitas sola repræsentatur, non posse iudicare, nō esse bonum, aut esse malum. Altera conclusionis pars explicatur, in intellectu sc. esse radicem, & fundamentum libertatis, nam quia intellectus diuersam rationem boni & mali in obiectis considerare potest, ratione quorum vel appeti, vel reiici possunt, idque non tantum successiue, sed etiam simul, & in illis, quæ tātum vt bona apprehendunt, quia sufficienter videt non necessitate, vel saltem non sufficienter ei proponitur hæc necessitas, si qua sit, sit vt voluntas appetere posit, vel reiicere; itemque actum non modo elicere, sed etiam suspendere.

Dico secundo, sola voluntas est potentia formaliter libera Probatur; Quia illa est, quæ de proposito obiecto est indeterminata, vt agat, vel non agat, vt acceptet aliquid, vel repudiet, quæ se vt domina suorum actuum libere determinare potest Ex his patet, ad libertatem vtramque potentiam requiri, non tamen eodem modo. Ratio enim requiritur, tanquam aliud præuium libertati, & a quo habet voluntas, habet radicabiliter, quod se in vtramque partem posit flectere voluntas, re-

requiritur tanquam id, quod in se formalem habet libertatem.

Dices primo, Intellectus est voluntate perfectior, ergo intellectus est formaliter liber. Probatur consequentia, quia potentiæ perfectissimæ debetur modus operandi perfectissimus: modus autem operandi perfectissimus est operari, cum indifferentia, seu libere, ergo. Confirm. Quia alias voluntas intellectum perfectione excederet, non contra.

Resp. Nego consequentiam; ad probationem. Resp. nego minorem simpliciter, vt patet in intellectu diuino, quia omnia necessario intelligit, ob infinitam perfectionem, quam habet, neque enim operari libere est perfectio cuiuslibet potentiæ, sed illius potentiæ, quæ ex sua ratione est tendentia, & inclinatio ad obiectum: vnde illud argumentum vim habeat, debet comparatio fieri inter potentias appetitiuas, quibus ex ratione generica proxima non repugnat operari cum indifferentia, & sic verum erit, perfectissimæ potentiæ appetitiuæ voluntati, scil. deberi modum operandi simplicissimum, qui esse potest in appetitiuis potentiis, non autem valet argumentum, inter potentias diuersæ rationis, quibus ex sua ratione generica repugnat ferri cum indifferentia. Ad confirmationem Resp. maioris esse perfectionis simpliciter esse regulam voluntatis, & libertatis ipsius, ipsam illuminando, quæ de se est cæca, quam habere formaliter libertate: regula autem ex sua ratione debet esse certa, & immutabilis & magni illi esset imperfectio, si variari posset.

Dices secundo, Intellectus etiam habet indifferentiam, ergo & libertatem. Probatur antecedens, quia potest iudicare obiectum esse conueniens, disconueniens, necessarium non necessarium.

Resp. Longe aliam esse indifferentiam intellectus & voluntatis. Intellectus enim dicitur indifferens, quia potest in obiecto varias rationes formales deprehendere, quæ indifferentia non est formalis, sed obiectiua potius, tota enim se tenet ex parte obiecti, non vero habet hanc indifferentiam, vt omnibus positis ad agendum possit agere, vel non agere, assentiri, vel dissentiri, sed de se necessario agit obiecto illi applicato, & necessario iudicat id, quod in obiecto est, non aliud, voluntas vero est formaliter libera, quia posita perfecta apprehensione conuenientis, & disconuenientis, & eodem modo se habente obiecto, eiusque propositione, potest in illud ab intrinseco tendere, vel cessare, ab actu, illud persequi, vel repudiare.

DVBIVM III.

Vtrum voluntati possit violentia inferri?

Violētum est, quod alicui infertur ex causa extrinseca, contra internum rei appetitum, siue naturalem, siue elicitum, vt lapidis motus sursum, calefactio aquæ. Hinc violentum definitur ab Aristotele 3 *Ethic. c.* 1. cuius principium est extra, nihil eo conferente, quod patitur, id est, quod procedit à principio extrinseco, non concurrente passo, per internam inclinationem, sed potius renitente in contrarium. Violentum latius patet, quam coactum. Coactum enim est species violenti diciturque illud, quod à causa extrinseca infertur, contra appetitum elicitum, siue passo renitente per appetitum elicitum, vnde solum reperitur in brutis, hominibus, & angelis. Aliquando tamen vis & coactio non capiuntur tam stricte, dicimus enim nos coactos etiam fecisse, quod inuiti per metum fecimus, cum tamen propria voluntate fecerimus, sed hoc non est coactum, aut violentum, simpliciter, sed tantum secundum quid, cum id quod ex metu fit, sit voluntarium simpliciter, inuoluntarium tantum secundum quid, vt *infra dub.* 5.

Nota duplicem vim inferri posse, vnam ad agendum, qua homo cogatur agere, vt si cogetur voluntate repugnante videre, audire, currere, &c. alteram ad patiendum, quia aliquid tantum in se coacte suscipiat, voluntate renitente.

Dico primo, Homini non potest vis aut coactio inferri, in actibus voluntariis, siue quod idem est, voluntati non potest vis inferri in actibus suis elicitis, & imperatis Probatur, quia repugnat aliquid esse voluntariũ, & violentũ esse a principio, seu inclinatione intrinseca, & esse à principio extrinseco, cōtra inclinationē intrinsecam, sponte, coacte fieri. Adde nullum in genere actum violentū

posse

posse esse contra inclinationem voluntariã, ac violentum potentiæ, à quo elicitur, & cõsequenter nec vllus actus voluntatis, possunt tamen actus vitales aliquo modo dici contra inclinationem potentiæ, à qua procedit tantum, quia sunt disconuenientes, sunt potentiæ tum quia repugnant bono suppositi, & sic immediate repugnant bono proprio, quatenus pendet à bono totius, ita cessatio ignis in damnatis est violenta sensui, proprie tamen non possunt dici violenti, quia ab ipsismet potentiis eliciuntur, non à causa extrinseca.

Dico secundo, voluntatem posse vim pati, in recipiendo, siue in se, siue in aliis potentiis patet, quia Deus potest infundere habitum aliquem ipsi voluntati, vel aliis potentiis, qualitatem aliquam repugnante voluntate.

Dico tertio. Hominem, seu voluntatem posse vim pati ad agendum in actibus aliarum potentiarum, a voluntate. Probatur, quia possunt potentiæ agere & applicari ab extrinseco, ad agendum homine renitente, per voluntatem, vt cum quis alio inuitus rapitur, compellitur sustinere flagella, ignem, &c. contra voluntatem & appetitum elicitum. Ob hanc causam cum plerique dicunt, voluntatem posse vim pati, in actibus imperatis, iuxta hanc conclusionem intelligendum est, vt tantum sit verum in sensu materiali, id est, in actibus, qui solet à voluntate imperari tunc enim, cum sint violenti, non sunt voluntarii, neque à voluntate imperati, actus vero imperati, vt sic formaliter omnes sunt voluntarii. Vnde non licet homo in actibus imperatis materialiter possit vim pati, nunquam tamen ne materialiter quidem posse vim pati in actibus elicitis, à voluntate, quia illi necessario procedunt ab intrinseco affectu, & inclinatione, cum sint ipsius actus.

Dices primo. Deus solus potest producere in voluntate actum amoris, vel similem, secundum probabilem sententiam, & voluntas reniti per proprium actum, ergo potest renitente voluntati produci actus voluntatis, ergo potest voluntas in actibus suis cogi.

Resp. si hoc sit possibile, talem actum non fore actum voluntatis, sed tantum qualitatem ab ipsa receptam, vnde tantum patietur vim in accipiendo, non agendo.

Dices secundo, Deus potest necessitate voluntatem ad actum suum, ita vt nullo modo possit reniti, ergo.

Resp. talem actum fore necessarium, non autem fore violentum, magnum enim est discrimen inter violentiam, pati & necessitatẽ pati, licet hoc semper pro illo capiatur, potest enim voluntas in actibus tam elicitis, quam imperatis necessitatem pati, quia à Deo determinari potest, & ad agendum necessitari vt in amore beatifico motibus primis, &c. sed si actus licet sint necessarii, sunt tamen voluntarii, & nullo modo violenti, quia fiunt ab intrinseca inclinatione, nullo modo renitente voluntate.

Petes, an possit homini aut voluntati vis inferri, quoad omissionem, aut carentiam actiuam.

Resp. non posse primo vim inferri voluntati, quoad omissionem voluntariam, vt patet, quia est repugnantia in terminis, secunda potest Deus distrahere intellectum, vt nõ proponat obiectum, & tunc, licet ipsa distractio intellectus possit esse violenta, si fiat renitente voluntate, omissio tamen actus voluntatis non est violenta, cum non possit velle elicere, aut repugnare omissioni, nisi ab intellectu proponatur. tertio potest Deus suspendere concursum suum, vel alio modo impedire voluntatem, vel alias potentias, ne exeant in actum, imo etiam ab aliis creaturis possunt impedire actus exercitum potentiarum, voluntate renitente, & tunc omissio erit violenta.

DVBIVM IV.

Vtrum inuiolentia causset inuoluntarium?

DIco id, quod quis per vim ac coactus facit, est plane inuoluntarium, idque positiue. Probatur, quia fit renitente voluntate. Hinc fit, vt neque vllo modo imputetur ad culpam, quod hoc modo fit. Etsi actio illa in se esset peccatum, si volũtarie fieret si modo restiteris, quantum debeas; vt si quis manu tua per vim vtatur, ad alterum occidendum,

dum, imo si non teneatis resistere, ob iustas causas, vt nolis id, quod poteris, erit etiam violentum, & inuoluntarium, vt martyribus supplicia, quæ patiuntur, quatenus actio illa est mala, & vitiosa.

DVBIVM V.

Vtrum Metus causet inuoluntarium?

DIco id, quod ex metu fit, est mixtum, ex voluntario & inuoluntario, sic tamen, vt sit voluntarium simpliciter inuoluntarium, aut secundum quid. Probatur prior pars, quod scil. sit voluntarium simpliciter, quia sponte & ex intrinseca inclinatione fit, vt patet in eo, qui metu naufragii proiicit merces in mare, vel metu mortis dat pecunias suas latroni, volens enim & sponte illud facit, & licet effectus in se spectatus, illi displiceat, in quo fundatur ratio inuoluntarii, secundum quid tamen, positis illis circumstantiis, illi placet, & volens illud facit. Confirm. quia qui in metu est, illud medium eligit ad euadendum magis malum. Ergo ex electione sua, & voluntate illud facit. Posterior pars probatur, quod sit inuoluntarium, scilicet secundum quid, quia displicet illi id, quod facit, & dolens illud facit, ac non libenter, ac cum quadam repugnantia, quæ displicentia ac repugnantia licet non sit efficax, positis hisce circumstantiis, esset tamen efficax illis sublatis.

DVBIVM VI.

Vtrum concupiscentia causet inuoluntarium?

COncupiscentia dicitur affectio, vel inclinatio in obiectum, per modum naturæ: siue inclinatio, quæ non regitur ratione, sed naturali quodam impetu ferimur in obiectū, sicuti pueri & amentes feruntur, & nos proposito obiecto in illud ferimur, in motibus primis, quod obiectum communiter est sensibile vnde concupiscentia fere tribui solet appetitui sensitiuo, aliquando tamen non est sensibile, vt honor & gloria, & sic voluntas etiam habere suos motus primos, & effectus concupiscentiæ, circa obiectum propositum à ratione.

Dico primo, Concupiscentia non causat inuoluntarium, vel secundum quid. Est Aristotelis *l. 3. Ethic.* Probatur, quia quod ex concupiscentia fit, ex interno affectu & sponte fit, neque cum repugnantia, ac displicentia fit.

Dices, qui ex concupiscentia operatur, sæpe cum tristitia operatur, vt qui est bonæ alioqui conscientiæ, tamen tentatione concupiscentiæ victus cum dolore peccat. Idem facit concupiscentia, vt homo velit, quod alias nollet, & quod in se præcise spectatum, displicet, vt in metu, ergo concupiscentia habet aliquid inuoluntarii admixtum.

Resp. concupiscentiam de se potius inclinare, vt medium, quod eligitur, placeat, & libenter accepterur, & per accidens, illi esse quod tristitiam habeat adiunctam, cum sæpe non habeat, & quantum in se est, illam tollet, & licet medium illud in se spectatum displiceret, tamen non actu displicet, imo tollitur illa displicentia, per concupiscentiam, vel saltem valde minuitur, & tamen licet interdum non plane tollatur, sed remaneat aliquid tristitiæ, vel displicentiæ, quæ concupiscentia, si esset maior, totam vinceret, contra quam fit in metu. Adde ex metu necessitatem, quæ oritur ex malo impendente, aut intentato, esse necessitatem quandam ac coactionem imperfectam, ab extrinseco prouenientem, nec esse in potestate hominis, ac proinde homo ad euasionem istius mali necessitate quadam compellitur, ab extrinseco, ad eligendum medium, quod ex se nollet, in concupiscentia vero nulla est necessitas, voluptas enim illa non est necessaria, neque vrgetur homo ab extrinseco, sed ab intrinseco & intimo affectu.

Dico secundo. Concupiscentia auget voluntarium, minuit tamen liberum Probatur prior pars, quia illa efficit, vt voluntas maiore conatu, & impetu feratur in obiectum. Posterior pars probatur, quia antecedenter inclinat voluntatem, in vnam partem, ergo minuit libertatem: imo aliquando tanta esse potest concupiscentia, vt perturbet vsum rationis, & sic tollat omnem in actu libertatem, & consequenter omnem rationem culpæ ac demeriti.

DVBIVM VII.

Vtrum ignorantia causet inuoluntarium.

IGnorantia diuiditur primo, respectu voluntatis in voluntariam & inuoluntariam. Ignorantia etiam vocatur antecedens, quod omnem actum voluntatis antecedat, & quod neque directe, neque indirecte sit volita, eadem etiam inuincibilis dicitur, quod morali diligentia superari non possit, & inculpabilis, quod sit sine culpa. Voluntaria communiter vocatur, consequens quod cõsequatur actum voluntatis, quo directe, vel indirecte in alio est volita, itemque vocatur vincibilis, & culpabilis, si sit eorum, quæ quis scire tenetur, & siquidem directio sit volita, vt cum quis expresse vult ignorare, dicitur ignorantia affectata: Sui autem indirecte, aut in alio, tanquã in causa sit volita, vt cum quis voluntarie negligit discere, pro ratione negligentiæ crassæ, vel leuis dicitur etiam ignorantia, crassa vel leuis, secundo diuiditur ignorantia respectu operis, quod fit ex ignorantia, vel cum illa, in ignorantiam quæ est causa effectus, & eam quæ non est causa effectus, sed tantum emitatur. Priore modo dicitur effectus fieri per ignorantiam vel ex ignorantia. Posteriore cũ ignorantia vel ignorantia: Tunc enim dicitur causa effectus, cum effectus non fuisset futurus, si fuisset cognitus, siue si ignorantia abfuisset, quia effectus displicet, nõ est autem causa effectus, quando effectus fit quidem cum ignorantia, tamen quia etiam in se placet fuisset futurus, si fuisset cognitus vt cum quis insciens occidit inimicum, quem etiam fuisset occisurus, si sciuisset esse præsentem. Vtraque hæc ignorantia potest esse antecedens, & consequens, siue voluntaria & inuoluntaria.

Dico primo, Ignorantia antecedens quæ est prorsus inuoluntaria, facit vt opus, cuius est causa, sit omnino inuoluntarium, tum negatiue, quia nullo modo est volitum, neque in se, cum non sit cognitum, tum neque in alio, cum ignorantia non sit voluntaria, tum positiue, quia opus illud actu vel habitu displicet, in voluntarium negatiuum, per se habet ab ignorantia in voluntarium positiuum habet à voluntate actualiter, vel habitualiter repugnante, non autem ab ignorantia, Vide: Aristotelem *l.3 c.1.*

Nota ex eodem Aristotele, *eodem capite*, sicut ad aliquod opus multa concurrunt, vt substantia operis, circumstantiæ variæ, ita potest ipsa operis substantia ignorari, licet circumstantiæ sint notæ, & contra potest ipsa operis substantia esse cognita, licet aliqua operis circumstantia non sit nota, vt potest quis scire se occidere, non tamen scire esse locum sacrum, vel eum quem occidit esse sacerdotem, &c. Opus autem ex ignorantia perfectum semper est inuoluntarium, respectu illius, quod inculpabiliter ignoratur, non autem respectu ipsius, quod cognoscitur. Vnde si quis occidat sacerdotem, quem scit esse hominem, non tamen sacerdotem, erit quidem homicida, non sacrilegus.

Dico, ignorantia consequens, siue quæ voluntaria est, si sit causa operis, facit quidem opus directe in se inuoluntarium, indirecte tamen ac moraliter voluntarium. Probatur prior pars, quia opus est incognitum, deinde actu, vel habitu huius displicet: Est enim homo ita affectus, vt si sciret non faceret. Altera pars probatur, quia opus illud est voluntarium, in ipsa ignorantia voluntaria, ac proinde etiam culpabile, vt cum quis volens iaculari, non adhibet debitam circumspectionem, ne quem occidat, vel lædat, & iaculando amicum occidat, licet ex ignorantia fiat, voluntate tamen ac culpabiliter putatur scire, ratione ignorantiæ volitæ, aut imprudentis iaculationes.

Dices, opus ex tali ignorantia profectum, non est cognitum, ergo non est voluntarium & inculpabile.

Respond. esse cognitum in causa, sicut & in ea volitum, nouit enim & aduertit se ignorare, an aliquis sit ibi præsens, seque non adhibere moralem diligentiam, ne quid mali contingat, & ex tali ignorantia posse aliquid mali contingere.

Dico tertio, Si ignorantia, quæ non est causa operis, sed comitatur illud duntaxat, sit antecedens, & voluntaria, erit actus non voluntarius, siue inuoluntaria ac inculpabilis. Probatur ex Aristotele 3. *Ethicor. capite primo*, qui ait, eum, qui ignorans fecit, sponte non fecisse, quod nesciebat. Confirmatur, quia

quia actus neque in se est cognitus, neque in alio.

Dices primo is, qui cum tali ignorantia operatur, ita est affectus, vt si sciret, vellet facere, vt si quis adhibeat diligentiam, ne quem lædat, & deinde inter iaculandum inimicum occidat, quem alias cognitum voluisset occidere, ergo actus ille est voluntarius actuali, vel habituali illo affectu.

Respond. esse volitum, per modum obiecti, non autem per modum effectus: ille enim effectus vt fit, & nunc fit, nullo modo procedit ab illo affectu, sed pure, comitanter & per accidens se habet, sicut si quis videns alterum iaculátem, optaret, vt illo iaculo occideretur suus inimicus.

Dices secundo, Ignorantia hæc per accidés se habet ad effectum, quemadmodum non fit causa illius, ergo non facit actum inuoluntarium, & inculpabilem.

Respondeo per accidens se habere ad illũ, & in substantia, sed non in ratione voluntarii, & inuoluntarii, quia non cognoscitur ille effectus, quod est necessarium ad rationem voluntarii.

Dico quarto, Si ignorantia, quæ non est causa operis, sed comitatur actum, sit voluntaria, seu consequens opus, quod cum illa fit, est moraliter, seu indirecte voluntarium, quia est voluntarium in sua causa, vt cum quis non adhibita sufficiente diligentia occidit inimicum suum, quem nescit esse præsentem, quem etiam fuisset occisurus, si scisset esse præsentem, occisio illa moraliter est voluntaria, Et probatur, quia communi hominum æstimatione censetur talis peccasse.

Confirmatur, si cum tali ignorantia ex negligentia profecta, amicum occidisset, quem voluisset alias occidere, censeretur homicida, ergo etiam si inimicum occiderit.

Dices, talis occisio nullo modo videtur voluntaria, neque in se, quia in se ignoratur, neque in alio, quia licet ignorantia sit voluntaria, saltem in directe, ex non adhibita sufficiente diligentia, talis tamen non est causa ipsius.

Respondeo primo, vt aliquid sit materialiter voluntarium, in alio non est necesse, vt sit effectus alterius, sed satis est, si cum illo sit coniunctum, & illud comitetur, sicut malitia, quæ est in peccato moraliter est voluntaria, cum ipse actus peccati, cui est malitia coniuncta, est voluntarius.

Respondeo secundo. Licet ignorantia non sit causa, quia si sciuisset, æque bene fuisset facturus, tamen illius occisionis, sicut & ignorantiæ causa est voluntaria omissio, debitæ circumspectionis, & incauta iaculatio, ex quibus nata est, sequi occisio, hoc modo enim incaute iaculari est moraliter, se exponere periculo occisionis.

DVBIVM VIII.

Vtrum intellectus moueat voluntatem ad suos actus?

Dico primo, Ad omnem actum voluntatis requiritur actus intellectus, sic vt ne diuina quidem virtute possit voluntas ab extrinseco incipere; vel perficere actionem suam, sine actione intellectus per illam.

Probatur primo, quia voluntas de se est cæca & si sibi relinquatur, nullum vnquam habebit obiectum, propositum, in quod ferantur, ergo si sibi relinquatur, nihil vnquam aget. Patet consequentia, quia non potest esse tendentia, nisi sit aliquid in quod tendatur.

Confirmatur, quia sicut appetitus naturalis supponit formam naturalem, in qua fundetur, ita appetitus elicitus formam apprehensam.

Probatur secundo, Quia si voluntas se ipsa sola intellectus cognitione posset ferri in obiectum, nulla posset reddi ratio, cur in hoc potius obiectum voluntas feratur, quam illud, cum ad omnia, ex se sit æque indifferens. Deinde non esset ratio, cur dum dormimus, non possimus peccare & mereri, eius autem rei ratio est, quia deest rationis actus.

Dices primo, Voluntas applicat intellectũ ad intelligendum, ergo potest præire omnem intellectionem.

Resp. nego consequentiam, quia licet voluntas ad aliquem actum possit inclinare intellectum, non tamen ad primum, sed necessarium est præcessisse aliquam intellectionem obiecti, saltem in confuso, vt voluntas vlterius intellectum applicet, ad profundiorem illius cognitionem.

Dices secundo: Potest voluntas velle, vt intellectus nihil cogitet, ergo tunc erit actus voluntatis sine actu intellectus.

Respon. id quidem posse voluntatem, non tamen pro illo instanti, quo id vult, quod si id pro eodem instanti velit, vult aliquid, quod est impossibile, ac proinde inefficaciter.

Dices tertio, potest Deus supplere omnem conditionem, & causalitatem extrinsecam, sed intellectio tantum concurret, vt conditio extrinseca ipsi volitioni, ergo illam Deus supplere poterit. Confirm. quia Deus potest supplere conditionem requisitam, ad agendum, v.g ad videndum requiritur applicatio obiecti, in sphæram potentiæ visiuæ, ignis vt agat requirit approximationem passi, hoc autem Deus supplere potest, & ignis in quamcunq; distantiam agere.

Resp. Sicut Deus in actu vitali, vt sic, non potest supplere causam vitalem, aut ea à quibus causa vitalis in agendo essentialiter, dependet, ita non potest hic supplere intellectionem, à qua volitio essentialiter dependet, potest quidem Deus per se actum voluntatis producere, sed is non erit vitalis. Ad confirmationem Resp. istam non esse essentialiter dependentiam, in istis actionibus, ab extrinseca illa approximatione, qualis est dependentia voluntatis, ab interna obiecti, applicatione per intellectum. Addo illud obiectum, aut passum esse aliquo modo approximatum, vt potentias à Deo per vires corroboratas in illud ferri posse, in voluntate vero, si nulla est intellectio, nulla prorsus est applicatio.

Dico secundo, Volũtas, siue ad exercitium, siue ad speciem actus Physice tantummodo à seipsa mouetur, ab intellectu vero, vel obiectiuo, vnde proponendo, obiectum, vel per modum causæ moralis consulendo, imperando, vel aliter excitando ad illud appetendum, vel persequendum. Probatur prior pars, quia intellectus nullã habet efficientiam Physicam in voluntatem, & voluntas de se est sufficiens causa sui actus, & proposito quouis obiecto ab intellectu est actum intrinsece indeterminata, dum autem agit ipsa seipsam determinat, tum ad exercitium, tum ad speciem actus. Posterior vero pars patet, quia non sunt alii modi, quibus intellectus moueat voluntatem, neque alios experimur.

DVBIVM IX.

Quis actus intellectus sit necessarius ad mouendam voluntatem?

Quæritur hic, an requiratur iudicium, an vero sufficiat apprehensio. Nota primo, apprehensionem esse duplicem, vnam, qua cognoscimus à parte rei, rem esse talem, qualem nobis repræsentat conceptus, ita vt in illa apprehensione contineatur virtuale iudicium, licet non sit iudicium formaliter, vt cũ video parietem album, Petrum currere, cognosco illa esse conuexa, albedinem scilicet cum pariete, cursum cum Petro, licet formaliter non iudicem: talis est omnis intuitiua, vel alia, qua certo vel euidenter cognitum fuit obiectum esse. Alia apprehensio est per modum imaginationis tantum, aut fictionis, qua vel fingimus, vel saltem abstrahimus ab eo, vtrum sit, nec ne, vt cum de monstris quæ non sunt, nec esse possunt, loquimur, quod sine aliqua apprehensione fieri non potest.

Nota secundo. Iudicium esse duplex, alterum speculatiuum, quo iudicio rem esse bonam, vel malam: Alterum practicum, quo iudico rem esse amandam, vel fugiendam.

Nota tertio. Esse etiam alium actu intellectum, qui imperium dicitur, qui interdum formatur per modum iudicii practici, aliquando aliter, vt cum intellectus dictat voluntati, quid agendum. Hoc modo fac hoc, vel illud.

Dico primo, Non requiritur ad actum voluntatis imperium efficax, determinans, prius natura voluntatem. Probatur, tum quia est contra experientiam, tum quia hoc tolleret voluntatem.

Dico secundo. Ad omnem actum voluntatis non requiritur formale iudicium, seu practicum, seu speculatiuum, sed plerunque sufficit apprehensio obiecti, vt conuenientis, vel discon-

disconuenientis. Probatur, quia per apprehensionem sufficienter cognoscitur bonitas & malitia obiecti, & sufficienter repræsentatur intellectui: Voluntas vero de se sufficienter inclinatur ad bonum, & auersatur malum.

Confirmatur primo, quia experimur nos non semper huiusmodi iudicium formare, itemque ad præsentiam obiecti conuenientis sufficere illius apprehensionem, vt etiam omnes concedunt, in visione beatifica, ex qua naturaliter sequitur amor & delectatio in voluntate.

Confirmatur secundo, quia motus nostri primi ad primam apprehensionem obiecti eliciuntur vt docet experientia: Deinde sola imaginatio ad aliquos actus sufficit, vt dicemus 4. *conclusione*. ergo.

Confirmatur tertio, quia ad motum appetitus sensitiui tam in nobis, quam in brutis sufficit apprehensio, per sensum, ergo ad appetitum rationalem sufficiet etiam apprehensio rationis.

Confirmatur secundo. Quia idem potest cognosci, & æque certo per apprehensionem, atque per iudicium, ergo frustra illud requiritur. Ad motum voluntatis efficacem requiritur vel iudicium, vel apprehensio, quæ continuat virtuale iudicium. Probatur, quia voluntas efficax non est, nisi eorum, quæ sufficienter cognoscuntur à parte rei, esse bona, & possibilia. Quod autem talis apprehensio sufficiat, Probatur. Quia talis apprehensio est iudicii, deinde amor, beatificus, qui & perfectissimus, sequitur talem cognitionem.

Dico quarto. Ad motum voluntatis efficacem requiritur, vel iudicium, vel apprehensio per modum imaginationis.

Probatur, quia bonum apparens, & imaginatium habet etiam vim mouendi voluntatem, & experimur interdum nos capere montes aureos, delectare cogitatione, qua imaginamur nos esse angelos, aues.

(***)

DVBIVM X.

Vtrum voluntas moueatur ab appetitu sensitiuo, seu passionibus?

DIco primo, Voluntatem moueri ab appetitu sensitiuo, Probatur, quia experimur ab amore, odio, ira, voluntatem nostram ad consensum inclinari.

Petes, quo modo fiat ista motio?

Resp. non fieri per imperium, cum sit longe inferior potentia, sed aliis duobus modis, primo, quia passio efficit, vt intellectus de aliqua re sæpe cogitet, sicque illam inculcet voluntati, secundo ipsammet voluntatem inclinando, quia forte vel non est distincta ab illa potentia, vel si sit distincta ob sympathiam, vel radicationem ipsarum in eadem anima secum rapit voluntatem.

Dico secundo Interdum etiam ita mouetur voluntas ab appetitu inferiore, vt necessario non libere trahatur ad consensum. Probatur, quia interdum ita vehemens est passio, vt perturbet vsum rationis.

DVBIVM XI.

DIco primo, obiectiue potest moueri voluntas ab obiectis externis, sed mediate tantum, licet enim voluntas ab obiecto cognito immediate moueatur, & alliciatur, ipsum tamen obiectum prius mouet, & terminat actum intellectus, quam voluntatis, & si sit obiectum sensibile, prius ab obiecto mouetur sensus, deinde Phantasia ac demum intellectus, à quo tandem obiectum proponitur voluntati.

Dico secundo. Ab astris non potest voluntas directe moueri, indirecte potest. Prior pars probatur, quia nihil Physice possunt producere in voluntate, neque illam immediate necessitare, aut inclinare ad suos actus.

Posterior pars probatur, quia varie possunt afficere corpus humanum, qualitatem aliquã imprimendo, mediaque huiusmodi affectione faciendo, vt alia aliis fint conuenientiã, vel disconuenientia Item possunt ciere humores, & his mediis esse causa variarum apprehen-

prehensionum Phantasiæ, ac deinde actuum appetitus sensitiui, à quibus mouetur, & inclinatur voluntas, & interdum determinatur, vt in motibus primis.

Dico tertio. Ab Angelis non posse etiam directe moueri, sed tantum indirecte. Hæc autem indirecta motio fieri ab ipsis potest, vel proponendo obiectum, vel immutando etiam corpus, & affectiones ipsius, partim per motum localem, partim applicando actiuis.

Dico quarto. Deus variis modis potest mouere voluntatem, tum directe, tum indirecte, primo quidem Deus concurrit ad actum voluntatis, sed hoc non est mouere voluntatem proprie, cum in illam non agat, sed tantum ea agere, sicut cum duo trabem portant. Secundo. Potest mouere, procurando obiecta, quædam externa, à quibus homo moueatur. Tertio immittendo illi bonam aliquam cogitationem, à qua deinde voluntas moueatur, vel libere vel necessario. Quarto imprimendo etiam ipsi voluntati aliquam affectionem, vel actualem, vel habitualem, & hoc vel prædeterminando, vel tum inclinando, Quinto immediate applicando voluntatem, ad agendum, sicut alias causas potest. Sed hic actus voluntatis etiam non erit liber.

Sexto omnibus modis mouere potest, quibus Angeli & corpora cœlestia.

DISPVTATIO SECVNDA.

De actibus quibusdam humanis in specie.

DVBIVM I.

Qui actus versentur circa finem?

Dico tres esse voluntatis actus, qui versentur circa finem, primus est intentio, seu desiderium efficax finis, quæ nihil est aliud quam volitio efficax finis, qua illum ita desiderat consequi, vt ex vi illius moueatur, ad persecutionem ipsius, per media conuenientia ad illum consequendum; secundus actus est fruitio, non illa, quæ posita est in sensatione, ac gustu bonitatis, & suauitatis obiecti præsentis, sed actus voluntatis consequens ex præsentia & consecutione obiecti, per quem voluntas in bono adepto delectatur, tertius actus est amor, qui tam esse potest circa obiectum absens, quam præsens.

Petes primo, an hi actus tantum versentur circa finem vltimum.

Respond. amorem & intentionem posse esse cuiuslibet finis, etiam non vltimi, fruitionem vero perfectam non posse esse nisi finis vltimi, licet imperfecta quædam possit esse aliorum etiam bonorum, quæ propter se appetuntur.

Petes secundo, an hi actus etiam non possint versari circa media vltima.

Respond. media non intendi, nec amari nisi valde improprie, multo minus homo dicitur illis frui, cum fruitio fere tantum sit finis vltimi.

Petes tertio. An hi actus etiam sint in brutis.

Respond. Non esse proprie, cum hi actus supponant perfectam cognitionem finis, & non tantum confusam, neque in desiderio finis cognoscunt finem, vt finem, seu vt assequendum per accommodata media.

(*⁎*)

DVBIVM

DVBIVM II.

Qui actus versentur circa media?

DIco tres esse actus potissimum, qui versentur circa media, consultationem, electionem & vsum. Probatur, quia intento fine primo inquirimus accommodata media ad finem, secundo collatis mediis cum fine & inter se eligimus ex iis, quod placet, tertio facta electione procedimus ad executionem, & vsum mediorum electorum.

Petes primo, cuius potentiæ actus sit consultatio?

Respond. esse actum rationis, est enim rationis consultare, deliberare, inquirere, quid sit ad finem assequendum accommodatius, illudque voluntati proponere huius consultationis conclusio est iudicium, seu sententia, qua iudicamus, quod medium omnibus consideratis videatur præferendum, quod iudicium cum sit rationis actus, & terminus ipsius consultationis, an debeat censeri effectus consultationis, an illius pars, est quæstio de nomine, saltem videtur pertinere ad priorem consultationem in ratione termini, sicut terminus motus ad motum pertinet.

Petes secundo, an & quomodo distinguatur Consilium à consultatione, vel electione.

Respond. plerosque accipere pro eodem consultationem, & consilium, alios etiam consilium vocare iudicium consequens ipsam consultationem: Si autem secundum Aristotelem loquamur, neutrum illorum erit, sed aliquid vtrumque consequens, neque erit actus rationis, sed voluntatis, vt parum, vel nihil differat ab electione, Is enim *libro 3. capite 2.* probat, consilium esse aliquid sponte, seu voluntarie susceptum, dicere tamen respectum ad consultationem, quæ præcessit vt aperte in *fine illius cap.* c. vero 3. *in fine* consilium definit, esse & earum rerum, quæ in nostra potestate sunt, à petitione ad consultationem accommodatam. Idem repetit *cap. 2. lib. 6.*

Petes tertio, Consultatio & electio tantum versentur circa media. Ratio dubii est; quia homo propositis pluribus finibus etiam vltimis consultat, quod sit anteponendum præ cæteris, & vnum præ cæteris eligi.

Respond. ordinarie ista versari tantum circa media, & ita communiter stricte accipitur consultatio, & electio, vt sit tantum de mediis, supposita intentione finis, vel saltem de materia, aut fine materiali, supposita intentione, finis formalis seu in genere. In quo casu materia de qua consultatur, habet se fere instar medii, respectu finis formalis, vt si velis orare in genere, sed consultes, quid aut quo genere orationis vti velis, vel velis beatitudinem, sed inquiras in qua materia, seu obiecta sita sit beatitudo. Fateor tamen, non repugnare etiam in finibus & bonis propter se appetibilibus, dari consultationem, vel quid simile consultationi, vt cum inquirimus meliusne sit hic, aut nunc studere, aut se dare orationi, vbi nulla finis intentio, ne quidem in genere præcessit. Ita intelligendus Aristoteles *libro tertio, capite tertio*, cui ait consultationem esse tantum eorum, quæ sunt ad finem.

Petes quarto, Vtrum electio reperiatur in Brutis?

Resp. non reperiri, cum præsupponat consultationem, & diligentem rationis conquisitionem, circa media, sitque acceptatio aliquorum mediorum, & cum dominio actus est tamen in illis imperfecta quædam electio, quæ consistit in nuda acceptatione medii, sed hoc faciunt naturaliter, & sine collatione medii, cum fine, vt cum ægrotant, acceptant quasdam herbas, quibus medeantur, vt patet in ceruis, & felibus.

Petes quinto. Vtrum si bestiæ offerantur duo fines æquales, vt duo pabula æque bona, vel duo media ad finem æqualia, quorum neutrum sit necessarium, sed vtrumque indifferens sit alterum præ altero acceptatura, vel vero neutrum, & ratio difficultatis est, quod non videantur sese posse determinare, cum non habeant electionem liberam, ad hoc eligendum potius, quam aliud.

Respond. fore, vt ad alterutrum ferantur, ob aliquam rationem, quæ sæpe est occulta, vt quia est ad dextram, vbi est principium motus, aut quia proxime aut magis.

magis immediate videtur, aut primo visum fuit. Addo, vix videri fieri posse, vt æque applicentur duo pabula, iumento, qui secundū septimam propositionem *l.3.* perspectiui visio distincta sit, tantum per vnam lineam incidentem in rem visam perpendiculariter, quæ vero vtrinque sint magis, vel minus videatur, prout magis vel minus accedunt ad istam lineam, vel punctum illam terminans. Quia igitur vix naturaliter videtur fieri posse, vt duo pabula æqualiter & à visu distent, & ab eodem visualis istius lineæ puncto, adeo etiam fieri non potest, vt duo pabula ita æqualiter proponantur, vt bestia vnum præ altero non acceptet. Eodem modo se res habet cum pueris, & amentibus, & nobiscum in motibus primis.

Petes sexto. An pueri & amentes habeant electionem.

Resp. habent aliquam, norunt enim aliquo modo proportionem mediorum ad finem, mediaque inter se conferunt, & expendunt, quodnam sit vtilius, & rogati cur hoc agant, rationem reddunt ex ordine ad finem, sed hæc est imperfecta electio, electio enim est actio eligentis in genere moris, hi autem, vt non cognoscunt bonitatem, aut malitiam moralem, ita nec eligunt nec intendunt in genere moris.

Petes septimo, An consensus distinguatur ab electione.

Resp. Sæpe pro eodem capi, nonnunquam tamen latius capi nomen consensus, vt etiam finem acceptando & volendo etiam inefficaciter dicatur quis consentire.

Petes 8 Cuius potentiæ sit vsus.

Resp duplicem esse vsum actiuum, scilicet qui est illius, qui vtitur aliquo tanquam instrumento, vel media, vt serra ac secandum & passiuum qui est eius, quo vtitur alter vt instrumento, vel medio, vt vsus serræ aut medicamenti: Vsus igitur actiuus, qui nihil est aliud, quam actiua applicatio instrumenti vel potentiæ ad operandum, in præsenti materia est actus voluntatis. Est enim voluntas, quæ applicat cæteras potentias, & per illas quod ipsa elegit, exequitur: Vsus vero passiuus, qui non est aliud, quam ipsa operatio potentiæ, vel instrumenti applicati ad operandum, hic est operatio potentiarum à voluntate applicatarum. Fine patet, vti hic idem esse, quod exequi. In genere autem moris est voluntas vel ipsius actus, quæ tanquam domina per modum operantis actiuæ exequitur. Cætera vero potentiæ, quasi passiuæ imperium voluntatis exequantur.

DVBIVM III.

Quale sit obiectum consultationis & electionis?

Dico primo, Consultatio & electio sunt eorum, quæ à nobis agenda sunt. Ita Aristoteles *libr.* 3. *capit.* 3. Probatur, quia illa, quæ ab aliis facienda sunt, non sunt in nostra potestate.

Dico secundo. Consultatio & Electio non sunt rerum præteritarum. Probatur, quia res facta infecta reddi nequit. Ita Aristoteles *libr.* 6. *cap* 2.

Dico tertio, hi actus non sunt necessariarū rerum, aut impossibilium. Probatur, quia nō sunt in nostra potestate, & frustra esset consultatio talis, aut electio, ita Aristoteles *lib.* 3. *cap.* 2. & 3.

DVBIVM IV.

Vtrum Electio sit libera?

Ratio difficultatis est, quia stante & durante intentione efficace voluntas est determinata ad persecutionem finis, & electionem mediorum, quo fit, vt non videatur esse in se libera.

Dico primo, intentio efficax aliquo modo voluntatem determinat ad electionem, aliquando quoad specificationem tantum, aliquando quoad exercitium tantum, aliquando quoad vtrunque, aliquando quoad neutrum, nisi in confuso. Vnde stante intentione, electio est aliquo necessaria respectu eius ad quod determinat, oritur hoc ex subordinatione essentiali horum actuum.

Voluntas per intentionem determinatur, primo, quoad speciem tantum, si tantum sit vnum medium; illud enim necessario eligis, non tamen necessitatis, hic & nunc eligere. Secundo determinatur, quoad exercitium tantum si in intentione proscribas certum tempus,

tempus, quo velis finem consequi, sint autem plura media, vt si velis iam confiteri, necessario tibi adeundus est aliquis sacerdos. Tertio, quoad vtrunque determinatur, cum vtrunque illo tum concurrit, vt si iam velis confiteri, & non sit nisi vnus sacerdos. Quarto quoad neutrum determinatur, quando sunt plura media, neque voluntas in intentione præscribit sibi certum tempus.

Nota tamen, cum omnis intentio aliquo modo determinet, ad electionem etiam hoc posteriore modo, licet non determinet ad aliquod medium, in particulari, aut ad determinato aliquo tempore faciendum determinatum, in confuso, & indeterminato, hoc est ad electionem aliquo indeterminato tempore faciendum, & ad alicuius medii vtilis ad finem in confuso electionem.

Dico secundo, Electio tamen omnis est in se simpliciter libera. Probatur quia electio est in se bona, vel mala meritoria, vel demeritoria, vnde etiam electionis sunt aliis alię meliores, imo intentio potest esse bona & electio mala, sed hanc malitiam non habet ab intentione, ergo à se, non potest a. à se non habere malitiam nisi sit à se libera, ergo Conf. quia electio procedit à voluntate cũ dominio actus.

Dices voluntatem esse determinatam ad electionem per intentionem, ergo non posse esse liberam. Respondent aliqui necessitatem & determinationem, quæ oritur ex suppositione libera, non tollere libertatem: Sed responsio hæc non satisfacit, nisi aliquid addatur licet enim suppositio libera concomitans vel consequens non inferat necessitatem nisi ex suppositione ipsumq; opus in se relinquat liberum, id tamen quod oritur ex antecedente suppositione libera potest esse in se necessarium, & non liberum, vt concoctio cibi est necessaria, licet commestio præuia fuerit libera, & homicidium in ebrietate commissum, non est liberum, in se, licet ebrietas fuerit libera. Hæc autem suppositio intentionis potentiæ est antecedens electionem.

Dico ergo, id quod oritur ex suppositione antecedente libera, esse liberam, quando remanet in potestate voluntatis illam suppositionem tollere, illique adimere efficaciam, quod fit in proposito, quia posita intentione finis ante instans electionis, aut executionis semper manet in potestate voluntatis tollere illam intentionem, illamque reddere inefficacem: Vnde determinatio, quę est in electione ab intentione præuia non est determinatio simpliciter, qualis est cum voluntas determinatur antecedenter ab extrinseco, quam determinationem tollere nullo modo est in illius potestate, sed est tantum determinatio secundum quid, & in sensu composito, posito sc. quod sit, & perseueret voluntas in sua intentione, quod totum est in potestate voluntatis. Adde in omni fere intentione manere voluntatem, indeterminatam, vel quoad speciem vel quoad exercitium vel quoad vtrunque quod sufficit ad libertatem: Vbi vero ad vtrunque determinatur, quod perraro accidit, maiorem quandam esse necessitatem, non tamen eam quæ tollat libertatem, cum maneat in potestate voluntatis non eligere ex eo, quod maneat in potestate voluntatis non amplius intendere.

DVBIVM V.

An vbi sunt plura media necessario eligatur medium vtilius?

NOta duobus modis posse intendi finem primo simpliciter & absolute, secundo sub certo modo vt quam citissime commodissime vel perfectissime obtineatur, vt sæpe fit in intentione sanitatis.

Dico primo, si omnia media sint æqualia, potest homo quodlibet eligere arbitratu suo probatur, quia voluntas est libera & omnia media sunt æque vtilia ad finem, neque vllum est necessarium, ergo.

Dico secundo, si intendis finem sub certo modo, necessario eligitur medium, quod poterit cæteris esse vtilius, ad finem eo modo consequendum, quo intendis consequi, vt si quam citissime vel perfectissime velis sanitatem necessario, eligis Pharmacum cæteris præstantius, ad finem hoc modo consequendum, si securissima via velis saluari necesse est vt relicto mundo sequaris consilia Christi Ratio Conclusionis est, quia hoc medium cum sic intendis finem, est instar vnici medii ad finem: nam etsi plura sint media ad finem absolute spectatũ,

non tamen sunt plura ad finem illo modo, consequendum, siue ad totum illud complexum ex fine, & modo, quod est integer finis. Quod si autem plura sint media, æque vtilia, ad finem eo modo consequendum, tum ex vi intentionis ad aliquod eorum indeterminate & in confuso determinata, ad nullum vero determinate.

Dico tertio, si tantum intendatur finis simpliciter, non cum certo modo non necessario eligitur medium vtilius. Probatur, quia nullum ex istis mediis est determinate necessarium ad finem, cum per quodlibet istorum obtineri possit.

Confirmatur primo, quia voluntas in bonis per se appetibilibus, relicto maiore potest eligere minus, non enim necessitatur ad optimum, ergo etiam in mediis, aut bonis vtilibus potest arbitrio suo eligere quod libuerit.

Confirmatur secundo, quia bonum minus vtile est vtile, & proportionatum fini consequendo, ergo habet rationem sufficientem cur appeti possit.

Confirmatur tertio, experientia: non enim qui vult saluus fieri, necessario eligit finem religiosum, qui vult sanari, non necessario eligit sectionem, aut electionem, imo etiam ipse Deus in eligendo hoc mundo inter infinitos, quos potuit producere, non fuit necessitatus ad optimum, cum de facto potuerit perfectiores in infinitum producere.

Dices primo, medium minus vtile est inutile, aut prudente iudicio habetur pro tali, ergo non potest eligi.

Respondeo negando antecedens, est enim à parte rei vtile, & fini proportionatum.

Dices secundo, Electio est voluntas eius, quod præiudicatum est, sed non est præiudicatum minus bonum esse sequendum, ergo.

Respond non requiri, vt intellectus determinate iudicaret, illud esse sequendum, vt voluntas possit eligere, sed sufficit, vt iudicarit esse bonum, quodque vtiliter accipi possit.

DISPVTATIO TERTIA.

De Bonitate & Malitia actuum humanorum.

DVBIVM I.

In quo sit posita bonitas, vel malitia actuum humanorum?

NOta primo, actus morales habere duplex esse, vnum Physicum, & naturale, quod nihil est aliud in actibus positiuis, quam positiua ipsorum tendentia in suum obiectum, maxime formale, à quo speciem suam accipit: in priuatiuis vero, vt in omissione est priuatio ac carentia actus alterum esse actuum est morale, quod non est aliud, quam ipsum naturale actuum, prout eliciuntur ab homine ratione vtente: Vnde nihil superaddit ipsi substantiæ actus, nisi causam, à quo procedit, esse liberam, vnde in his actibus idem est esse morale, ac liberum, & hoc ipso coactus est, liber habet affectiones morales, meretur laudem, vituperiũ, pœnam.

Nota secundo, bonitatem & malitiam moralem cum non sit bonitas & malitia absoluta, sed respectiua essentialiter respicere hominem ratione vtentem, idque quodammodo vel in actu primo, vel in actu secundo, hoc est, vel vt potens reddere hominem bonum, vel malum, vel vt actu faciens tale, sicut calor respectu aquæ, etiam præcisus ab aqua dicitur esse disconueniens aquæ, sed non disconuenientia actuali, & exercita: Si autem vniatur aquæ, vel consideretur vt vnitus, iam actu exercet illam disconuenientiam, vel consideratur, vt illam exercens, ob id bonitatem ac malitiam

malitiam moralem diuidunt in materialem, seu obiectiuam, & formalem, materialis seu obiectiua habent actus, & obiecta in se præcise considerata, secundum suum esse naturale, eamque habet, siue fiant ab homine vtente ratione, siue ab amente vel à nobis, per modum motus primi, estque ab actibus & obiectis inseparabilis. Formalis bonitas ac malitia est in ipsis actibus, prout manant à causa libera, & homine ratione vtente, à quibus habet homo, quod dicatur bonus, vel malus, est bonitas, & malitia quodammodo exercita & faciens effectum suum formale, vnde & actualis dicitur. In hac quæstione maxima difficultas est in statuenda malitia formali, seu ratione formali peccati quam nonnulli in relatione rationis, quam esse disconuenientem sani ratione constituunt, sed non videtur intelligibile, quomodo quis fiat peccans, per relationem enim si nullus intellectus formet hanc relationem, nullus peccabit. Deinde odium Dei est disconueniens homini, ratione vtenti, ante omnem operationem intellectus salubris & noxius alii malitiam illam constituũt in priuatione, alii in positiuo, de quibus postea.

Dico bonitas materialis vel obiectiua consistit formaliter in reali conformitate & conuenientia cum recta ratione seu homine, vt homo est, ac ratione præditus, malitia vero in reali deformitate disconuenientia repugnantia cum eadem recta ratione. Ita amare Deum siue fiat ab homine vtente ratione, siue non vtente ratione, est materialiter bonum, & odisse malum, quia inclinatio in Deum per modum persecutionis, & affectionis est consentanea rectæ rationi, eo quod Deus ratione bonitatis suæ, sit obiectum secundum rectam rationem amabilem, tendentia vero in ipsum per modum fugæ, & auersionis repugnat rectæ rationi.

Nota primo hanc bonitatem ac malitiam, nihil superaddere actui, & obiecto, quia hæ seipsis à parte rei sunt conuenientia, vel disconuenientia, tanquam extrinsece connotant naturam rationalem, cui sunt bona, vel mala, sicut vna albedo seipsa sine superaddito est alteri similis, vel dissimilis, nam ipsa substantia odii Dei, in se, dedecet hominem ratione vtentem, eique repugnat, sic venenum est cibus homini noxius, vel commodus per suam substantiam, & in se sunt illi noxia & commoda, dolor & obiectum dolorificum sunt causæ sensitiuæ, per se & in se disconuenientis frigus in se, & ratione sui, non ratione superadditi, est aquæ conueniens calori disconueniens.

Nota secundo, cum hæc bonitas & malitia non sint à parte rei, diuersa, ab ipsa re, quæ dicitur bona vel mala, hinc sequi, ipsam bonitatem & malitiam tam esse realem, quam est res bona, vel mala: Vnde in actibus positiuis bonitas & malitia est realis, ac positiua, in priuatiuis, vt in omissione actus est priuatiua

Dico secundo, bonitas ac malitia formalis est eadem bonitas materialis, ac malitia: Quæ est in actu, vt libere fit, & ab homine ratione vtente. Vnde nihil superaddit actui, secundum suam substantiam, & bonitati, vel malitiæ ipsius, quam actum procedere à causa libera, & ratione vtente in bonitate formali omnes fere consentiunt: In malitia vero formali dissentiunt plerique, qui peccatum volunt formaliter positum esse in priuatione rectitudinis, debitæ inesse actui, eo quod malum omne ex sua ratione dicat priuationem boni contrarii, sed nostra sententia plana est ac facilis, aliorum plena difficultatibus.

Probatur igitur nostra conclusio, quoad malitiam formalem, primo malitia materialis etiam secundum illos est positiua, & realis, & res clara est in odio Dei, quod prout est realis tendentia, per modum auersionis à Deo, est materialiter malum, ergo etiam malitia formalis erit realis & positiua.

Probatur consequentia, quia est eadem malitia. quæ ex materiali adueniente ratione fit formalis neque aliud homini imputatur, si libere agat, præter malitiam obiectiuam ipsius actus, nam ipsa secundum se præcise sit disconueniens rationis.

Confirmatur primo, quia motus primus odii Dei, per solam accessionem aduertentia rationis, fi. formaliter malus, & peccatum, sicuti actus amoris fit bonus, moraliter, hoc ipso quod procedit ab homine habente sufficientem rationis aduertentiam.

Confirmatur secundo, quia ipsum actum formaliter malum consequuntur affectiones morales, vituperii, pœnæ, &c. Ratione mali-

tiæ obiectiuæ, non autem ratione alicuius priuationis: Est enim ipsa realis tendentia, & motus per modum auersionis, qui culpatur & vituperatur in odio Dei, ipsa realis acceptio rei alienæ, quæ punitur non priuatio aliqua.

Confirmatur tertio, quia vel illam priuationem habet malitia materialis, erit etiam malitia formalis, & consequenter peccatum. Si non habet, ergo fit accessu libertatis, atqui libertas nullam producit priuationem.

Confirmatur quarto, quia si non habet actus malitiam peccati, ab ipsa malitia obiectiua, sed ab aliqua priuatione, posset aliquis habere complacentiam in aliquo actu malo, verbi gratia, blasphemiæ elicito ab amente, vel illud desiderare, aut procurare illud ab illo fieri, cum liceat desiderare illud, quod in se non habet malitiam, ac rationem formalē peccati, hoc autem dici non potest.

Confirmatur quinto, quia tendentia in rem malam præcise est dissentanea rectæ rationi, ergo mala, ergo non habet hoc à priuatione.

Confirmatur sexto, quia in moralibus bonum & malum, qua talia opponuntur contrarie, non priuatiue, teste Aristotele *c. de oppositu.* ergo non opponuntur ratione priuationis, sed ratione formarum contrariarum, hoc est bonitatis ac malitiæ priuatiuæ, neque aliud assignari potest, quod illa opponat in suo esse positiuo.

Probatur secundo, malitiam moralem non esse in priuatione, nam vel illa priuatio est immediate in voluntate, vel in ipso actu: Posterius dici non potest, quia actus malus non est capax rectitudinis, aut bonitatis sibi oppositæ, sed si adsit in actu rectitudo illa, iam desinit actus ille esse illius speciei, & transit in aliam speciem, verbi gratia, actus intemperantiæ manens in specie intemperantiæ, non est capax bonitatis, quæ est in actu temperantiæ, sed si accipiat bonitatem temperantiæ, desinit esse actus intemperantiæ, & fit actus temperantiæ: Si dicatur prius, ergo actus non est formaliter malus, cum non habeat formalem malitiam, seu priuationem, sed voluntas, atque adeo neque voluntas dicetur mala, à mala operatione. Addo cum aliqua duo respectu tertii inducunt mutuam priuationem, id fieri ratione positiuæ contrarietatis, vel repugnantiæ, in qua fundetur priuatio. vt priuatio frigoris, quæ est in calore, respectu aquæ, supponit positiuam repugnantiam huius cum frigore. Ideo enim inducit priuationem, quia repugnat esse cum altero.

Confirmatur primo, quia sicuti si in aqua cum frigore esset calor, adhuc calor repugnaret aquæ, ratione sui, & non ratione priuationis: ita si simul posset stare bonitas, opposita cum malitia peccati, verbi gratia, si cum odio Dei esset in voluntate, amor Dei, adhuc tamen odium rei esset dissentaneum, & disconueniens homini, ex ratione operanti, & tamen non esset priuatio bonitatis oppositæ, ergo signum est, quod ratione sui, & non ratione alicuius priuationis coniunctæ, odium sit malum & disconueniens.

Confirmatur secundo, quia alias non videtur, quomodo possint distingui vitia diuersæ speciei, quæ sunt contra eandem virtutem, ac bonitatem, vt vitia per excessum, & defectum, cum priuent eadem bonitate.

Confirmatur tertio, quia si aliquis, qui hoc instanti teneatur elicere actum amoris Dei, & eliciat odium Dei, longe grauius peccat quam si solum cessasset ab amore, & peccasset omissione, ergo grauius peccat ratione repugnantiæ alicuius positiuæ, cum ratione, cum priuatio sit in vtroque eadem.

Confirmatur quarto, quia illa perfectio, quæ dicitur debita, non dicitur debita alicui actui malo, cum non possit illam habere, nec voluntati, cum sæpe voluntas non teneatur ponere perfectionem oppositam, verbi gratia; cum quis elicit odium Dei, non priuatur priuatione debita, quia non debet iam elicere amorem Dei. Addo, sæpe peccata, quæ sunt contra perfectiones minus debitas sunt maiora (vt in exemplo allato) contra minora sunt peccata nonnulla, quæ sunt contra perfectiones magis debitas.

Dices primo, malum esse priuationem boni: ergo non potest esse quid positiuum. Antecedens probatur, quia id multi sancti patres docent.

Respond. antecedens esse falsum, vt patet ex dictis, & concedunt aduersarii in malitia obiectiua: & contrarium est manifestum in omnibus rebus disconuenientibus positiuis, dolor enim & obiectum dolorificum sunt mala,

mala, & disconuenientia positiuo naturæ sensitiuæ. Aliud enim est dolor, quam priuatio voluptatis, sonus ingratus est positiue disconueniens auditui, sicuti sonus gratus conueniens, amarus sapor & odor insuauis est positiue gustui, & odoratui disconueniens, non minus, quam dulcis sapor, & odor suauis est conueniens positiue. Error in intellectu est positiue malus, & disconueniens, & maius malum, quam ignorantia, quæ est pura priuatio Venenum & cibus noxius valetudini positiue per suas qualitates, nocent, & sunt male. Sic lupus agno, calor aquæ, flagellum cani, &c.

Ad SS. PP. Respond. non omnia mala esse positiua, sed quædam etiam priuatiua, vt ignorantia, mors, cæcitas, surditas, &c. Addo in genere malum absolutum oppositum bonitati entis, in subiecto capaci dicere priuationem alicuius perfectionis, ita malum equum dicimus, malum vinum, malum pomum, cui aliquid ad perfectionem deest, & tale malum ipsi describunt, cum dicunt malum esse priuationem, vel indigentiam boni, non autem malum respectiuum, quod sæpe est positiuum, & quamuis hoc malum positiuum in se habeat rationem boni contrarii, & in subiecto apto semper adferat priuationem & carentiam boni accommodati naturæ, vt calor in aqua frigoris; Error in intellectu scientiæ tamen integra ratio huius mali respectiui, non sufficienter sumitur à priuatione, quam secum adferunt, cum ratione positiui sint etiam disconuenientes, secundo, quia sæpe loquuntur de malo culpæ, illud definiunt per priuationem, id est, per recessum & moralem auersionem à Deo, quod est definire per terminum à quo extrinsecum vel definiunt per priuationem gratiæ quo est effectus ipsius necessarium semper consequēs, & semper illi coniunctus, & sic non designant veram rationem formale peccati, sed tantum illud describunt per aliquid extrinsecum. Tertio Quia videntur etiam aliqui dicere peccatum nihil esse quam priuationem Respond. ipsos nihil aliud velle quam quod nulla re melius intelligatur & facilius quid sit peccatum & detestabile quam quod nos remoueat à Deo & ipsius priuet gratia.

Dices secundo, sancti patres docent malum & peccatum esse nihil & esse defectum.

Respondeo primo, loqui fere de malo absoluto opposito bonitati entis quod est non ens seu priuatio entis, non autem respectiuo quod sæpe est positiuum quid: Secundo cum dicunt peccatum esse nihil, volunt aliud quam esse nihil in genere moris nullius esse pretii neque genere vllam æstimationem, cum tantummodo actus virtutum soleant æstimari & magni fieri. Sic Apostolus idolum dicit esse nihil quod nullam habeat diuinitatem ratione cuius æstimari possint, ad id autem quod dicunt peccatum esse defectum Respond: esse defectum sed positiuum: Tertio Patres fere & inprimis S. Augustinus cum malum dicunt esse nihil, aut non habere natura[illegible], non esse rem, &c. agunt fere contra Man[illegible]æos qui dicebant malum esse substantiam & esse quendam malum Deum illius mali authorem & sic tantum negant peccatum esse aliquid in genere substantiæ & per naturam & non intelligunt naturam & rem substantialem: Neque enim vult negare Augustin. peccatum esse aliquid cum sæpe vocet peccatum motum & actum voluntatis.

Dices tertio. Peccatum quatenus est ens siue secundum totum esse reale est bonum quia ens & bonum conuertuntur: ergo secundum illud non est malum.

Respond. Esse bonum bonitate entis & absoluta non autem bonitate respectiua siue conuenienti alteri.

Prior enim illa bonitas dicit aliquam perfectionem intra suam speciem, quam etiam habet peccator, potest autem res aliqua, quæ est in se perfectio, esse alteri disconueniens.

Dices quarto. Actus bonus fertur formaliter in bonum honestum, sub ratione honestatis, malus vero non futurum malum sub ratione malitiæ, ergo ille est intrinsece in sua substantia, bonus hic vero non est in sua substantia malus.

Respond. Actum non dici ideo formaliter bonum aut malum quia bonitas illa vel malitia sit ratio formalis volendi alias

etiam amor beatificus & actus boni necessarii qui fierent Deo prædeterminante essent formaliter boni. Sed ideo dicitur bonus aut malus, quia fit ratione aduertente sufficienter hanc bonitatem aut malitiam, & licet dici soleat nihil esse honestum, nisi ratio formalis volendi sit honestas, & id quod fit, fiat propter honestatem (quod vt sit verum infra examinabimus,) tamen in actu malo sufficit ferri in malum, tanquam obiectum materiale, aut conditionem illi annexam, sicut etiam actus bonus potest habere bonitatem ab obiecto materiali.

Dices quinto, Sequeretur ex hac sententia, Deum esse causam peccati, cum omne positiuum & reale à Deo in esse vt fieri dependeant.

Respond. Non esse causam peccati, quia ad actum peccati indeterminato concursu concurrit, de quo plura in materia de concursu Dei.

DVBIVM II.

Vtrum actus humani accipiant bonitatem, vel malitiam ex obiecto?

Dico actus humanos tam internos, quam externos sumere bonitatem & malitiam formalem, quam obiectiuam ab obiecto.

Probatur, quia actus pro ratione obiecti sunt conformes, vel difformes rectæ rationi, vt amor Dei est bonus, odium malum, quia Deus ratione suæ bonitatis est secundum rectam rationem amandus: Velle dare eleemosynam, est bonum, quia subleuare miseriam pauperis, est bonum, occidere est malum, quia alteri vitam eripere est malum.

Nota primo hanc bonitatem & malitiam actuum, quę ab obiecto sumitur, esse primam & maxime intrinsecam actibus, atque adeo specificam, cum actus accipiat speciem ab obiecto, quæ vero à circumstantiis sumitur, est esse accidentaria illi, quæ ab obiecto desumitur.

Nota secundo, per obiectum hic, maxime in actibus voluntatis debere intelligi obiectum integrum, conflatum ex materiali & formali, siue ex re volita, & ratione volendi, nam si alterutrum istorum sit malum, vt si ieiunes ob vanam gloriam, vel fureris vt des eleemosynam, actus erit malus.

Dices primo, obiecta ipsa non habere bonitatem, vel malitiam moralem, vt vita vel res proximi non habet malitiam moralem, circa quæ versatur homicidium & furtum, ergo illam non possunt actibus dare.

Resp. interdum non habere illam formaliter, sed causaliter, & obiectiue, sicuti in rebus est veritas materialis, & obiectiua in intellectu formalis.

Dices secundo, externi actus accipiunt suam bonitatem, & malitiam ab internis, ergo non possunt illam dare internis, alias illa esset causa & effectus.

Respond. actus interiores accipere ab externis suam essentiam, & speciem, siue repugnantiam cum ratione vel conformitate, tanquam ab obiectis & terminis, ideo enim actus interni conformes sunt, vel difformes rationi, quia tendunt in externos, qui materialiter sunt conformes vel difformes actus, externi autem pendent ab internis, quoad existentiam, & vt habent libertatem, simulq; bonitatem ac malitiam formalem.

Petes primo, an obiectum det etiam bonitatem vel malitiam specificam, quando est generale, non specificum, vt in amore virtutis in genere odio peccati, &c. Videtur enim non posse dare obiectum rationem specificam, cũ illam non habeat.

Confirm. quia nullius videntur esse speciales virtutis, aut vitii isti actus.

Resp. etiam illos actus habere suam bonitatem, ac malitiam specificam, & illam accipere ab obiectis. Nam cum sint tendentiæ voluntatis indiuiduæ, & singulares, necessario habent suam speciem infimam. Neque vt aliquid ab obiecto accipiat speciem, necesse est obiectum esse speciem, alias intellectus, cuius obiectum est generalissimum, & intellectio entis boni vel substantiæ &c. non essent indeterminata aliqua specie Contra vero amor Dei, cognitio Dei, licet versentur circa obiectum indiuiduum, habent suam tamen rationem specificam, ex ordine ad hoc obiectum indiuiduum. Vnde cum dicitur actus specificari ab obiecto, non est ita intelligendum, quasi species, quæ est in obiecto, redundet in actum, aut quod eandem vnitatem tribuat

buat

buat obiectum actui, quem specificat, quam habet in se: Hoc enim est falsum, sed quod per ordinem ad illud obiectum constituatur specifica ratio actus, vel potentiæ. Ad confirmationem respondeo, esse alicuius speciei infimę, etiamsi illi non sit nomen impositum speciale, vel sane dici potest, esse actum prudentiæ, quatenus prudentia est in voluntate, licet enim prudentia sit in intellectu, tamen non sunt ipsius actus morales, neque habent rationem virtutis, nisi à voluntate imperentur. Vnde necesse est etiam in voluntate, esse virtutem quandam respondentem habitui prudentiæ, qua homo inclinetur ad prudenter agendum, & sequendum dictamen rectæ rationis.

Petes 2 an actus moralis accipiat speciem suam, siue bonitatem, & malitiam formalem ab obiecto, & circumstantiis, vt sunt à parte rei, an vero vt à ratione proponuntur.

Resp. non accipere ab illis, vt sunt à parte rei, sed vt proponuntur, ratione à voluntate, vt enim aliquid sit liberum, debet fieri cum aduertentia rationis, hinc fit, vt actus Physicæ sæpe sit alterius speciei, quam sit in genere moris, vt cum prudenter putas te occidere feram, vt re ipsa occidis hominem actus illę materialiter est occisio hominis, formaliter vero est occisio ferę. Ita si quis rem suam vsurparet, quam putaret esse alienam, materialiter quidem esset acceptio rei propriæ, formaliter vero & in genere moris acceptio rei alienæ.

Ex his sequitur, primo actum materialem & moralem posse differre in bonitate, & malitia: Materialis enim potest esse obiectiuæ malus, cum moralis est obiectiue & formaliter bonus, & contra. Secundo, sequitur actum vnum in genere naturæ posse esse modo bonum, modo malum in genere, vt si ignoret esse diem veneris, & deinde aduertens persequaris comedere carnes eo die. Tertio bonitatem & malitiam formalem esse in actu, quatenus à volunte procedit, cum rationis aduertẽtia, materialem vero vel obiectiuã esse in vtroq;, id est in actu, quatenus à voluntate proficiscitur, & vt perficitur à suã potentia in obiectũ

Petes tertio, Quid requiratur, vel sufficiat ad bonitatem, vel malitiam actus.

Resp requiritur ad bonitatem actus bonitas obiecti, & omnium circumstantiarum simul, ad malitiam vero sufficit malitia obiecti, vel alicuius circumstantiæ. Ratio est, quia bonum est ex integra causa, malum vero ex partialibus defectibus, & quidem deficiente vna circumstantia, iam actus non est conformis, sed deformis rationi.

DVBIVM III.

Quomodo bonitas vel malitia debeat esse volita, vt actus sumat bonitatem, vel malitiam ab obiecto.

Dico primo, vt actus sit malus, non requiritur vt malitia ipsius sit directe volita, & intenta, sed sufficit aduertere actum esse malum. Vnde etiamsi is, qui operatur, directe nolit malitiam, illique turpitudo displiceret, tamen hoc ipso, quod actum illum facit, cui aduertit malitiam esse coniunctam, peccat, quia licet illi malitia displiceat, tamen non displicet efficaciter, ac proinde ipsa malitia saltem concomitanter & interpretatiue est illi voluntaria.

Nota vero, directe malitiam ipsam etiam appeti posse, tanquam obiectum materiale, non tanquam rationem formalem volendi, & hoc peccatum longe est grauius, vt si quis peccatum velit, quia displicet Deo.

Dico secundo, ad formalem bonitatem actus non sufficit bonitas obiecti, & circumstantiæ, ac illius aduertentia, sed vlterius requiritur, vt ille in se directe intendatur. Vnde si quis faciat in se obiectiue bonum, & honestum, nulla habita ratione honestatis ipsius, siue illam non curando, (sicut communiter se habet is, qui peccat respectu malitiæ, cũ vel malitia displicet, vel vellet illam abesse, vel illam non curat,) is non facit actum formaliter bonũ, vt si quis reddat alteri, quod suum est, ex nudo metu, non curando, quod hoc sit cõforme rectæ rationi, & licet is iustum agere dici posset, non tamen iuste. Ita si quis actum facit talem, quia delectabilis est vel commodus naturæ, aut lucrum adfert, non spectando in eo conformitatem, cum recta ratione, non facit actum formaliter honestum.

Dico tertio. Vt bonitas seu honestas obiecti aut circumstantia det bonitatem actui, nõ requiritur, vt appetatur tanquam obiectum formale,

formale, vel ratio formalis appetendi, sed sufficit, vt appetatur tanquam obiectum materiale, vel vt expressa quædam conditio obiecti materialis, vel formalis, quæ conditio in eo est posita, quod homo ita versetur circa obiectum materiale, & formale, vt caret per rationem attendere, ac conciliare, an in ipsismet circumstantiis annexis nihil sit contra iudicium rectæ rationis, & homo sit ita comparatus, vt si quid auerteret, repugnans rectæ rationi, non ageret.

Probatur primo, ex parte actus, quia ita agit secundum rectam rationem, & conformiter eius dictamini, cum homo ita operans attendat, & caret sequi iudicium rationis, ergo qui ita agit, prudenter agit, & ex virtute, secundo probatur ex parte obiecti, quia obiecta materialia etiam propter naturalem & intrinsecam bonitatem, quam habet, vt rationem formalem volendi, secundum rectam rationem, appeti potest, & propter naturalem & intrinsecam malitiam, secundum rectam rationem respui possunt, vt bona delectabilia, & commoda naturæ, propter istam bonitatem prudenter appeti possunt; & incommoda naturæ prudenter respui, cum illa recta ratio appetibilia iudicet, hæc fugienda, ergo honestas non est necessario formalis ratio appetendi, in actu honesto: Sic desideramus & amamus sanitatem, scientiam, commodum, victum, timemus honeste mala, & inimica nobis, vt morbos, mortem, pœnas inferni: tristamur de illis, vt de bonorum iactura, morte parentum, &c. Idque ob illam malitiam, & incommoditatem, quam in se habet.

Confirmatur primo, quia amamus Deum, vt principium & finem naturæ, similiter etiam parentes, vt naturæ nostræ principia, sed hi actus, vt sint honesti, non requiruntur, vt fiant formaliter propter obiecti sui honestatem, cũ nullam habeant. ergo.

Confirmatur secundo, quia iudicium prudentiæ, quod versatur circa obiecta delectabilia, vel commoda naturæ, non est, vt versemur circa illa spectando pro fine, & ratione volendi honestatem, sed vt intendentes illam delectabilitatem, vel commoditatem, quam habet, seruemus modum & mensuram, non excedendo vel deficiendo, vt v. g. comestionis finis est conseruatio vitæ, vt temperanter comedamus; Sufficit sequi iudicium prudentiæ, quæ dictat mensuram seruandam in comestione, quæ fit ad conseruationem vitæ. Ita recreationes honestas, lusos honestos, &c. Vocamus, in quibus eiusmodi mensura à ratione præscripta seruatur, & ob hanc mensuram, seruatam honesta nominantur.

Confirmatur tertio, Quia alias vbi est tantum vna ratio formalis volendi, non posset esse nisi vna bonitas, & sic obiectum materiale, & circumstantiæ nunquam adderent vnam nouam speciei bonitatem, actu, quod tamen est falsum, v. grat. si quis desideret caste viuere, vt placeat Deo, habet actus ille duplicem honestatem, ex ratione formali volendi, est actus amoris Dei, ex obiecto materiali, est actus castitatis, quam honestatem ex obiecto materiali non haberet, si sola ratio formalis volendi daret honestatem. Si velis dare eleemosynam vt satisfacias pro peccatis, est actus misericordiæ, ex obiecto materiali & pœnitentiæ, ex obiecto formali. Et quamuis hoc aliqui negent de actu interiori, nemo tamen negare potest, cum amo Deum, vt fiam castus, ibi esse duplicem bonitatem, amoris, & castitatis.

Dices I Arist. 2. *Eth. c. 4.* vt sit opus virtutis, dicit debere fieri propter bonũ ipsius virtutis.

Resp. primo, Arist. hoc ibi nusquam dicere, & si bene Aristoteles legatur, inuenietur alia esse ipsius mens: dicit enim in actionibus virtutum, (materialiter scilicet consideratis) non sufficere, si quouis modo fiant, vt honeste fieri censeantur, ad hoc autem tria requirit, primo, vt sciens quis operetur, vnde qui insciens reddit rem alienam domino, licet iustum faciat, non tamen iuste. Secundo vt deliberate & consultatione præmissa operetur, idque ait consilio, propterea ipsa capto, quibus verbis indicat finem consultationis, aut iudicii prudentiæ esse ipsam honestatem actus: ideo enim adhibetur ratio in consilium, ne voluntas in operando erret, non autem honestatem esse rationem formalem, ob quam voluntas velit. Vnde si quis non deliberate operetur, vel non curet, vel non attendat, ne in operando erret, non facit actionem honestam; tertio requirit vt ex habitu virtutis acquisito operetur: hæc autem omnia etiam nos requirimus.

Respon.

Respond. sufficienter fieri propter bonum virtutis, quando bonitas ipsius vere intenditur, & vt illa bonitas sit in actu, ratio attendit, & curat, idque eo modo, vt si videret deesse, voluntas actum nollet, alias quia ad illam honestatem nullo modo attendit, vel nō curat, non facit opus virtutis, & licet iustum faciat, non tamen iuste.

Dices secundo, bonitas est obiectum formale volitionis, in genere, ergo bonitas honesta est obiectum formale volitionis honestæ.

Resp. nego consequentiam, & ratio disparitatis est, quia vt aliquid appetatur in genere debet habere aliquam rationem, cur appetatur, quæ est bonitas aliqua, vt autem honeste aliquid appetatur, sufficit vt appetatur propter bonum aliquod, cum iudicio rationis, & mensura ab eo præscripta.

DVBIVM IV.

An detur aliquis actus indifferens, secundum suam speciem, vel individuum?

NOta hic agi de actionibus humanis, seu deliberatis: nam de indeliberatis dubiū non est, quin omnes sint indifferentes, si de bonitate & malitia formali sit sermo, ob defectum libertatis, & aduertentiam rationis. Sin de bonitate & malitia materiali agatur, pari modo de indeliberatis vt de actibus deliberatis controuersia esse potest.

Dico primo, Dantur actus humani secundum speciem suam indifferentes. Probatur, actus sumunt bonitatem ac malitiam specificam ex obiecto, sed quædam obiecta sunt ad bonum & malum indifferentia, ergo actus nullam accipiunt bonitatem, vel malitiam ab illis, ergo manent indifferentes.

Dices primo inter contradictoria non datur medium, sed bonum est ens, malum non est ens, ergo inter illa non datur medium.

Resp. totum esse verum de bono, & malo absoluto, non respectiuo, bonum autem & malum morale opponuntur contrarie.

Dices secundo, vel obiectum est conforme rationi vel non est conforme, si primum, erit actus bonus, si secundum, erit malus, ergo nullus actus differt.

Resp. obiectum actus indifferentis secundum speciem non esse conforme, non positiue, sed negatiue: non enim habet positiuam deformitatem, sed tantum non conformitatem, sicuti animal non est formale, aut homo ex essentia sua non est albus.

Dices tertio, ꝙ alicui per se cōuenit, semper & vbique conuenit, ergo si datur actio secundum suam speciem, & per se indifferens, semper manebit talis, etiam in indiuiduo neque vnquam poterit fieri bona aut mala.

Resp. Quod alicui per se conuenit, positiue semper & vbique conuenit, non autem quod tantum conuenit negatiue, sicuti licet homo per se non sit albus, non tamen semper & vbique homo non est albus, bonitas autem illa & malitia, quæ à circumstantiis actui indiuiduo aduenit, est accidentaria illi, vt habenti primariam suam speciem ab obiecto, sicuti albedo, respectu hominis. Vnde nota actum illum de se etiam manere indifferentem in indiuiduo, prout fertur in obiectum, de se indifferens, sicut, quia homo de se non est albus, & tantum per accidens albus, etiam Petrus est per se non albus, & tantum per accidens albus: Vnde cum actus in indiuiduo sit bonus, vel malus, non sit indiuiduū illius actus indifferentis, secundum speciem per bonitatem, vel malitiam, quasi contrahentem ad rationem indiuidui, sed per bonitatem vel malitiam accidentarie annexam, ratione cuius actus ille integre sumptus, in indiuiduo est sub specie actus boni, vel mali, accidentaria bonitate vel malitia, vt v. gr. hæc in indiuiduo temperata comestio est sub specie temperatæ comestionis, siue hæc comestio, quæ hic & nunc cum debitis circumstantiis partialibus est, sub specie comestionis, quæ fit cum debitis circumstantiis.

Dico secundo, Nullus datur actus humanus indifferens in indiuiduo, quæ conclusio, vt melius intelligatur: Nota, tantum posse esse controuersiam de actionibus, quæ in specie, & ex obiecto sunt indifferentes, quæ duplicis sunt generis, aliquæ quæ in se nullam habent bonitatem, ne quidem naturalem, ratione cuius appeti propter se possunt, sed

 sed

sed tantum possunt esse vitalia, ad alium finem, vt ambulare, loqui, &c. aliæ quę habent bonitatem aliquam in se naturalem, etiam pręcisę sumptę, ratione cuius appeti possunt, non tamen honestatem habent, pro sua ratione formali, vt comestio, recreatio, &c. quæ appeti potest, quia commoda naturæ & delectabilis, & de vtroque genere actionum indifferentium controuersia esse potest, an possit esse aliqua in indiuiduo indifferens. Scotus, Gabriel D. Bonauentura censent, posse dari. Diuus Thom. cum suis, Richardus, Durandus, & alii negant, cum quibus sentimus. Ratio vero, qua nonnulli hanc conclusionem probant, nempe quia vel actio actu refertur in Deum, & sic est bona, vel non refertur, & sic est mala, ac proinde nulla datur indifferens; non placet, falsa enim suppositione nititur, omnem actum scilicet ratione operantis debere referri in Deum, idque ex obligatione naturæ. Probatur autem nostra conclusio; quia actus omnis, vt fit in indiuiduo, vel habet finem debitum, debitasque circumstantias, easque vt habeat ratio attendit, & curat, & sic est bonus, vel fine debito, vel rationabili, aut aliqua circumstantia caret, & sic est malus. Confirm. primo, quia actus conformis dictamini rectæ rationis, est honestus, & voluntas illi dictamini se conformans, recte operatur; Contra vero actus illi dictamini repugnans, est inhonestus, & voluntas quæ se illi non conformat, aut illud dictamen negligit, vel non curat, turpiter operatur, hæc enim voluntas est inordinata, & imprudens, cum non curet ac negligat regulam suam, aut contra illam faciat, licet à parte rei actus materialis haberet circumstantias omnes debitas, quia homo tenetur ex ratione operari, & illius dictamen attendere, quod si non faciat, aut negligat, hoc ipso male agit, quia exponit se voluntarie periculo peccandi, atqui voluntas in omni actu deliberato vel attendit, quid ratio dictet, illudque sequitur, & sic bene agit, vel non sequitur, aut negligit attendere illud dictamen, & sic male agit, ergo nunquam operatur actum indifferentem. Confirm. secundo. Quia omnis actus, cui ratio dictat nihil deesse, esseque licitum, est liberum, adeoque honestum, cui dictat aliquid deesse, est imprudens & inhonestum. Confirm. tertio: Quia licet aliqui actus ex obiecto suo præcise spectato, sint materialiter boni, & rationi conformes, vt amare Deum, honorare parentes, &c. & alii nude spectati ex obiecto, sine aliis, circumstantiis, sint conformes rationi, tamen alii versantur circa obiecta, in quibus peccari potest, per excessum, & defectum, qui si accipiantur secundum mensuram, quam eis ratio præscribit, vt fit in temperata comestione, iam sunt boni, si recedatur ad aliquod extremum, per excessum vel defectum, iam sunt mali, & vitiosi. Confirm quarto, quia nullus est actus tam indifferens, cui ratio non præscribat mensuram, regulam, modum, cui si voluntas conformetur, actus necessario est bonus.

Dices primo, datur aliquis actus secundum speciem indifferens. Probatur consequentia, quia omnis species debet habere indiuiduum, in quo ratio illa specifica insit, neque habeat quicquam, quod positiue illi repugnet. Bonitas autem illa, aut malitia, quæ esset in indiuiduo, repugnat indifferentiæ, quæ est in actu secundum speciem suam. Respondebitur fortasse non esse positiue indifferentem, sed negatiue tantum. Sed contra id, quod conuenit vni speciei, tanquam differentiæ, per quam ab aliis speciebus eiusdem generis distinguatur, debet, illi conuenire positiue, vt rationale homini, & irrationale bruto, sed per indifferentiam distinguitur actus indifferens secundum speciem, ab actu bono & malo, secundum speciem sub ratione generica actus moralis, ergo positiue est indifferens, non negatiue, & positiue excludit bonitatem & malitiam moralem, quæ sunt differentię oppositarum specierum sub eodem genere.

Respond. valere responsionem datam, ad id, quod contra obiicitur. Respond conuenire illi positiue indifferentiam, ex obiecto illam retinere, in suis indiuiduis, & per eam distingui positiue ab aliis speciebus actus moralis, atque adeo repugnare actu indifferenti, ex obiecto participare differentias specierum condistinctarum, id est, bonitatem vel malitiam, ex obiecto, indifferentiam autem ad bonitatem vel malitiam accidentariam,

tariam, ex substantiis conuenire illi tantum negatiue, sicut etiam actus bonus ex obiecto est indifferens, negatiue ad bonitatem, vel malitiam accidentariam, quam habere potest ex circumstantiis, neque talis bonitas vel malitia accidentaria repugnat indifferentiæ, ex obiecto, sed bonitas vel malitia ex obiecto repugnat indifferentiæ, ex obiecto, & bonitas vel malitia ex circumstantiis repugnat indifferentiæ ex circumstantiis. Vide obiectionem tertiam conclusionis præcedentis. *Cum Not. seq.*

Dicas secundo, recta ratio dictat aliquos actus esse indifferentes, ergo si fiant, vt recta ratio dictat, erunt indifferentes. Confirm. quia obiectum actus indiuidui sæpe est indifferens, vt patet in obiecto delectabili, vel commodo naturæ.

Respond. rectam rationem non dictare aliquos actus in indiuiduo, siue vt vestitos omnibus suis particularibus circumstantiis, esse indifferentes, sed aliquos tantum esse indifferentes, ex obiecto; præcisis circumstantiis, quia ex se sunt tales, vt possint bonas vel malas habere circumstantias, ad Confirmationem respondeo, obiectum esse præcise indifferens, non tamen obiectum circumstantiis suis vestitum, siue totum illud aggregatum ex obiecto & circumstantiis.

Dices tertio, ad honestatem actus requiritur, vt fiat propter honestatem suam, aut obiecti formalis, debet enim fieri propter finem honestum: ad malitiam vero requiritur obiectum, vel circumstantia mala, sed dantur actus deliberati, in quibus nihil istorum reperitur, ergo non datur actus indifferens. Maior supponitur vera, Ex Aristot. *secundo E hic. cap.* 4. Minor probatur, quia multi sunt actus, qui habent obiectum indifferens: nullam vero circumstantiam malam, neque tamen fiunt propter honestatem ipsius, vt patet in comestione, propter bonum naturæ, in desiderio sanitatis, vel scientiæ propter se. Confirm. quia Aristot. 2. *Ethic. cap.* 4 dicit, interdum contingere, vt homo iustum agat, non tamen iuste, id est, faciat actum virtutis materialiter, non autem formaliter, quia scil. non operatur ex amore ipsius honestatis.

Respond. ad honestatem actus requiri, vt fiat propter finem honestum, vel rationem agendi honestam, ver. gr. recreationem honestam, lucrum honestum, non autem propter honestatem, ita vt ratio agendi sit honesta, non honestas, vt diximus *præcedente dubio*, consideramus enim, vt honeste agamus, an actus & ratio agendi ac totum obiectum sint honesta, & rationi conformia: & quærimus in actu & obiecto honestatem, non tamen agimus propter illam, vt sic, sed propter rationem formalem naturæ obiecti proportionatam vero, ergo ob intrinsecam bonitatem, commoditatem, vel delectabilitatem, quam habet, si sit obiectum per se amabile, vt cum sanitatem, scientiam, cibum appetimus, vel si non habeat intrinsecam eiusmodi bonitatem, propter extrinsecam bonitatem, finis vt fit in ambulatione, propter sanitatem: Vnde in actu honesto ferimur in finem honestum, vt honestum, in concreto tantum & specificatione, non autem in abstracto, & reduplicatiue, id est, ferimur in finem, qui habeat honestatem, ita vt illa honestas adsit, tanquam conditio requisita, quæ si abesset, non ageremus, vt fit in recreatione honesta, non autem vt honestas sit ratio formalis agendi: sed experimur vix vnquam expresse, ac formaliter, ac in actu signato, nos illam honestam intendere: quod si specialiter feratur actus in illam honestatem, tanquam rationem formalem agendi, habebit actus nouam honestatem, neque mirum videri debet, quia honestas non est species quædam honestatis, alias excludens, sed alias secum admittens: eo enim ipso, quo bona alia appetuntur, cum mensura rectæ rationis, honeste appetuntur, etiamsi appetantur propter bonitatem extrinsecam, & connaturalem, quam habent: neque virtus in illis mutat rationem formalem, quam ex se habet, vt temperantia relinquit comestioni refectionem, pro suo obiecto formali. Ad confirmationem respondeo, Aristotelem *ibidem* explicare, quando homo agat iustum, non iuste; nimirum si vel sine cognitione agat, vel sine deliberatione, & tali aduertentia, vt non attendat ad ipsam honestatem, siue vt totus actus sit commensuratus rationi, vel denique si non fiat ex habitu, licet postremum hoc non sit ita necessarium, vt homo censeatur honeste agere, non autem

vult Aristoteles, tunc tantum honeste agi, quando agitur propter ipsam honestatem formaliter.

Dices quarto, non omnis actus, qui non est vitiosus, & laudabilis virtutis, vt ambulare, leuare paleam, &c.

Resp. laudabile fere sequi actus arduos, & nomen virtutis tribui illis actibus, qui circa ardua versantur, adeo vt amor sui naturalis, licet maxime ordinatus, vix obtineat nomen virtutis, si tamen nomen virtutis latius sumatur, pro omnia actu honesto, facto ex dictamine rationis, & laudabile capiatur, tanquã proprietas sequens omnem actum honestum sic illi actus ex debito fine facti erunt virtutis & laudabiles.

Dices quinto, si quis existimet opinionem Diui Bonauenturæ & Scoti esse probabilem, poterit ex illa operari, & tamen ille non faciet actum bonum, ergo illi actus facti ex sententia illa probabili erunt indifferentes.

Resp. primo, si quid concludat, hoc argumentum tantum concludere fore indifferentes, ex bona fide, & ratione operationis probabilis, non autem ex natura rei.

Respond. talem operaturum prudenter & honeste, quia operatur conformiter dictamini rationis, quæ iudicat illud posse fieri, & esse licitum, propter authoritatem tantorum virorum, eorumque rationes, & hanc conformitatem curat, alioqui si non curat, male operaturum, neque vt honeste operemur, necesse est speculatiue habere iudicium, quod actus sit honestus, si modo practice bene iudicemus, & ex illo iudicio operemur. Quare omnis actus huiusmodi etiamsi ad specialem virtutem referri non possit, saltem erit actus prudentiæ.

Petes, an vt actio sit honesta, debeat necessario referri in finem honestum.

Resp. si ipsa actio, seu obiectum ipsius habeat sufficientem bonitatem, etiam naturalem, ratione cuius prudenter possit appeti, non debere necessario referri ad aliquem extrinsecum finem honestum, vt sit honesta, si non habeat talem bonitatem, vt fit in iis, quæ tantum possunt conuenientia media ad aliquem finem necessario debere referri, alias operaturum imprudenter, & actionem fore otiosam. Finis autem ille debet esse rationalis aliqua causa, & ratio aliqua moueat illam ad agendum, vt ad recreationem ambulare, ad sanitatem, &c. loqui vt ab altero aliquid necessarium petas, puta calamum, atramentum, &c. loqui vero, quia placet nullo alio fine proposito, est agere imprudenter & inordinate.

DISPVTATIO QVARTA.

De Passionibus appetitus sensitiui.

Licet appetitus sensentiui nobis cum bestiis sint communes, & naturaliter in nobis oriantur, proposito obiecto sensibili, quia tamen ratione regi possunt, quo fit, vt multæ virtutes circa eas versentur, ob idque multum ad non moralem faciant, etiam de illis hoc loco dicendum.

DVBIVM

DVBIVM I.

Quid sit passio?

Dico passio, (quæ & animi motus, & animi perturbatio, & animi affectio, affectusque à Latinis nominatur, à Græcis πάθος) est motus appetitus sensitiui, ex apprehensione boni & mali natus, cum aliqua corporis immutatione. Dixi esse motus appetitus sensitiui: ex quo sequitur, male eos censere, qui passiones partim cognoscitiuas, actus operationesque esse dicunt. Male proinde Grysippus, qui teste Cicerone *l. 1. Tuscul. q.* definiebat, ægritudinem esse opinionem præsentis mali, in quo demitti contrahique te ctum esse videatur, metum opinionem impendentis mali, &c. nisi definitiones suas intellexerit, non in sensu formali, sed in sensu causali. Dixi esse appetitus sensitiui motum; licet enim appetitus rationalis circa obiecta propria suos etiam habeat motus, qui proinde vt motus appetitus sensitiui ad rationem perueniat, corpusque commutent interdum eisque perinde passionis nomen accommodari posse videatur, tamen vsus fere habet, vt passionis nomen tantum iis animi motibus appetere possint, qui circa obiecta sensibilia versantur. Dixi ex apprehensione boni, vel mali scil. per sensum, & maxime internum. Dixi, cum aliqua corporis immutatione, hoc enim immediate conuenit motibus appetitus, vt corpus immutet, & à statu naturali deiiciat, ob idq; passiones hi motus dicti: licet n. imaginatio et corpus immutare cēseatur, nō tamē immediate, sed mediate, appetitu quem causat. Ita nimirum experimur manifeste corpus immutari tristitia, & inuidentia, quæ species est tristitiæ, per quam cor contrahitur, ob horrorem præsentis mali, & sæpe si si vehementior sit, morbum, & tabem adfert; in metu homo frigescit, & pallet, sanguine vna cum spiritibus vitalibus sese ad interiora recipiente, in amore, delectatione ac gaudio cor hominis dilatatur, in ira feruet, & ebullit sanguis circa cor, cuius rei iudicio etiam extimæ partes incalescunt, variæque in vultu oriuntur mutationes, micant oculi, inscinditur respiratio, &c.

DVBIVM II.

Quomodo diuidatur passio?

Resp. in genere diuidi passionem in motus persecutionis, & motus fugæ, id est, in eas, quæ tendunt in bonum, illud persequendo, & eas quæ feruntur in malum, auersando. secundo passionum aliæ feruntur in bonum, vel malum absolute, vt amor & odium; aliæ in bonum vel malum absens, seu futurum, vt desiderium, fuga, metus, &c. tertio passiones aliæ sunt in appetitu concupiscibili, aliæ in appetitu irascibili, quæ diuisio inde sumpta est, quod appetitus per quosdam motus feratur in bonum, vel malum simpliciter, & absolute consideratum, & hic appetitus concupiscibilis nominatur, per quosdam vero in bonum, vel malum, arduum seu difficile, ad obtinendum, vel remouendum, & hic appetitus irascibilis dicitur. Passiones appetitus concupiscibilis sunt sex, tres in bonum tendunt, prima passio est amor, qui in bonum tendit, absolute abstrahendo ab eo, quod sit absens, secunda est desiderium, qui est motus in rem futuram & absentem, tertia delectatio, seu gaudium, quod est rei præsentis & adeptæ. Tres similiter circa malum obiectiuæ tribus prioribus. Prima est odium, amorique opponitur, & versatur circa malum absolute, tam absens, quam præsens. Secunda obiectiua desiderio dicitur fuga, vel abominatio, qua auersamur malum absens, ac futurum; tertia delectatio in obiectiua, est tristitia seu dolor, qua malum præsens refugimus. Passiones appetitus irascibilis sunt quinque, duæ tendunt in bonum arduum, idque absens sc. spes & desperatio, spes est, quæ oritur ex eo, quod quis iudicet se bonum arduum posse obtinere: si contra existimet se illud non posse consequi, oritur desperatio. Circa malum arduum versantur tres, timor, audacia, ira: duæ priores versantur circa malum arduum absens, quod timor refugit, propter difficultatem: audacia contra fertur ad malum arduum præsens, per quam homo fertur, vt vindictam sumat, & malum præsens depellat. Porro in appetitu irascibili nullus est motus, qui feratur circa bonum præsens: bonum enim adeptum non est arduum.

Petes primo, an hæ omnes passiones specie distinguantur.

Resp. primo, videri plane distingui posse, eas, quæ sunt in appetitu concupiscibili, & quæ in appetitu irascibili (excipio tamen desiderium & spem, itemque fugam, & metum, quæ non videatur inter se specie distingui, (de quo *infra*) ob diuersum modum tenendi in obiectum, secundo etiam specie distinguũtur eæ, quæ per modum persecutionis feruntur ab iis, quæ tendunt, per modum fugæ, vt amor ab odio, tertio etiam specie distinguũtur, inter se, quę per modum fugæ, vt odium, abominatio, tristitia, eo, quod ex diuersa eiusdem obiecti propositione videatur diuersus etiam nasci modus tendendi in obiectũ.

Petes secundo, An in hisce motibus reperiatur contrarietas.

Respondeo duobus modis posse motus sibi esse contrarios, primo, quia ad terminos contrarios tendunt, & hoc modo opponuntur motus appetitus concupiscibilis inter se, vt amor & odium, quorũ prior in bonum, alter in malum tendit, secundo, quia per vnũ motum recedimus à termino, per alium accedimus ad eundem terminum, sic opponuntur motus appetitus irascibilis. Spes enim est accessus, & inclinatio in bonum arduum; desperatio recessus & fuga à bono arduo, sic & timor malum arduum fugit, audacia inuadit ira neutro modo habet contrarium, nõ priore, quia nullus est motus, qui feratur in bonum arduum præsens, non secundum, quia cum ira oriatur ex malo præsente, & adiacente, quod quantum in se est, conatur depellere, non habet motum contrarium, quod ipsum malum acceptet. Ratio horum est & inprimis, quod motus appetitus concupiscibilis non habeant cõtrarietatem posteriorem, quia non feruntur in bonum vel malum absolute, in bonum autem absolute consideratum tantum tendi potest, per accessum, ad ipsum, & persecutionem, non autem per recessum in malum, absolute spectatum, tantũ tendi potest recessum & fugam. At quia in bono arduo duo sunt, scilicet bonum ipsum, quod potest esse ratio appetendi, & difficultas, quæ quandam mali rationem habet, ideo fit, vt per accessum & recessum, siue per persecutionem & fugam, possit in illud appetitus ferri, eadem est ratio in malo arduo, quatenus à bono consequendo impedit, quod ratione suæ malitiæ, & difficultatis, quam habet, vt superetur, auertere potest appetitum per metum, quia tamen ad aliquod excellens bonum ducit, si superetur, prouocat appetitum, & audaciam infert.

Nota omnia, quæ dicta sunt, de motibus appetitus sensitiui eadem proportione quadam de motibus appetitus rationalis dici posse, omnes enim illi motus, qui in illo sunt, etiam in rationali appetitu circa propria obiecta cernuntur.

DVBIVM III

Quomodo distinguatur, appetitus concupiscibilis ab irascibili?

Resp. & dico, non esse potentias realiter distinctas, sed tantum ratione per ordinem, ad diuersos actus & obiecta, est Gabrielis & omnium eorum, qui potentias ab anima & inter se ratione distinguunt, & præterea nonnullorum aliorum, qui realiter potẽtias distinguunt, licet enim potentiæ realiter inter se differrent, tamen ad huc nulla esset necessitas constituendi hos appetitus, re distinctos, sicuti non statuuntur diuersi intellectus, qui res spirituales & corporeas cognoscunt, aut diuersæ voluntates, quæ in res sensibiles & immateriales inclinentur Probatur primo, quia vnus & idem appetitus potest omnes illos actus præstare, per diuersos modos tẽdendi in suum obiectum, ergo frustra aliud requiritur. Probatur Antecedens, voluntas id potest circa omnem rationem boni & mali, in genere, neque vllus est qui diuidat appetitum rationalem, circa bonum in genere, licet diuerso modo tendat in suum obiectum, quod idem poterit præstare appetitus sensitiuus, circa bonum & malum sensibile. Neque satisfacit aliorum responsio, qui dicunt ea, quæ in superioribus collecta reperiuntur, in inferioribus esse dispersa, quid enim vetat, sicut ad totam boni latitudinem vna voluntas se extendit, etiam vnam inferiorem potentiam esse, quæ feratur in omne bonum

bonum sensibile. Probatur secundo, vnum est obiectum formale adæquatum appetitus sensitiui, ergo vnica tantum est potentia Antecedens probatur, nam ipsius obiectum est res quæuis, naturæ sensitiuæ conueniens vt sic Confirm. primo, qui licet appetitus irascibilis feratur in bonum arduum, tamen illud bonum, qua arduum, non est illi ratio appetendi, cum potius difficultas appetitum arceat, quod tamen dicendum esset, si bonum arduum diuersam potentiam constitueret. Confirmatur secundo, quia ne quidem actus spei videtur differre ab actu desiderii, isto cõnotato, quod sit rei difficilis, nam spes nihil aliud est, quam desiderium rei obtinendæ, quæ difficulter haberi potest, ergo multo minus appetitus inter se different, tertio eiusdem potentiæ videtur esse bonum persequi, & impedimenta illius consecutione remouere, sicuti enim res naturalis per eandem naturam & formam inclinatur in omne bonum, sibi conueniens, & impulsionem omnium eorum, quæ bonum illud impedire possunt, vt lapis grauitate fertur in locum naturalem, & per eandem remouet impedimenta, ergo item eiusdem est potentiæ versari circa finem, & media, ad consecutionem finis, sed vulgo dici solet, passiones concupiscibilis versari circa finem, irascibiles vero circa media, ergo. quarto vnicus est sensus internus, qui extendit se ad cognoscendum omne sensibile, ergo & vnus appetitus ad appetendum omne bonum, sensibile. Probatur consequentia, quia appetitus sequitur potentiam cognoscendi, & illi conformatur.

Dices primo, ex diuersitate actuum & obiectorum colligitur diuersitas potentiarum, sed hic sunt diuersi actus & obiecta, ergo diuersæ potentiæ.

Resp. si agatur de distinctione numerica, falsum est antecedens, alioqui quoties diuersus est numero actus, vel obiectis, deessent diuersæ numero potentiæ, quod est falsissimum, si agatur de distinctione essentiali, & specifica, etiam falsum est, ex distinctione actuum secundum speciem distingui potentias, cum planum sit, multas potentias, imo contrarios, vt intellectus & voluntas, imo ipse appetitus concupiscibilis, qui tamen non diuiditur in plures potentias, simpliciter & diuersis obiectis materialibus non bene colligitur diuersitas potentiarum, sed duntaxat ex diuersis obiectis formalibus, hic autem est vnum obiectum formale, scil. res conueniens naturæ sensitiuæ.

Dices secundo: Ex diuersitate organorum inferimus diuersitatem potentiarum, in potentiis organicis, atqui appetitus concupiscibilis & irascibilis habent distincta organa, ergo, sunt distinctæ potentiæ. Minor, probatur ex Galeno *l. de locis affectis*, qui appetitus concupiscibilis sedem constituit in hepate, quod concupiscentia maxime excitetur copia sanguinis, qui in hepate conficitur, appetitum vero irascibilem in corde collocat. Alii iram in felle collocant, quod in illud fere flaua bilis retrudatur, quæ ad iracundiam promouet; alii lætitiam in splene collocant, eo quod qui splenem male affectum habent, difficulter ad risum incitati possint, qui hilaritatem solet comitari.

Respond. nego minorem, vterque enim appetitus residet in corde. Ad probationem dico, copiam quidem sanguinis ratione temperamenti calidi & humidi excitare concupiscentiam, & illius esse causam, non tamen ibi residere, vbi primarium sanguis habet domicilium.

Addo purissimum ad cor sanguinem coire, vnde qui plus habet sanguinis in hepate, plus etiam ad cor transit, tunc similiter dicendum, iram non residere in felle, licet flaua bilis ibi collecta, ratione temperamenti calidi & sicci, iram in corde accendat, pari modo nec in splene lætitiæ statuendum est domicilium, quia qui splene laborant, sunt tristiores, id enim eo contingit, quia atra bilis ibi collecta tristitiæ est causa, quæ in corde exercetur.

DVBIVM IV.

Qualis ordo seruetur in passionibus appetitus concupiscibilis?

DIco I. passiones appetit⁹ concupiscibilis saltẽ naturaliter priores esse passionibus naturæ

naturæ irascibilis. Dixi naturaliter priores esse, quia nimirum natura obiectorum & appetitus talem ordinem fere postulat, licet nõ semper ac necessario, quia potest interdum ordo mutari. Dixi saltem aliquæ quia delectatio & tristitia, licet sint in appetitu concupiscibili, sunt tamen omnium postremæ.

Probatur autem conclusio, tum quia passiones concupiscibiles versantur circa obiectum, sub generali ratione. Passiones vero irascibiles sub ratione aliqua contractiore, tum quia naturaliter ex amore & desiderio oriuntur cæteræ, quæ in irascibili sunt, tum quia illæ versantur circa finem, hæ vero circa media.

Dico secundo. Inter passiones concupiscibiles prima est amor, & in genere passio, quæ in persecutione consistit, quæ circa bonum versatur, prior est passione opposita, quæ in fuga, aut circa malum versatur.

Probatur, quia naturaliter prius est bonũ persequi, quam malum fugere, cum etiam hoc ex illo oriatur, ideo enim malum fugimus, quia bonum amamus. Quod autem amor sit primus motus, probatur, quia fertur in bonum absolute, simpliciter vniendo se affectiue bono. Dixi autem in conclusione (passione opposita) non enim quæuis passio, quæ versatur circa bonum, est naturaliter prior, via generationis omni passione, quæ in fuga mali est posita, sed tantum opposita sibi passione, si amor est prior odio, desiderium abominatione, &c.

Ex dictis facile est colligere in vniuersum, qui sit inter passiones ordo naturalis, primo loco sunt amor & odium, secundo desideriũ & fuga, tertio spes & desperatio, quarto timor & audacia, quinto ira, sexto gaudium & tristitia.

Dico tertio, dignitate priores etiam sunt passiones concupiscibilis, item eæ, quæ in prosecutione boni consistunt, iis quę in mali fuga positæ sunt: patet iisdem rationibus.

DVBIVM V.

De amore, quid sit, quæ illius causæ, quæ amoris inordinati remedia, qui amoris effectus?

Dico primo, Amor sensitiuus, seu animalis est passio appetitus sensitiui, per quã appetitus expressiua apprehensione boni in illud fertur, & illi per effectum sese cooptat. Hinc amor per quandam analogiam dicitur, se habere instar ponderis, quod amantem inflectat, & trahat in rem amatam scil. sicuti grauitas lapidem in centrum trahit, hinc & illud Augustini, amor meus pondus meum. Habet autem amor sedem in corde, ob id, quos amamus, cor aut corculum nostrum amamus, dicimus illos habitare in corde nostro; dixi expressiua apprehensione boni, quia amor abstrahit à bono absente, vel præsente, in aliis vero motibus appetitus requiritur alia obiectio, appetitio & apprehensio, vt in desiderio, quod bonum sit absens, & possibile, in delectatione, quod bonum sit præsens, & adeptum.

Nota amorem diuidi solere in amorem amicitiæ, qui est affectus in personam, cui bonum desideramus & amorem concupiscentiæ, qui fertur in rem, quam alteri personę, vel nobis desideramus: sed hi duo amores vnum perfectum integrant amorem.

Dico secundo, causæ amoris plures sunt, prima est bonitas obiecti, per sensum cognita: illa enim est quæ allicit appetitum.

Petes primo, an præsente obiecto cesset amoris impetus.

Resp. cessare desiderium, non amorem, experimur enim nos etiam ardentissime amare res præsentes.

Petes secundo, an amor commensuretur cognitioni, id est, vt tam perfectus sit amor, quam cognitio.

Resp. amorem sensitiuum commensurari, quia cognitio illa est ipsius natura, mensura & bonum sic cognitum naturaliter allicit appetitum. Amorem vero realem liberum non semper commensurari, ob eam causam, quia liber est, quæ libertas non tam se extendit ad

dit ad exercitium, & spem actus, sed etiam ad modum ipsius actus, vt mag s vel minus intensæ sint, diutius vel minus diu continuetur, &c. Amor vero rationalis, si non sit liber, suæ etiam cognitioni commensuratur, vt patet in amore beatifico.

Peres tertio, quomodo ad omnem amorem prærequiratur cognitio, cum amor interdum dicatur cæcus.

Resp. amorem non dici cæcum, quasi non alliciatur sine cognitione, sed quia perturbat iudicium, efficitque, vt res pulchior appareat, ratione affectus, quàm sit reipsa, vnde & rationem impedit, quo minus sincerum de re ferat iudicium.

Secunda amoris causa est similitudo amātis, cum re amata ratione enim similitudinis fit, vt in altero seipsum quodammodo amet, cum autem naturaliter se quisque maxime diligat, fit, vt id quod aliquo modo idem secum ipse iudicat, pari, ratione amet. Hinc Amicus alter ego. Et quidem similitudo corporis aliquid facit, sed maxime similitudo animi & morum.

Nota tamen, similitudinem, licet formaliter & ex se amorem pariat, interdum tamen non amorem, sed inuidiam, ac odium per accidens creare, quatenus scilicet similitudo illa alterum impedit, à consecutione boni sperati, cum enim amans seipsum maxime amat, eo quod sibi vnus sit, & idem in substantia, aliùm vero ratione cuiusdam assimilationis in aliqua forma, fit vt si illa similitudo eum à bono sperato impediat, fiat illi potius occasio odii, vel inuidiæ, quam amoris, iuxta illud: Figulus odit figulum.

Tertia amoris causa est amor alterius, quo ipse nos amat: Vix enim fieri potest, vt qui multis ab aliis beneficiis fuerit affectus, nouerirque se ab eo amari, non excitetur ad eum viciſſim redamandum, hinc amor amoris magnes nominatur: quod alterius secum amorem trahat, ob id præclare Seneca *epist. 9.* Monstrabo tibi amatorium sine medicamento, sine vllius veneficæ carmine: Si vis amari, ama.

Dico tertio, Amoris inordinati remedia sunt primo cogitationes, sensusque alio conuertere, & à re peruersa amata auertere, cum enim ex apprehensione boni amor nascatur, & sine illa apprehensione perseuerare nequeat, maxime sopitur dirigendo alio cogitationes, secundo inquirere mala, quæ rei amatæ insunt, est enim malum obiectum fugæ, & odii, tertio incommoda, quæ parit expendere, quarto considerare inconstantiam amoris humani, quam que facile ex amicis homines fiant inimici, quinto in Deum cogitationem & amorem suum conuertere, qui solus omnem rationem boni & amabilitatis confert.

Dico quarto, Effectus amoris sunt varii primus est vnio amantis cum re amata, quæ vnio est affectiua, & metaphorica, quia per affectum amoris homo quodammodo inclinatur & trahitur in rem amatam. Hinc illud, magis est anima vbi amat, quam vbi animat, quo sensu etiam dixit Plato, animam amantis in amante mortuam, in eo vero quod amatur, viuam esse. Sed hæc vnio non est tam effectus amoris, quam ipsa amoris substantia: Secundus amoris effectus est vnio magis realis, per continuam cogitationem de re amata: Hoc enim amor efficit, vt qui amat, perpetuo de re amata cogitet, tertius effectus est vnio maxime Physica, & realis, per realem consecutionem rei amatæ, ad quam amor trahit, & inclinat: Quartus est vnio effectuum & desideriorum, vt vnus idem velit, quod alter. Quintus est extasis, per quam homo quodammodo diuellitur à seipso, & transfertur in rem amatam, vel secundum cogitationem, vt diximus, quia tota hominis cogitatio in rem amatam rapitur, vel secundum affectum, prout hic amor efficit, vt homo quidam modo extra se exeat, & in amatum feratur, illius res curet, illi congaudeat, condoleat, &c. Sextus effectus est Zelus, qui est vehemens appetitus remouendi ea, quæ sunt amori contraria.

DVBIVM VI.

De Odio.

Dico primo, odium est auersio quædam appetitus à re, vel persona, ex aliqua disconuenientia præcise in ea apprehensa. Dixi præcise, quia odium sequitur apprehensionem abstrahentem à præsentia, vel absentia mali, sicuti amor sequitur apprehensionem

abstrahentem ab absentia, vel præsentia boni. Hinc patet primo, quod sit obiectum odii, malum scilicet & disconueniens, vel positiuum, vt tormenta; vel priuatiuum, vt mors: secundo patet ex definitione, duplex esse odium; odium scilicet quod vocatur auersionis, quo auertimur à re aliqua disconueniente, opponiturq; amori concupiscentiæ, alterum est odium inimicitiæ, quo personam aliquã, vt nobis disconuenientem auersamur, illique malum optamus, opponiturque amori amicitiæ.

Dico secundo; causę odii sunt inprimis malum apprehensum, sicut amoris est bonum; oppositorum enim opposita sunt causæ; secundo odii causa est amor, quia enim bonum amamus, fit vt malum quod illi repugnat, detestemur.

Petes quomodo amor possit esse odii causa.

Respond. non esse contraria, nisi versentur circa idem obiectum, cum autem versentur circa diuersa obiecta, vt sese etiam comparantur in gradu intenso, ita non sunt contraria. Tertio odii, præsertim inimicitiæ, causæ possunt esse variæ, quæ ex amicis faciunt inimicos, vt sunt eæ, quas Aristoteles *secundo Rhetor. capite* 4. recenset: Ira, detractio, calumnia, &c.

Dico tertio, Remedia odii maxime inimicitiæ sunt excitare se ad amorem contrarium, per cogitationem alicuius boni in eo, qui odio habetur, vt naturæ similitudines diuinæ excellentiæ participationis, eiusdemque gloriæ nobiscum capacitatis.

Dico quarto. Effectus odii sunt affectuum ac animorum diuisio, ac dissentio, vt diuersa velint ac desiderent, qui se oderunt, secundo non modo voluntatum, sed etiam iudiciorum discrepantiam ex odio ortum habent: Tertio rixæ, contentio, bella iniusta hinc etiam procedunt. Quarto Gaudium, quo de malis inimici gaudemus, & tristitia, qua de eius bonis contristamur, vel quia nos iis caremus, vel quia eius bona quodammodo nostram excellentiam obscurant, vel quia isti sunt iis bonis indigni, quæ tristitia indignatio dicitur ab Aristotele

Nemesis.

(*_*)

DVBIVM VII.

De desiderio seu concupiscentia & fuga seu abominatione.

Dico desiderium, seu concupiscentia est appetitus boni futuri nondum obtenti: abominatio est fuga mali futuri, nondum præsentis.

Petes quomodo tempus futurum & præsens in appetitione boni, vel fuga mali inducat distinctionem specificam, inter desiderium & delectationem, itemque inter fugam & tristitiam, cum non videatur diuersitas temporis adferre posse distinctionem specificam.

Respond. Tempus pręsens & futurum non adferre distinctionem specificam ipsis obiectis, in ipsis tamẽ actibus oriri distinctionem specificam, quia obiectum præsens, vel absens diuersimode apprehenditur, ex quo nascitur diuersus essentialiter modus tendendi in obiectum, in ipsa voluntate. Remedia inordinatæ concupiscentiæ sunt fere eadem, cum amoris inordinati. Ad hoc etiam conducit initio concupiscentiam compescere, ne longiore temporis spacio vires capiat: deinde considerare, quam omnia huius mundi sint fugacia, denique mortis meditatio, & breuitatis vitæ hic magnum momentum habet.

Diuiditur concupiscentia ab Aristotele 3. *Eth. c.* 11. in communem, seu naturalem, quæ in omnibus æque est hominibus, vt cibum, potum, &c. omnes desiderant. Neque naturalis ob hoc dicitur, quod non sit actus appetitus sensitiui, seu appetitio elicita, sed quod in omnibus sit eadem ad ista à natura propẽso. Alia concupiscentia est non naturalis, sed propria cuique, non enim eadem omnes concupiscunt, sed alius hæc, alius alia, hos cibos alius concupiscit, & conquirit alius alios; estque hæc concupiscẽtia propria homini, prior etiam in brutis reperitur, Vnde Aristot. *primo Rhet. c* 11 concupiscentias prioris generis velut irrationales, posterioris vero generis rationales, quod ratio vel cogitatio in his posterioribus obiectis conuenientibus excogitandis, suum munus exerceat, meditando, ac ratiocinando, vt cum homo cibum aliquem delicatum, vel nouæ formæ vestes excogitat.

DVBIVM

DVBIVM VIII.

De delectatione & Dolore, seu Tristitia.

Dico primo, Delectatio est motus appetitus sensitiui, ex bono præsenti, ac percepto proueniens.

Nota ad delectationem saltem imperfectam non semper requiri realem boni possessionem, quia imaginaria etiam boni possessio ad aliquam delectationem mouet, causa delectationis fere eadem quæ amoris.

Petes, an gaudium differat à delectatione.

Respond. Sicut speciem à genere differre, delectatio enim communis est tum brutis, tum hominibus, gaudium homini est proprium.

Dico secundo, effectus delectationum sunt varii, vt inprimis cordis dilatatio, quæ delectationem consequitur, exultatio, &c. Interdum sitim ac desiderium pariunt, quatenus secundum aliquam sui partem non plene habentur, interdum cum plene possidentur ex frequentia pariunt fastidium.

Dico tertio, dolor est motus appetitus sensitiui, ex malo præsenti, & percepto proueniens. Patet hæc definitio ex definitione delectationis, cui opponitur.

Dico quarto. Causæ doloris sunt primo malum præsens, saltem secundum apprehensionem, secundo omissio boni, possessio & dilatio boni expetiti, quæ vt mala præsentia reputantur, spes enim quæ differtur affligit animum, tertio atra bilis, quæ & tristitiam generat, & viciſſim per tristitiam augetur, item desperatio, ira, &c. dolorem afferunt.

Dico quinto. Effectus tristitiæ sunt multi & noxii, corpus aggrauat, ossa exiccat, & si intensa diu perseueret, tabem inducit, cor constringit, & plus cæteris omnibus passionibus nocet, quia malum est præsens, quod longe vehementius imaginationem ferit, item intellectum hebetat, operationes omnes insuaues reddit: porro remedia inordinatæ tristitiæ sunt, mala antequam accidant præmeditari, tela n. præuisa minus feriunt: fallacem fortunam & volubilitatem rerum humanarum considerare exempla eorum, qui longe maiora constanter pertulerunt, perpendere, itemque aduersis offerri præclaram virtutum materiam. Facit etiam huc amicorum compassio, & animi sensuumque occupatio in iis, quæ delectare possunt.

Petes, an delectatio & dolor sint contraria, an vero se simul compatiantur.

Resp. delectationem & dolorem, quæ sunt appetitus eliciti, secundum rationem suam generalem esse contraria, sed hæc contrarietas non efficit, quo minus illa possint esse simul; (sicut etiam contrarietas, quæ est inter virtutem & vitium, in communi sumta non impedit, quo minus secundum diuersas species possint esse simul) tunc autem habent perfectam contrarietatem, & sese non compatiuntur, cum sunt de eodem subiecto. Cum autē versantur circa diuersa obiecta, possunt sese inuicem minuere, quia malum præsens potest auertere imaginatiuam à consideratione boni præsentis, & contra.

DVBIVM IX.

De Spe & Desperatione.

Dico primo, Spes est motus appetitus sensitiui in bonum arduum, quod existimatur posse acquiri, spem causant & augēt, quæcunque facultatem subministrant ad bonum arduum consequendum, aut difficultatem minuunt. Item experientia huiusmodi casuum, & exempla eorum, qui res huiusmodi profecerint, imo etiam sæpe in experientia, nam in iuuenibus spes maxime reperitur, in quibus tamen experientia deest, quod fit vel ob naturæ laborem, vel quia difficultates non apprehendunt, similiter ebrii magna sperare solent, quia impedita ratio non patitur eas difficultates intueri.

Dico secundo, Desperatis est motus appetitus sensitiui, quo homo difficultate victus rem arduam auersatur, eique vt impoſſibili succumbit.

Nota auersionis illius, quæ est in desperatione, Bonum non esse causam, neq; obiectū formale, cum bonum potius ad se trahat, sed difficultatem, quę in eo assequendo apprehēditur quæque mali quandam rationē habet, esse illius causam, & ob ectum formale.

Petes, an spes differat à desiderio.

Respond. Affirmando cum D. Thoma 1. 2. q. 40. a. 1. Quia Desiderium est motus, qui fertur in bonum absens, non arduum, spes vero habet annexam difficultatem.

DVBIVM X.

De Audacia & Timore.

Dico primo, Audacia est motus appetitus sensitiui, quo neglectis periculis opus difficile aggredimur, vt bonum arduum speratum obtineamus. Ex qua definitione apparet, audaciam versari circa media difficilia, ad finem consequendum, quæ spe boni consequendi audacia amplectitur, timor autem refugit, ob difficultatem.

Petes quodnam sit obiectum audaciæ bonumne an malum. Ratio difficultatis est, quia cum sit actus prosecutionis, videtur habere bonum pro obiecto, ex altera parte dici solet, audaciam & timorem versari circa malum, & ita inter se opponi, vt audacia sit accessus ad illud, timor recessus.

Respond. formale obiectum audaciæ esse bonum speratum, materiale autem esse malum seu medium difficile, aut periculosum. Itaque audacia & timor versantur circa obiectum materiale idem: non autem formale, sicut etiam de spe & desperatione diximus.

Petes secundo, quomodo ergo differunt spes & audacia, si vtrunque habeat pro obiecto suo formali bonitatem rei, quæ speratur.

Respond differre obiecto materiali, & fere se habere sicut intensionem & electionem. Spes enim desiderat ipsum finem, & bonum, ratione bonitatis suę intrinsecæ, non obstante, quod per media difficilia debeat acquiri, ita vt ipse Finis & bonum sit obiectum, etiam materiale, audacia autem etiam in media difficilia tendit, propter bonitatem finis, sic vt istam difficultatem præ ista bonitate contemnat, effectus audaciæ hic est, timorem & frigiditatem membris externis: initio affert eo quod calorem ad cor reuocet, sed eum deinde per membra diffundit.

Dico secundo: Timor est motus appetitus sensitiui, de malo imminente, cui facile resisti non potest. Hinc fit, vt mala leuia & quæ facile depelli possunt, non timeamus, neque ea quæ remotiora etiam sunt, quia timor est mali impendentis. Contra vero mala repentina maxime horrorem creant. Consideratio enim præmissa mali minuit timorem, & in repentinis subtrahitur facultas occurrendi malo.

Effectus timoris hi sunt, in corpore causat contractionem, cor item debilitat, & contrahit, pallorem, frigus tremorem, linguæ hæsitantiam, capillorum rigorem itemque sitim parit, animum ad excogitandas rationes emergendi ex periculo excitat.

DVBIVM X.

De Ira.

Dico primo, ira est motus appetitus sensitiui, quo vindicta appetitur de malo arduo. Dixi de malo arduo, quia leuia nos parum mouent.

Petes, an obiectum iræ sit bonum, an malum?

Resp. id quod appetimus scilic. vindictam, esse bonum, sed id cui appetimus, est malum, & apprehensum, vt noxium, & disconueniens. Vnde eo differt ira ab odio, quod in odio appetatur alteri malum, quia malum, in ira vero appetitur quidem malum alteri materialiter, sed tamen formaliter, vt consideratur habere aliquam rationem boni, ideo enim vindicta appetitur, quia bonum existimamus fieri cõpensationem iniuriæ, & æqualitatem sublatam restitui.

Nota vero, licet videatur non posse esse ira proprie, nisi pene eos, inter quos potest esse iniustitia, cum vindicta sit compensatio iniuriæ, sufficere tamen ad iram, quæ est in appetitu sensitiuo, nec reperiri ratione apprehensionem nocumenti, vel damni, non autem requiri formalem iniuriam, hinc experimur etiam nos ad iram concitari, etiamsi quis iure nocuerit: & ira etiam interdum cadit in irrationalia animantia, à quibus licet accipere possimus nocumentum, non tamen iniuriam.

Causæ iræ possunt aliæ passiones esse, & maxime tristitia, nam quia dolemus nobis iniuriam, vel nocumentum illatum, moue-

mur vt

mur vt alteri tantundem expetamus. Deinde omnes fere iræ causæ ad contemptum reuocari possunt, cùm enim omnes propriam excellentiam maximi faciant, fit vt si illa in aliquo lædatur, & quo excellentia illa maior fuerit, alterius vero vtilitas maior, & abiectio fit, vt quemadmodum & contemptus, ita & ira augeatur. Iræ remedia sunt suspicionem contemptus deponere, iram inordinatam esse furorem, hominemque dedecere, iniuriam illi plus nocere, qui infert, quam cui infertur: exempla sibi eorum, qui præclare iram compresserunt, proponere. Iræ effectus sunt delectatio, quam quis habet ex spe sumendæ vindictæ, tristitiæ, si ad illam prouenire non possit feruor item in corde, & ebullitio sanguinis, calor in cerebro. Differt autem ira à feruore amoris, quod feruor amoris suauitatem quandam habeat, ira vero amaritudinem coniunctam. Ex ira etiam nascitur cordis palpitatio, ardentes oculi, colores in vultu mutati, linguæ hæsitantia, corporis tremor, denique rationis perturbatio.

DVBIVM XI.

Vtrum passiones cadant in animum sapientis?

NEgabant Stoici sapientes vllam passionem admittere, Peripatetici & Platonici affirmant sapientem passionibus carere non posse. Dico passiones cadunt in animum sapientis, Probatur, quia passiones sunt motus naturales, qui in homine naturaliter oriuntur, obiecto proposito, ergo sapientes illis nō carent, secundo potest mediocritas passionibus à ratione statui, & sic virtutem plurimū pro mouere, ergo ex se non sunt malæ, ergo in sapientibus esse possunt.

Confirm. primo, quia sacra scriptura nos ad varios motus huiusmodi in vita tristitiæ, iræ, &c. ergo non sunt malæ.

Confirmatur secundo. Quia Christus huiusmodi motus voluntarie in se admisit, iræ, tristitiæ, &c. nullam habent in se indecentiam.

Dices primo, passiones sunt morbi animi, ergo non cadunt in sapientem.

Resp. passiones à ratione moderatas non esse morbos animi, sed eas, quæ medium non tenent, & à ratione deflectunt.

Dices secundo, passiones inducunt ad peccatum, ergo sunt malæ.

Respond. passiones à ratione moderatas non inducere ad peccatum, sed potius magnum esse ad virtutem adiumentum, immoderatas autem, & quæ rationis ductum non sequuntur, ad peccatum inflectere.

DISPVTATIO QVINTA.

De Virtutibus moralibus in genere.

DVBIVM I.

Quid sit Virtus?

NOta primo, duplices esse virtutes, alias in intellectu, alias in voluntate, illę intellectuales nominantur, quæ à Philosophorū in metaphysica, tū 6. *Eth. c. 3. & sequentibus* quinque numerantur, sc. sapientia, Intellectus, scientia, Prudentia, & ars Eæ vero, quæ in volūtate sunt, Morales vocantur, quod moribus, id est, actionibus moraliter bonis eliciendis deseruiunt.

Nota secundo, licet in hoc conueniant virtutes intellectuales & morales, quod vtræque inclinent ad operationem bonam, & conuenientem naturæ rationali, tamen inter illas hoc esse discrimen, quod virtus intellectualis inclinet tantum ad operationem bonam, in genere naturæ ad cognitionem, scil alicuius virtutis non autem ad operationem bonam, in genere moris, vnde & virtute intelle-

ctuali

ctuali pôtest quis male vti, & per illam in genere moris male operari, vt si verbi gratia, quis vtatur scientia, ad vanam gloriam, vel contra fidem. Virtus autem moralis inclinet non tantum ad operationem bonam, in genere naturæ, sed etiam in genere moris, ad bonum vsum sui, vnde virtute morali non nisi bene & laudabiliter potest quis vti, ob idque proprium hoc est virtutis moralis, vt bonum faciat simpliciter habentem, & ab hac virtute vir bonus simpliciter dicatur.

At vero à virtute intellectuali non nisi secundum quid aliquis dicatur bonus, vt bonus metaphysicus, bonus medicus, bonus architectus. Aduerte tamen inter intellectuales virtutes vnicam esse prudentiam, qua non possit male vti. Dirigit enim actiones voluntatis, & illis dat rectitudinem, quæ proinde cum virtutes morales voluntati inhærentes hac in parte imitetur, recte virtutibus iis, quæ simpliciter & absolute virtutes dicuntur, annumeratur.

Dico primo, Virtus in genere, prout attrahit à virtute intellectuali, & morali, sic definiri potest. Virtus est habitus operatiuus boni. Hæc enim definitio vtriusque potentiæ virtutem complectitur: habitus est genus definiti, qua parte excluduntur potentiæ & passiones, posteriore parte excluduntur habitus vitiosi: quæ tota virtutis definitio peti potest ex Aristotele *secundo Ethic. c. 5. & 6.* sed opponit se huic definitioni Scotus *in primo sententiarum distinct. 17. quæst. 2.* & alibi: negatque virtutem esse habitum essentialiter, sed relationem conformitatis cum recta ratione, vel conformitatis cum obiecto, quam relationem censet accidentario aduenire habitui, habitumque sese habere per modum fundamenti, sed hæc sententia nec vera est, nec ex mente Aristotelis, qui *secundo Eth. c. 5* ex professo genus virtutis inquirens aperte statuit, Habitum esse ipsius genus, *secundo ibidem c. 6.* vbi definit virtutem moralem pro genere habitum constituit: Tertio Aristoteles facit virtutem & vitium inter se contraria, relationes autem non habent contraria. Deinde accedit ratio, quia per virtutem inclinamur, & facilitamur ad actus bonos, & nunquam ad actus malos, quia virtus inclinat ad actus similes iis, à quibus fuit perductus, ergo est habitus, & non tantum relatio. Confirmat. simili, quia habitus pulsandi citharam non inclinat ad quemuis motum, sed ad motum secundum artem, & harmoniam, ergo similiter habitus temperantia, v. grat. non inclinat ad quamuis comestionem, sed ad eam, quæ fit dictamen prudentiæ.

Dices primo, Aristoteles videtur accensere virtutem & vitium relationibus, in prædicamento ad aliquid, ergo.

Respon. Eodem modo dicendum esse, Habitum esse in prædicamento ad aliquid, quia habitum etiam inter exempla relatorum assignat: Dico igitur, Virtutem & vitium esse relationes transcendentales, non prædicamentales, id est esse res absolutas, constitutas in sua essentia, per ordinem ad alia.

Dices secundo, Idem habitus potest esse successiue bonus, & malus, mutata tantum relatione conformitatis & difformitatis, ad rectam rationem, ergo nullus est habitus ex sua specie bonus. Antecedens probatur, quia actus temperantiæ acquisitus per actus malos & repugnantes rationis dictamini, v. g. vel in gratiam idoli, vel non debito tempore aliaue mala circumstantia, poterit postea inclinare ad actus bonos, qui fiant ex rationis dictamine, & cum debitis circumstātiis. Confirm. quia actus idem possunt esse successiue bonus, & malus, ergo & habitus.

Respon. nego antecedens, ad probationem nego assumptum, vt enim habitus ille fuerit generatus, per actus malos, ita ipse erit malus, & inclinabit ad actus malos, quia tamen eiusmodi habitus non tantum facilitat potentiam ad opus, sed etiam quatenus est in appetitu sensitiuo, passiones & concupiscentias indomitas erga cibum refrenat: hinc fit, vt postea longe facilius possit quis mutato fine, vel alia circumstantia vitiosa actiones bonas elicere, quia passio, quæ est magnum impedimentum ad virtutem, iam est compressa, & per huiusmodi bonas actiones habitum bonum faciliori negotio acquirere, & hoc est quod Aristoteles docet, *secundo Ethic. c. 8.* eum, qui prodigus sit, facilius posse fieri liberalem, quam qui auarus sit, qui audax, facilius posse fieri fortem, quam qui sit timidus, rationemque reddit, quod virtus, quæ in medio est posita, sæpe magis accedat ad vnū extremum vitiorum, quam ad aliud. Ad confir. Nego eundem actum voluntatis, aut etiā exter-

externum, vt substat imperio voluntatis, posse esse successiue bonum, & malum, vt *supra disp. 3 dubio 1. ad vlt.* diximus. Licet idem actus externus in genere naturæ consideratus, possit esse nunc bonus, nunc malus.

Ex his facile erit definire vitium in genere, nimirum quod sit habitus operatiuus mali, cum enim virtus & vitium sint contraria, debent esse sub eodem genere, & differentia specifica distingui.

Dico secundo, Virtus moralis recte definitur ab Aristotele *secundo Eth. c. 6.* Habitus electiuus, in ea mediocritate consistens, quæ ad nos est, quæque ratione est definita, & vt prudens ipse definierit. Genus virtutis est habitus. Cætera explicant differentiam.

Nota hanc definitionem omnibus virtutibus moralibus conuenire, si modo iustitiam excipias, quæ non habet medium rationis, sed medium rei, vt infert. Vt autem iustitiæ conueniat, addenda esset vna particula, quæ signaret non excludi medium rei, hoc modo est habitus electiuus in mediocritate consistens, ea saltem quæ ad nos est, &c.

DVBIVM II.

In qua potentia sint virtutes morales?

Dico primo in appetitu sensitiuo sunt aliqui habitus boni, non tamen virtutes proprie dictæ, sed tantum virtutum vmbræ quædam.

Prima pars probatur, quia appetitus sensitiuus per actus frequentes à ratione, & voluntate imperatas passiones suas ad mediocritatem reducit, & ad actus cum ea mediocritate exercendos promptior redditur.

Secunda pars probatur, quia virtus est habitus electiuus, sed electio non est in appetitu sensitiuo, ergo nec virtus.

Dico secundo, in voluntate virtus fortitudinis & temperantiæ est collocāda, vti & virtus iustitiæ. Probatur primo, quia hi actus voluntatis, volo pro Religione vel Republica pericula subire, volo temperate comedere, sunt actus honesti, ergo sunt alicuius virtutis, quæ sit in voluntate. Confirm primo, quia eius est habitus, cuius est operatio. Confir. secundo, quia voluntas per huiusmodi actus sentit se promptiorē reddi ad alios similes, ergo. Probatur secundo. Ipsa voluntas patitur difficultatem, vt labores, & pericula amplectatur, vt bona sensibilia & delectabilia moderate appetat, ergo illa etiam virtute indiget, quæ hanc difficultatem tollat. Tertio habitus iustitiæ est in voluntate ad suum cuique tribuēdum, ergo & habitus fortitudinis, & temperantiæ Probatur consequentia, quia prima ratio, cur ipsi velint habitum fortitudinis & temperantiæ esse in appetitu sensitiuo, est, quia in exercendis actibus harum virtutum tota difficultas ex passibilitate oritur, atqui eadem ratio est in habitu iustitiæ, ergo.

Dices primo, Aristot. videtur dicere, *tertio Ethicor. cap. 10* fortitudinem & temperantiam esse in parte irrationali. Dicit enim, hæ namque virtutes (fortitudo scilicet & temperancia) earum animi partium videntur esse quæ sunt rationis expertes, ergo non sunt in voluntate.

Respon. esse in parte rationali tantum, per participationem, formaliter vero irrationali voluntate, sc. non vero in parte formaliter rationali seu intellectu, vel dicendum Arist. velle has virtutes versari circa moderationē passionum, quæ sunt in parte plane irrationali, sic vt harum obiectum sit in parte irrationali, non autem virtutes ipsæ.

Dices secundo, Virtus est circa ardua, sed omnis difficultas, quæ est in actibus temperātiæ ex appetitu sensitiuo profluit, ergo hæ virtutes ad appetitum sensitiuum referri debent. Confirmat, quia si quis sit, qui nolit quid, & quando sit operandum, passionibus careat, facile operari poterit iuxta temperantiæ præscriptum, ergo superuacaneæ sunt virtutes in voluntate.

Respond. Licet ea difficultas oriatur ex appetitu sensitiuo, ipsa tamen voluntas est quæ difficulter elicit actus suos, vnde vt intemperantiæ actibus mediocritati studeat, non sufficit ipsas passiones ad mediocritatem reduci, sed ipsa etiam indiget habitu in se ad faciliter operandum. Ad confirmationem respondeo, si quispiā careat passionibus, quod illas frequenti exercitio cōpresserit, habebit etiam in voluntate habitum, qui simul generatus fuerit cum habitu illo, qui est in appetitu sensitiuo, si n. ponatur à Deo, passionē

quæ est in appetitu sensitiuo, esse reductam ad mediocritatem nullo generato in voluntate habitu, tunc voluntas non tanta facilitate initio suos actus exercebit, quanta exercuisset, si habuisset habitum, licet paucis actibus ob defectum extrinseci impedimenti in se generaret habitum, si denique ponatur sublata plane passio, vt homo illa penitus careat, nunc in voluntate non poterit esse virtus, quia deesset materia virtutis, passiones sc. moderandæ & difficultas. Virtus autem est tantum circa ardua.

DVBIVM III.

An virtus moralis sit posita in medio.

NOta primo, tantum agi de virtutibus, quæ sunt in voluntate, licet enim latioris virtutis moralis acceptione contineatur, quia virtutes morales, quæ in voluntate sunt, dirigit tamen pressius acceptum nomen virtutis moralis, non continet prudentiam.

Nota secundo, duplex esse medium, in virtutibus, vnum dicitur medium rei, alterum medium rationis. Medium rationis dicitur, quod à recta ratione & iudicio prudenti statuitur, spectata conditione, & qualitate operantis. Medium rei est, cum non spectatur conditio operantis, aut quid sit commensuratum suo subiecto, secundum rectæ rationis regulam, sed tantum spectatur quid sit commensum rei, vel iuri alterius, vt nec minus, nec amplius præstetur, sed æquale, hinc fit, vt medium rationis variari possit, cum medium rei sit inuariabile, sed idem maneat in omnibus: Si enim alterius habeat, vt ego ei dem vnum aureum, cuiuscunque tandem sim conditionis, siue pauper, siue diues, siue nobilis, siue ignobilis, siue sacerdos, siue laicus, &c. Si dem illi vnum aureum, satisfacio ipsius rei, & pono medium, rei, siue æquale iuri ipsius: si do minus quam vnum aureum, cuiuscunque tandem sim conditionis, recedo à medio rei, & contra iustitiam pecco: medium vero rationis variari potest, quia spectatur conditio personæ, vnde quod vni erit, verbi gratia, multum commedere alterum erit parum, respectu tertii erit temperate comedere, nec nimium, nec nimis parum.

Dico primo, omnis Virtus in medio consistit, probatur ex Aristotele, *secundo Ethicor. capite sexto*, & virtutis definitione supra allata, secundo probatur, quia omnis virtus inclinat ad actus tales, in quibus secundum prudentiæ regulam nulla circumstantia debita desit, nec vlla redundet: ergo omnes spectant medium. Hinc Aristoteles *secundo Ethic. capite 9.* docet, valde difficile esse, fieri probum, quia medium attingere est difficillimum.

Dico secundo, Virtutes, quæ circa passiones versantur, habent medium rationis ex obiecto, & secundum suam substantiam, sunt habitus medii inter duos vitiosos habitus.

Probatur prior pars, quia illæ virtutes eo spectant, vt passiones mediocritatem teneant, quod medium iuxta varias operantis conditionis, & alias circumstantias mutandum est, prudenti iudicio, ergo. Confirmatur. Quia temperantia constituit medium in cibo, & mensuram pro ratione subiecti, hinc fit vt quod in giganti, verbi gratia, parum est, sit alteri, verbi gratia, pumilioni nimium, alteri qui statura mediocri sit, æquale. Pari modo fortitudo medium ponit in periculis suscipiendis, ne quis pro ratione conditionis suæ, vel nimium timeat, vel nimium audeat: Vnde quod vni verbi gratia militi erit fortitudo, alteri verbi gratia mulieri, aut sacerdoti erit temeritas: Altera pars, quod scilicet istæ virtutes secundum suam substantiam consistant inter duos vitiosos habitus, Consequitur ex priori, si enim obiectum illam latitudinem admittat, vt excessum patiatur, & defectum, sequitur actus & habitus dari posse, qui circa obiectum illud, per excessum & defectum dari possit, qui proinde virtutem relinquant in medio, de hoc virtutis medio in genere Aristoteles fuse, *libro secundo, Ethicor. capite sexto, septimo, & sequentibus, vsque ad finem.* & in particulari cum de singulis virtutibus agit, *libris sequentibus.*

Nota tamen, vt bene aduertit Aristoteles *libro 2. capite* 8. licet virtuti, quæ in medio est posita

posita duo vitia vtrinque repugnent, sæpe tamen vnum extremorum habet magis sibi contrarium, quam aliud, & nonnunquam magis ei repugnat vitium, per defectum, nonnunquam vitium per excessum, vt v.g. liberalitati magis repugnat auaritia, quæ est magis, per defectum, quam prodigalitas, in qua per excessum peccatur: & fortitudini magis repugnat ignauia, ac timiditas, quam temeritas: similiter per ecceſſum magis repugnat in temperantiæ, quam insensibilitas in cibo, mansuetudini iracundia, quam lenitudo & tarditas, in irascendo. Huius rei causas duas refert Aristotel. vna est natura ipsius virtutis, quæ minus abest ab vno extremo, quam ab alio: Fortitudo enim minus abest ab audacia, & temeritate, illique est similior, quam ignauia. Altera causa ex nobis ipsis ducta est, quia virtutes illæ sunt constitutæ ad moderandas passiones, ad quas natura sumus propensiores, hinc fit, vt vitio illi, ad quos nos inclinat passio virtutis, censeatur magis repugnans, vt quia temperans est ad moderandam passionem concupiscentiæ cibi, ideo magis opponitur intemperantia similiter iracundia, &c.

Dico tertio, Iustitia habet medium rei, nō rationis. Probatur, quia hoc solum spectat iustitia, vt tandum det alteri, quantum debet, & ius alterius propter vel secundum æqualitatem rei ad rem proportione arithmetica, vt fit in iustitia commutatiua, vt v. g. si debēs 100. des centum vel proportione Geometrica, secundum æqualitatem proportionis bonorum, onerum, vel præmiorum, cum æqualitatem meritorum, comparatione facta cum aliis, tu merearis habere 10. alter 20. tibi dentur 10. alteri 20. hinc sequitur iustitiam habere tantum vnum vitium oppositū, per defectum scil. iniustitiam, cum enim exceditur in materia, vel non peccatur, vt si cū debeas 100. des ducenta, imo potest esse actus virtutis liberalitatis, vel misericordiæ, vel si peccatur, peccatur non contra iustitiam, sed contra aliam virtutem, prodigalitate, scilicet contra liberalitatem, vel contra charitatem, vt si furioso reddas ensem, & licet in iustitia distributiua peccetur contra iustitiam, dando alicui plusquam mereatur, atque adeo videatur per excessum peccare, non tamen præcise tunc peccaretur, quia ille plus habet, sed quia alter dignior minus habet.

Dices primo, contra secundam conclusionem, sunt quædam virtutes, quæ tantum videntur habere vnum vitium oppositum, & quantumcunque vergant ad aliud extremū, nunquam tamen vitii rationem induunt, sed potius sunt ipsa virtus, in gradu perfectiore constituitur, vt v. g. humilitati opponitur, sola superbia, nimia vero humilitate peccari non potest, similiter pœnitentia religio, amor Dei videntur tantum habere vnum vitium oppositum, duritiem cordis, irreligiositatem, odium Dei, neque vero in amando Deo aut videmur posse excedere, cum non possit illi rependi æquale, ergo non omnis virtus est in medio posito.

Resp. etiam illas virtutes esse positas in medio, & habere duo vitia opposita, licet sæpe aliud extremum nomen non habeat, quia rarius in eo peccatur, humilitas media est inter superbiam & abiectionem, seu per vilitatem suam etiam peccaret quis, qui præ nimia abiectione honores non admitteret, quos secundum rectam rationem deberet admittere, pari modo pœnitentia media est inter duriciem cordis, & immoderatam pœnitentiā, qua notabiliter valetudini quis noceret. Religio similiter media est inter irreligiositatē, seu contemptum Dei, & superstitionem, qua in debito cultu Deus colitur, in amore Dei potest etiam inueniri aliqua inordinatio, nō quidem præcise ratione obiecti, sicut in aliis virtutibus accidit, non enim in intentione & perfectione amoris potest esse excessus, cum non possimus Deo rependere amorem, ad æqualitatem, & modus diligendi Deum, vt ait sanctus Bernardus, sit sine modo diligere: sed vel propter aliquam indebitam circumstantiam, vt si quis nimium conatum adhiberet ad hunc amorem exprimendum, ita vt sibi noceret, vel in electione alicuius medii imprudentis, vt v. g. si quis vellet se interficere ex amore, siue ad amorem illum declarandum.

Dices secundo, si virtus esset in medio, cōsisteret in indiuisibili, indiuisibile autē istud reperiret esset fere impossibile, & sic vix vlli ex virtute operarentur.

Resp. medium rationis in virtutibus non

consistere in indiuisibili, sed habere aliquam latitudinem, v. g. temperantia in potu tibi proponit pro medio duos sciphos, non tamē censeris intemperanter bibere, si quid modicum adiicias, v. g. tertiam partem sciphi. Princeps aliquis quotidie potest ex liberalitate donare centum aureos, & hoc illi medium præscribit recta ratio, non tamen si vnum aut alterum adiiciat, censetur à medio recessisse. Addo etiam in medio rei, quod est in iustitia esse aliquando etiam latitudinem aliquam, vt in rerum pretiis, quæ lege imposita non sunt, datum summum medium, infimum, & quamuis medium iustitiæ fere in indiuisibili sit positum, tamen illud est maxime notum.

DVBIVM IV.

An virtutes morales sint inter se connexæ?

SEnsus quæst. est, an qui vnam virtutem moralem habet, necessario etiam alias habeat, sic vt vna non possit consistere sine alia. Negant Scotus, Gabriel, Occam, has virtutes esse inter se connexas. Asserit D. Thomas cum suis, quibus astipulari videtur Aristoteles *l. 6. Eth. cap.* 13. vbi de hac re præclare disserit.

Nota primo, virtutes nonnullas esse communes omni hominum generi ac conditioni, quas omnes homines, vt recte viuant, secundum rectam rationem habere debent, vt quatuor virtutes cardinales, aliæ sunt peculiares alicui statui, ac conditioni hominum, vt sunt virtutes quædam religiosorum, castitas, paupertas, &c. Sic virtutes, quæ principem decent, magnificentia, iustitia vindicatiua, &c. controuersia autem inter DD. est non de virtutibus posterioris generis, cum perspicuum sit, eum qui habet aliquam virtutem moralem, non debere habere eas, quæ peculiarem aliquem statum deceant, sed quę est de virtutibus prioris generis, omni hominum statui conueniens

Nota secundo, ex Aristotele *l. 7. Ethic. c.* 1. vnamquamque virtutem triplicem gradum in homine obtinere posse, gradum scilicet continentiæ, gradum temperantiæ, & gradum heroicum. In gradu continentiæ habemus virtutes, quando passiones adhuc sunt vehementes, difficulterque eis resistimus, in gradu temperantiæ, quando virtutes iam perfectæ sunt & passiones sedatæ; quem gradum habent in iis, quæ inter homines comiter censentur virtute præditi. In gradu heroico, cum per actus heroicos & excellentes eam perfectionem habent, vt passiones planæ sint compressæ, neque vnquam, aut rarissimæ rectæ rationi repugnent. Non versatur hæc quæstio circa virtutem primo, vel vltimo modo consideratam, cum constet non necessario reliquas virtutes esse connexas, cum virtute aliqua in gradu imperfecto, neque etiam dubium virtutem in illo gradu summo requirere aliarum virtutum societatem, sine quibus non esset: vnde nunquam perfectam & sæpe difficultatem in suis actibus experiretur, controuersia igitur est de iis.

Dico primo virtutes morales non sunt necessario connexæ, quoad substantiam, probatur primo, quia sunt habitus distincti, qui inclinant ad diuersos actus, ergo. Confirm. quia actus virtutum non sunt necessario cōnexi, ergo nec habitus. Confirm. secundo, potest quis se exercere etiam frequentissime in materia vnius virtutis, non exercendo se in materia alterius virtutis, vel quia non vult, vel quia non affert se materia, in qua se exerceant, sed ille se per repetitos actus vnius virtutis generabit habitum istus virtutis, non autem alterius, cuius actus non eliciet, ergo vna virtus potest secundum substantiam stare sine alia.

Dico secundo, virtutes morales non sunt ita necessario connexę, quoad operationem, vt vna sine alio nunquam operari possit. Probatur, quia omnis habitus potest operari in propriam materiam, sine alterius consortio, & ridiculum est, vt per habitum temperantiæ temperate comedam, asserere, me non posse id facere nisi habeam habitum iustitiæ: Etsi potui exercere actus temperantiæ, antequam haberem habitum sine habitu iustitiæ, quare non potero acquisito habitu temperantiæ.

Dico tertio, Virtutes humanæ, quoad operationem, in perfecto statu virtutis, siue vt in-

in omni casu & euentu facile per illas operemur, necessario consortium aliarum virtutum & perfectæ prudentiæ, in qua quodammodo copulentur. Probatur primo, quia perfecta virtus debet procedere ex perfecta prudentia, nam prudentia specialis circa rectam virtutis materiam non sufficit, ad dictandum, quid quouis casu, & quibusuis circumstantiis sit agendum, secundo, quia perfecta virtus debet facile posse operari, quouis casu & circumstantia, atqui mihi habeant alias virtutes, & simul offeratur mihi in eodem actu materia virtutis acquisitæ, & alterius virtutis, quam nec dum habeo, sentiam difficultatem ratione materiæ virtutis oblatæ, quam nec dum acquisiui, ergo Confirm. quia nisi omnes passiones sint compressæ, poterit facile vna passio vincere propensionem virtutis iam comparatæ, vel saltem fiet, si simul offeratur materia virtutis exercendæ, & passio aliqua, ex altera parte trahat in contrarium, vt virtus longe difficilius operetur, quod est contra rationem virtutis saltem perfectæ.

Ex his patet, quomodo D. Thomæ & Scoti sententia inter se conciliari possint, & rationes eorum vtrinque dissolui, cum Scoti rationes tandum probant vnum virtutem posse acquiri, & esse secundum substantiam, vel operationem in statu imperfecto. Diui Thom. vero tantum probent non posse hominem semper & quouis casu bene operari, in materia vnius virtutis, nisi omnes virtutes connexas habeat.

Petes, an prudentia sit etiam connexa necessario cum aliis virtutibus, siue an possit quis habere prudentiam, qui non habeat virtutes morales, in voluntate, & sit improbus, quod quis possit esse prudens sine virtutibus moralibus; in voluntate: inde videtur colligi, quod prudentia sit habitus intellectus, qui tantum pendet ab actibus intellectus, non autem voluntatis, neque videtur repugnare, vt aliquis bene iudicet de agibilibus, & tamen per libertatem male operetur, imo nullus peccaret, nisi faceret contra rectam rationem, & iudicium prudentiæ. Vnde consequens est, neminem peccare, qui non habeat illud iudicium, ac rectam rationem, Contrarium tamen communiter asseritur, neminem scilicet esse prudentem, qui non sit probus, & videtur expressa Aristotelis sententia *6. Eth. c. 12. in fine.* cuius hæc sunt verba,

Ex quo percipi potest, fieri non posse, vt quis sit prudens, quin idem vir sit bonus, & *cap. seq.* Ex iis inquit, quæ dicta sunt, perspicuum est, nec sine prudentia quemquam proprie virum bonum esse posse, nec prudentem sine virtute ea, quæ ad mores pertinet.

Respond. igitur perfectam prudentiam tantum esse in viris probis, qui sint omnibus virtutibus moralibus præditi, & affectum habeant in materia virtutis recte dispositum, hi enim soli recte iudicare in quouis negotio occurente possunt, eo, quod passio compressa non perturbet rationem, & affectus recte dispositus erga honestum, trahat intellectum ad iudicandum honestum hic & nunc esse conueniens, in improbis viris tantum potest esse imperfecta prudentia, qua in vniuersali recte iudicante, vel in partiali tantum speculatiue esse honestum, vel conueniens, hic & nunc practice vero, licet interdum bene iudicet, tamen neq; diu neq; crebro recte iudicare possunt, quia affectus praue dispositus non sinit eas recte in illa materia, circa quam praue sunt affecti, iudicare, vt ebriosus potest semel iudicare sibi hic & nunc esse bonum seruare mensuram in potu, sæpius tamen iudicare non poterit, quia affectus in contrarium inclinat.

DVBIVM V.

An virtutes sint homini secundum naturam & vitia contra naturam?

NOta primo, non de habitibus virtutum & vitiorum hoc dubio peti, sed etiam de actibus ipsis.

Nota secundo, variũ posse esse huius quæstionis sensum: primus est, an ita virtutes sint secundum naturam vt sint insitæ & ingenitæ à natura: secundo, an virtus hominis proficiat, vitium vero repugnet conditioni

 & na-

& naturæ hominis, tertius an homo habeat naturalem inclinationem, ad virtutes, & virtutum actus. Contra vero naturaliter fugiat vitium, & malos actus, quanquam hi duo sensus posteriores fere eodem recidant, & vnus alium inferat.

Dico primo, virtutes non sunt nobis à natura, sed actibus acquiruntur, sunt tamen à nobis à natura quædam virtutum semina. Probatur prior pars ex Aristot. 2. *Eth. c. & l. 6. cap.* 13. & patet, quia virtus est habitus. Deinde si virtus nobis esset insita à natura, nunquam possimus elicere contrarios actus vitii, aut eorum assuetudine malos habitus generare, quia, quæ à natura insunt, nunquam tolli possunt, aut in contrarium assuetudine abire, vt pulchre Aristot. *2. Eth. cap.* 1. v. g. lapis inquit, qui deorsum fertur natura, nulla ratione assuefieri potest, vt sursum moueatur, ne si decies millies quidem quis eum sursum iaciens assuefacere conetur. Altera pars probatur, quia est in homine inclinatio ad res honestas, & virtutes, vt paulo post dicemus: hæc enim sunt veluti virtutum semina, quæ nihil sunt aliud, quam rationis vis, quæ de rebus agendis recte iudicare potest, & voluntatis facultas, cui connaturale est rationis regulam sequi, hoc virtutis semen & inclinationem à virtute inditam vocet Aristoteles *6. Ethic. cap.* 13. virtutem naturalem, vt distinguat à vera virtute, quæ per actus acquiritur.

Dico secundo, virtus est secundum naturam hominis, tanquam ipsius perfectiua, vitium contra patet, quia virtus inclinat homines ad operationes homini conuenientes, qua homo est, vitium contra.

Dico tertio, virtus moralis est secundum hominis naturam, siue naturalem ipsius inclinationem, vitium vero contra. Probatur ex præcedente conclusione. Confirm. Illud est maximum hominis bonum, ac perfectio, quod perficit hominem, qua homo est, siue secundum gradum rationalem, illud maximum malum, quod secundum illum gradū repugnat: ergo. Vnde nota, hic eandem hominis animam formaliter simul esse sensitiuam, ac rationalem, quatenus sensitiua est, non dat illi esse hominis, sed quatenus rationalis, Proinde hominis inclinatio simpliciter ac sine restrictione ea dicitur, qua illi conuenit, quatenus rationalis est, vt sunt inclinatio intellectus in notitiam veri, & voluntatis quatenus à ratione in suis actibus perfecte dirigi potest, qui est nudus agendi hominis, vel voluntatis maxime proprius ac connaturalis.

DVBIVM VI.

Vtrum virtutes sint æquales, item & peccata?

CEnsuerunt Stoici, omnia peccata esse paria, quod ad virtutes vero attinet, vel de intentione quæri potest, vel de perfectione essentiali, sed dubium non est, quia vna virtus aliam intentione superet, prout quispiam se in aliqua virtute magis exercuerit.

Dico primo, peccata non esse paria, probatur, quia non omnia habent æqualem repugnantiam cum recta ratione, sed diuersa diuersam, pro ratione diuersorum obiectorum. Confirm. quis dicit peccare eum, qui in verbis aut lusu excedit, quantum is qui sacrilegum, &c. committit.

Dico, neque virtutes earumque actus sunt essentiali perfectione æquales, siue diuersarum potentiarum virtutes inter se componemus, siue eiusdem potentiæ inter se. Intellectuales enim virtutes perfectione excedunt eas, quæ sunt in voluntate, quia sunt in perfectiore potentia. Inter eas autem, quæ sunt voluntate, iustitia primas tenet, fortitudo sequitur, ac demum temperantia.

Dices virtus intellectualis non facit hominem absolute bonum, estque communis bonis & malis, item non dat bonum vsum sui, hoc autem facit moralis, ergo est præstantior.

Respond. hinc sequi virtutem moralem esse præstantiorem in genere moris, non autem in genere entis.

DVBIVM VII.

Quomodo diuidatur virtus moralis?

DIco virtutes morales in genere aliæ versantur circa operationes, aliæ circa passiones,

siones, vel clarius, aliæ sunt ad alterum, aliæ sunt ad ipsum operantem, virtutes enim quæ nos confirmant bene ad alterum, dicuntur versari circa operationes, quia habent pro obiecto immediato operationes externas, quibus erga alios nos habemus, & hanc conformitatem operationis erga alteram spectant immediate, licet mediate possint etiam respicere passiones, quas moderentur, quatenus scil. ad operationes suas exercendas est necessarium, vt iustitia immediate spectat operationem externam, qua reddamus alteri, quod debemus, ad æqualitatem: quia vero hanc operationem impedire potest nimius amor pecuniæ alienæ, huic etiam passioni moderandæ secundaria seruire potest iustitia. Virtutes vero circa passiones eę dicuntur, quæ nos confirmant bene ad nos ipsos, quod fit directe moderando passiones; quæ in nobis sunt virtutes quæ sunt ad alterum, solent hæ numerari, iustitia, religio, pietas, obseruantia, obedientia, veritas, fides, gratitudo, vindicatio, liberalitas, magnificentia, amicitia. Virtutes circa passiones sunt hæ, Fortitudo, patientia, mansuetudo, liberalitas, philotimia, Magnanimitas, modestia, tēperantia, castitas. Ad castitatem virginitas, ad liberalitatem paupertas, ad modestiam humilitas, quæ Christianæ sunt virtutes, referri possunt.

Dico secūdo, quatuor sunt virtutes cardinales, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Tēperantia, quę ideo cardinales dicuntur, quod in iis velut quatuor cardinib. tota vita hominis verti debeat, præcipuę autem seu principales dicuntur, quod ad has tanquam partes potestatiuæ referri possunt.

DISPVTATIO SEXTA.

De virtutibus in particulari.

DVBIVM I.

Quid sit Prudentia?

VAriæ sunt prudentiæ definitiones, D. Augus. definit, prudentiam esse rerū appetendarum & fugiendarum scientiam, item alibi dicit, esse rerum bonarum & malarum, & neutrarum scientiam. Ab aliis definitur ex Aristotele, hoc modo. Prudentia est recta ratio agibilium. Aristot. *l. 6. Eth. c. 5.* ita definit prudentiam, est habitus cum ratione vere actiuus, circa ea, quæ homini bona vel mala sunt. Cum dicit esse habitum, cum ratione vera actiuum, satis indicat, esse virtutem intellectus, eamq; moralem, id est, per rationem seu per iudicium rationis, qua præsignificatur. Hinc excluduntur virtutes morales, quæ sunt in voluntate, quæ licet possint dici agere cum ratione, idem cum & ex primo rationis iudicio nō tamen per rationem. Cum dicitur cum ratione vera, significatur esse habitus verus, inclinans in assensum, per se, non tamen per accidens verum, hinc excluduntur omnes habitus falsi, qui sunt in intellectu. Per hanc particulam actiuus excluduntur omnes inprimis habitus, intellectus speculatiui, deinde ars, quæ non dirigit praxin, seu actionem, sed ποιητόν, id est, opus, per effectionem, nāque est operatio immanens ipsum operantē perficiens, factio vero est actu externa, in quā ars incumbit, vt ars pingendi, scribendi, &c. vel saltem si ars versetur circa operationem immanentem, id non faciet, vt ipsum operātem perficiat, nec in ordine ad aliquem ipsius rectitudinem, sed vt ipsum operationem rectam exequatur, vt ars saltandi eo tantum spectant, vt motus ille ad numeros artificiose spectetur.

Vltimo definiri posset clarius, Prudentia est virtus intellectus, quam nouimus in quouis negotio occurrēte, quid honestum, quid turpe. Dicitur in quouis negotio occurrente, quia

quia non satis est, in vniuersali id nosse, licet hæc etiam sit prudentia quædam inchoata, & imperfecta: sed necesse est, vt per prudentiam de singularibus actionibus iudicemus, an hic & nunc cum omnibus illis circumstantiis, quæ occurrunt sit mihi licitum, nec ne.

Dices, si prudentia esset virtus intellectus, inclinaret ex natura sua in certum & verum, sed hoc prudentiæ non conuenit, ergo. Probatur minor, quia circa singularia & contingentia versatur, quæ aliter se habere possunt, ergo versatur circa ea, quæ possunt falso cognosci, ab intellectu, Confirm. quia Aristot. *l. 6. Eth. c. 5. in fine.* iudicat, prudentiam esse habitum opinatiuum tantum, quia versatur in iis, quæ aliter sese habere possunt.

Resp. nego minorem, ad probationem Respondeo, licet quorundam sententia de rebus singularibus & contingentibus non dentur demonstrationes, quia vel non habent proprietates de subiecto demonstrabiles, vel si habent, non sunt cognitæ, tamen de rebus singularibus non repugnat dari iudicia, & cognitiones certas, & veras, vt sunt iudica quibus rebus singularibus essentialia prædicamenta tribuimus, & in rebus practicis etiam practica iudicia certa esse possunt vt hanc domum vt bene fiat, ex arte hoc vel illo modo debere fieri, hanc actionem vt fit actus temperantiæ, & honeste fiat, has & illas circumstantias requirere.

Vnde Nota duplicem esse veritatem, in quibusdam propositionibus, vnam speculatiuam, alteram practicam. Speculatiua est, quæ spectatur ex confirmitate iudicii, ad obiectum seu rem cognitam, siue quæ rem dicit esse vt est à parte rei, quo fit vt veritas speculatiua necessaria debeat habere obiectum necessarium, nam si obiectum sit contingens & mutari possit, poterit etiam propositionis veritas mutari, practica veritas non spectatur ex conformitate iudicii, ad obiectum, sed ex conformitate iudicii, ad appetitum rectũ, & ea sit veritas practica, quæ conspirat & cõgruit cum appetitu recto, vt præclare Aristoteles *l. 6. c. 2.*

Petes primo, quomodo non committatur circulus in definienda veritate practica, seu recta ratione, & in appetitu recto definiendo, appetitus enim rectus definitur, qui conformatur appetitui recto.

Resp. non committi circulum, quia est aliis specie cõformitas in vtroque: appetitus enim rectus conformatur rectæ rationi, tanquam suæ regulæ, recta vero ratio conformatur appetui recto, tanquam obiecto, à quo suam veritatem practicam accipiat.

Petes secundo, an prudentia sit secundum se totam in intellectu; credibile tamen est, in voluntate esse piam affectionem respondentem prudentiæ, cui actus prudentiæ in intellectu imperat, per quam homo in genere bene afficiatur, erga res honestas, vt de illis bene iudicet, actus autem virtutum moralium, qui consequuntur iudicium prudentiæ, non dicuntur actus prudentiæ, tanquam elicientis, sed dirigentis.

DVBIVM II.

An detur aliqua iustitia legalis, vel generalis, & quid illa sit?

Dari iustitiam legalem, omnium DD. fere consensu receptum est. Quid vero illa sit, omnium maxime controuersum, neque enim in hac assignanda doctores inter se, neque cum Aristotele satis consentiunt, qui primus legalis iustitiæ nomine videtur vsus. Alii enim videntur existimare iustitiam esse particularem, quia inclinamur ad bonum commune procurandum. Alii vero cum Aristotele esse complexionem omnium virtutũ.

Dico primo, si de re ipsa loquamur, datur virtus aliqua particularis, quæ inclinat ad procurandum bonum commune, quam nõnulli iustitiam legalem vocant, & forte non incommode. Probatur prior pars, quia illud habet specialem honestatem, quę in aliis virtutibus non cernitur. Altera pars probatur, quia fere versatur circa ea, quæ lege sunt statuta in bonum Reipub.

Dico secundo verisimile est, hãc virtutem non esse diuersam à pietate. Probatur, quia pietatis est procurare bonum patriæ, vel Reipublicæ, ergo.

Dices pietas est æque in subditis, ac principe, iustitia autem legalis primario architectonice est in principe, in subditis vero tantum secundario, ergo non sunt eadem.

Resp.

Resp. primo, maiorem esse falsam, vt enim princeps est nobilissima pars Reipub. quæq; plus possit in procuratione boni communis, ita maiorem habet obligationem etiam ex virtute pietatis illud bonum procurandi, atque adeo hanc virtutem magis participabit, quam subditi.

Resp. secundo, ad minorem, Iustitiam legalem præcise non esse magis in principe, quam subditis, dicitur tamen primario esse in principe, quia in principe habet adiunctã maiorem obligationem, non ratione sui formaliter, & præcise, sed quia princeps præter obligationem quam iustitia legalis vel pietas adfert, habet adiunctam obligationem iustitiæ stricte sumptæ, seu commutatiuæ, obligatur enim ex officio, illius bonum procurare, quod si non facit, contra iustitiam commutatiuam peccat.

Dico tertio, probabilius tamen etiam hãc iustitiam legalem à virtute pietatis distingui. Ratio est, quia videtur alia ratio debiti in vtraque, & ex diuersa radice, nata, imo minor esse, ea quæ à pietate nascitur, quam quæ à iustitia: legalis pietatis enim obligatio rationque debiti originem habet ab ortu, & natalibus, ideo enim quis obligatur patriæ, ex pietate; quia patria ei aliquid ad ortum contulit, obligatio vero iustitiæ legalis oritur ex eo, quod quis sit pars communitatis, vt enim pars est propter totum, ita ratione huius vinculi tenetur bonum commune procurare, & præferre priuato. Confirm. quia teneor præferre bonum Reipublicæ pietati erga parentem, cum tamen ad ortum meum plus contulerit parens, quam patria, atque adeo ex virtute pietatis plus illi debeam, ergo aliunde debet nasci hæc obligatio.

Dico quarto. Si de iustitia legali loquamur, ex mente Aristotelis, iustitia legalis non erit virtus aliqua particularis, sed complexio omnium virtutum, patet ex *l.* 5. *Eth. c.* 1. *&* 2. in quibus agit de iustitia legali, vbi inter cætera adfert versum Theognidis: *Iustitia vna alias virtutes continet omnes.* Deinde ait, *paulo post*, expresse, hanc iustitiam non esse virtutis partem, sed virtutem vniuersam, sicuti iniustitia contraria non est pars vitii: sed vniuersum atque integrum vitium. Addit deinde virtutem in genere, & iustitiam legalem esse eadem, ratione tantum differre. Confir, quia iniustitia legalis Aristotelis nihil est aliud, quam violatio legis, atqui violatio legis nihil est aliud quam turpitudo in genere, ergo iustitia legalis erit obseruatio legis.

Petes in quo differunt ratione virtus in genere & iustitia legalis, secundum Aristotelem.

Resp. eo differre, quod idem habitus, quatenus ad exercitium boni actus inclinat, & ordinatur, præcise dicatur virtus, quatenus refertur ad alterum, & redundat in bonum commune, est iustitia legalis. Patet ex Aristotele *in fine c.* 1. *l.* 5.

Dico 5. Iustitia legalis, si formatur præcise, vt nonnulli volunt, pro virtute, quæ legis debito & obligationi satisfacere intendit, non differet ab inobedientia. Probatur, quia peculiare hoc est virtutis obedientiæ, aliquid facere, quia imperatum, vel lege sancitum est.

DVBIVM III.

An iustitia particularis recte diuidatur in distributiuam?

Dico recte ita diuidi, probatur ex Aristotele 5. *Eth. c.* 2. *in fine.* vbi duas iustitiæ speciales constituit species, vnam qua bene disponimur in distributionibus, alteram qua bene disponimur in commutationibus, à quibus vtriusque iustitiæ nomen sumptum. Hęc diuisio autẽ sumpta est ex diuersa habitudine, quam partes reipublicæ, vel inter se, vel ad totum habere possunt, hæc autem habitudo est triplex, vna est partis ad totum, & hæc iustitiam legalem constituit, quæ vnamquamque partem Reipublicæ recte disponit, ad bonum totius, de qua hactenus, secunda est totius ad partes, quæ bene disponit totũ, seu communitatem in distribuendis inter ciues tum oneribus, tum bonis communibus, honoribus, officiis, &c. iuxta proportionem, quæ in ipsis inuenitur: hæc proinde primario est in principe, vel magistratu, vt in distribuẽdo proportionem seruet, secundario tamen est etiã in ciuibus, quatenus per eã disponuntur, vt hanc distributionem bonam à principe factam ament, & probent. tertia habitudo est

est partis ad partem, & hæc iustitiam commutatiuam constituit, quæ bene ordinat ciues inter se, in contractibus, & actionibus, quibus inter se res commutat & hæc secum habet pro suo obiecto ius perfectum, & stricte sumptum, hoc est, obligant ad restitionē, ita dicitur communiter Iustitia stricte sumpta, Iustitia autem distributiua si violetur, non obligat ex se, ad restitutionem, licet ratione iuris stricte sumpti annecti possit quibus obligari ad restitutionem, ex malefacta distributione .v.g in oneribus distribuendis, vectigalibus, &c. princeps ita debet illa distribuere, vt seruet proportionem inter ciues, id est, iuxta proportionem inopiæ, vel facultatis, quæ est in ciuibus, vectigalium sit proportio, vt ea sit proportio onerum impositorum, pauperi & diuiti, quæ est facultatum inter se in vtroque, quam proportionem si violet, & tantum imponat pauperi, quantum diuiti, peccat non tantum contra iustitiam distributiuam, sed etiam contra cōmutatiuam, quia pauper habebat ius strictū, in rem suam ipsi ablatum, Similiter si quis relinquat 100. aureos distribuendos studiosis collegii, iuxta cuiusq; inopiam: vel eruditionem, is qui eos distribuet, tenetur seruare formam iustitiæ distributiuæ, vt ea sit proportio pecunię, quā vnus accipiet ad pecuniam alterius, vel inter eruditionem vnius, & eruditionem alterius, si eruditionis sit habenda ratio. Hanc in distribuendo proportionem, si quis non seruet, peccat contra iustitiam distributiuam, & simul contra commutatiuam, quę ei obueniebat ex donatione alterius, cum enim donator voluit hāc proportionem seruari, est idē, atque si singulis certæ pecuniæ summam assignasset, vnde & hoc capite ad institutionem tenetur distributor ei, qui iniuriam fecit, in aliis tamen multis, vbi non est illud ius strictum, in iis, inter quos fit distributio, vt in distributione officiorum Reip. secundum dignitatem cuiusque, non tenetur princeps, vel distributor ad restitutionem ei, cui facta fuerit iniuria, licet peccarit contra iustitiam distributiuam.

Finis Commentariorum & Disputationum Bernardi Morisani, in libros Logicos, Physicos, & Ethicos Aristotelis.